


NAZIONALE
14
33 M
30

WILHELMI ERNESTI TENTZELII
EXERCITATIONES SELECTÆ
IN
DVAS PARTES
DISTRIBVTÆ:

QVARVM PRIORI

PRÆTER SYMBOLVM APOSTOLICVM, CLEMENTIS ROMANI, IGNATII, POLYCARPI, IVSTINI MARTYRIS, ATHENAGORÆ, THEOPHILI ANTIOCHENI, TATIANI, HERMIÆ, IACOBI NISIBENSIS, ET EPHREMI SYRI, SCRIPTA EXPENDVNTVR, PLERORVMQVE VITA PRÆMISSA;

TVM

CONSTANTINI MAGNI BAPTISMVS, NATALITIA EPISCOPORVM, HYMNVSQVE:

TE DEVM LAVDAMVS,


ILLVSTRANTVR;

POSTERIORI

DISCIPLINA ARCANI
IN APRICVM PRODVCITVR,
ALIAQVE ANTIQVITATIS ECCLESIASTICÆ CAPITA
EXPLICANTVR.
CVM INDICE RERVM AVCTORVMQVE PRÆCIPVORVM.



LIPSIÆ & FRANCOFVRTI,
Apud JOH. FRID. GLEDITSCH. ANNO M DC XCII.



SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

IOANNI GEORGIO QVARTO

DVCI SAXONIÆ IVLIACI CLIVIÆ ET MONTIVM

ANGARIÆ ET VVESTPHALIÆ

SACRI ROMANI IMPERII ARCHIMARESCHALLO

ET ELECTORI

COMITI PROVINCIALI THVRINGIÆ

MARCHIONI MISNIÆ AC VTRIVSQVE LVSATIÆ

BVRGGRAVIO MAGDEBVRGI

PRINCIPALI DIGNITATE COMITI HENNEBERGÆ

COMITI MARCÆ RAVENSBERGÆ

ET BARBY

DOMINO RAVENSTEINI

PIO MAGNANIMO FELICI
ERVDITIONIS AMATORI
LITTERATORVM PATRONO
FIDEI ORTHODOXÆ
IN GERMANIA
DEFENSORI MAXIMO

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

VOTA
PRO FELICI REGIMINE
MATRIMONIOQVE NVPERRIME INITO
NVNCVPANS
ET
SE SVAQVE STVDIA HVMILIME
COMMENDANS
SIMVLQVE
SCHELSTRATII EXEMPLVM
REGII NOMINIS PATROCINIVM
PRO APOLOGIA SVA IMPLORANTIS
SECTATVS
TENVE HOC OPVSCVLVM
QVA PAR EST ANIMI DEVOTIONE
DAT DICAT DEDICAT
WILHELMVS ERNESTVS TENTZELIVS.

Præfatio ad Lectorem.



Vam viri docti omnium ætatum experti sunt felicitatem, vt variis gauderent ἐργοδιώκτας, adscripta sua in publicum edenda: eadem mihi contigit in FRIDERICO BENEDICTO CARPZOVIO, *Senatore Lipsiensi grauissimo, Viro iuuandis bonis litteris nato, eoque nomine per totam Europam celeberrimo. Norunt eruditi, quam laudabilem operam is præstiterit Reinesianis Inscriptionibus, tum Morhofio de auro, Petito de Sibylla, aliisque de aliis argumentis scripta meditantibus. Hanc mihi aduersus Schelstratium scribenti nauauit, libros quosdam rariores ex instructissima Bibliotheca sua suppeditando, & Bibliopolam, qui sumtus faceret, quærendo. Si quam igitur vtilitatem inde capies, benigne Lector, eam* CARPZOVIO *potius, quam mihi, noueris adscribendam: absque illo enim si fuisset, nunquam forte hoc opusculum, vt ferrea sunt tempora, in lucem prodiisset. Cæterum idem auctor mihi fuit, vt ex Dissertationibus meis Academicis quasdam seligerem, iisque additis in iustam formam redigerem libellum. Quare operæ pretium duxi, seriem illarum occasionemque recensere, vel ea de caussa, quod* Index Bibliothecæ Theologicæ Martini Lipenii *ex me beatoque Parente quinque diuersos auctores fecerit.*

Anno cIↃ IↃc LXXVII. *Academiam Wittenbergensem accessi, iactisque fundamentis sequenti anno primum specimen publicum dedi, defendendo tres Diatribas* de Corban, *quarum auctor præsesque fuit* GEORGIVS FRIDERICVS MEINHARDVS, *studiorum meorum Director, postea Diœceseos Sondershusa-Schvvartzburgicæ Superintendens optime meritus. Hinc summum in Philosophia gradum adspirans, iussu Parentis* de Medio præscientiæ diuinæ circa futura contingentia *Disputationem elaboraui, & sub præsidio* CHRISTIANI DONATI, *Logices ac Metaphysices Professoris Celeberrimi, publicæ eruditorum censuræ subieci. An.* cIↃ IↃc LXXX. *honores Magisterii adeptus, sed paullo post a Parente, ob pestem Dresdæ Lipsiaque grassantem, domum euocatus, quamprimum Arnstadium redii, inter libros nouos ex proximis nundinis vernalibus acceptos Parens monstrauit* Emmanuelis a Schelstrate Antiquitatem Ecclesiæ Illustratam, *cuius modestiam laudauit, consiliumque dedit, vt duplicem Constantini Baptismum ab eo confictum refellerem aliquando ea Disputatione, qua pro more Wittenbergæ recepto dignum me probarem, cui facultas publice præsidendi priuatimque prælegendi conferretur. Parui optimi Viri voluntati, horisque subcisiuis* Schelstratii *argumenta examinaui, responsiones in chartam conieci, Parentique diiudicandas obtuli, qui & reliqua* Schelstratii *scripta mihi acquisiuit. Hæc prima est origo controuersiæ cum celeberrimo* SCHELSTRATIO, *quam publice exponere cogor, vt Viri quidam eruditi in Italia Germaniaque liberentur a sinistra suspicione, quam in eos transtulit* Schelstratius, *quasi me ad hoc*

certamen instigarint aut subornarint. Caeterum per biennium apud Parentem substiti, eiusque Bibliotheca & viua informatione vsus tantum profeci, quantum alibi quadriennii spatio. Mense Iulio an. cIↃ IↃc XXCII. Wittenbergam regressus facultatem, quam dixi, ab Amplissimo Philosophorum Ordine petii facileque impetraui: sed Disputationis argumentum mutare coactus sum, quod ei pro dignitate tractando non sufficerent chartae legibus praescriptae. Itaque sub praesidio BALTHASARIS STOLBERGII, Professoris Graecarum litterarum Celeberrimi, de Proseuchis Iudaeorum, & mox de Proseuchis Samaritanorum Praeses ipse disquisitiones publicas institui. Has autem quo minus nunc recuderem, partim scopus obstitit, quo ad Historiam Christianorum praecipue spectaui; partim Illustris LVDOLFI consilium, qui proxime imprimi curabit nouam Samaritanorum epistolam, vltimo anni superioris mense ad se perlatam, addetque illorum ad Scaligerum Anglosque litteras natiuo idiomate, & aliis virorum doctorum de gente nummisque Samaritanorum obseruationibus mea tandem subiunget Paralipomena, vnde fragmentum desumtum est, quod ineunte anno LXXXIX. misi Amstelodamum, ad celeberrimos Bibliothecae Vniuersalis collectores, illique Gallice versum tomo duodecimo inseruerunt.


Mense Nouembri dicti anni LXXXII. periculum quasi pugnae litterariae faciens in disceptationem publice vocaui IOANNIS FELLI, Episcopi tunc Oxoniensis celeberrimi, sententiam de verbis quibusdam Iobi, quae de Phoenice explicans auxilium ferre conatur labascenti epistolae Clementis Romani ad Corinthios. Mox rediit in mentem Schelstratius, deditque initium certaminis Disciplina arcani, quam in Notis ad Concilium Antiochenum minus recte ab eo explicatam peculiari Diatriba initio anni LXXXIII. vindicaui. Hinc ad alia progressus nouam quorundam Apophthegmatis Ignatii: ὁ ἐμὸς ἔρως ἐςαύρωται, interpretationem trutinaui, veteremque asserui, multis de vita epistolisque Ignatii praemissis. Circa Paschatis festum de Iosepho Arimathaensi sub praesidio meo disputauit CL. M. Christianus Henricus Brömelius, ipse Disputationis auctor: ego autem paullo post, Parente grauissime decumbente, Arnstadium repetens totam ibi aestatem consumsi, verum eo deinceps melius habente Wittenbergam redii, & in numerum Adiunctorum receptus Examine fabulae Romanae de duplici Baptismo Constantini Magni Locum mihi adsignatum vendicaui, captoque consilio, vt anno labente vltimus essem publice disputantium, sicuti primus fueram, Exercitatio de Symbolo Apostolico nata est. Anno cIↃ IↃc XXCIV. Cathedram non conscendi, tria tamen Schediasmata edidi, duo Wittenbergae, de Polycarpo, Episcopo & Martyre Smyrnensi, & de Natalitiis Episcoporum; tertium Arnstadii de Ephremo Syro. Parentis enim caussa ineunte auctumno in patriam profectus sum, eoque praeter spem anno LXXXV. decedente diutius, quam putaueram, Musarum Wittenbergensium consortio carui, sed cum iis tandem reconciliatus non solum responsionem ad Schelstratii Apologiam (qua de prolixius initio Animaduersionum,) adornare

adornare cœpi; verum etiam de Ritu ſacrarum lectionum *commentatus ſum, occaſionem ſuppeditante CL.* Georgio Henrico Gœzio, *ſub cuius nomine hæc Diſſertatio Romæ citata eſt ab Illuſtri* Ciampino *&* Ioſepho Maria Caro, *ſub meo autem in elegantisſimis Reipublicæ litterariæ Nouellis Roterodami recenſita. Quam quidem omittere nunc placuit, magno aliquando cum fœnore forſan repetendam. Integrum enim* Ἐυαγγελιάριον *Græcum MS. in Bibliotheca Sereniſſimi* PRINCIPIS *Gothani nactus ſum, idque cum MSto Auguſtano, Mabillonio, Hottingero aliisque eruditis laudato, & ſingulari* Magnificorum Curatorum *beneficio mihi quondam transmiſſo, contuli, adiecturus ſimul rubricas ex Codice Norimbergenſi & Baſileenſi, quarum illas olim exſcripſit* Io. Ern. Gerhardus; *has autem beneuole mecum communicauit Celeberrimus* Wetſtenius. *Totum itaque Euangeliarium, ſi Deus vires, & Bibliopola aliquis ſumtus ſuppeditauerit, euulgabo, præfixa Diſſertatione Allatii de Dominicis Græcorum, meaque, infinitis in locis aucta.*

Anno cIↄ Iↄc XXCVI. *præter* Comparationem Hiſtoricam inter Iacobum Niſibenſem, & Iacobum Tentzelium, *in memoriam Parentis inſtitutam, ſub Præſidio meo* de Bibliis Polyglottis *disquiſitionem inſtituit CL.* M. Ioan. Chriſtophorus Erneſti; *ego autem paucis diebus elapſis Gotham vocatus Exercitatione* de Hymno: Te Deum laudamus, *ſtudiis Academicis finem impoſui. Noua ſparta ornatus non deſtiti per otium priſcas Eccleſiæ antiquitates inueſtigare, & varia concinnare opuſcula, quorum vnum* de Symbolo Athanaſiano *an.* cIↄ Iↄc LXXXVII. *lucem adſpexit, reliqua in ſcriniis adhuc iacent, e quibus* Notæ & animaduerſiones in Caſimirum Oudinum de Scriptoribus Eccleſiaſticis *ad finem fere perducta ſunt; e Deliciis autem* litterariis *non niſi primum caput ad vmbilicum peruenit, quod nunc edere volui, loco præfationis in Catalogo nundinali quondam promiſſæ,* de Sæculi noſtri felicitate in excolenda Hiſtoria Eccleſiaſtica, *quod argumentum alia occaſione, fortunante Deo, latius tractare animus eſt. Cæterum inter Delicias illas opponere conſtitueram Obſeruationes de Athanaſio, Hieronymo, Epiphanio, de Beda venerabili, de variis Antiquitatibus Germanicis, de ſcriptis Adeſpotis; quarum poſtremas intelligit Celeberrimus* Placcius *in Inuitatione ſua amiciſſima ad Anonymos & Pſeudonymos detectos & detegendos, cuius vaſto operi perficiendo vt vitam viresque largiatur Deus, ex animo opto. Eodem anno* Breuiarium *edidi* Animaduerſionum in Apologiam Schelſtratii, *quæ nunc integræ prodeunt, & cum Diſſertatione Wittenbergæ habita alteram harum Exercitationum partem conſtituunt, præmiſſo ſemper Apologiæ Schelſtratianæ capite vel paragrapho, cui reſpondetur, vt illis conſuleremus, qui exemplar Romæ impreſſum comparare nequeunt. Priorem vero partem ita diſpoſui, vt ordinem temporis præcipue ſeruarem, quoniam ea circa ſcripta ſcriptoresque potisſimum verſatur. Inde talis ordinatus eſt, qualem in ipſa lectione reperies.*

Præterea ſcire Te volui, priori tantum parti plurima hinc inde adiecta, quod ex collatione priorum editionum ipſorumque Addendorum facile cognoſces; poſteriori vero pauci-

paucisſima, ſed pleraque certo conſilio relicta eſſe, prout ante quinquennium ad prelum parata fuerunt. Equidem non deerant, quæ noſtra vel confirmarent vel illuſtrarent. Samuel Baſnagius *in Exercitationibus Hiſtorico-Criticis nouisſime editis pag. 489. 490. 491. multa profert argumenta, quibus aduerſus Schelſtratium Pagiumque euincat, Apoſtolos arcani diſciplinam non obſeruaſſe; in eo tamen mihi non probatur, quod* tertio ſæculo præcipiti *demum ortam vult.* Henricus Dodvvellus *Diſſertatione IV. in Irenaum num. XVI. egregie illuſtrat Valentinianorum dogmata occultandi conſuetudinem; ſed alucinatur num. XXVI. quando calumnias de Thyeſteis Chriſtianorum conuiuiis, atque Oedipodeis inceſtibus* Hadriano exeunte *primum cœſas ſtatuit, neque Iuſtini Martyris a ſeipſo allegati verba ſatis ponderauit, e quibus luculentisſime demonſtrauimus, ſtatim poſt Chriſti adſcenſionem illas ſpargi cœpiſſe. Sic Lectionem Scripturarum Gentilibus haud prohibitam non ſolum adſtruere amplius potuiſſem ex Iuſtini Martyris Paraneſi, (vt vulgo inſcribitur, ſeu potius* Elencho*, vt inſcribendam oſtendi in Addendis partis prioris,) vbi eos ad hoc ipſum faciendum perhumaniter inuitat ſanctisſimus Martyr: ſed etiam exemplo Athenagoræ ex Philippo Sideta in iisdem Addendis allegato. Atque hic ſemel monuiſſe ſufficiat, poſteriorem partem prius excuſam eſſe, prioremque poſterius. Quare mirum nemini videatur, ſi qua in hac legantur iudicia de ſcriptis antiquis, cum ibi traditis non ſatis congruentia. Nam* δευτέραι φροντίδες σοφώτεραι. *Tales ſunt Conciones Polycarpi Catechetica, quas in Exercitatione de Polycarpo Vitam eius Pionio tributam* νοθείας *poſtulans ſimul confixi, quippe quæ illâ continentur; ſed in animaduerſionibus pag. 55. 60. 63. aduerſus Schelſtratium allegaui, neſcius quippe, an is malit cum Halloixio Biographiam illam adſerere, aut cum Lupo reiicere. Denique loca auctorum, rariorum præſertim, prolixius exſcripſi, quod pauci libros iſtos posſident, & ex illis, qui habent, paucisſimi inter legendum ſibi ſumunt onus euoluendi. Eadem cauſſa eſt, quod nullum addo indicem erratorum typographicorum, quibus hoc Opuſculum minime carere fateor. Sed auctoris abſentia, typographi nonnunquam feſtinatio, apud prudentes facile excuſabunt. Exploratum habeo, ſi qui libris contingunt Lectores eruditi, eos talia ſphalmata nullo negotio animaduertere & corrigere: indoctos autem ne quidem intelligere, multo minus emendare. Quamobrem neutris opus eſt illorum collectione, licet diffiteri nequeam, nonnulla mihi obiter relegenti occurriſſe, quæ ſenſum turbant. Verum hæc omnia tollent ac ſupplebunt benigni conatuum meorum Interpretes: quibus ſi hæc non diſplicuiſſe intellexero, ad alia Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ argumenta illuſtranda me accingam.*



WILHELMI ERNESTI TENTZELII

EXERCITATIONVM SELECTARVM

PARS PRIOR.

EXERCITATIO PRIMA DE

SYMBOLO APOSTOLICO

Wittenbergæ habita

D. XXIX. Decembris An. CIↃ IↃC XXCIII.

PRÆFATIO.



Miram Pontificiorum leuitatem in discernendis veris germanisque Patrum scriptis a suppositiiis ac adulterinis, passim ab eruditis notari videmus. Ea duobus potissimum modis sese exerit: aut enim fulcire conantur opiniones suas testimoniis ex eiusmodi libro desumtis, quem ipsi alibi tanquam spurium repudiant; aut ficulneis ad probandam scripti alicuius sinceritatem ac γνησιότητα vtuntur argumentis, quorum infirmitatem in similibus disputationibus sponte alias agnoscunt. In priori fraudis genere satis exercitatum se præbuit Cæsar Baronius, quemadmodum pruden-

tiores Pontificii sæpius conqueruntur, teste Antonio Godellio in Præfat. Histor. Ecclesf. cuius verba latine interpretatus est Frid. Spanhemius Canone 4. Isagog. ad Crit. Ecclesf. Quare non erat, vt Casaubono succenseret clarissimus Huetius, Demonst. Euang. Propos. III. num. XIII. quod *Baronio, spectatæ integritatis viro*, ad Ebraicum Iosephi Codicem in Vaticana Bibliotheca exstantem prouocanti, *fidem derogarit*, quem is tantum non omnem integritatem fidemque leuitate sua & inconstantia perdidisse toties deprehenderat, ac in Exercitationum Prolegomenis luculenter monstrauerat. Posterioris exemplum præbet nouissimus Historiæ Ecclesiasticæ in Sorbona Parisiensi scriptor, Natalis Alexander, quando inprimis Sæc. I. Dissert. XI. *Symbolum, quod Apostolicum adpellatur, ab Apostolis traditum* euincere laborat eiusmodi rationibus, quas Dissert. XVII. de Canonibus Apostolicis & in Synopsi Sæculi IV. Cap. VI. Art. VIII. num. IX. de Athanasiano Symbolo disputans infirmas prorsus tantæque rei adstruendæ impares esse diserte indicat & confitetur. Quod ostendere & in apricum producere, Deo fortunante, animus est, vt aperte constet, in disputatione περὶ γνησιότητος duorum illorum Symbolorum non posse tali modo procedi, vt alterum auctoribus suis adseratur, alterum denegetur, sed vtrumque vel adserendum vel denegandum esse.

Monendus est beneuolus Lector, An. CIϽ IϽC XCVII. Gothæ a me editum libellum *de Symbolo Athanasii*, in quo latissime diducuntur, quæ in hac Diatriba breuiter proposita sunt. Notari etiam meretur, nouissime in ipsa Sorbona Nouam Auctorum Ecclesiasticorum Bibliothecam scripsisse Ludouicum du Pin, eiusque Tomo I. pag. 9. 10. Symbolum Apostolicum ab Apostolis quoad verba & terminos minime profectum adseruisse; vnde liquet, ne omnes quidem socios suos Alexandrum in suam pertraxisse sententiam, tantum abest, vt nobis aliisue eam irrefragabiliter persuaserit.

I.

NOn prolixe occupatus ero in recensendis fundamentis sententiæ nostræ, quæ Symbolum ab Apostolis ea forma verborumque structura contextum esse negat: otium enim mihi fecerunt Theologi summi, B. Wilhelmus Lyserus, Auus meus maternus, Dissertat. de Antiquitate Augustanæ Confessionis th. 2. sq. B. Carpzouius Isagoge in libros Symbolicos p. 40. 41. B. Dannhavverus Actu I. Christeidos Theat. I. Phœnom. IX. & inprimis Illustris Theologorum Princeps D. Abr. Calouius Postulato I. Syncretismi Calixtini: vt taceam Reformatæ Ecclesiæ Doctores, Iac. Vsserium Dissert. de Symbolo Apostolico Vetere Romanæ Ecclesiæ, Ger. Io. Vossium Diss. I. de tribus Symbolis, Herm. Witsi-

Witſium Exercit. in Symb. Apoſt. quæ an. 1681. Francequeræ prodierunt, aliosque innumeros vtriusque religionis eruditos.

II. Enimuero ea tantum argumenta vindicabo, quæ impugnauit Alexander, ut leuitas eius melius innoteſcat. Primum a Lucæ & Apoſtolorum deſumitur ſilentio, quod ab Alexandro tali forma proponitur: *Si Symbolum hoc fuiſſet ab Apoſtolis concinnatum, non ipſi in Epiſtolis, ac beatus Lucas in Actibus Apoſtolicis, tanti rem momenti ignorare ſiuiſſent Eccleſiam Catholicam: atqui Apoſtolorum nemo, nec B. Lucas, eius Symboli meminit; ergo hoc Symbolum non eſt conditum ab Apoſtolis.* Hoc Alexander quinque impugnat reſponſionibus. Ait enim I. *multa alia eſſe ab Apoſtolis facta, quorum nec S. Lucas, nec Apoſtolorum vllus meminit.* II. *nec argumentum inficiale alicuius omnino ponderis eſſe.* III. *Symbolum pertinere ad traditiones non-ſcriptas, teſtibus Hieronymo Epiſt. 61. ad Pammach. Rufino in Expoſitione Symboli, & Petro Chryſologo Serm. 62.* IV. *S. Lucam, teſte Hieronymo, multa Hiſtoriographi licentia prætermiſiſſe.* V. *nec Euangelii a ſe ſcripti meminiſſe, nec tamen inde inferri poſſe, Euangelium a S. Luca non eſſe conſcriptum.* Verum omnia hæc tela plane ficulnea ſunt, ac ne conjunctim quidem, multo minus ſeorſim efficiunt, quod intendit Alexander. Primum quippe ſæpisſime retuſum eſt a Noſtratibus in diſputatione de Sede Petri Romana. vbi hæc exceptio Latinæ ſectæ hominibus ſolennis eſt. Lucas certe ipſam commemorauit Apoſtolorum diſperſionem, cui præmiſſam fuiſſe Symboli conſtructionem communiter ſtatuunt aduerſarii: Quomodo ergo ſilentio obuoluerit rem, quæ totius fidei Chriſtianæ caput complectitur? Sed habemus Alexandrum ἑαυτοντιμωρούμενον, dum Sæc. I. Diſſ. XIX. probaturus, *fictitiam eſſe Antiochenam illam Synodum Apoſtolorum*, cuius nouem Canones proferuntur a Turriano, Baronio & Binio ſecundo loco hanc collocat rationem, quod *Synodus illa Antiochena in omni retro Eccleſia ignota fuit; nullumque eſt illius in Actis Apoſtolorum aut in omni retro antiquitate veſtigium.* Quidni Turriano excipere liceret, multa alia eſſe ab Apoſtolis facta, quorum nec S. Lucas, nec Apoſtolorum vllus meminit? Videt itaque Alexander infirmitatem ſuæ coniecturæ; nec ſibi porro conſtat, ſed ſecundum quoque telum ipſe infringit, quando ex argumento inficiali Canones & Conſtitutiones Apoſtolis falſo tribui colligit; illudque in Symbolo Athanaſio abiudicando in acie collocat: *Prima ratio eſt, quod nullus auctor Athanaſio coæuus aut ſuppar, eius meminerit. Non S. Gregorius Nazianzenus in Oratione de Laudibus S. Athanaſii, non vllus Hiſtoricorum Eccleſiaſticorum, qui primis ſeculis ſcripſerunt, non Athanaſius ipſe in Apologiis.* Hanc Alexandri in argumento negatiuo inconſtantiam aliis exemplis probauit Frid. Spanhemius in Hiſtoria Imaginum p. 51. 52. Ad tertium vero recte re-

 poſuit

posuit Vossius Diss. I. §. 25. *aliquid dicere aduersarios, nisi normam fidei esse vellent, quam a baptizatis exigi oporteret. Nam ἄγραφα ista non vlterius spectare potuerunt, quam regimen ac ritus Ecclesiæ, vel si ad dogmata etiam pertinerent, vtilia quidem fuerint, non tamen ex iis, quæ creditu, spemtu, factu sint necessaria: quorum nihil non ac perspicue satis, in Scripturis enarratur.* Hieronymus & Rufinus non de hodierno, sed antiquo Romanæ Ecclesiæ Symbolo intelligendi sunt, quod Vsserius luculenter commonstrauit: & eodem fere sensu Petri Chrysologi locus accipiendus venit. Quartum vt idem est cum primo, ita eadem ratione remittitur. Quintum denique plane a scopo abludit, scripturæque diuiniori repugnat, quum Lucas diserte initio Actuum Apostolicorum de dictis factisque Christi se scripsisse ad Theophilum testetur, quod de alio libro, quam Euangelio, Theophilo pariter inscripto, intelligi nequit.

III. Est & aliud argumentum, quod cum primo ita iungit Alexander: *Præterea si Symbolum esset ab Apostolis editum, esset pars Scripturæ Canonicæ: atqui nullus Patrum, dum canonem refert scripturæ, in eo Symbolum hoc reposuit; igitur Auctores Apostolos non habet.* Eludere quidem conatur vim obiectionis respondendo, *Symbolum Apostolicum non esse repositum in canone Scripturæ Sacræ, tum quia scripto non est ab Apostolis traditum, tum quia, licet sit certum fuisse conditum ab Apostolis, non tamen ad fidem spectat, nec ab Ecclesia definitum est. At Scriptura Sacra literis mandata est, & eam esse ab Auctoribus sacris suggerente Spiritu Sancto dictatam fides edocet.* Verum propria rursus cædit vineta Doctor Sorbonicus. Nam Canones Apostolicos νοθείας conuincit eodem argumento, quod non sint in Canonem Noui Testamenti relati; additque notanter: *Nulla enim ratio est, cur a Canonicis N. T. libris excludatur opus, quod ab Apostolis editum ac traditum esse constat.* Quum igitur Symbolum non referatur inter scripta Canonica a veteri Ecclesia, facile liquet, id ab Apostolis non esse profectum: aut Canones quoque ab ipsis sancitos, quod absurdum foret & dicere & sentire.

IV. Tertium argumentum inde petitur, quod Apostolorum ætate alia fuerit catechizandi ratio, aliudque Symbolum, vti liquet ex Matth. XXIIX. 19. Actibus Apostolicis & Epistolæ ad Ebræos cap. V. & VI. 2. sed subinde postea crescentibus hæreticis varii articuli huic fundamento superstructi sunt & additi, vnde successu temporis totum, quod habemus, Symbolum emanauit, quod pluribus ostendunt D. Calouius §. 12. 27. B. Tob. Wagnerus Inquisit. in Acta Henotica Sect. VII. cap. VII. & in Reformatis post Vossium & alios a se citatos Witsius Exerc. I. num. 13. 14. Atenimuero si certa Symboli hodieque exstans forma ab Apostolis Ecclesiæ tradita fuisset, eandem sine dubio intemeratam,

prout

prout ab ipsis designata & constituta erat, ad posteros illa transmisisset, sine vlla detractione vel additione, non minus ac Epistolæ & reliqua Apostolorum scripta eo plane modo, quo ab ipsis edita, ad nos propagata fuerunt. Non obseruauit vim huius argumenti Alexander, vnde binæ eius exceptiones prorsus nullius sunt momenti. Sibi ipsi certe aduersatur, quando ait, *tunc Simonianos, Cerinthianos & Ebionitas grassatos:* etuero paullo post *immediate ante Apostolorum dispersionem Symbolum editum esse* statuit: etiamsi enim Simonianos eo tempore iamtum ortos fuisse concedatur, quod tamen negabunt, quicunque fidem adhibent Hegesippo, proximo temporum Apostolicorum scriptori, Ecclesiam, Hierosolymitanam inprimis, vbi Symbolum conditum esse fingitur, vsque post mortem Iacobi fratris Domini illibatam permansisse adserenti apud Eusebium lib. IV. Historiæ Ecclesiasticæ cap. XXII. certe rationi temporum plane repugnat, Cerinthianos & Ebionæos in Ecclesia Christiana ante dispersionem Apostolorum virus suum exeruisse. Vtut enim largiamur, quod Synops. Sæc. I. c. X. Art. 5. vult Alexander, *Cerinthum sub Apostolis quæstionem illam mouisse de Circumcisione ac cæteris legis Mosaicæ adhibendis ceremoniis, ad quam disceptandam Concilium Hierosolymitanum ab Apostolis habitum est*, illam tamen non tam ad res in Symbolo hodie Apostolico contentas, quam ad ceremonias & legem Mosaicam facere manifestum est. Quinimo ex eo, quod secundum communem veterum traditionem Ioannes Euangelium diuinitatis Christi aduersus Cerinthum adstruendæ caussa scripsit, colligi posse videtur, hunc hæresiarcham primo ab Ecclesia discessionis tempore in ceremoniis Iudaicis introducendis fuisse occupatum: postea vero ipsam Religionis Christianæ arcem & fundamentum adgressum diuinam Christo naturam denegasse. Vtcunque vero hæc res sese habeat, sicut probari nequit, ante dispersionem Apostolorum Cerinthum hæresin suam sparsisse, eaque de caussa annus Christi 69. ortui sectæ eius adsignatur a Gabr. Prateolo in Elencho hæref. p. 458. quum Concilium Hierosolymitanum an. Christi 51. habitum ex Alexandri computatione consequatur, vtut ea in Baronio pridem confutata sit a Nicolao Vedelio Lib. I. de Cathedra Petri c. IV. & V. qui c. VI. annum 48. adsignat: Conf. Frid. Spanhem. Diss. de Æra Conuers. Paulli n. 24. ita pariter falsum est, Ebionæos dispersionem Apostolorum præcessisse, quoniam Ebion *Cerinthi successor* audit Tertulliano lib. de Præscript. hæret. & Philastrio eiusdem *discipulus*; omnesque tam veteres quam recentiores ortum Ebionitarum post Hierosolymitanæ vrbis excidium collocant, e quibus Petauius in Chronico lib. XIII. de Doctr. Temp. ad art. 72. Æræ Vulg. *Ebion hæreticus his fere temporibus prodiit.* Altera denique exceptione, quod *Symboli editione fidei & Ecclesiæ in futurum consulere ac prouidere debuerint Apostoli*, diceret aliquid Alexander, nisi con-

ſtaret, ſequentibus temporibus addita tum alia, tum inprimis Articulum de deſcenſu Chriſti ad inferos: quum ex aduerſo Apoſtoli iſtud dogma diſerte expreſſisque verbis in ſcriptis ac ſermonibus ſuis expoſuerint, non omiſſuri illud in Symbolo, coniunctis conſiliis Eccleſiæ relicto: Multo minus ſequentium ætatum Doctores quidquam illi adiicere auſi fuiſſent, ſi ab Apoſtolis tali forma id fuiſſet profectum, quod pluribus vrget Voſſius §. 26. 27.

V. Sequitur quartum argumentum, quod breuiter proponit Alexander: *Non conueniunt inter ſe Auctores Catholici de tempore, quo Symbolum ab Apoſtolis editum eſt; ergo non eſt vere Apoſtolicum.* Conſtat huic rationi pondus ac valor, quando admodum leuia ſunt, quæ obiicit Alexander. Quærit primo, *Quid refert ad rei veritatem, quo tempore facta ſit?* Equidem ſi in tempore ſolum adſignando variarent ſcriptores, locus posſit eſſe exceptioni Alexandri; ſed quum præterea in primariis hiſtoriæ capitibus diſſentiant, vt inprimis Voſſius ac Dannhavverus commonuerunt, in ventos ea abit: obſeruandum enim, quod ipſe reſpondet Doctor Sorbonicus Sæc. I. Diſſ. XII. p. 526. *Hiſtoriæ falſitas colligitur ex Auctorum diſſenſu, ſi in hiſtoriæ ſubſtantia, & præcipuis capitibus diſſentiant.* Hinc eſt quod Symbolum Athanaſio abiudicans ratione ſexta ſcribit, *qui illud S. Athanaſio tribuunt, non conueniunt inter ſe, quando & qua occaſione illud ediderit.* Quod vero hic obiicit, *doctiores editum Symbolum ab Apoſtolis arbitrari, immediate ante illorum diſperſionem*, vti cum aliorum opinionibus, qui vel ad ſequentia vel antecedentia tempora iſtud coniiciunt, aperte pugnat, ita oſtendit, incerta eſſe omnia, quæcunque vel a doctioribus vel a vulgo eruditorum hac de re traduntur, quum firmo & conſtanti Apoſtolicæ ætatis teſtimonio plane deſtituantur. Præterea infeliciter *retorquet argumentum contra Hæreticos*, quos vocat: quanquam enim *non conueniunt de tempore, quo ab Eccleſia Romana editum eſt, aliique quarto ſæculo, alii quinto conditum volunt, alii ab ipſis, qui Canones Apoſtolorum conſcripſere:* nullo tamen iure ab illis conſenſus in tempore adſignando requiri poteſt, vel debet, quum alias Alexandro incumbat de Canonibus ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſimilibusque ſcriptis ſuppoſititiis, quo præciſe tempore confecta ſint, certo determinare, quod tamen nec in illis, quæ Apoſtolorum nomina præferunt, nec in cæteris plerisque præſtabit, nec aliorum eruditorum conſenſum facile impetrabit. Nos infra variorum coniecturas examinabimus & quæ veroſimilior ſit, indicabimus, ſequuti ipſius Alexandri exemplum, qui poſtquam commemoraſſet, *Symbolum Athanaſianum quosdam Euſebio Vercellenſi, alios Anaſtaſio Sinaitæ tribuere, alios ab Anonymo Theologo Gallo editum conieciſſe, Pipini vel Caroli Magni temporibus*, ſubiicit: *ſed ſi quid coniecturis dandum eſt, proclinior ſum vt aſſentiar doctiſſimo P. Quenellio, illud Vigilio Tapſen-*

Tapsensi in Africa Episcopo tribuenti, qui sub finem V. seculi floruit. Quis hinc non deprehendat Alexandrum αὐτοκατάκριτον, alios coniecturis indulgere non permittentem, quod in simili Ecclesiæ Symbolo ipse fecerat. Pariter præcluditur effugium vltimum, *verius illud Apostolis tribui, quum a nullo Concilio, a nullo Pontifice, a nullo auctore conscriptum legamus, secundum Augustini regulam L. V. de Baptismo contra Donatum cap. 24.* consequitur enim & Canones & Constitutiones Apostolicas ab ipsis Apostolis esse confectas, quandoquidem alium earundem Auctorem Alexander non nominauerit, nec quisquam antiquorum memoriæ prodiderit. Deinde Augustini regula de eo loquitur, *quod vniuersa tenet Ecclesia, nec a Conciliis institutum, sed semper retentum est.* Symbolum autem Apostolicum, prout hodie exstat, nec vniuersa recepit Ecclesia, quum aliud in Orientali, aliud in Occidentali, imo in hac ipsa non idem vbique in Baptismo Catechumenorum adhibitum fuerit Symbolum, nec hodiernum eodem tenore semper retentum sit, sed additionibus subinde auctum, vti ex superioribus constat.

VI. Quintum argumentum a diuersitate Symbolorum desumitur, & ex Vossio hac forma profertur ab Alexandro: *Si Symbolum esset ab Apostolis compositum iis sententiis, eo ordine, istis verbis, quibus nunc in Ecclesia recitatur; non his verbis hac in Ecclesia, aliis in alia; imo hic longe pluribus, alibi paucioribus multo sententiis constitisset: atqui variis in Ecclesiis varia prope fuerunt Symbola; aut certe alia & alia verba Symboli: imo in quibusdam longe plures, in aliis pauciores sententiæ; ergo Symbolum istud non est ab Apostolis compositum iis sententiis, eo ordine, iis verbis, quibus nunc in Ecclesia recitatur.* Minorem ex collatione Symboli vulgaris, Aquilegiensis, quod Rufinus exposuit, Romani Veteris, ac Orientalis, quibus cum Aquilegiense idem contulit, prolixe comprobat Vossius §. 31. sq. quam transscripsit sibique obiecit Alexander. Sed Symbolum quoque Hierosolymitanæ Ecclesiæ a Cyrillo illius Episcopo Catechesi decima octaua φωτιζομένοις expositum ab hodierno Apostolico quoad verborum & sententiarum ordinem sæpe differre docuit Vossius §. 51. Quæ vero Ecclesia Symbolum ab Apostolis compositum maiori cura ac fidelitate absque vlla adiectione vel detractione retinuisset, quam Hierosolymitana, in cuius medio id conditum esse volunt? Non potest reiicere Alexander hanc argumentandi rationem, quem non latet, Græca Symboli Athanasiani exemplaria maxime inter se differre, vti post Vsserium nuperrime prolatis sex diuersis editionibus demonstrauit Wolffg. Gundlingius Not. in Zialovvski Delin. Eccles. Orient. Græcæ p. 69.* Possuntque hac differentia egregie vrgeri, qui Symbolum ab Athanasio sermone Græco compositum adserunt, vti sane esse debet, si Athanasium, scriptorem Græcum, auctorem habet.

Nec

Nec euadet hoc loco variis responsionibus, quas vel ad Maiorem vel ad Minorem adornauit. Etenim circa Maiorem non opus erat distinctione, vt *concederet argumentum, si in omnibus Ecclesiis aeque integrum ac intemeratum seruatum esset: negaret autem, si in aliis Ecclesiis quaedam reiecta sunt vel praetermissa.* Neutiquam sane verosimile est, vllas, siue Occidentis siue Orientis Ecclesias quidquam vel immutasse vel immutari permisisse in Symbolo, quod ab ipsis Apostolis traditum nouerant: potius id sine vlla mutatione studiosissime conseruassent & in numerum librorum Noui foederis Canonicorum retulissent, non minus ac nihil addiderunt vel abstulerunt scriptis Apostolicis, sed ea intemerata ad nos transmiserunt. Quamobrem odium Papae adseclis commune in Orientis Ecclesias prodit Alexander, quando vult, *in sola Ecclesia Romana Symbolum Apostolicum eo ordine, iisque plane verbis & sententiis recitatum, quo ab Apostolis traditum est.* Enimuero in Romana Ecclesia eundem verborum sententiarumque ordinem non fuisse semper retentum, quem hodiernum Symbolum exhibet, patet ex breuiori antiquiorique Symbolo, de quo peculiari diatriba supra a nobis laudata egit Vsserius. Nec minorem, quam Romana, curam in adseruandis scriptis Apostolicis adhibuerunt Orientales Ecclesiae, imo magis multo suam probarunt diligentiam, quando Graecum & authenticum Noui foederis textum ad nos transmiserunt, quum Versione Latina varie quoque successu temporis immutata, vti lubens aduersus Claud. Frassenium concedit Alexander, Romana Ecclesia contenta fuerit. Pari infirmitate laborant, quae subiicit & in omnibus ad Vossii obiectiones responsionibus inculcat; *in aliis Symbolis aliqua interdum adiecta esse maioris explicationis gratia, propter nouas haereses emergentes, quae tamen in aliis Symboli capitibus implicite, virtute vel etiam verbis aequiualentibus continebantur.* Neque enim de hoc vlla est quaestio, nec vbique eadem valet responsio, inprimis qua Articulum de descensu Christi ad inferos, quem in Symbolo Romanae Ecclesiae suo tempore non exstitisse testis est Rufinus: cur enim postea fuisset adiectus, si in capite de sepultura contineretur? certe quae Alexander comminiscitur, erronea sunt, & Christum saltem secundum animam ad inferos descendisse, Limbumque Patrum, Scriptura palam aduersante, inferunt. Eo spectat ἐπίθετον *Catholicae, quod olim non exstitisse in Symbolo* Dannhavverus & Vossius obseruant, *quia serius hoc nomen Ecclesiae innotuit, oppositum conuenticulis Donatistarum & Nouatianorum:* prout ex ipsis Alexandri ὁμοδόξοις sentiunt Immanuel Gundisaluus, Commentario in Mendozam de Concilio Illiber. pag. 250. & Paschasius Quenellius, Notis in Epistolam XXVI. Leonis Magni pag. 849. a. ne attingam, quae Dorscheus in Exercitatione ad Diatyposin Concilii Nicaeni pag. 76. seq. & Petrus Iurius in Tractatu de vnitate Ecclesiae Cap. VI. adduxerunt. Liquet enim huius rei veritas

ritas ex breuiori Romanæ Ecclesiæ apud Vsserium Symbolo, vbi *sancta* solum *Ecclesia* commemoratur. Quod cum Hieronymus etiam agnouerit, tum adsertio nostra eius auctoritate confirmari potest, aduersus Luciferianos hunc in modum scribentis: *Solenne est in lauacro post Trinitatis confessionem interrogare: credis in sanctam ecclesiam? credis remissionem peccatorum?* Ex quibus omnibus nullo negotio elicitur, neutiquam huc facere Diatribam Ioan. Cabassutii Notit. Eccles. p. 543. sq. qua probauit licitam esse additionem ad Symbolum: aliud quippe est Symbolo Concilii Nicæni addere aliquid licuisse ab eiusdem auctoritatis Doctoribus in Concilio CPtano congregatis: aliud *Symbolo fidei Apostolicæ*, quod *Apostoli inter se contulerunt, vt esset veluti militaris tessera eorum, qui Christianæ fidei intra Ecclesiæ castra nomen dederant*, vti describitur ab ipso Cabassutio Synops. Sæc. I. n. 9. Etenim si liceat propter nouas hæreses aliqua adiicere iis, quæ Apostoli nobis reliquerunt, quidni in ipso noui fœderis codice idem concessum erit? Verum hoc non patitur Ecclesiæ Christianæ religio, quæ Apostolorum scripta intemerata conseruauit, eandem circa Symbolum comprobatura diligentiam, siquidem illud totidem verbis ab Apostolis confectum esse credidisset.

VII. Vidimus hactenus, quam infeliciter & plerumque αὐτοκατακρίτως argumenta nostra impugnauerit Alexander, nunc ostendemus, ipsum haud meliori fortuna in sententiæ contrariæ defensione versatum esse. Equidem in eo laudem meretur, quod primum aliorum reiicit argumentum ex imperitia Græcæ linguæ ortum, quando opinati sunt, Symbolum significare collationem, quasi vnusquisque Apostolorum partem suam ad eius compositionem contulerit. Vanitatem eius demonstrat Vossius num. 9. 17. cui accedit Alexander: qui nec improbandus est in reiiciendo testimonio ex spuria Clementis Romani ad Iacobum fratrem Domini epistola desumtum, quod in acie collocant Genebrardus & Feuardentius: & alio ex Augustini serm. 115. de Tempore desumi solito, *quod sermo ille, vel genuinus non sit sancti Augustini fœtus, vel certe ab aliquo sciolo interpolatus fuerit.* Simili quoque ratione procedit in Symboli Athanasiani γνησιότητι neganda, ostenditque, verba quæ ad illius probationem ex Augustini in Psalmum cxx. Commentario a Bellarmino, Posseuino & reliquis proferuntur, *non esse Augustiniana, nec vllam fieri apud S. Augustinum eo loci Athanasii mentionem.* Certe maxima editionum varietas suspicionem auget, quando aliæ sententiam istam plane prætereunt, aliæ habent quidem, sed circellis vel parenthesi inclusam: nec a censoribus demum Louaniensibus verba illa sunt expuncta, quum desint in antiquissimis Commentariorum Augustini editionibus, Amorbachiana 1495. Lugdunensis 1519. & Erasmianis, & *revera absint ab omnibus MSStis*, quæ Monachi Benedictini in nouissima Operum Au-

gustini editione Parisiis procuranda adhibent, vti ipsi in Notis ad hunc locum obseruant & nostri caussa beneuole transscripsit Consultiss. Carpzouius, Polyhistor & Senator Lipsiensis clarissimus, in cuius propiorem notitiam venisse magnæ laudi duco. Pariter in publica Acad. Lipsiensis Bibliotheca iis carent duo membranacei codices, quod maxima humanitate indicauit celeberrimus eius Præfectus & amplissimus Patronus noster, Ioach. Fellerus. Quamobrem non modo ex Pontificiis Dion. Petauius in Theol. dogm. de Trinit. lib. VII. c. 8. n. 7. eiusque contubernalis Iacobus Sirmondus, & cum eo Cabassutius Sæc. II. Differt. 18 Alexandro consentiunt: sed idem quoque statuunt D. Io. Tob. Maior Diss. de Symbolis §. XXVI. & D. Ioan. Ludou. Ruelius To. II. Concil. Illustr. pag. 667. vt alios præteream.

VIII. Maiori autem encomio dignus esset Alexander, si in sequentibus quoque veritatem amplexus verbis Patrum diuersam non adfinxisset mentem, ac si de hodierno Apostolico Symbolo loquerentur. Nam quæcunque ex Irenæo, Tertulliano, Lucifero Caralitano, Ambrosio, Cœlestino primo, Concilio Ephesino, Rufino, aliisque profert, vel plane non agunt de hoc Symbolo, sed fidem in scriptis Apostolicis traditam intelligunt, vel Symbolum Romanæ Ecclesiæ breuius antiquiusque laudant, quod ab hodierno in multis discrepasse plus semel monuimus; illud vero non ab Apostolis αὐτολεξεὶ, sed κατὰ διάνοιαν compositum credunt. Prolixius hæc ostenderunt laudati Auctores, & præsertim summus noster Calouius, ad quem Lector benignus amandari se patiatur. Quum autem Alexandro Tertulliani mentem accuratius inquirere placuerit, de eadem sigillatim dispicere operæ pretium est. Obiectionem nostram ita proponit: *In Symbolo quod Tertullianus repræsentat, non habentur capita de Christi descensu ad inferos, de Spiritu Sancto, de Ecclesia, de Sanctorum communione, de remissione peccatorum, de vita aeterna. Itaque Symbolum non fuit eodem modo traditum Ecclesiis, adeoque non est vere Apostolicum. Probatur antecedens ex libris de velandis Virginibus c. 1. de Præscript. Heret. c. 13. & aduersus Praxeam cap. 2.* Respondet *distinguendo antecedens: Et Tertullianus Symbolum integrum non describit, prout ab Apostolis traditum est, concedo: & illud describit omnino vt est ab Apostolis traditum, nego. His enim in libris Tertullianus præcipua duntaxat Symboli capita repræsentat, quibus errores tunc regnantes, scilicet Praxeæ, Valentinianorum, Marcionitarum, Apellitarum confodiebantur.* Verum hoc non sufficit, nec pondus argumenti imminuit, quum Tertullianus Scripturæ potius Canonem, quam Apostolicum Symbolum intelligat, quod eius verba testantur cap. 37. de Præscript. pariter ab Alexandro prolata: *In ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit.* Id liquet ex proprietatibus & contentis, quæ Regulæ Christiano-

ſtianorum tribuit Tertullianus, & in Scripturæ quidem codice reperiuntur, in Symbolo vero deſunt. Nam multa addit Tertullianus, multa omittit. Si igitur addita illa pertinent ad regulam fidei,quod ait Tertullianus, Symbolum Apoſtolicum imperfectum erit, quod eſt contra communem Pontificiorum hypotheſin: quod ſi vero omiſſa non pertinent ad fidei regulam, Symbolum abundabit. Quare non opus erat altera reſponſione, quod *in Confeſsione Spiritus Sancti, quem Filius miſit, vt vicariam vim, quæ credentes agat, & vt Sanctificatorem Fidei eorum, qui credunt, inuoluatur implicite articulus de Eccleſia, de communione Sanctorum, & remisſione peccatorum:* neque enim hoc quiſquam negat, ceu aliquoties commonui: nec conſequitur exinde, Tertulliano cognitum fuiſſe hodiernum Symbolum Apoſtolicum. Perſpexit id ipſe Alexander, proinde aliam elabendi rimam quæſiuit, & *Tertullianum Pſeudopropbetiis Montaniſtarum adflatum, nec Eccleſiam Catholicam, nec remisſionem peccatorum in Eccleſia & ab Eccleſia diſertis verbis profiteri voluiſſe, adeoque ex induſtria ſupramemoratos Symboli Apoſtolici articulos omiſiſſe.* Sed vanum hoc eſſe effugium quilibet fatebitur, qui tria iſta ſcripta a Tertulliano ante lapſum in Montani hæreſin compoſita eſſe cognouerit, quod in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis obſeruat Bellarminus, nec diffitetur Alexander, quando Synopſ. Sæc. II. cap. IV. Artic. 8. libros a Tertulliano aduerſus Eccleſiam ſcriptos enumerans, tres citatos illis non accenſet. Melius ſane feciſſet, ſi in citandis Patrum pro Symbolo Apoſtolico teſtimoniis ita vt alibi ſe geſſiſſet, dum Nazianzenum in Oratione de Athanaſio Confeſſionem eius commendantem, non Symbolum, quod ſub nomine Athanaſii circumfertur, ſed Epiſtolam Synodicam ad Iouinianum Imperatorem miſſam in animo habuiſſe docuit. Ex quibus omnibus liquet incogitantia Caroli le Cointe To. III. Annal. Eccleſiaſt. Francorum Anno Chr. 663. num. XXII. quando cenſet, id quod de Symb. Apoſtolorum vulgo dicitur, *antiquisſimam eſſe Eccleſiæ traditionem, de qua nefas dubitare.*

IX. Quum igitur hactenus conſtet, Symbolum ab Apoſtolis αὐτολεξεὶ profectum non eſſe, varias diuerſorum coniecturas recenſebimus, quo tempore id compoſitum fuerit, & quæ nobis videatur veroſimillima, exponemus. In duas autem partes abeunt eruditi, & alii Auctores eius ſtatuunt hæreticos, Arianos vel Photinianos, alii in Romana Eccleſia conditum cenſent. De illis videatur Chriſtoph. Sandius Enucleatæ Hiſtoriæ Eccleſ. Lib. I. pag. 52. 53. qui præterea Libro ſecundo p. 167. ſcribit: *Nos produximus ſæculo I. ex antiquitate opinionem, qua ſtatuitur Symbolum ipſum Apoſtolicum eſſe compoſitum in Concilio Nicæno: hanc opinionem vt cum moderna conciliemus, non meliorem viam aliam reperimus, quam vt adſeramus, Symbolum Apoſtolicum in Concilio Nicæno eſſe compoſitum ab Arii homodoxis, Symbolum autem modernum Nicænum ab Oſio*

Cordubensi, Alexandro Alexandrino, Marcello Ancyrano, & Eustathio Antiocheno, Homousianis & Sabellianis seu Samosatenianis.

X. Equidem primariam Sandii hypothesin, quasi ab Arii homodoxis confectum sit Symbolum Apostolicum, refutauit celeberrimus Theologus D. Baltasar Bebelius, Tomo priori Antiq. Eccles. Seculi quarti, eamque non modo *nullo antiquitatis testimonio probari* Artic. IV. §. 25. obseruauit, sed etiam §. 46. coniecturam præsertim de Marcello infirmam reddidit. Deinde illa Marcelli confessio, vtut in plerisque breuiori Romanæ Ecclesiæ Symbolo accedat, non tamen in omnibus cum illo conuenit, vti ex Vsserii collatione liquet; nec adeo hodierni Apostolici ὑποτύπωσιν sequitur, quod etiam a B. Dorscheo est obseruatum. Quis vero mirabitur, Marcellum Romæ fidem suam exponentem Romani Symboli formæ sese adcommodasse? Nec sibi constat Sandius, quando baptismum in confessionem Symboli 318. Patrum de Symbolo Apostolico exponit; non animaduertens, neutiquam Arianos, sed orthodoxos, quos per calumniam Homousianos vocat, auctores Apostolici Symboli forte adsignandos, qui tamen alias cornicum, vt dicitur, oculis configere cupiebat: imo *hæc argumenta tanti non sunt, vt paradoxa opinioni fidem concilient*, iudicante & ostendente laudato Bebelio §. 48. cui addendus Io. Casp. Suicerus, Tom. II. Thesauri Eccles. pag. 1099. post Vsserium egregie commonstrans, quomodo in Nicænum Symbolum se baptizare & baptizatos esse dixerint Veteres. Præterea nemo mirari debet, quod ὁμοουσίου expressa in Symbolo nostro non fiat mentio, nec Arianismi statim illud postulare, quum satis fuerit, in Symbolo Nicæno vocem illam diserte exstare, nec proinde necessarium, antiquioribus Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis Symbolis eam inserere: & aliunde pateat, aliis quoque fidei confessionibus, quas Orthodoxi & Arianis infensissimi homines ediderunt ὁμοούσιον citra hæreseos suspicionem omissum esse, quod prolixe ostendunt D. Io. Georg. Dorscheus Collat. ad Concil. Sirm. p. 135. 136. & nuper Emanuel a Schelstrate in Vindiciis Concilii Antiocheni Disp. III. c. I. n. 4. cap. II. n. 3. Ex quibus omnibus colligitur, quid sentiendum sit de viri cuiusdam inter Nostrates clarissimi verbis, Histor. Eccles. Sæc. III. §. 15. *Hæretici, ac nominatim Photiniani, Symbolum, quod dicitur Apostolicum, ea serie, qua hodie exstat, collegisse & disposuisse haud absurde videntur. Ii enim hoc agebant, vt Christum pro mero homine haberent, perinde ac Ariani, vt vocabulum ὁμοουσίου ex libris animisque hominum tolleretur: igitur quærebant, vt laterent; adeo quidem, vt affirmarent Ariani, se nolle vti vocabulo ὁμοιούσιος, si Orthodoxi pariter omittere vellent vocabulum ὁμοούσιος, quod hi tamen omni iure recusabant.* Isti autem opinioni plurimum aduersantur, quæ in Programmatibus sacris docet Hermannus Conringius p. 110. 111.

XI. Quan-

§. XI. Quando autem Symbolum hodiernum Nicænum ab *Homousianis & Sabellianis, seu Samosatenianis* compositum censet Sandius, præterquam quod contradictionis crimen iterum incurrit, dum hoc loco Marcellum Ancyranum Symboli huius conditoribus ac Homousianis accenset, quem antea Photini Doctorem ac Symboli Apostolici auctorem dixerat: grauissimo sane sibique solenni errore orthodoxam de Trinitate sententiam confundit cum hæresi Sabelliana & Samosateniana. Vnde merito reposuit Bebelius noster §. 52. *Antiquam hanc esse Arianorum calumniam, qua Homousianos criminari solebant, sexcenties refutatam, quoties ostensum est, Homousianos, tres quidem inter sese realiter distinctas personas, ὁμοουσίους tamen, statuisse, quid clarius contra Sabellium & Paullum Samosatenum vllus dixerit? Per realem enim personarum distinctionem, Sabelliana confusio; per ὁμοουσίαν vero Samosateniana ἑτερουσία funditus euertitur.* Cæterum Hosium fuisse auctorem Symboli, ex Epistola Athanasii ad solitarios probat D. Bebelius: pro Hermogene, Leontii in sede Cæsariensi successore & in Concilio comite, pugnat Franc. Combefisius in Historia Monothelitarum, & Manipulo rerum originumque CPtan. p. 146. 147. Græci vero pro Eusebio Cæsariensi, testante Gregorio Trapezuntio Præfat. in Latinam versionem Præparat. Euang. Eusebianæ. *Vtramque sententiam admitti posse* iudicant Celeberrimi Academiæ nostræ Doctores, D. Calouius Theolog. Natur. & Reuel. cap. 1. §. 17. & D. Io. Andr. Quenstedtius in Dialogo de patriis illustrium virorum pag. 555. *distinctione adhibita, quod Eusebius quidem matricem & initium Confessionis dederit, complementum vero ab Hosio profectum videatur.* Similis conciliatio institui potest cum cæteris, si Hosius Symbolum dicatur eo quo prodiit ordine concepisse, Hermogenes vero vt amanuensis & scriba synodi litteris consignasse. Neque enim absque caussa de Hermogene dixerit Basilius, τοῦ τὴν μεγάλην καὶ ἄρρηκτον πίστιν γράψαντος ἐν τῇ μεγάλῃ συνόδῳ, de Hosio vero Ariani apud Athanasium, οὗτος καὶ τὴν ἐν Νικαίᾳ πίστιν ἐξέθετο.

§. XII. Antequam hinc abeamus, ea quæ de Valla & Iesuitis admiscet Sandius, consideranda veniunt. Ad prius spectat obseruatio Ioan. Henr. Hottingeri Lib. III. Bibliothecarii Quadripartiti cap. I. num. 2. quando de Commentatoribus in Symbolum Apostolicum agens *inter recentiores occurrere* monet *calumniam Theologicam Laurentio Vallæ olim intentatam, quod negasset Symbolum membratim articulatimque per Apostolos esse compositum.* Quid hoc scripto præstitum fuerit, indicandum relinquimus illis, quibus inspiciendi copia est; contenti interim excerptis, quæ idem Hottingerus dedit Sæc. XVI. Historiæ Ecclesiasticæ, Parte 1. pag. 247. sqq. vtpote notabili lepidoque imprudentiæ Inquisitorum Romanorum documento. *Illustre huius rei exemplum nobis proponit Laurentius Valla in calumnia Theologica. Non tantum is Jureconsultis vapulauit, quod,*

 qui

qui Grammaticus esset, falcem mitteret in messem Juridicam; Sed & Theologis. Ægre ferebat Arnaldus Pallas, Episcopus Vrgellensis, quod is Abgari Historiam reiiceret. Hanc, inquit, tolerare non possum iniquitatem tuæ causæ, aut improbitatem tuam, qui rem aperte falsam coneris defendere. Cumque aliquot postea annis Neapoli quidam Franciscanus pro seculi more (huc enim iam deuentum erat, scribit Valla, vt concionandi munus esset vociferari, & clamorem venditare, atque vt Cicero ait, latrare, non agere, & optimus orator esses optimus rabula,) pro concione Symbolum Apostolicum suis authoribus ita distinxisset, vt publice doceret: Petrum dixisse: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem. Andream vero: Factorem cæli & terræ, &c. quod cum Valla non probaretur, in eam apud mitratos & infulatos incurrit offensam, vt dicerent, non esse ferendum, homines credere, non esse ab Apostolis conditum Symbolum. Et quamquam rationibus firmissimis stabiliuisset Valla, Symbolum hoc ordine non ab Apostolis, sed Nicana Synodo fuisse conscriptum; hæreseos tamen hoc nomine ab Inquisitore postulatus fuit. Ipsum hic audiamus Vallam: Postero die citor, vt eadem hora vicario Archiepiscopi præsto sim. Ego si aliquid, & non tamen tantum doli suspicatus, pergo ad hominem, sine aduocatis, credens aliquid altercationis fore. Non Episcopum Vrgellensem, non Iohannem Olzinam, non Arnaldum Fonolledam, non aliquem meorum amicorum certum facio. Inter eundum a multis interrogor, quo eam? Respondeo ad Vicarium, cum aduersariis disputatum. Ita multi disputationis audiendæ cupidi sequuntur. Vbi peruenio, offendo aliquot Pontifices ac Pharisæos, statim me insecutus est, qui accessum meum expectasset, Iohannes Episcopus Alesanus. Nam ille Caiaphas, vt postea accepi, a fenestella quadam Episcopi despectabat. Consident illi, ego cum corona sto, jam tunc suspicans, non esse illam legitimam disputationem. Ibi frater quidam prædicatorum, quem aiebant Inquisitorem, percontatur, quid de Symbolo sentirem, ab Apostolis ne conditum annon? Ego, me sentire non ab Apostolis, sed a Synodo Nicena conditum. Nam quomodo secus? Ille, imo istud sentire Hæreticum esse. Ego affirmare, me id multis rationibus esse probaturum. Ille, non cum disputandi sed abnegandi esse locum. Hæc dicens profert Epistolam meam, qua me impugnare decreta aiebat. Si in ea perstarem sententia, si pro hæretico me damnaturos. Ibi ego, vt omni turba me extricarem, inquam, de his idem sentio, quod mater ecclesia. Reuoca, inquit ille, quod scripsisti de his, quodque dixisti. Cur non potius vos docetis esse reuocandum? Etiam, inquit, in prima opinione perstas? An vos, inquam, mauultis oris mei, quam animi emendationem? Quo enim pacto ego emendor, nisi idem, quod ore fateor, animo sentiam? An hoc quæritis, ut iterum vel ira vel imprudentia ex meo sensu loquar, & iterum relabar in errorem? Ibi Iohannes ille eiusdem ordinis fraterculus, Alesanus Episcopus: Isthoc ipsum volumus vt relabaris: notam enim habemus contumaciam tuam. Non fuisti, inquam, ausus æquo campo mecum decertare, ideo

re, ideo me ad has angustias redigis, sed erit aliquando tempus meum. *Tunc ille exurgens me per pectus arripuit. Tibique hic, inquit, superbia est deponenda. Id cum cæteri tacite improbarent; Quid, inquit Inquisitor, reuocas ne, quæ scripsisti atque dixisti? De his omnibus, inquam, idem sentio, quod mater Ecclesia, quemadmodum dixi. Id satis responsum cæteris visum est. Tum Anna, hoc est, idem Alesanus Episcopus: Quid de decem Prædicamentis? Etiamne decem Prædicamenta, inquam, ad fidem pertinent, tanquam decem præcepta legis? Ad hoc cum cæteri murmurassent, indecens esse, de Dialectices dogmatibus veluti de articulis fidei quæri; Quidni, inquit Anna, ad fidem ista pertineant? An ignoratis illo Dialecticorum dogmate, quod iste in suis disputandis quæstionibus proposuerat, de sensu diuiso & composito, maximas in Theologia res explicari ac resolui solere? Et cum ei quidam assentirentur, quidam aduersarentur: Age, inquam, & si ista mater Ecclesia ignorat, tamen idem de ipsis credo, quod mater Ecclesia. Eum volentem ad alias nugas pergere, reliqui prohibuerunt. Confer eiusdem Apolog. contra calumniatores ad Eugen. IV. Vides, quam fuerit* χαλεπὸν μεταδιδάσκειν, *& quæ semel imbuta recens testa odore, diu eum seruarit! Persica lege defendendum erat, quod semel placuit, omnibus licet contra vergentibus rationum ponderibus.* Multa in his notatu digna occurrunt, quæ Lectorum diligentiæ relinquo, & ex Erasmi Apologia ad Albertum Pium Carporum Principem pauca addam, quæ legitur Tom. IX. operum fol. 958. *Hoc autem quod ob auctoritatem summam dicitur Apostolicum, in Nicana Synodo fuisse proditum, certe probabilibus argumentis docet Laurentius Valla in antidoto ad Nicolaum Quintum, commonstrans in decretis dist. 5. Cap. Canones, legendum esse, sub hoc etiam sancti Patres in Concilio Nicano de omni orbe terrarum conuenientes, iuxta fidem Euangelicam & Apostolicam secundo, post Apostolos Symbolum tradiderunt. Aitque se hanc Scripturam reperisse in Codice Isidori.* Et post pauca: *Sed de Laurentii opinione malim contendere &c.* Non ingratum vero erit beneuolo Lectori, si inquiramus accuratius in crimen horrendum, quod Iesuitis ex Scioppio impingit Sandius, eiusque fidelis pedissequus Hermannus Cingallus in Scriptura S. Trinitatis Reuelatrice pag. 68. Sandii verba sunt: *Quid? quod Iesuitæ Angli & Hispani, teste Alfonso de Vargas, quem ferunt esse Casparum Scioppium, in relat. de Stratagemat. Iesuit. in censura sua in Symboli Apostolici partem,* Credo in Spiritum Sanctum: *hoc Symbolum reiiciant, & Arianismi aut Photinismi suspectum faciant, quod nulla de Filii aut Spiritus Sancti diuinitate, aut etiam æternitate, in eo mentio fiat, sed potius contrarium de Filio in articulo tertio insinuetur.* Equidem apud omnes fere eruditos certum est, Gasp. Scioppium librum istum conscripsisse, vti inprimis probauit Vinc. Placcius de Scriptor. Pseudonym. num. 860. nec abhorret ista scribendi ratio a mordaci Scioppii in-

pii ingenio, quod in Iesuitas quoque varia opuscula concinnando exercuit, eorumque indicem inter anonymos n. 248. idem Placcius exhibuit. Sed facinus quod in Symbolo Apostolico corrumpendo a Iesuitis perpetratum scribit, emollire conatus est Theophilus Raynaudus, ex eorum societate scriptor non incelebris. Confecit is volumen de bonis malisque libris, in quo *de ratione censurarum nimium libere loquutus seipsum censeri fecit Romæ*, prout adnotant eruditi Galli Ephemeridum Tom. III. pag. 71. edit. Lat. sed correctis tandem, quæ Censoribus Romanis displicebant, in lucem prodiit liber Lugduni An. 1653. in cuius Part. III. Erotem. III. n. 515. exhibetur ipsum illud scriptum, quod respicere videtur Scioppius. Etenim Iesuita Anglus indigne ferens varia suorum scripta a censoribus configi, *monstrare* voluit *eadem configendi, & circa Catholicorum scripta tricandi licentia, fas fore Symbolum ipsum Apostolorum, fidei nostræ regulam, configere*, quæ verba sunt Raynaudi. Nec defuerunt inter Pontificios, qui audaciam hanc improbarent, vti num. 528. addita hominis defensione idem commemorat: *Non me latet, nuper Petrum Aurelium in hanc scriptionem vomuisse pleraque virulenta, quasi id sit illudere verbo Dei. Sed hæc est plane friuola criminatio: huiusmodi enim ad homines recriminationes a viris piis in non dissimili materia sunt adhibitæ. Similiter auctor censuræ Symboli Apostolorum, noluit eam fidei regulam conuellere: sed monstrare, quo posset progredi malignitas ineptiens.* Atenimuero non potuit aliorum criminationes effugere Raynaudus, quare lucubrationi *de malis e bonis Ecclesiæ, male, siue captatis siue dispensatis*, an. 1654. Lugduni editæ, prolixum subiunxit *Parergon*, e quo inprimis sequentia notatu digna sunt: *Quod tamen acceperim, eam cauillatoriam symboli Apostolici confixionem ab homine anglo & docto & pio concinnatam, a me autem pro paradigmate cauillatoriæ censuræ relatam, & serio improbatam, quibusdam viris grauibus non probari; consilium hac in parte meum candide aperui, vt pridem feci datis literis ad Illustrissimum Franciscum Antonium Diez de Cabrera, Inquisitorem Toletanum, a quo de eo scrupulo nonnullos sollicitante certior fueram factus. Ad plenam autem scrupuli exemtionem, placet, vt in prima eiusdem operis mei recusione, totum illud censuræ ridiculæ paradigma, siue vniuersa Symboli Apostolici confixio iocularis, expungatur. Mea enim (vt præmisi) non fuit ea censura, sed Theologi Angli Catholici. Quem vmbonem mea hac in parte innocentiæ potuissem prætendere, cum ipsa diuina scriptura, nude referens pleraque falsa, extra noxam sit.* Hanc ob caussam in noua omnium Operum Raynaudi editione, qui nouendecim Volumina in folio explent, prorsus expuncta sunt, quæ in Erotematibus a num. 515. ad 528. contra Symbolum Apostolicum legebantur: adeoque cum limitatione quadam intelligenda sunt, quæ Morhofius in Polyhistore lib. I. Cap. XVI. ex Bailleto aduersus Raynaudum decernit: *Et fuit sane intolerabilis illa audacia, qua referente*

Bail-

Bailleto in Iudic. Doctor. tom. 1. part. 1. cap. 13. p. 102. censurum libertinam & impiam in Symbolum Apostolorum scripsit, aliosque in religionem Christianam iniuriosplane libros: quam inter illos, quos Gallica voce Chicaneurs *dicimus, refert.*

XIII. Qui Romanam Ecclesiam pro Symboli conditrice venditant, non conueniunt inter se, quando ad compositionem eius se accinxerit. Equidem in eo omnes consentiunt, non vno tempore vniuersam hodie exstantem formam structuramque efformatam esse, sed succesfiue in eandem excreuisse. Id quod inprimis Articulus de descensu Christi ad inferos docet, qui ex Rufini relatione in antiquo & breuiori Romanæ Ecclesiæ Symbolo non reperiebatur, in hodierno vero exstat. Equidem nonnulli censent, hanc additionem factam esse Sæc. XII. a Thoma Aquinate: verum refelluntur cum aliis argumentis, a Dannhavvero pag. 412. 413. indicatis, tum antiquis Symboli versionibus Germanicis, Francica nimirum a Lehmanno in Chron. Spir. p. 197. exhibita, & Saxonica, quam cum notis dedit Marq. Freherus: vtramque vero descripserunt Marcus Zuerius Boxhornius, tam in primis Religionis Christianæ monumentis seorsim editis, quam in Historia Vniversali pag. 101. 102. & Io. Henr. Vrsinus in Compend. Histor. de Eccles. German. pag. 126. qui tertiam adiecit ex Psalterio Notkeri apud Vadianum lib. 2. de Monaster. German. In his enim omnibus sepulturæ & descensus Christi distincta mentio fit: vt in Francica, tot/enti picropan/stehie in wizzi: in Saxonica, he was dead/an bebyrged. And he nyther astah to helle: in Nockeriana, unde begraben ward/ze Hello fuor. Vnde patet, Versionem Francicam & Saxonicam non esse tantæ antiquitatis, quantam venditat Boxhornius, quasi *haud dubie scripta tunc* essent, *cum Germaniæ nostræ nationibus Euangelica & Apostolica doctrina primum traderetur.* Vtut enim Irenæus lib. 1. aduersus hæreses c. II. mentionem faciat fidei ab Apostolis eorumque discipulis traditæ Germanis: non tamen transrhenanam intelligit Germaniam, quam iuxta cum aliis Franci inprimis Saxonesque inhabitabant, vtpote serius ad Christum conuersi, sed cisrhenanam, quod præclare monstrauit CL. Schurzfleischius noster Dissert. in quædam capita Historiæ Saxonicæ an. 1676. edita: ex quo colligitur, vtramque Symboli versionem post ea demum tempora confectam esse, quibus additio iamtum facta erat. Conf. D. Bebelii Antiquit. Eccles. Argent. Artic. II. §. 3. & Artic. III. Sect. II. §. 1. Sect. IV. §. 1. Iuuat autem Erasmi Roterodami de huiusmodi additionibus sententiam proferre. Dixerat is in præfatione Paraphraseos in Matthæum: *Symbolum an ab Apostolis proditum sit, nescio.* Hoc impugnat Sorbona in Censura tit. XI. defendit autem Erasmus in Declaratione ad censuras Lutetiæ vulgatas sub nomine Facultatis Theologiæ Parisiensis, Tom. IX. Operum fol. 700. sqq. & quanquam in eo præcipue alucinatur, falseque perstringitur a Petauio Lib. XIII. de Incarnatione Cap. XVIII. n. 3. quod Cypriano tribuit, quæ Rufini sunt, in expositione Symboli; multa ta-

men obseruat notatu digna de addictionibus Symboli propter hæreticos. Nam cum apud Cyprianum vel Rufinum potius legitur: *huius carnis resurrectionem*; tum Erasmo *pronomen videtur additum aduersus Origenistas, cum in nostro Symbolo non addatur.* Et infra: *Symbolum Niceni Concilii nihil aliud est, quam explanatio Symboli Apostolici, non addens nouos articulos, sed veteres explicans: vnde colligitur*, Credo in Spiritum Sanctum, *fuisse clausulam Symboli Apostolici, quemadmodum finis est Nicæni, quemadmodum & Antiocheni, & Sardicensis & Carthaginensis, in quibus videtur approbatum. Quoniam autem ob sectas dubitari posset, vbi esset Ecclesia, additus est articulus*, in sanctam Ecclesiam, *excludens omnia conuenticula hæreticorum. Dein quoniam Nouatus, aut aliquis huic similis non recipiebat in ecclesiam a baptismo prolapsos, aut qui putaret peccata remitti posse absque Sacramentis ecclesiæ, additum videtur*, remissionem peccatorum. *Post quum exorirentur, qui animarum resurrectionem profiterentur, corporum negarent, adiectum est*, carnis resurrectionem. *Rursus quum Origenistæ faterentur, nos resurrecturos cum corporibus, at non his, in quibus nunc degit animus, in Symbolo quod exponit Cyprianus*, (seu potius Rufinus) *Aquilegiensi, ni fallor, additum est*, huius carnis resurrectionem.

XIV. Exponemus nunc varias eruditorum opiniones de origine Symboli. Sunt, qui eam referunt ad seculum quartum, eorumque promachus communiter censeri solet Ger. Io. Vossius, quem κατὰ πόδα sequitur Suicerus, nec adeo dissentit Io. Hoornbeek Lib. I. Miscell. c. I. p. 40. Sed merito a Theologis nostris hæc opinio refutatur, e quibus D. Ioan. Hülsemannum Prælect. in Form. Conc. Art. IV. c. X. §. 4. D. Io. Georg. Dorscheum in Collegio Didascalico MS. apud Matth. Zimmermannum Anal. Miscell. Mense v. c. 2. & D. Io. Tob. Maiorem Dissert. de Symbolis n. 23. laudasse & primi verba adduxisse sufficiat: *Veruntamen, quod ille* (Vossius) *primam Symboli Apostolici originem ad quartum demum a Christo nato seculum refert, vbi propter diuersas hæreses demum cœperit conscribi eiusmodi formula fidei, exigique a Catechumenis, in eo frustra est.*

XV. Optime autem Fridericus Spanhemius Introduct. ad Histor. Eccles. Sæc. II. c. 3. *Verisimillimum est in Romana Ecclesia Symboli Apostolici iacta esse hoc seculo, in Competentium vsum, fundamenta, quoad primarios Articulos, de fide in Deum Patrem, Filium & Spiritum S. Eadem fuere & Orientalis Symboli illius, quo vsæ sunt orientis Ecclesiæ ante Nicænam Synodum.* Quæ sententia vti nostræ proxime accedit, ita illius probatio paullo altius repetenda est. Etenim luculentis veterum scriptorum testimoniis constat, tam Orientis quam Occidentis Ecclesias Symbola certa fideique formulas habuisse & Catechumenis tradidisse. Certe de Romana Vigilius Thapsensis in Africa Episcopus, qui sexto vixit

vixit sæculo, lib. iv. aduersus Eutychen scribit: *Vniuersitas profitetur, credere se in Deum Patrem omnipotentem, & in Iesum Christum, Filium eius, Dominum nostrum. Huic capitulo ob id iste calumniatur. Cur non dixit in vnum Iesum Christum filium eius, iuxta Niceni decretum Concilii? sed Roma, & antequam Nicena Synodus conueniret, a temporibus Apostolorum vsque ad nunc, & sub beatæ memoriæ Cælestino, cui iste fidei testimonium reddidit, ita fidelibus Symbolum tradidit: nec præiudicant verba, vbi sensus incolumis permanet.* Cardinalis quidem Bona Tract. de Diuina Psalmodia cap. xvi. §. iii. hæc de Symbolo hodierno Apostolico intelligit, sed contrarium ostendit D. Calouius §. 53. Respexit sine dubio Vigilius breuius illud Romanæ Ecclesiæ Symbolum, quod aliquoties commemorauimus, & ex Codicibus MStis, sublatis barbarismis, hunc in modum exhibuit Vsserius; *Credo in Deum Patrem omnipotentem: & in Christum Iesum filium eius vnicum, Dominum nostrum; qui natus est de Spiritu Sancto & Maria virgine, qui sub Pontio Pilato crucifixus est & sepultus, tertia die resurrexit a mortuis, adscendit in cælos, sedet ad dextram Patris, vnde venturus est iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum S. sanctam Ecclesiam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem.* Eiusdem breuioris Symboli meminit Hieronymus, qui Romæ in adulta ætate baptismo tinctus est, epist. 61. ad Pammachium: *In Symbolo fidei & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum non scribitur in charta & atramento, sed tabulis cordis carnalibus, post confessionem Trinitatis & vnitatem Ecclesiæ omne Christiani dogmatis Sacramentum carnis resurrectione concluditur.* Fortasse aliquem torqueat scrupulus a Paschasio Quenellio obiectus, Dissertatione xiv. in Leonis Magni opera, quod *nullus huic Symbolo datus sit locus in Romanæ Ecclesiæ Codice*, quem eruit Quenellius. Vereor autem, vt cuiquam satisfaciat responsio illius, quod scribi in chartis Symbolum istud non consueuerit. Contrarium enim deprehenditur ex Codicibus, vnde Symbolum breuius edidit Vsserius, quos ex antiquioribus descriptos fuisse nemo inficiabitur. Vera itaque ratio est, quod Symbolum hoc ante Nicænam Synodum, a temporibus Apostolorum, Vigilio teste, in Romana Ecclesia traditum fuit: Codex autem Quenellianus in Romana olim Ecclesia receptus a Concilio Nicæno initium faciat. Neque enim in eo reperiuntur ullæ Synodorum constitutiones, quæ ante sæculum quartum habitæ sunt. In cæteris Occidentis Ecclesiis ab antiquissimis temporibus non quidam eadem prorsus, sed similis tamen fidei formula exstitit, quod de Aquileiensi prolixe docuit Rufinus, & ex Irenæo confirmari potest lib. i. cap. ii. *Ecclesia per vniuersum orbem vsque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis & a discipulis eorum, accepit eam fidem, quæ est in vnum Deum Patrem &c.* Probe notanda est loquutio Irenæi, Apostolis *discipulos eorum* iungentis, vt indicet, non ab ipsis Apostolis Symbolum αὐτολεξεὶ traditum esse, sed fundamento ab iis

iacto discipulos cætera superstruxisse. Vnde etiam B. Dannhavvero *ab Apostolicis viris collectum* dicitur. Sed placet, varias per Occidentem Ecclesias lustrare, & Symbola fidei in iis recepta considerare. Præit quippe nobis Vsserius, ostenditque, *breuius Symbolum tum a Maximo Taurinensi, in Homilia de traditione Symboli explicari; tum ab Augustino in libello de fide & Symbolo Competentibus exponi.* In ipsa tamen Italia Ecclesia Rauennatensis Symbolo suo additum habuit *vitæ æternæ* articulum, quod Vsserius ex Petri Chrysologi, qui Episcopus ibi fuit, sermone LVII. probat, quanquam sermo LXI. *carnis resurrectione* clauditur. Ne dicam de Aquilegiensi Ecclesia, quæ pluribus a Symbolo Romano recedebat, vti Rufinus demonstrauit. In Africa etiam non vbiuis eundem morem obtinuisse colligas ex Cypriani epistola 70. & 76. vbi agit de interrogatione Catechumenorum, cuius vltimum Caput hoc erat: *Credis in vitam æternam & remissionem peccatorum per sanctam ecclesiam?* Neque prætererierim Schelstratii Obseruationem in Ecclesia Africana pag. 188. de Symbolo Concilii Hipponensis an. 393. celebrato, quod quidem Nicænum est, sed addit Schelstratius, *Symbolum fidei in Hipponensi Concilio referri debuisse occasione D. Augustini, qui ibidem de fide & Symbolo disputauit, cumque ex discursu seu disputatione illa hucusque extante constet, D. Augustinum coram Patribus Hipponensibus non egisse de Symbolo Nicano, sed Apostolorum, verosimile videri, a patribus Hipponensibus Symbolum a D. Augustino expositum actis fuisse insertum.* Non expendam firmitatem huius coniecturæ, sed illud saltem monebo, Augustinum non hodiernum longiusque, sed antiquum breuiusque Symbolum exposuisse, vt antea vidimus. Ex Ecclesia Gallicana produco Venantium Fortunatum, Pictauorum sæculo sexto Episcopum, qui in Expositione Symboli talem nobis formam reliquit: *Credo in Deum Patrem omnipotentem. Et in Iesum Christum vnicum Filium. Qui natus est de Spiritu Sancto ex Maria virgine. Crucifixus sub Pontio Pilato. Descendit ad infernum. Tertia die resurrexit. Adscendit in cœlum. Sedet ad dextram Patris, iudicaturus viuos & mortuos. Credo in sancto Spiritu. Sanctam Ecclesiam. Remissionem peccatorum. Resurrectionem carnis.* Integrum Symbolum ex Fortunati expositione collectum transscribere volui, tum vt pateat, quomodo Fortunatus Symbolo Gallicano applicuerit vulgatam de collatis duodecim Apostolorum sententiis traditionem, quam initio sermonis sui indicat; tum vt ex huius Symboli cum Romano breuiori & auctiori collatione liquido cognoscatur, in quibus capitibus ea conueniant & differant. Ex Hispania Vsserius profert Etherium Vxamensem Episcopum & Beatum presbyterum, aduersus Elixandum Toletanum archiepiscopum, Era DCCCXXIII. Christi anno DCCLXXXV. Symbolum Apostolicum allegantes, quod Romano breuiori quidem auctius est, quædam tamen hodierni longiorisque addi-

additamenta ignorat. Ex Anglia Hiberniaque sua nihil adiecit Vsserius; sed quia tum ab aliis, tum a Waræo Lib. 1. & 11. de Scriptoribus Hiberniæ satis superque probatum est, primos Britannorum doctores Roma fuisse missos, dubium sane haud est, quin Ecclesiæ Romanæ Symbolum Catechumenis tradiderint. Huc faciunt verba S. Patricii cap. 7. Synodi a Waræo cum aliis eius scriptis editæ, eos, qui *Symboli traditionem a quocunque acceperint, non esse rebaptizandos.* At ex vita Patritii a Waræo ex antiquioribus collecta liquet, eum a Cælestino Pontifice Romano in locum Palladii demortui Hiberniæ Episcopum consecratum plurimos ab idolorum cultu conuertisse. Cum autem Cælestini ætate Romæ in vsu fuerit breuius Symbolum, vti paullo ante ex Vigilio Thasensi audiuimus; tum idem a Patritio Hibernis suis traditum manifestissime liquet. Hos tamen inter primos fuisse, qui Romanos auctiori Symbolo vtentes imitati sunt, S. Galli exemplum docet. Is enim ex Hibernia circa an. 609. venit in Franciam, acceptaque a Theodeberto Austrasiæ Rege licentia, Heluetios ad fidem Christianam conuertit, quibus non breuius, sed auctius hodiernumque Symbolum tradidit, quod ex Psalterio eius a Notkero in Germanum idioma translato patet, cuius versionis num. 13. fecimus mentionem. Cæteri Doctores, qui Galli exemplum sequuti in conuersione Germanorum laudabilem operam nauarunt, Kilianus, Vigilius, Bonifacius, alii, in Symbolo etiam tradendo ipsum sequuti sunt: vnde etiam hodierni versionem Germanicam confecit Otfridus Weissenburgensis Monachus, ob translatam rhythmice Harmoniam Euangeliorum satis celebris, teste Lambecio Lib. 11. Commentariorum de Bibliotheca Vindobonensi pag. 760. Cæterum postquam Romani Pontificis primatus absolutaque in rebus Ecclesiasticis potestas in Occidente inualuit, Symbolum hodiernum vbique receptum est & in hunc vsqve diem conseruatur.

XVI. Cæterum *probabile non est, Ecclesiam Orientalem non habuisse peculiare suum, ab Occidentali distinctum, Symbolum,* iudice Bebelio nostro num. 47. quod non modo liquet ex argumentis Vossii §. 30. 46. & sq. & collatione Rufini, Dorscheique in Exercitatione ad Diatyposin Concilii Nicæni p. 78. sed etiam aperte colligitur ex Symbolo, quod in Nicæna Synodo exhibuit Eusebius, hoc commendatum elogio: Καθὼς παρελάβομεν παρὰ τῶν πρὸ ἡμῶν ἐπισκόπων, καὶ ἐν τῇ πρώτῃ κατηχήσει, καὶ ὅτε τὸ λουτρὸν ἐλαμβάνομεν, καὶ καθὼς ἀπὸ τῶν θείων γραφῶν μεμαθήκαμεν, καὶ ἐν τῷ πρεσβυτερίῳ καὶ ἐν αὐτῇ τῇ ἐπισκοπῇ ἐπιστεύσαμέν τε καὶ ἐδιδάσκομεν, οὕτω καὶ νῦν πιστεύοντες, τὴν ἡμετέραν πίστιν ὑμῖν προσαναφέρομεν. Henricus Valesius ita vertit: *Sicut ab Antecessoribus nostris Episcopis accepimus, tunc cum primis fidei rudimentis instructi, & cum salutari lauacro tincti sumus: sicut ex diuinis scriptu-*

 ris

ris didicimus, & sicut ipsi tum in presbyterio, tum in Episcopali gradu constituti, & credidimus & docuimus, ita nunc etiam credentes fidem nostram vobis exponimus. Videatur Eusebii Epistola ad Cæsareenses apud Socratem lib. I. cap. v. al. IIX. Theodoretum lib. I. c. XI. aliosque, & instituatur collatio cum Romano siue breuiori, siue longiori, quod hodie Apostolici nomine venit, & *illa a sese inuicem discrepare*, monente Bebelio, facile deprehendetur. Quemadmodum vero in cæteris Occidentalium Ecclesiarum Symbolis non identitas cum Romano, sed insignis saltem similitudo reperitur, ita a Cæsareensi quoque, quod recitauit Eusebius, in quibusdam variabant. Symbolum Ecclesiæ Hierosolymitanæ a Cyrillo Hierosol. explicatum est, ex cuius Catechesibus id undique collegit Vsserius, pag. II. Petauius autem Lib. III. de Trinitate Cap. I. num. 5. ita de eo scribit: *Non est autem Nicanum illud Symbolum, quod ibi declarat, vt ex ipsa lectione constabit: cum neque ὁμοούσιος vocabulum exprimat: & de Spiritu S. multa dicat Catechesi XVI. qua in Nicano pratermissa sunt. Constantinopolitani vero, Concilii non potest haberi Symbolum istud: quippe Catecheses illas in adolescentia sua scripsisse Cyrillum testis est Hieronymus, quo tempore nondum celebratum erat illud Concilium. Superest igitur vt antiquissimum & commune fidelium omnium in Oriente Symbolum enarrandum sibi sumserit; quod ex Apostolorum traditione profectum est.* Sed vltima Petauii verba limitatione aliqua indigent, ex Petri Wastelii Vindiciis Operum Ioannis Hierosolymitani Lib. II. pag. 336. vbi ostendit, Symbola Orientalium Ecclesiarum in verbis quibusdam discrepasse, Rufinumque per *Orientis Ecclesias* tantum intellexisse *Antiochenas*. Quoniam rarus est Wastelii liber, rem Lectoribus haud ingratam facturum me arbitror, si præcipua ex eo delibauero. Dicit Wastelius, *Hierosolymam, Ægyptum, Cæsaream ac Cyprum, vsu virorum Ecclesiasticorum haud comprehendi apud Græcos titulo Ecclesiarum Orientis: sicut ipse Rufinus in eodem libro plane distinguit* Ecclesias Orientales *ab* Ecclesiis Orientis: *adeo vt* Ecclesias Orientis *tantum intelligat Ecclesias districtus Antiocheni. Non vero solus, sic loquitur Rufinus; sed & ipse æque illius terræ habitator B. Hieronymus, qui in Bethlehemo ita de sacro Psalterio scribit Epistola ad Suniam & Fretellam:* In hexaplis Codicibus incorrupta & immaculata Septuaginta interpretum translatio reseruatur; & Hierosolymæ, atque in Orientis Ecclesiis decantatur. *Et libro I. contra Vigilantium:* Quid facient Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti & Sedis Apostolicæ? quæ aut virgines clericos accipiunt &c. *Item Epistola 61. qua inscribitur ad Pammachium:* Decernitur ut Palæstinæ Metropolis Cæsarea sit, & totius Orientis Antiochia. *Quibus omnibus in locis clare distinguuntur Palæstina ipsaque Sedes Apostolica, siue Ecclesia Hierosolymitana, ab Oriente eiusque Ecclesiis:* & Orientis Ecclesiarum *nomine agnoscitur Antiochia. Distinguun-*

guuntur autem Hierosolyma contra Orientem: non quia nobis Europæis, imo ipsis etiam Asianis, non sunt in regione Orientali; sed quia Hierusalem collata Antiochiæ vergit ad meridiem. Et sic conformiter dicendum est de Cæsarea ac Ægypto, aliisque Orientalium partium locis, vbi Orientis Ecclesiæ *dicuntur tantummodo Antiochenæ. Videtur autem id nominis Antiochia obtinuisse apud Scriptores Ecclesiasticos, propter Primatum sui Patriarchæ post Alexandrinum, & ob longe ampliorem districtum præ Hierosolymitano, qui nullos sub se habebat Episcopos.* Mox adfert Wastelius verba Ducæi, in notis ad Homiliam 11. Chrysostomi ad Antiochenos: *Cum Orientis Diœcesim dicimus, strictius intelligimus per Orientem eas regiones, quæ a Cilicia & Palæstina ad Tygrim vsque protenduntur.* Hinc apud Theodoretum lib. v. Histor. Eccl. cap. 3. *Antiochia præsidere* dicitur *Orienti*, & in Concilio Ephesino describitur *Ioannes Episcopus Antiochiæ, Metropolis diœcesis Orientis*, & qui cum eo venerant, *Orientales Episcopi* vocantur. Idem Ioannes in Concilio Chalcedonensi nuncupatur *Princeps Orientis*, *Dei amantissimus Ioannes, Episcopus Antiochiæ.* Clarissime autem Chrysostomus homil. 3. ad Antiochenos: *Nouit Deus plane, quod non pro vna sibi nunc ciuitate negotium est, sed pro Oriente toto. Ciuitatum enim sub Oriente positarum caput ei mater est ciuitas nostra.* Ex his omnibus concludit Wastelius: *Cum ergo Rufinus scribit*, Orientis Ecclesias *non habere in Symbolo Apostolorum*: Descendit ad inferna: *nequaquam dicere vult; Ecclesias Orientales omnes id non habere; imo cum id non habere ait* Ecclesias Orientis, *id est Antiochiæ, innuit, habere illud Orientales reliquas; eodem modo, quo cum id habere negat Ecclesiam Romanam, intelligendum relinquit, id habere alias multas Europæas, itemque Africanas. Vnde illum versiculum in Symboli expositione secunda, agnoscit ac interpretatur S. Chromatius Episcopus Aquileiensis in Italia; S. Hilarius super Psal. 58. in Galliis; S. Augustinus Serm. 137. &, qui est de expositione Symboli, 181. in Africa.* In sequentibus non satis sibi cauet Wastelius, dum ad suppositium Augustini sermonem 115. prouocat, & ad Orientales Ecclesias regressus suppositium quoque Hippolytum de consummatione mundi, dubiumque Athanasii Symbolum ad partes vocat; sed melius se habent, quæ addit de Eusebio: *Eusebius item Metropolitanus Cæsareensis lib. 1. Eccles. Histor. capite vltimo, refert, Thadæum discipulum Christi in summam quandam, quasi in Symbolum, redigendo Christianam fidem, hunc articulum cum aliis posuisse.* Denique ostendit, eundem articulum tam Cyrillum, quam Ioannem Hierosolymitanum in Catechesibus suis exposuisse initiandis. Quamuis autem non diffitear, de Symbolo Ecclesiæ Hierosolymitanæ Wastelium recte scripsisse; haud æque tamen ipsi adsentiri possum, Rufinum per Ecclesias Orientis tantum Antiochenas intelligere. Nam in explicatione primi Articuli scribit: *Orientis Eccle-*

Ecclesiæ fere omnes ita tradunt: credo in vnum Deum patrem omnipotentem. Et rursum in sequenti sermone, vbi nos dicimus: Et in Iesum Christum, filium eius vnicum, Dominum nostrum; ita illi tradunt: Et in vnum Dominum nostrum Iesum Christum vnicum filium eius. Vnum scilicet Deum & vnum Dominum secundum auctoritatem Paulli Apostoli profitentes. At non solum Antiochenum Symbolum hoc habuit initium, sed etiam Alexandrinum, quod Vsserii iudicio Arius, Presbyter illius Ecclesiæ, ab exilio reuocatus Constantino Magno exhibuit, apud Socratem Lib. I. Cap. XXVI. & Sozomenum Lib. II. Cap. XXVII. Et quare dixisset Rufinus, *Orientis Ecclesiæ fere omnes*, nisi plures intellexisset, quam Antiochenæ sedi subiectas? Nihilominus fateor in Symbolo Antiocheno descensum ad inferos deesse. Id enim Ioannes Cassianus aduersus Nestorium urget Lib. VI. de Incarnatione Domini, hoc præmisso elogio: *licet omnium Ecclesiarum sit, quia vna omnium fides: peculiariter tamen Antiochena vrbis est atque Ecclesiæ, id est, illius, in qua tu editus, in qua institutus, in qua renatus es. Huius te perduxit Symboli fides ad vitæ fontem, ad salutis regenerationem, ad Eucharistiæ gratiam, ad Domini communionem.* Non vero integrum adfert Cassianus, sed cum articulo de reditu Christi ad iudicium finiens addit: *& reliqua.* Id male habet Christianum Lupum, in Scholiis ad Cap. 39. Epistolarum ad Synodum Ephesinam spectantium pag. 194. *Dolendum est*, inquit, *quod Ioannes Cassianus suo libro non indiderit totum contextum istius Symboli: Tacuit ipsa supplementa.* Potuisset hunc dolorem ex parte mitigare ex Chrysostomo, qui homilias in priorem ad Corinthios Antiochiæ adhuc Presbyter habuit, (eleganter probante L. du Pin in Noua sua Bibliotheca To. IV. pag. 72.) earumque quadragesima inter alia sic perorauit: Μετὰ τὴν ἀπαγγελίαν τῶν μυστικῶν ῥημάτων ἐκείνων καὶ φοβερῶν, καὶ τοὺς φρικτοὺς κανόνας τῶν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ κατενεχθέντων δογμάτων, καὶ τοῦτο πρὸς τῷ τέλει προστίθεμεν, ὅταν μέλλωμεν βαπτίζειν, κελεύοντες λέγειν, ὅτι πιστεύω εἰς νεκρῶν ἀνάστασιν, καὶ ἐπὶ τῇ πίστει ταύτῃ βαπτιζόμεθα· μετὰ γὰρ ὁμολογῆσαι τοῦτο μετὰ τῶν ἄλλων, τότε καθιέμεθα εἰς τὴν πηγὴν τῶν ἱερῶν ναμάτων ἐκείνων. *Post mysticorum illorum & terribilium verborum enunciationem, & horrendas regulas dogmatum, quæ e cælo sunt demissa, hoc quoque in fine addimus, quando sumus baptizandi,* (mallem: *baptizaturi,*) *iubentes dicere: Credo in resurrectionem mortuorum: & in hac fide baptizamur. Postquam enim hoc confessi sumus cum aliis, tunc demittimur in fontem sacrorum illarum fluentorum.* His Chrysostomi verbis edoctus fuisset Lupus, finem Symbolo Antiocheno impositum confessione resurrectionis, ac proinde id non idem esse cum Constantinopolitano, siue, vt vulgo audit, Niceno, quippe quod vitæ æternæ articulum iungit. Neque nunc mihi vacat inquirere in controuersiam, quam iungit Lupus, qui factum sit, vt in Cyrilli

Hiero-

Hierosolymitani Catechesibus Epiphaniique Ancorato eadem ad Symbolum Nicænum additamenta, quæ Synodus Constantinopolitana Oecumenica an. 381. adiecit, occurrant; de qua præter Vsserium Vossiumque in allegatis sæpe Dissertationibus sollicitus quoque fuit Petauius Lib. XII. de Incarnatione Cap. XVIII. num. 9. sqq. Sufficit annotasse, sicut Symbolum Nicænum non de nouo compositum, sed ex Cæsareensi sumtum & quibusdam verbis illustratum fuit; ita etiam in Concilio Constantinopolitano additamenta ista ex receptis antea Symbolis depromta esse, quæ prius Episcopi nonnulli in suis quiq; Ecclesiis addidisse videntur. Optime autem monet Lupus, *Synodum Chalcedonensem ad Symbolum CPtanum obstrinxisse omnes Ecclesias; exindeque omnem Orientem cœpisse ipsum tradere suis Catechumenis, & eosdem in ipso baptizare.* Nam hodienum neque apud Græcos, neque apud Maronitas, neque apud Coptos, neque apud Habessinos aliud fidei Symbolum in vsu est, vt Scriptores de illis Gentibus passim testantur.

XVII. Eiusmodi vero articulorum fidei collectionem in Orientalibus quoque Ecclesiis sæculo iamtum secundo exstitisse ex Eusebii ad Cæsareenses verbis non obscure colligitur, & diserte testatur supra laudatus Irenæus, quando *Ecclesiam vniuersalem* nominans Orientalem non minus quam Occidentalem complectitur, ac Cap. 3. Ecclesiis, quæ aliter non credunt, diserte accenset τὰς κατὰ ἀνατολάς, i. e. *Orientales.* Quare non opus est, vt confugiamus ad Liturgiam Iacobi ἀδελφοθέου suppositițiam cum Vsserio, vel ad interpolatam Ignatii ad Magnesianos Epistolam & aliam ad Philippenses Polycarpo tributam. Equidem Vsserius distinctionem paullo ante adlatam declaraturus scribit: *Prioris generis fuit Hierosolymitana, Ecclesiarum omnium matris, illud:* Πιστεύω εἰς ἕνα θεὸν πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς. καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ. καὶ τὰ ἑξῆς τοῦ Συμβόλου τῆς πίστεως. *Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ. Et in vnum Dominum Iesum Christum; Filium Dei. Et reliqua Symboli fidei; quemadmodum in Ecclesiæ Hierosolymitanæ vetere Liturgia legitur; quæ B. Iacobo, vt primo sedis illius habito Episcopo tribuitur, & in antiquitatis memoriam etiam adhuc Hierosolymis semel in anno celebrari dicitur. Et quia cætera quæ sequebantur (quod serio dolemus) vt maxime tum nota, breuitatis caussa sunt hic omissa: vt aliquo ea iactura resarciretur modo, integram* ἁγίας καὶ ἀποστολικῆς πίστεως, *sanctæ & Apostolicæ fidei Confessionem, licet (vt ex* visibilium omnium & inuisibilium *mentione, sub initium facta, apparet) aliquanto auctiorem, sicut Hierosolymis a Cyrillo φωτιζομένοις fuit explicata, ex Catechesibus ipsius vndique collectum, visum fuit illius quo caremus loco substituere.* Quanquam autem non inuiti largiamur, veterem illam Ecclesiæ Hierosolymitanæ Liturgiam sub Iaco-

bi nomine venire, quod ostendit Io. Dallæus de Cultibus Religiosis Latinorum pag. 371. 506. & 1283. nec negant ex Pontificiis Petrus de Marca Dissert. de Sacramento Euchar. p. 15. & Iulius Cæsar Coturius in Epitome Controuersiarum pag. 146. 172. non tamen pro certo adseuerare dubitamus, Symbolum a Cyrillo expositum antiquiorem exhibere formulam, quam alterum in Liturgia significatum, (quod Nicænum esse ex mox dicendis constabit) proindeque illud præferendum esse & monstrare confessionis fidei rationem ante Nicænam Synodum in Ecclesia Hierosolymitana vsitatam. Plerorumque hodie eruditorum consensu constat, Liturgiam illam ab ipso Iacobo non esse confectam, & frustraneas esse omnes apologias, quas vel peculiaribus scriptis ediderunt Guil. Lindanus & Leo Allatius, vel Franciscus Feuardentius in Theomachia Caluinistica lib. XII. c. 15. Cardinalis Bona lib. I. rerum Liturgicarum cap. V. n. 4. & cap. IIX. n. 3. aliique complures meditati sunt: nec maiori fide & industria iis suppeditas ferre conatos Abrah. Ecchellensem Notis in Capitulum 29. Catalogi librorum Chaldaicorum ab Ebediesu confecti, & in Epistola ad Ioan. Morinum, quæ est LXXXV. in Antiq. Ecclesf. Orientalis Londini editis; ac Athanasium Kircherum Chinæ Illustratæ P. I. cap. 5. in auxilium vocando scriptores Orientales, sed vel supposititios, vel recentiores. Quamobrem post Isaacum Habertum ad Pontif. Græc. p. 164. & Natalem Alexandrum Synopf. Sæc. I. c. XI. Art. I. existimationi suæ bene consuluit Richardus Simonius, homo ex Critica V. T. Parisiis Vulcano consecrata satis notus, qui nunc *Sieur de Simonuille* vocari vult, in Supplemento ad R. Leonis Mutinensis libellum de Ceremoniis & Ritibus Iudæorum, (vti tradunt Acta Eruditorum Lipsiensium Kalendis Aprilis anni 1683. pag. 137. 138.) quando Liturgias tum cæterorum Apostolorum, tum inprimis Iacobi nomine falso insigniri iudicauit. Quod hoc ipso argumento de Symbolo in Liturgiis dicendo euinci potest. Etenim non modo ex Reformatis I. G. Vossius de tribus Symbolis p. 68. 69. Io. Dallæus de Cult. Relig. Latin. L. IX. c. IIX. p. 1207. Ioan. Hoornbeek lib. I. Miscellan. cap. XIIX. pag. 553. & Io. Casp. Suicerus To. II. Thesauri Ecclesf. pag. 1097. 1098. sed etiam ex Pontificiis Cardinalis Bona Lib. II. Rer. Liturg. c. IIX. §. 2. Dion. Petauius Lib. VII. de Trinitate Cap. II. num. 2. 3. & Emanuel a Schelstrate Concil. Antioch. Can. II. cap. 6. §. 6. fatentur, *Symbolum fidei primis sæculis decantatum non fuisse post Euangelium, sed hoc recentius Liturgiæ additum esse.* Noueris autem, ea de alio Symbolo non intelligi, quam de Nicæno cum additionibus in Concilio CPtano factis: illud enim, non aliud, volunt omnia veterum scriptorum de Symbolo in Liturgiis dicendo loca. Vnde clarissime adparet, ante sextum sæculum (quo primum iste mos in Ecclesia tam Orientali quam Occidentali receptus est) Liturgiam Iacobi non fuisse compositam, in qua Symboli recitatio præcipitur. Non igitur temere fides adhi-

adhibenda Alexandro, ex vſu Triſagii in hac Liturgia coniicienti, *ipſam fuiſſe concinnatam tempore Felicis III. Pontif. Maximi, qui vixit anno Chriſti 480.* quanquam *Triſagii origo ad Concilii Chalcedonenſis tempom, id eſt, ad annum ccccii. videatur eſſe reuocanda* doctiſſimo Auctori Diſſertationis de Triſagii Origine cap. II. quam ſententiam pridem propoſuerat Iacobus Eucillon de Proceſſionibus Eccleſiaſticis cap. IV. Quare mirari par eſt Schelſtratium, quando recentiorem eſſe illum Symboli vſum diſerte confitetur: attamen cap. VI. conſenſum Alexandro quoad *νοθείαν* Liturgiæ præbendum ſuſpendit: non minus ac Allatium, Diſſert. I. de Libris Eccleſ. Græc. p. 17. haud obſcure dubitantem, an Procli Patriarchæ CPtani ſit tractatus *de traditione diuinæ Liturgiæ:* ſed in Epiſtola illa ad Nihuſium ſine vlla dubitatione eundem admittentem, cuius ſententiæ falſitatem ſe demonſtraturum promiſit vir doctus proxime citatus, Diſſert. de Triſag. c. I. Nec ſibi conſtat Vſſerius, quando pag. 16. ſq. præclare oſtendens, quo tempore Symbolum Nicænum, prout in Concilio CPtano expoſitum eſt, in Liturgiis adhiberi conſueuerit, non animaduertit, idem intelligi in Liturgia Iacobi, quæ non alio ſenſu Symbolum dici præcipit, quam cæteræ Liturgiæ, ſiue Pſeudepigraphæ, ſiue nomina ſuorum auctorum recta præferentes.

XVIII. Alii cum B. Dorſcheo *ipſo I. ſeculo poſt Chriſtum natum illius collectionis articulorum aliqua veſtigia eſſe* dicunt, prouocantque ad *Ignatii Epiſtolam ad Magneſios pag. 59. edit. Vedelii, qui primo articulo prætermiſſo fere totum ſecundum commemoret.* Verum quod pace ſummorum virorum dictum ſit, hoc argumento vti nolim: verba enim iſta deſumta ſunt ex interpolata Ignatianarum editione, quum in puriori Voſſii & Vſſerii hæc tantum legantur pag. 36. edit. Londin. *ἀλλὰ πεπληροφορεῖσθε ἐν τῇ γεννήσει, καὶ τῷ πάθει, καὶ τῇ ἀναστάσει τῇ γενομένῃ ἐν καιρῷ τῆς ἡγεμονίας Ποντίου Πιλάτου, πραχθέντα ἀληθῶς καὶ βεβαίως ὑπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς ἐλπίδος ἡμῶν.* Nec quenquam eruditorum latet, quam infirmis pedibus nitatur omnis Ignatianarum *γνησιότης*, tot hactenus telis a ſummis in his literis viris impugnata. Pari incertitudine laborant, qui Polycarpi ad Philippenſes epiſtola nituntur, de qua magnæ auctoritatis Viri non immerito dubitant. Rem omnem exponit B. Dorſcheus in citato Collegio apud Zimmerm. Menſe VI. cap. I. *Polycarpi Epiſtola ad Philip. præterquam quod ne attingat quidem Symbolum, vt adeo conſtare nequeat, quem articulum receperit vel non receperit, ſuppoſititia eſt, nec Maieſtati Spiritus, quam paſſim Hiſtoria Eccleſiaſtica in Polycarpo fuiſſe tradit, reſpondet, vti notat Riuetus Crit. S. L. II. c. 3.* Scilicet probe examinanda ſunt Patrum teſtimonia, an fidei formulam Symbolumue clare reſpiciant, an vero tantum ſeriem vitæ Chriſti rerumque ab eo geſtarum exprimant. Poſterius Origenes

nes lib. I. & III. aduersus Celsum vocat ἀπαγγελίαν τῶν περὶ αὐτοῦ ἱστοριῶν, egregie explicatus a Dallæo lib. I. de Religiosi Cultus obiecto Cap. x. idque faciunt Ignatius & Polycarpus, quibus præiuerat Thaddæus, ex septuaginta Christi discipulis, apud Eusebium lib. I. Histor. Eccles. Cap. 13. qui nihil aliud apud Abgarum profitetur, quam seriem vitæ a Christo actæ, adeoque *Euangelium de Iesu* Act. IIX. 35. quod eodem modo Petrus Hierosolymis prædicauit ante dispersionem, (quæ occasionem Symbolo conficiendo dedisse fingitur,) inprimis Act. II. & x. Nec verbulum ibi exstat de primo tertioque Symboli Articulo; nullaque dari potest ratio, cur istos omiserit Thaddæus, si Symbolum foret norma prædicationis Euangelicæ. Imo plane contra suam hypothesin Thaddæum allegant, qui Apostolos ante dispersionem Symbolum condidisse volunt. Nam Apostoli XII. annis Hierosolymis manserunt, vt habet antiqua traditio apud Eusebium, de qua prolixe Dodvvellus de iure Laicorum Sacerdotali p. 204. 205. Thaddæus autem ipso Adscensionis Christi anno Edessæ prædicauit, probante Valesio in Notis pag. 23. Eo igitur tempore Symbolum Apostolicum nondum fuerat adornatum.

XIX. Denique non est prætereunda Græcorum & Latinorum de Symbolo Apostolico disceptatio, in Concilio Florentino per Iulianum Cardinalem & Marcum Ephesium, quorum illum Latinorum, hunc Græcorum os merito dixeris, agitata, quam Syluester Sguropulus Sect. VI. cap. VI. Historiæ Concilii illius proposuit. Postquam enim is recensuisset Iuliani sermones de Symbolo ab Apostolis in Synodo congregatis edito, subiicit de Ephesio: περὶ τῆς συνόδου τῶν ἀποστόλων, καὶ συμβόλου αὐτῶν εἶπεν, ὅτι ἡμεῖς οὔτε ἔχομεν, οὔτε εἴδομεν σύμβολον τῶν Ἀποστόλων &c. Ex qua Græcorum opinione satis patet, quid tribuendum sit Petri Lambecii obseruationi de Codice *Græco* Theologico CCL. Bibliothecæ Cæsareæ, Libro v. Commentariorum pag. 151. 152. in quo post alia contineatur *Symbolum Sanctorum Apostolorum diuisum in duodecim sententias, quarum vnicuique in margine adpositum est nomen Apostoli qui illam Symbolo contulit. Ordo autem Sanctorum Apostolorum est ibi talis; Petrus, Andreas, Iacobus Maior, Ioannes, Thomas, Iacobus Minor, Philippus, Bartholomæus, Simon, Thaddæus, Matthias.*

XX. Hactenus recensuimus varias Symbolorum formas, quæ tam in Orientis quam Occidentis Ecclesiis vsitatæ fuerunt, vidimusque nullam vulgari Apostolico magis conuenire, quam breuius Romanæ Ecclesiæ Symbolum, quod Rufinus cum Orientali & Aquileiensi contulit & Vsserius edidit. Quæ res vti sententiam clarissimorum virorum de Romana Ecclesia Symboli conditrice adprime confirmat, ita suadet, vt porro inquiramus, an con-

coniectura posſimus adſequi, quo tempore in hodiernam formam redactum ſit: id enim a nemine Veterum memoriæ proditum legimus. Vſſerius *ex Pſalterio Græco Papæ Gregorii, vt præfert titulus, Pſalterio videlicet Græco & Romano, Latinis vtroque literis deſcripto, Symbolum hoc exhibuit, nouis additamentis characteris alio genere diſcriminatis.* Vnde colligimus, Gregorii Magni ætate, qui circa confinia ſæculi VI. & VII. vixit, Symbolum Apoſtol. ea forma & ſerie, qua hodienum vtimur, in Eccleſia Romana locum habuiſſe. Nam Pſalterium hoc *Papæ Gregorii* fuiſſe *præfert titulus* obſeruante Vſſerio, quod pariter teſtatur Tho. Iameſius Lib. I. Eclogæ Oxonio-Cantabrigienſis pag. 83. *Pſalterium Latino - græcum. Græcum reſpondet Latino e regione poſitum, & ſcriptum eſt Romanis characteribus. Notatur ex quodam vetere, fuiſſe Pſalterium Gregorii.* Nec obſtant, quæ addit Vſſerius, *ſcriptumm æuo Gregorii longe eſſe poſteriorem.* Etenim præterquam quod *antiquum fidei Symbolum Latino - Gothicis in Codice illo membranaceo depictum literis reperiatur*, referente αὐτόπτῃ Io. Rodolfo Wetſtenio Orat. V. de Linguæ Græcæ pronunc. pag. 118. 119. illum vero ſcribendi modum Gregorii temporibus adprime conuenire ex Animaduerſionibus Leonis Allatii in Antiquitatum Etruſcarum fragmenta aliorumque Antiquariorum obſeruationibus conſtet: certe ipſe Vſſerius germanæ antiquitatis teſtimonium Pſalterio illi præbuit in Epiſtola ad Voſſium eidem Diatribæ præfixa, *quod Gregorii I. tempore non fuiſſe recentius tum ex antiquo picturæ genere colligitur, tum ex literarum forma grandiuſcula.* Prouocat ad teſtimonium Angeli Rocchæ, Bibliothec. Vatican. p. 407. qui ſcribit, *antiquiſſimum Bibliorum exemplar totum litteris maiuſculis exaratum, ſicut antiquitus apud Romanos ſcribi paſſim ſolebat, tempore B. Gregorii Magni conſcriptum omnino exiſtimari.* Quæ & ea de cauſſa notanda ſunt, quoniam a nonnullis ſolet hic Codex allegari in controuerſia de Symbolo Athanaſiano, quippe quod in eodem exſtare refert Vſſerius. Verum vt non attingam, ſub *fidei Catholicæ* titulo Symbolum hoc in MSto exhiberi, non expreſſe addito Athanaſii nomine: opponi ſaltem poteſt opinioni de Athanaſiano Symbolo Voſſianæ, quod fecerunt Vſſerius & le Cointe, neutiquam vero Quenellianæ, quam ſequitur Alexander.

XXI. Vtcunque autem ſe habeat Codicis iſtius antiquitas, ante Gregorium Magnum Symbolum Apoſtolicum ſerie hodierna plene perfecteque adhibitum fuiſſe ex antiquiſſima eius verſione Francica ſupra adlegata colligitur, quam amor linguæ patriæ antiquæ flagitat, vt integram inſeramus, prout a Boxhornio vulgata eſt: Kilaubu in Kot Fater almahticun / Kiſchaf Himiles enti Erdu. Enti in Jheſum Chriſt Sun ſinan ainacun / unſeran Truhtin. Der inphangen iſt fona wihemu Keiſte. Kiporan fona Marian Macadi erwi feru / kimartrot

in Kiwalti Pilates / marvet pislakan / tot / enti picrapan / stehic in wizzi. in duittin take erstvonte fona totten. stehic in Himil. sizit za zeswe Gotes Fateres almahtikin. thana chuinftic ist fonen qhvekhe enti tote. Kilaubu in wihen Kest / in wihe Khiwihhun Catholica. wihero Kemenitha. Volaz sunti. Kero Fleisces urstotahi. int Lup ewi. Amen. Etenim Francos transrhenanos siue Orientales sæculo sexto cura Clothildis, quæ Clodoueo Magno An. 511. mortuo nupsit, cœpisse conuerti, ex Gregorio Turonensi, aliisque nos docuit Celeberr. Schurzfleischius in Diatriba citata. Quis autem ignorat veterem catechizandi rationem, qua fidei confessio Symbolo comprehensa Catechumenis primum exponebatur? Traditum igitur fuit Germanis Symbolum in linguam eorum conuersum: nec quenquam dubitaturum arbitror, quin id ipsum, quod antea citauimus, a catechetis explicatum maioribus nostris fuerit, vti vel conuenientia cum stylo illis temporibus vsitato docet. Hoc igitur sensu libenter admittimus verba Boxhornii eodem loco citata, quod *hæc* Francorum *confessio tunc scripta sit, quum Germaniæ nostræ nationibus Euangelica & Apostolica doctrina primum traderetur.* Constat vero aliunde, primos Francorum Doctores Ecclesiæ Romanæ, a qua fuerant emissi, ritus adeoque & symbolum conuertendis instillasse. Quare nemo negauerit, sæculo sexto hodiernum symboli Apostolici ordinem obtinuisse. Imo eundem sæculo quinto perfecte exstitisse prima fronte colligere quis posset ex Leonis Magni Epistola XIII. ad Pulcheriam Augustam, vbi hæc leguntur: *Siquidem ipsius catholici Symboli breuis & perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorũ totidem est signata sententiis, tam instructa sit munitione cœlesti, vt omnes hæreticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari.* Verba hæc inprimis vrget Lambecius, nec omittunt Alexander & cæteri Symboli patroni. Non autem scrupulosius inculcabo νοθείας suspicionem, quæ in mentem mihi venit euoluenti octauam decimam Leonis epistolam, vbi eadem quæ in decima tertia reperiuntur contenta; sed hæc periodus plane omittitur: vt ferme cogitarim, octauam decimam a Leonis manu esse, sed priorem ab interpolatore aliquo auctam, eique hanc inprimis laciniam adsutam. Scio, Blondellum in Pseudo-Isidoro pag. 569. aliter sentire, quod *epistola 18. pauculis ad finem lineis exceptis c. 13. videatur expressa;* sed qui rem omnem exactius ponderauerit, facile iudicabit, vter nostrum verisimiliorem foueat opinionem; & quid de Quenellio statuendum sit, vtramque epistolam num. 27. & 30. collocatam Leoni vindicare conante. Cogitet ea de re studiosus Lector. Ego interim vt germana Leonis illa admittam verba, quum neminem περὶ γνησιότητος eorundem dubitantem hactenus viderim, & concedam Leonem subinnuere traditionem, quæ postea ab omnibus Occidentalis Ecclesiæ scriptoribus suscepta est, ac si vnusquisque Apostolorum symbolam suam ad

Sym-

Symbolum perficiendum contulerit; sed Leonem intellexisse auctius hodiernumque Apostol. Symbolum prorsus nego, & neminem non mihi accessurum credo, qui hanc Vigilii Thapsensis paullo post supra citata verba epistolæ Leonis defensionem perpenderit, & cum breuiori Romanæ Ecclesiæ Symbolo contulerit: *Sed & hoc quoque mirandum est, cur non simili dementia reprehendit*, (Eutychis sectator) *quod ait* (Leo) *Qui natus est de Spiritu Sancto ex Maria virgine, quando hoc verbum Nicæna synodus non posuit, & vt illi placet, hoc solum profiteri debemus, quod ibi scriptum inuenerimus.* non est, quin Leo, in Orthodoxæ fidei professione declaranda respexerit ad Equidem dubium Symbolum, in quod omnes baptizabantur. At istius ætate aliud in Ecclesia Romana non obtinebat, quam breuius supra ex Vsserio transscriptum, vtpote cui inserta expresse reperiuntur, quæ tanquam a Leone in fidei confessione prolata laudat defenditque Vigilius. Verum in auctiori hodiernoque Symbolo aliter legimus: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine.* Quod & ipsa Leonis verba indicant in celeberrima ad Flauianum epistola, quam ibi propugnat Vigilius, & vigesimam quartam constituit Quenellius. Nam Cap. II. aduersus Eutychen scribit: *Illam saltem communem & indiscretam Confessionem solicito recepisset auditu: qua fidelium vniuersitas profitetur, credere se in Deum Patrem omnipotentem, & in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum, qui natus est de Spiritu Sancto & Maria Virgine.* Quenellius in Notis pag. 842. verba postrema in optimis quibusque MSStis Græcaque versione ita haberi; in vulgatis vero legi: *Ex Maria Virgine.* Atenim ego nullus dubito, quin Leo scripserit, *Et Maria Virgine*, quoniam ista loquendi ratio breuiori Symbolo continetur, cuius initium disertis verbis Leo describit. Ex quibus manifestum est, Lambecium, Alexandrum, eorumque sectatores frustra Leonis consensum sibi polliceri. Certe traditio Leoni commemorata, non minus antiquo & breuiori, quam hodierno & auctiori Symbolo adplicari potest, vti ex collatione Rufini & Fortunati Pictauiensis quilibet deprehendet: videturque a scriptoribus sequiorum temporum nostro accommodata & vt majoris veritatis speciem haberet ipsi Augustino supposita, prout ex Alexandro antea obseruauimus, cui iungendus Io. Forbesius Instruct. Histor. Theol. Lib. I. cap. I. eandemque ante octingentos annos apud Germanos nostros receptam fuisse liquet partim ex Otfridi Germanica versione apud Lambecium Lib. II. pag. 760. partim ex Psalterio Notkeri, monachi S. Galli, qui sæculo post Christum natum decimo extremis Ottonis Magni temporibus vixit, & antea citatus est. Ex re & vero Erasmus aduersus Parisienses, Tom. IX. Operum pag. 702. *De singulis articulis a singulis apostolis proditum commentum videtur vel pictorum, vel alicu-*

ius,

ius, qui hac ratione voluit & Apostolorum celebrare nomina, & catechumenorum memoriæ consulere. Vero propius est, hoc Symbolum quod Apostolorum dicitur, illud fuisse, quod iuxta Romanam Ecclesiam auctoritate priscorum patrum tradebatur catechumenis ediscendum: cui partes aliquot additæ sunt, aduersus exorientes hæreses. Stat itaque sententia, Symbolum vulgare Apostolicum & originem & perfectionem suam debere Ecclesiæ Romanæ, inque ea sæculo sexto plene extitisse.

XXII. Ad hanc normam animus erat examinare quorundam ex recentioribus asserta de Symbolo Apostolico; sed quia nimis vrgent Operæ Typographicæ, omnesque libri necessarii ad manus mihi nondum sunt, ac calcem hujus Tomi in Addendis quædam edisseram. Nunc ad secundam Exercitationem progrediemur, quæ olim quidem *sententia Clarissimi Viri, Ioannis Felli, de verbis Iobi* וכחול ארבה ימים *Cap. XXIX. Comm. 18. in disceptationem publice vocata est*, vt habet titulus; sed eum nunc certis de caussis hoc modo efformare placet:

EXERCITATIO SECUNDA
DE
PHOENICE APVD IOBVM ET CLEMENTEM ROMANVM,

Wittenbergæ proposita

ad d. IIX. Nouemb. CIↃ IↃ C XXCII.

I.

PHœnicem, miræ vivacitatis avem, licet plurimorum scriptorum monumentis celebratum, meris tamen ænigmatibus fabulisque effictum esse, plerorumque hodie eruditorum consensu constat. Non desunt vero, qui illius patrocinium suscipere audent, freti inprimis Epistola ad Corinthios, quæ sub Clementis Romani nomine anno hujus sæculi XXXIII. in Anglia primum in lucem protracta est, totamque de Phœnice fabulam omnibus numeris absolutam exhibet pag. 60. 62. edit. Oxon. *Ἴδωμεν τὸ παράδοξον σημεῖον, τὸ γινόμενον ἐν τοῖς ἀνατολικοῖς τόποις, τουτέστιν τοῖς περὶ τὴν Ἀραβίαν· ὄρνεον γάρ ἐστιν ὃ προσονομάζεται φοῖνιξ, τοῦτο μονογενὲς ὑπάρχον ζῇ ἔτη πεντακόσια· γινόμενόν τε ἤδη πρὸς ἀπόλυσιν τοῦ ἀποθανεῖν αὐτὸ, σηκὸν ἑαυτῷ ποιεῖ*

ἐκ

ἐκ λιβάνου, καὶ σμύρνης, καὶ τῶν λοιπῶν ἀρωμάτων, εἰς ὃν πληρωθέντος τοῦ χρόνου εἰσέρχεται, καὶ τελευτᾷ· σηπομένης δὲ τῆς σαρκὸς σκώληξ τις γεννᾶται, ὃς ἐκ τῆς ἰκμάδος τοῦ τετελευτηκότος ζώου ἀνατρεφόμενος, πτεροφυεῖ· εἶτα γενναῖος αἴρει τὸν σηκὸν ἐκεῖνον, ὅπου τὰ ὀστᾶ τοῦ προγεγονότος ἐστὶν, καὶ ταῦτα βαστάζων, διανύει ἀπὸ τῆς Ἀραβικῆς χώρας ἕως τῆς Αἰγύπτου, εἰς τὴν λεγομένην Ἡλιούπολιν· καὶ ἡμέρας βλεπόντων πάντων ἐπιπτὰς, ἐπὶ τὸν τοῦ ἡλίου βωμὸν τίθησιν αὐτὰ, καὶ οὕτως εἰς τοὐπίσω ἀφορμᾷ. Οἱ οὖν ἱερεῖς ἐπισκέπτονται τὰς ἀναγραφὰς τῶν χρόνων, καὶ εὑρίσκουσιν αὐτὸν πεντακοσιοστοῦ ἔτους πεπληρωμένου ἐληλυθέναι. Μέγα καὶ θαυμαστὸν οὖν νομίζομεν εἶναι, εἰ ὁ δημιουργὸς τῶν πάντων ἀνάστασιν ποιήσεται, τῶν ὁσίως αὐτῷ δουλευσάντων ἐν πεποιθήσει πίστεως ἀγαθῆς, ὅπου καὶ δι' ὀρνέου δείκνυσιν ἡμῖν τὸ μεγαλεῖον τῆς ἐπαγγελίας αὐτοῦ. *Contemplemur ſignum mirabile, quod in partibus Orientis, ſcilicet in Arabia fit. Auis eſt quæ Phœnix vocatur, hæc ſui generis ſola & ſolitaria exiſtens annos quingentos viuit, & cum morti vicinam ſe ſentit, e thure, myrrha & reliquis aromatibus, loculum ſibi ſtruit, quem completo annorum ſpatio ingreditur, & vitam deponit: ex carne vero eius putrefacta vermis quidam naſcitur, qui animalis defuncti humore nutritus plumeſcit, & auctis poſtea viribus loculum tollit, in quo oſſa parentis recondita ſunt, quæ humeris geſtans ex Arabica regione in Ægyptum, & vrbem quæ Heliopolis dicitur, peruolat, ac ſpectantibus omnibus diurno tempore aduolans ſuper altare ſolis illa collocat, atque ita vnde venerat, regreditur. Sacerdotes annorum rationem in libris deſcriptam diligenter computant, & impleto anno quingenteſimo, rediiſſe illam comperiunt. An magnum igitur & admirandum arbitrabimur, ſi rerum omnium opifex reſurgere eos faciat, qui in bona fidei confidentia religioſe illi inſeruierunt, cum per volucrem promiſſionis ſuæ magnificentiam abunde nobis patefaciat?*

II. Itaque factum eſt, quod Io. Henr. Bœclerus Programm. Academ. XII. p. 61. obſeruat; *licet multos mouerit & numerus & auctoritas ſcriptorum, qui talia de Phœnice tradiderunt, vt pro hiſtoria mallent complecti, quam pro fabulis adſpernari: conſenſu tamen doctorum obtinuit*, fabuloſam auem eſſe Phœnicem. *Sub quo elogio etiam diligentiſſimus vir Vlyſſes Aldrouandus in ſpecioſo opere ornithologico eam adnotauit. Verumenimuerò, quum Epiſtola illa Clementis eſſet reperta, non parum ponderis viſa eſt habere viri Apoſtolici auctoritas, quare doctiſſimus Patricius Junius, primus tam memorabilis monumenti editor, in notis, quas adiecit, denuo pro veritate hiſtorica Phœnicis pronunciauit.* Attamen Epiſtolam iſtam Clementi Romano ſuppoſitam eſſe, tum aliis argumentis, tum hoc inprimis de Phœnice, fabula viro Apoſtolico indigna, clariſſime poſt B. Hulſemannum euicit Theologorum noſtræ ætatis Princeps

D. Abr. Calouius, Hospes ac Patronus noster summus, Bibl. Illustr. Noui Testamenti Tom. II. in Examine Præfationis Grotianæ in priorem Paulli ad Corinthios Epistolam pag. 250. seq. cui ex reformatis Theologis haud obscure accedit Gisbertus Voetius, Parte I. select. Disputat. Theolog. pag. 103. & inprimis in Paralipomenis pag. 1167. nec adeo dissentire videtur Andreas Riuetus lib. I. Critici Sacri Cap. IIX. accinuntque post laudatum Boeclerum Thomas Gatakerus Libro I. Cinni Cap. II. pag. 18. & Iacobus Thomasius, Dissertatione de Phœnice, quæ nona est earum, quas Exercitationi de Stoica mundi exustione subiecit, §. 131. 132. 133. Enimuero Ioannes Fellus Oxoniensis Episcopus, vir magnæ doctrinæ & auctoritatis, qui Epistolam Clementinam notis illustratam Oxonii an. 1669. recudendam curauit, suppetias laturus Patricio Iunio, in ipsa S. Scriptura Iobi XXIX. 18. patrocinium quæsiuit: cuius sententiam, speciose magis propositam, quam categorice affirmatam, dum examinare aggredimur, eo procedemus ordine, vt verum verborum Iobi sensum indagando de singulis clarissimi viri pronunciatis dispiciamus, adeoque veritatem, Deo fortunante, sartam tectamque sistamus.

III. Ac primum quidem fundamentum suppeditat ipsa Phœnicis ratio, quem ex meris ænigmatibus fabulisque constare dudum viri eruditi probarunt, e quibus Ger. Io. Vossium ac Thomasium, Philologos clarissimos, nominasse sufficiat. Taceo enim Olaum Rudbekium, qui in secunda Atlantices parte luculentissime probauit, per Phœnicem nihil aliud, quam Solem intelligi; nam consensum a me haud facile impetrabit in eo, quod in Suecia fabulam istam excogitatam & deinceps in reliquum orbem sparsam statuit. Verum Scripturam S. fabulis patrocinari absurdum est: imo Iobi ætate quidquam de Phœnice cognitum fuisse prorsus negamus. Neque enim vel Aldrovandi opinio Scripturæ diuinioris auctoritati congruit, dum *D. Iobum etiam suo tempore a communi opinione deceptum fuisse* putat: vel aliorum responsio satisfacere videtur, quando apud Iobum Arabiæ regem Arabicæ auis consignatam non dubitant memoriam, licet eius existentiam inficientur. Nam præterquam, quod regium Iobi & amicorum fastigium non immerito negat Fridericus Spanhemius Historiæ Iobi Cap. VI. hoc saltem certum est apud eos, quibus sanctissima Israelitici populi religio curæ ac cordi est, totam Ægyptiorum aliorumque Ethnicorum Theologiam ex Mose ipso, Mosisue actis, aut scriptionibus manasse, vti post alios clarissime euicit Petrus Daniel Huetius, Demonstrat. Euang. Propos. IV. Cap. III. IV. XI. At vero Ægyptiorum Sacerdotes Phœnicem, vt alia hieroglyphica, in mundi solisue symbolum primos excogitasse, illumque postea simpliciores pro vera aut solita credulitate habuisse ostendit Thomasius noster §. 136. 192. 286. videoque summum virum Isaacum Vossium huic de Phœnicis origi-

origine ſententiæ adſtipulari Cap. v. de Oraculis Sybillinis, utcunque aliter ſentiat Olaus Borrichius Vindic. Hermet. p. 192. Iobum autem Moſe antiquiorem eſſe maximorum virorum eſt ſententia, prolixe defenſa a Spanhemio cap. IX. Ex qua conficitur, Iobi temporibus nec Phœnicem excogitatum, nec pro vera aue habitum fuiſſe.

IV. Hinc fluit, Iobi verba, de quibus controuertimus, aliter longe explicanda, quam Fello noſtro videtur, genuinamque interpretationem non ex Rabbinorum lacunis, ſed ex vera vocis ſignificatione, contextusque ſtructura eruendam eſſe. Etenim חול Marco Marino in Arca Noe P. I. p. 227. fruſtra dubitante, verbum חיל radicem agnoſcit, quod dolendi, timendi, manendi item ac permanendi ſignificatione in Ebræo Codice reperitur. Hinc noſtrum חול *arena* dicitur, ſiue quod dolorem & moleſtiam ambulantibus adfert, vti poſt Buxtorfium exiſtimat Caſtellus; ſiue quod arena grauitate ſua manet, quod Ioanni Coccejo in Lexico Ebræo placet; ſiue denique, quod a Deo ad litus maris diſpoſita atque ordinata eſt, vt tanquam conſtans permanensque res maris undas contineat, quæ ratio patet ex Ierem. v, 22. Idque probe notandum eſt, licet præter hunc locum vicies ter in Ebræo Codice occurrat, nullibi tamen vel auem denotat, vel quemcunque alium ſignificatum induit, ſed vbique arenam indigitare cognoſcitur, non modo cum adpoſito ים ſiue *maris* nomine, ſed abſolute etiam & ſine hac additione Exod. II. 12. Prouerb. XXVII. 3. Pſalm. CXXXIX. 18. Eſa. XLIIX. 19. Habac. I. 9. Unde firmiſſime concluditur, etiam hoc noſtro loco חול nihil aliud denotare, quam arenam. Agnouit hanc veritatem Iacobus Bolducius, Commentario in Iobum: *Optarem ego ad Dei Omnipotentis gloriam, vt ea quæ de Phœnice leguntur, poſſent ex hoc Iobi loco aliquod fulcimentum recipere. At equidem non ita eſt. Nam vox originalis* חול *ſemel tantum ab interprete ſabuli nomine reddita, vbique arena transfertur. Nec aliud ſignificare, aut aliter nunc vertendum putauimus: & ſimpliciter agnouimus hyperbolicam loquendi rationem: qua Iob multos ſe annos tam in ſua perſona, quam in ſua prole victurum ſperabat, cum eſſet in nidulo ſuo, id eſt, ſuorum filiorum ſtipatus caterua.* Idem fatetur Stephanus le Moyne Tom. II. Variorum Sacrorum pag. 475. quanquam Clementinam pro germana habeat, non vult tam ex incerta verborum Iobi interpretatione eam defendere.

V. Accedit ipſa verborum ſtructura ac compoſitio, quæ Phœnicem plane reſpuit, noſtræ autem ſententiæ adprime congruit. Notum quippe eſt, in diuina Scriptura frequenter inſtitui comparationes hyperbolicas rei unius cum altera, cuius rationem haudquaquam attingit, quas late perſequitur B. Salomo Glaſſius Rhetor. Sacr. Tract. I. cap. XIX. pag. 473. In his inprimis celebris

eſt, quando *cum arena maris vel puluere terræ* aliquid confertur, multis a laudato Theologo exemplis declarata; ad quam noſtrum quoque locum rectiſſime refert. Accedit, eandem plane conſtructionem eademque pene verba hic deprehendi, quæ alibi comparationem cum arena conſtituunt. Vid. Gen. XXII. 17. Ierem. XXXIII. 22. quibus locis ipſi quoque Rabbini phraſin hanc ſimiliter interpretantur. Itaque ſenſum Iobi bene exprimit Io. Druſius Comment. in Iobum pag. 655. *Vt multa eſt arena in littore maris, ſic multi erunt dies mei.* At habent tamen, quod obiiciant aduerſæ ſententiæ Patroni, quoniam *Phœnici apprime conuenit nidus, quem, caſia thuriſque ſurculis conſtructum, Plinius & alii tradunt Phœnicem replere odoribus & ſuperemori*, ut Io. Mercerus ſcribit. Sed *relatio nidi ad Phœnicem figmentum eſt*, bene aduertente Theologo magni nominis, D. Sebaſt. Schmidio Comment. in Iobum pag. 1132. nec neceſſe ſemper eſt, ut correlatum ſequatur poſt mentionem relati: imo ipſe Clemens Epiſtolicus non nidum, ſed σηκὸν Phœnici tribuit, quod cum Iunio *loculum* Fellus interpretatur.

VI. Nec omni Rabbinorum conſenſu deſtituimur, quum R. Moſis bar Nachman & R. Abraham Peritzol Commentaria in Iobum exhibuerit Daniel Bombergius in Bibliis Venetis, quorum prior mentem Iobi ita explicat: סבור שאמות בביתי עם בני ובנותי אחר שארבה ימים כחול הים: *Opinabar, quod moriturus ſim in domo mea cum filiis meis & filiabus meis, poſtquam multiplicauero dies ſicut arenam maris.* Similiter poſterior verba Iobi παραφράζει: ולויושר מעשי בדעותי הייתי חושב ואומר שאגוע ואמות עם קני ·וקני הוא מן קן צפיר ·ור״ל למות בקני בביתי עם בני אשר הגדלתי ורוממתי בתוך ביתי ·ועוד שארבה ימים כחול הים: *Et ſecundum rectitudinem operum meorum in ſcientia mea cogitaui & dixi, quod expirabo & moriar in nido meo. Et* קני *habet ſignificationem* (loci Deut. XXII. 6.) קן צפיר (nidus auis) *Vultque dicere, admoriendum in nido meo, in domo mea, cum filiis, quos educaui & exaltaui in medio domus meæ. Et deinceps multiplicabo dies ſicut arenam maris.*

VII. Nunc ad diſcurſum Felli noſtri examinandum progredimur, cuius hoc eſt initium: *Photius in biblioth. (pro irritabili criticorum indole) vitio vertit authori noſtro quod de Phœnice hic verba fecerit: meminiſſe autem poetæ, in ſ. literis, ſaltem ex mente 70, Hieron. & aliorum interpretum, animalis recen-*

recenseri non magis a naturalis historiæ, & Philosophiæ peritis agnita, quam Assyria hæc volucris, quæ proprii corporis hæres, & cinerum fœtus, rediuiuo carnis suæ humore reparari, & de funebri rogo resurgere perhibetur, ibi etenim לילות , תנים , שעירים , איים , ליש , פרס , אקו, *τραγέλαφοι, Gryphes, μυρμηκολέοντες, fauni, satyræ, sirenes, lamiæ, redduntur.* Verum enimuero non adeo soliciti sumus de varia interpretum explicatione, ac de ipsa Spiritus S. mente, quem animalia ficticia recensuisse haud facile probari potest: potius omnibus locis, vbi istorum mentio fit, vel vera animalia, ac naturalis etiam historiæ peritis agnita intelligenda sunt, vel spectra saltem diabolica, adeoque in hunc censum (nisi etiam phœnicem eo pertinere dixeris) plane non referenda, quemadmodum locorum euolutione clarissimum est. Quid? quod inter eruditos sint, qui nec LXX. interpretes aut Hieronymum animalia ficta vbique intendisse contendunt. Isaacus enim Vossius de Oraculis Sibyllinis cap. XIII. Σειρῆνες, quod apud LXX. occurrit, *non esse id quod vulgo putant, sed genus vesparum seu crabronum viuens in eremo, cuius etiam meminit Aristoteles,* existimat: nec dubito, quin de reliquis a Fello adductis ὁ πάνυ consultus eadem ratione LXX. Interpretes defensurus sit. Τραγέλαφον esse *animal in Germaniæ saltibus, Bohemiæ vicinis, notum, ex Hadr. Iunio* vult Sixtinus Amama, *licet complures ex veteribus animal illud in rerum natura non esse crediderint*, Antibarb. Bibl. lib. III. in Iob. XXXIX. 1. In eandem sententiam descendit Bochartus P. II. Hierozo. Lib. VI. Cap. I. qui etiam Cap. II. Gryphen apud LXX. & Vulgatum de γρυπαιέτῳ *gryphaquila* exponit, quod *credibile non sit, Deum populo suo interdixisse vsum animalis, quod nusquam est:* quanquam sunt apud Ezech. Spanhemium de Numisin. Diss. III. pag. 234. qui veris animalibus Gryphem accensere non dubitant. Μυρμηκολέοντες leonis genus esse ostendit idem Bochartus Cap. III. ac licet Cap. XIX. plane absurdum censeat, Satyros aut iam exstare, aut vnquam exstitisse in rerum natura: meminisse tamen potuit Philostorgii Lib. III. Cap. XI. tanquam αὐτόπτης Satyrum describeneis: ὤφθη δὲ καὶ τοῦτο πίθηκος, ἐρυθρὸν τὸ πρόσωπον, καὶ γοργὸς τὴν κίνησιν, καὶ οὐρὰν ἔχων. Quin Ezech. Spanhemius pag. 213. 214. ex Græcis scriptoribus testimonia protulit, quibus clarissime confirmatur Philostorgii narratio, ac simul conficitur, κῆβον & Satyrum idem esse. Quæ omnia Bocharto in mentem non venisse patet, quum P. I. Hierozo. Cap. XXXI. Cebum simiæ aut cynocephali genus in Æthiopia esse fateatur. Atque hinc facile liquet nullius plane roboris esse instantiam Felli nostri, quem hæc omnia veterum scriptorum loca adeo contemsisse non immerito miramur, quibus de LXX. Interpretum atque Hieronymi mente certus obiectionis suæ infirmitatem agnoscere potuisset.

IIX. Itaque ad ipſum Iobi locum cum erudito viro accedimus, quid ipſius argumenta in receſſu habeant, viſuri. *Imo vero*, inquit, *disquiſitionem aliquam meretur, annon de Phœnice expreſſe habeatur mentio in S. Script. nimirum lib. Iob. c. 29, 18. vbi dicit* עם קני אגוע וכחול ארבה ימים expirabo in nido meo, & ſicut Phœnix multiplicabo dies; *vetuſtiſſimi apud Heb. Authores, & maximi nominis, lib. Zohar. Talmud. in tract. Sanhedrin. Bereshith rabba, lib. Ialkut. R. Salom. Iarchi, in Comment. in locum, certe ſunt in ea ſententia.* Hic ſane me in admirationem rapit nullum plane medium hermeneuticum Clariſſimum virum adhibuiſſe, vt ſiue ex vera vocis origine, ſiue ex contextu aliorumque Scripturæ locorum collatione genuinum ſenſum eruiſſet: ſed quum talibus ſe deſtitui probe cognouerit, Rabbinorum commenta tanti æſtimaſſe, vt his omnibus oppoſuerit, quos in rebus naturalibus cœciores talpis proindeq; nullius plane auctoritatis eſſe ex eruditis etiam concedunt, qui alias haud exiguam ipſis fidem adhibent.

IX. Verum, vrgebis, ſunt tamen *vetuſtiſſimi apud Ebræos Auctores, & maximi nominis.* Fateor, librum Zohar *ſumma tum auctoritatis tum vetuſtatis Iudæis haberi*, adſerente Seldeno, ac *ſæculo I.* poſt Chriſtum *ſcriptum* perhiberi ab Anton. Grelloto Præfat. Prodromi in Apocalypſin pag. 47. Enimuero *dubiam non immerito apud doctos eſſe tantam libri huius antiquitatem* probat Io. Buxtorfius Abbreuiat. Ebr. p. 194. Brianus Waltonus Prolegom. III. in Biblia Polyglotta n. 52. Claudius Fraſſenius Diſquiſit. Bibl. Lib. I. Cap. X. n. 9. & Lib. II. c. II. n. 3. ac Iacobus Windet de vita functorum ſtatu Sect. IIX. ac proinde ex Iudæorum ſaltem opinione (quorum nulla in his rebus fides) vetuſtatem libro poſt Seldenum tribuunt Bochartus, Simonius, alii. Deniq; plane inepta ſunt libri Zohar de verbis Iobi nugamenta a Bocharto prolata: *In Zohare, libro, vt volunt, peruetuſto, phœnix &* חול *dici legitur per chet, tanquam a* חיל *robore, &* הול *per he, tanquam ab* הלול *id eſt, a laude, eo quod & naturæ vis & Dei laus ſeu gloria in hac aue ſe prodat.* Quis ferat hanc in Iudæo audaciam fingendique libidinem? Nec maior Talmudis eſt auctoritas, inprimis, quum figmenta de Phœnice non Miſchna (cuius dicta ſemper in ritibus præſertim deſcribendis reiicienda non eſſe facile concedimus) ſed Gemara exhibeat, *in qua fabulas, easq; craſſas, elumbes & inſulſas, quin & Scripturæ incommodas explicationes deprehendi fatetur* magnus Talmudicarum Pandectarum hyperaſpiſtes, Io. Chriſtoph. Wagenſeilius Præfat. in tela ignea Satanæ p. 62. Etenim quis non ſublato rideat cachinno, quando lepidum Iudæorum commentum legit, prout in linguam Germanicam tranſtulit Chriſtianus Gerſon

im

im Thalmudischen Jüden-Schatz p. 276. den Phönix fand mein Vater (Noah) daß er auf der Schwelle des Kastens lag/und sprach zu ihm: Ferderstu keine Speise? Er sprach zu ihm/ich sahe/daß du viel zu thun hattest/ und dachte/ ich wolte dich nicht bemühen. Er sprach zu ihm: Es sey (Gottes) Will/daß du nicht sterbest/ wie gesagt ist (Iob. xxix. 18.) und ich sprach/ ich werde in meinem Nest vergehn und wie Phönix werde ich viel Tage haben. Hæc delirantium hominum somnia recitasse est refutasse. Qui vero Rabbinos propria lingua loquentes audire gestit, Io. Cocceium Excerpt. Gemaræ Sanhedrin. cap. xi. n. 67. p. 417. adeat.

X. Porro Gemaristis antiquior est Glossator in Genesin a Fello nostro adductus, qui non adeo ineptire videri poterat; sed quid melius ab eo exspectabimus, qui *acceptam a Gentilibus fabulam nouis etiam figmentis interpolauit*, vti bene Thomasius noster §. 116. iudicat. Operæ pretium est Bochartum iterum audire, quippe ex quo pleraque sententiæ suæ fundamenta Fellus desumsit: *de phœnice Iudæi quid sentiant, nemo docet explicatius R. Osaia. Scripsit is librum Bereschith Rabba, id est, commentarium in Genesin circa annum Christ. ccx. Cuius libri capite decimo nono, Geneseos locum explicans, quo mulier dicitur de fructu vetito cepisse & comedisse, & viro suo dedisse, inter cetera hæc habet*, הכל שמעו לה חוץ מעוף אחד ושמו חול ה"הד וכחול ארבה ימי: *Omnia (animalia) obedierunt ei (mulieri & comederunt ex fructu vetito) præter autem vnicam nomine chul, de qua dicitur (in Iobo) & sicut chul (phœnix) multiplicabo dies meos.* Recte itaque hominem reiecit Rob. Bailius Lib. I. Operis Histor. & Chronol. cap. II. q. 4. aduersus Vossium differens: *Fatetur Isaacus librum istum esse plenum fabulis, quin & ipsum, quod adducit inde, testimonium, esse narrationem ineptissimam, & Rabbinorum in ea fabellas tam esse portentosas, vt ne ægrorum quidem somniis vlla ex parte cedant: nulla ergo hinc solida argumentatio, vel ipso iudice, deduci potest.* Simili plane modo respondemus ad libri Ialkut testimonium, vtpote in quo *eadem fere legi* obseruat Bochartus. Vt taceam, *commentarium istum non ad literalem sensum, sed ad allegoricum respicere, in quem Rabbinici Darschanim seu concionatores excurrere solent*, notante Buxtorfio Biblioth. Rabbin. p. 35. Atqui notum est, quantis ineptiis Rabbinicorum concionatorum sermones referti sint, quemadmodum pluribus docuit laudatus Wagenseilius Confut. Carm. Lipman. pag. 244. seq. Denique R. Salomo Iarchi (seu vt elegantioribus hodie dici solet, *Isacides*) quanticunque apud Iudæos nominis sit, veritati tamen præiudicare nequit, quum insulsum libri Bereschith rabba consarcinatorem nullo plane iudicio sequatur.

XI. Quum

dum in folio maiori (vt loquuntur) variis Merceri, Ceuallerii, Bertrami, obseruationibus auctus Lugduni 1577. prodiit, Hieronymi ad Præsidium epistolam viderit citatam, & confestim verba adlata alio charactere subiungi animaduertens, festinante oculo Hieronymi esse putauerit, quæ tamen nihil Hieronymianum spirant ac reuera sunt Antonii Ceuallerii, vt litera C. ibi subiecta, ac per totum volumen illius notas ab aliorum additamentis secernens clarissime indicat. Itaque Hieronymus Fello non patrocinatur; Ceuallerius autem & tantæ non est auctoritatis, & supra in Mercero iam refutatus est, siquidem ab illo hanc obseruationem mutuatus est.

XII. Nullius vero ponderis sunt, quæ ex Kimchio addit: *Porro dicit R. D. Kimchi, se inuenisse vocem* חול *cum Shurek vt Phœnicem significet in libro correcto Hierosolymitano.* Etenim coniectura Thomasium nostrum non fefellit, qua putat §. 114. *nihili vocem esse Chul, quatenus Phœnicem signare intelligitur, haud alium in finem excogitatam ab Ebræis, quam vt Iobi textum deprauarent, consensumque eius cum illo altero Geneseos tollerent*, §. 114. Tum exemplar Hierosolymitanum ספר ירושלמי putatur esse idem cum codice a Ben-Ascher correcto, cui solet a Rabbinis opponi ספר בבלי Codex Babylonicus, quem emendarit Ben-Naphtali. Vid. Io. Henr. Hottingerus Thesauro Philol. p. 107. 108. Istas autem correctiones non Scripturæ sensum aut significationem vocum attingere, sed minutias saltem Grammaticas nec magni momenti concernere, pridem monuit Io. Buxtorfius de Punct. Antiq. & Orig. Part. 1. Cap. xv. vnde conficitur, istam mutationem significationem diuersam non inferre.

XIII. Vltima Felli nostri ratio hæc est: *Reuera 70. Seniores ita reddunt has voces, ἡ ἡλικία μου γηράσει ὥσπερ στέλεχος φοίνικος, ubi φοῖνιξ homonymum est, & palmam non minus quam Phœnicem effert. Sed quandoquidem* חול *Palmam nunquam denotare cognoscitur, cogitandum venit vtrum incredibile prorsus sit τὸ στέλεχος hic in eo significatu apud eos positum, quo stirps & stemma in omnibus fere dialectis passim vsurpantur; quod si fiat, ipsi 70. Interpretes omnino Phœnicem agnouere.* Enimuero non immerito hanc de versione LXX. Interpretum sententiam in dubium vocauerit, qui totam huius versiculi apud istos rationem accuratius perpenderit. Proponemus eam, prout reperitur in duobus codicibus vetustissimis, Vaticano altero, altero Alexandrino, quorum vterque ante CIↃ CC minimum annos exaratus creditur. Vaticanum exprimit editio Romana, quam Cantabrigiensis CIↃ IↃ C LXV. sequitur, vbi hæc legimus, *εἶπα δὲ, ἡ ἡλικία μου γηράσει ὥσπερ στέλεχος φοίνικος, πολὺν χρόνον βιώσω.* Ex Alexandrino autem Patricius Iunius Textum Iobi

στιχηρῶς Catenæ Græcorum Patrum in Iobum Londini CIϽ IϽC XXXVII. attexuit, quo versus noster in duos στίχους diuiditur, hoc modo:

> εἶπον, ἡλικία μου γηράσει ὥσπερ στέλεχος φοίνικος,
> πολὺν δὲ χρόνον βιώσω.

Vides, inter vtrumque codicem exiguam occurrere differentiam, sensu vtrobique eodem manente: illo videlicet, quo versiculi in Ebræo textu parti priori, ואמר עם קני אגוע in Græco respondent, εἶπον, ἡλικία μου γηράσει ὥσπερ στέλεχος φοίνικος, posteriori vero, וכחול ארבה ימים reliqua, πολὺν δὲ χρόνον βιώσω. Vnde clarissime liquet, quæ Fellus noster pro sua sententia allegauit, longe aliter se habere: quum verba, de quibus disputamus, diuerso plane modo, ac ille putauit, LXX. reddiderint, exegesin suppeditantes eorum, quæ Iobus de vitæ diebus sicut arena multiplicandis sub orationis schemate enunciauerat. Idque confirmat egregie codex Alexandrinus, quem tantopere in præfatione Fellus noster laudat, quando per totum Iobi librum pro ratione commatum in versibus Ebræi textus occurrentium Græcam versionem in στίχους diuidit, ita vt vbicunque ille tribus vel pluribus constat commatibus, in MS. ac Iunii editione tres pluresue στίχοι reperiantur: vbi ille duo saltem continet commata, hic duos quoque στίχους repræsentet. Vnde consequitur, in nostro versu duos in hoc Codice στίχους duobus in Ebræo commatibus respondere, ita vt prior στίχος commati priori, posterior στίχος commati posteriori conueniat. Aliter nos statuere non sinunt doctorum virorum de LXX. Interpretibus hypotheses, quas tamen nostras non facimus. Patricius enim Iunius se *Textum Iobi iuxta verum & germanam septuaginta seniorum interpretationem edidisse* putat. Nec desunt, qui illustri Vossio adsentiuntur, ac LXX. Versionem non modo incorruptam hodienum exstare, sed & veterum testimonia, quæ in ea textum Ebraicum summa fide translatum esse confirmant, hodiernæ ex asse conuenire statuunt. Enimuero, quomodo hanc integritatem laudemque saluabunt, si Felli sententiam amplectuntur? quum priorem ferme versus Ebræi partem vel plane omissam esse, vel temporis saltem iniuria excidisse consequatur: quorum illud vti fidelis interpretis curæ aduersatur, ita hoc corruptionem aperte arguit. Quod reliquum est, non quæritur, *vtrum incredibile prorsus sit τὸ στέλεχος hic in eo significatu apud 70. positum, quo stirps & stemma in omnibus fere dialectis passim vsurpantur*, sed an ex vsu Græcæ linguæ ista significatio voci στέλεχος conueniat, quod inficiatur Hesychius, quando στέλεχος explicat ὁ κορμὸς ἢ δένδρου, obseruante Bocharto; nec vllo exemplo probauit Fellus, aut, qui ipsi præiuit, Io. Pineda Comment. in Iobi c. XIX. v. 25. §. 17. Vt taceam, istam explicationem obscuram atque insuetam loquen-

quendi rationem inferre, ac Phœnicis apud Clementem descriptioni tantum non aduersari. Quamobrem necesse est, vt LXX. Interpretes non Phœnicem auem, sed palmam intellexerint, aduersum forte sequentem respicientes, vbi radicis fit mentio. Rem omnem explicat Martinus Delrio in libro antea citato pag. 20. ad quem Lector benignus amandari se patiatur.

XIV. Pergit Fellus noster: *At vero si mantissæ loco adiiciatur, Auctores laudatissimos, qua sacros, qua profanos, nimirum Herodotum, Tacitum, Dionem, Plutarchum, Plinium, Senecam, Melam, Solinum, Philostratum, Libanium, Tertullianum, Origenem, Cyrillum Hieros. Eusebium, Nazianzenum, Epiphanium, Synesium, Hieronymum, Ambrosium, Lactantium, Bedam &c. vt totam Poetarum gentem, & sequioris aui scriptores praeteream, eadem fuisse in sententia; minime mirum videri debet (vtcunque Bochartus aliter senserit) Doctissimum Iunium apud se statuisse, satius esse tantis auspiciis errare, praesertim in re, vbi sine noxa peccatur, quam contrariæ sententiæ fautoribus accedendo vel recte sentire.* Verum celeberrimi Thomasii verbis §. 73. respondemus: *Clementem quidem, Tertullianum, Cyrillum, Iunio non eripimus, sed veremur, vt cæteri plerique si curate examines, alio possint haberi numero, quam eorum, qui popularem fabulam recitant potius, quam de suo adferunt*; quod pluribus ostendit Delrius pag. 23. Poetarum vero μυθοφιλία nemini ignota est; nec recentiorum scriptorum adsensu destituimur, inprimis eorum, quos Patricii Iunii nequidquam potuit mouere siue auctoritas, siue credulitas, e quibus Vossios, Bœcleros, Schotanos, aliosque laudat Thomasius §. 74. calculum suum §. 79. illis adiiciens: quin ipse Fellus Patricio in omnibus accedere non audet.

XV. Pro saluando tamen Clemente omnem mouet lapidem, ac Taciti quoque narrationem producit: *Certe cum Cornelius Tacitus, cui adstipulantur reliqui istius sæculi historici, diserte dicat* Paullo Fabio & Lucio Vitellio Coss. post longum sæculorum ambitum, auem Phœnicem in Ægyptum venisse, & præbuisse materiem doctissimis indigenarum & Græcorum, multa super eo miraculo disserendi; *minime putandum est eum merum mendacium & purum putum fabulam effutiisse: præsertim quando satis constat, quantum olim malus Dæmon miserorum hominum superstitioni & ignorantiæ insultabat, quantumque e re sua erat ea tempestate, cum Euangelii splendor terrarum orbem vitalibus radiis salutare inciperet, notabili aliquo commento seipsum venditare; & quidem qui se pro aeris principe, per auium ministeria, & vniuersum auguralis scientiæ apparatum gesserat, quique celeberrima illa Iouis Dodonæi apud Græcos, atque Hammonis apud Ægyptios Oracula solenni auium τερατεία dedicauerat (de qua re inter alios consuli potest Herodotus in Euterpe) non ab-*

 surde

furde fecisse videbitur, si nutantia sua sacra stabilire conaretur, reuocato eo ostento Heliopoli, quod animos hominum pridem imbuerat; promptisimamque fidem sibi spondere poterat. Nimirum quod post longa quadam interualla, Auis forma prorsus insolita, a colore saltem si non & veteri nomenclatura Phœnix dicenda, sese ostentaret, quæ sublato, *vt verbis Taciti vtar*, Myrrhæ pondere, tentatoque per longum iter, vbi par oneri, par meatui sit, *sarcinam suam* ad Solis Aram perferret, atque adoleret: *atque officio illo plane mirabili non minus quam munere, honorem altaribus adderet. Ostentum certe illud quod Tarquinio prisco animos dedit, vt apud Romanos imperium capesseret (vt alia a Liuio memorata prætercam,) multum ex hoc trahere videtur, nec non ei facem præferre.* Hæc prolixe Fellus, cuius tamen suasiones vereor vt apud æquos rerum arbitros efficiant, quod probare intendit. Plane enim adsentior Thomasio nostro, qui postquam §. 84. ostenderat, ad hanc de Phœnice quæstionem, vtpote facti, probandam, *testibus opus esse, qui certa oculorum fide vsurpauerint factum, quum auritis ad iustum pondus plurimum desit:* de Tacito §. 87. hoc fert iudicium: *Verum neque hoc est oculatum testem agere, sed miscere se turbæ credentium auritorum. Omitto fateri Tacitum, incerta esse cætera, & fabulosis aucta.* Quin de ipso illo Phœnice Tacitus scribit: *nonnulli falsum Phœnicem, neque Arabum e terris credidere, nihilque vsurpauisse ex his, quæ vetus memoria firmauit.* Tum vero, subsit aliquid veri Phœnicis in Ægypto adparitioni, quid mirum, si ipse diabolus in illius auis fictitiæ figura, qualem sibi imaginabantur homines, adparuerit, sicque non vera auis, sed ipse μυριοτεχνίτης visus sit, qui Euangelii cursum impedire ac superstitiones in hominum animis conseruare hac ratione tentauerit, vt adeo Taciti relatio fabulæ de Phœnice nequidquam patrocinetur. Nec omittenda sunt, quæ præclare monet Schotanus Heptaem. pag. 137. *Quis credat si Deus exstare voluerit in natura tam illustre resurrectionis specimen, eundem & voluisse aui illi ingenitum esse, vt illustri diuinæ approbationis documento templum solis & aram idololatriæ execrabilis cohonestaret?* Itaque manifestum est, prolixum Felli nostri discursum potius obesse Clementinæ Epistolæ, quam prodesse.

XVI. Quamobrem caussæ diffisus vir eruditisimus alia ratione eam defendere conatur: *Sed si hæc minus satisfaciant, breuiter dici poterit, Phœnicis historiã apud omnes pro concessu habitam, & proinde argumento ad homines ducto, rectisime inseruire.* Equidem si Constitutiones Apostolicæ recte Clementi Romano tribui possent, dubium non foret, κατ' ἄνθρωπον eum disputasse; quod Lib. v. c. 8. dubitanter & ex Ethnicorum sententia de Phœnice fabulam proponit, vti Bochartus quoque & Gatakerus obseruarunt: Attamen quum rectisime eru-

diti

diti recentiori ætati Diataxes iſtas adiudicent, ipſam in Phœnicis fabula enarranda diuerſitatem adnotantes, vt videre eſt apud Dallæum Lib. I. de Pſeudepigraphis Apoſtolicis cap. XIX. extremo, eiusque ſequacem Natalem Alexandrum Select. Hiſt. Eccl. Sæc. I. Diſſ. XIIX. p. 198. 199. quanquam Pſeudo-Clemens ille non meruit Vſſerii Prolegom. Ignat. Cap. X. pag. LXV. animaduerſionem. Itaque Epiſtolæ ſaltem verba ſupra transſcripta accuratius ponderanda ſunt. Quo facto deprehendemus, non *κατ' ἄνθρωπον*, ſed *κατ' ἀλήθειαν* Clementem Epiſtolicum hoc argumento vſum eſſe. Quid enim contemplamur, oculisue cernimus, quam res veras realiterque exiſtentes? quid eſt ſignum mirabile, *τὸ παράδοξον σημεῖον*, niſi quod realiter exiſtit, ſenſibusque percipi poteſt? quid verba, *τὸ γινόμενον ἐν τοῖς ἀνατολικοῖς τόποις* denotant, quam Ens verum, taleque ſignum, quod in Orientis regionibus certisſime conſpicitur? Cur auctor tanta curioſitate omnes circumſtantias percenſuiſſet, ad Ægyptiacorum Sacerdotum tabulas prouocaſſet, & (quod maximum eſt) addidiſſet, Deum per illam volucrem promisſionis ſuæ magnificentiam abunde nobis pateſeciſſe? niſi Phœnicem veram eſſe auem ac neutiquam fabuloſam crediciſſet. Quamobrem in Epiſtola hac credulitatem viro Apoſtolico, ſiue Apoſtolorum diſcipulo indignam deprehendentes viri ſummi §. 2. citati, non immerito Clementi Romano eam vel plane abiudicant, vel ſaltem dubitant, an ea ſit, quam olim in Eccleſia publice prælectam & a tantis ſcriptoribus commendatam nouimus, inprimis, quum & alia plurima in ea legantur, quæ vel non congruunt temporum rationi, vel doctrinæ Apoſtolicæ repugnant, vel cum ipſis denique veterum teſtimoniis non adeo bene conueniunt, de quibus forte alibi dicendi locus erit.

XVII. Nec quidquam obſtant Felli noſtri ſuſpiciones. Nam quod ait, *nihil referre, quibus armis hoſtem confodiamus*, ſponte cadit, ſi conſideramus, maximi intereſſe, quibus armis vir Apoſtolicus hoſtes Chriſtianæ fidei confodiat. Sic & in humanis *non minus feliciter ab admiſſo errore redarguetur error, quam a veritate in medium producta veritati fides & auctommentum accedunt:* ſed in diuinis ac religionis Chriſtianæ articulis confirmandis maiori longe circumſpectione opus eſt. Atqui *in nulla re tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixe & contentioſe contradicitur fidei Chriſtianæ, ſicut de carnis reſurrectione*, quod Auguſtini effatum eſt Comment. in Pſal. 88. Vt taceam, quod ſupra ex Schotano monui, ac alia ratione confirmatur a Gisb. Voetio P. I. Diſp. Select. p. 1166. fabulam de Phœnice oppugnare potius reſurrectionem, quam ſtabilire. Addit poſtremo Fellus noſter: *Nec aliter videtur B. Paullus cum in hoc ipſo negotio, apud hoſce arbitros, (Corinthios intelligo) verſaretur, allegaſſe in cauſam ſuam morem, pariter cũ Phœnicis hac hiſtoria improbabilem*

 bapti-

baptismum pro mortuis; vt exinde resurrectionem comprobaret. Verumenimuero, siue per βαπτισμὸν ὑπὲρ νεκρῶν putemus Apostolum respexisse ad Baptismum vicarium, siue ad Baptismum in cœmeteriis a primitiua Ecclesia administratum, neutro modo probabilitate sua caret, nec vlla ratione cum Phœnicis fabula conferri potest. Nec ipse Paullus rationem de Phœnice tam obuiam reliquisset intactam, nisi rei fabulosæ mentio grauitati Apostolicæ repugnet, recte obseruantibus Schotano & Bocharto. Quidni Apostolorum quoque discipulo, Clementi Romano, eandem non congruere censebimus?

XIIX. Itaque ex iis, quæ hactenus disquisiuimus, apertissime constat, nullam fabulæ de Phœnice fidem esse adhibendam, nec in Iobi verbis ficticiam auem quærendam, nec denique genuinam Clementis Romani ad Corinthios Epistolam hodie superesse.

EXERCITATIO TERTIA

DE

APOPHTHEGMATE IGNATII:

ΟΕΜΟΣΕΡΩΣ ΕΣΤΑΥΡΩΤΑΙ,

WITTENBERGÆ

PRIMVM PROPOSITA AN. CIϽ IϽCXXCIII.

AVCTIVSQVE RECVSA AN. CIϽ IϽCXXCIIX.

I.

Apophthegma Ignatii consideraturus operæ pretium existimo, de vita scriptisque beati martyris pauca disquirere. Equidem plurima ad personam & res gestas ejus pertinentia obscuritate non exigua laborare conqueruntur eruditi, præeuntibus Centuriatoribus Magdeburgensibus Cent. II. cap. X. p. 156. inprimis *de Ignatii patria non constare* monuit Theologus magnæ famæ & accurati judicii, qui de patriis illustrium virorum commentatus est; D. Joh. Andr. Quenstedtius Dialog. pag. 508. videtur tamen eam memoriæ prodidisse scriptor Arabs, Gregorius Abulpharagius, in Dynastiarum Historia, Dynast. VII. pag. 119. tradens, sub Traiano necatum inter alios esse
ايغناطيوس النوراني اسقف انطاكية
رومي

– ... h. e. interprete Pocockio, *Ignatium Numanienſem, Epiſcopum Antiochenum, qui ad Leones coniectus ab iis diſcerptus eſt.*

II. Non dubito, quin Ignatii patriam intellexerit Abulpharagius, dum *Numanienſem* illum dixit; quum Arabicorum ſcriptorum mos ſit, virorum celebrium, ſi quos memorant, patriam nomini ſtatim ſubiungere. Itaque vrbem hanc inquiſitione dignam putaui, conſultoque Stephano de vrbibus fol. 502. hæc reperi: Νῶρα, πόλις ἐν Σαρδοῖ τῇ νήσῳ. Τὸ ἐθνικὸν Νωρανός, ὡς Νωλανός. Vbi Thomas de Pinedo explicat originem huius vrbis; quam prolixius perſequitur Samuel Bochartus Libro I. Canaan cap. XXXI. Conuenit certe Gentile nomen apud Stephanum apprime cum illo Abulpharagii, apud quem Græca terminatio more ſolito in Arabicam tranſiit: confirmatque Arabis noſtri ſcripturam Philippus Cluuerius, quando cap. I. Sardiniæ Antiquæ refert oppidum illud in Itinerariis Romanis ſcribi NVRA, ratione magis congruente cum Abulpharagio: qui licet nullum hoc in loco memorarit veterem ſcriptorem, e quo Ignatii hauſerit patriam, id tamen rei veritati nihil derogat, quum fidem ſuam initio ſtatim Hiſtoriæ liberauerit, obteſtando, *eam ex libris, qui in hoc genere variis linguis, Syriaca, Arabica, aliisque compoſiti ſunt, collectam eſſe.* Nominat expreſſe Syros, apud quos Ignatius maximam vitæ partem transegit, ac videtur ex aliquo gentis iſtius ſcriptore Ignatii patriam nobis conſeruaſſe. Certe Jacobo Rohenſi ſiue Edeſſeno Epiſcopo plurimum defert, qui ſummus Ignatii ſtudioſus & admirator fuit, eiusque Liturgiam ex Orientalium traditione in linguam Syriacam transtulit, obſeruante Iacobo Vſſerio Prolegom. Ignat. c. I. Idem *Iacobus Edeſſenus ſcripſit Annales & Chronicon*, teſte Ebedieſu Catal. Script. Chald. cap. 175. ex quo forte, vt alia, ita & Ignatii patriam accepit Abulpharagius. His lubet adiungere ſuffragium Cl. Polyhiſtoris Schurzfleiſchii, quod per epiſtolam a nobis conſultus eo tempore, quo diatribam hanc ſub manibus habebamus, litteris pariter reſpondit: *De Numanienſi caue exiſtimes, eo denotari Noram Cappadociæ, quæ ab hoc inſtituto aliena eſt. Sine dubitatione Dynaſtiarum ſcriptor Noram Sardiniæ intellexit, quæ & Nura ſcribitur in itinerario Antonini. Hinc oritur Noranus, ſiue Nuranienſis, quod Abulpharaius flexione diduxit. Nora Cappadociæ non Nura ſed Nereaſſus quoque dicta eſt, quam Strabo Geogr. XII. memorauit: Noram autem, ſiue Nuram Sardiniæ Geogr. V. conſulto præteriit. Omnino autem Abulpharaius tradere voluit Ignatii patriam, nec ratio tua falſa eſt, quam a more Arabum petiiſti, etſi auctore veteri opus erat, quo fidem faceret iſte alioquin ſæpe fabulis indulgens Arabs.*

III. Lu-

III. Lustrato loco natali parentes Ignatii indicandi essent, nisi pariter de iis apud antiquos & recentiores scriptores altum regnaret silentium, vnicū Rich. Montacutium si exceperis, qui in Originibus Ecclesiasticis tomi prioris parte posteriori pag. 212. Ignatium *proselyti alicuius Antiochensis filium fuisse* adserit: quam opinionem vt nullo veteris auctoris testimonio firmatam merito illi relinquimus, & ad peruulgatam controuersiam accedimus, qua motus Montacutius id statuere inductus est: An scil. Ignatius fuerit puer ille, quem Christus Seruator Matth. xiix. in medio discipulorum constituit? cuius originem Græculis recentioribus debemus, qui pro aiente stant sententia, vti prolatis scriptis eorum docent Iac. Vsserius Annot. 4. in Ignatii Acta, & Ioh. Dallæus de Epist. Ign. cap. xxv. cuius aduersarius, Ioh. Pearsonius P. II. Vindic. Ignat. c. XII. originem fabulæ feliciter detexit, eamque sæculo IX. in controuersia inter Photium & Ignatium Patriarchas CPtanos vergente ab Ignatii istius parasitis compositam esse commonuit. Vnde colligitur, alucinari viros doctos, qui ex riuulis Latinorum famam istam de Ignatio deriuant, quum Latini Martialem Lemouicensem hic crepare soleant, obseruante Dallæo, & Barradio Harmon. Euangel. L. x. Cap. 33. Sed vtrumque commentum rident merito eruditi, ac illud de Ignatio communi consensu explodunt: vt plane mirum sit, Montacutium ineptæ fabulæ patrocinium suscepisse, infirmis certe argumentis, & quibus ipse haud obscure diffidit. Cæterum Ignatius non tantum Proselyti, sed Iudæi nati filius esse potuit, quanquam ex Sardinia fuerit oriundus. Nam ex Taciti Annali secundo extremo liquet, A. V. C. 772. ante Passionem Christi 12. quatuor millia Iudæorum Roma in Sardiniam missos militatum computante Ægidio Bucherio in Doctrinæ Temporum ea parte, quæ de Paschali Iudæorum Cyclo tractat, p. 387. Eos Tacitus quidem *Libertini generis* vocat, Iosephus autem lib. XVIII. Antiquitatum Cap. 5. (in Latina versione est Cap. 10.) apertissime Iudæos appellat, facinusque Romæ a quatuor ex illa gente nebulonibus perpetratum enarrat, propter quod omnes Iudæi vrbe excedere iussi sunt. Sicut autem Iudæi ex toto terrarum orbe Hierosolymam quotannis dona sua mittebant, ita in Sardinia finito bello remanentes, idem procul dubio fecerunt, eaque occasione Ignatius in Iudæam venire, & Libertinorum Synagogæ a Luca Act. VI. memoratæ interesse potuit. Has tamen coniecturas nemini obtrudo, sed liberum cuique iudicium relinquo.

IV. Plura de Ignatio a veteribus indicata non licet nunc prolixius persequi, sed de Episcopatu saltem eius pauca monebo. Etenim antiqui Patres vno ore Ignatio maiorem auctoritatem non tribuunt, quam Episcopalem, Antiochiæ in Syria ipsi ab Apostolis collatam, quorum verba exhibet Pearsonius

P. I.

P. I. cap. II. Sed ex recentioribus nonnulli Patriarchalem seu Metropolitanam dignitatem Ignatio adserere conantur, vt Henricus Hammondus, Dissertat. II. contra Blondellum cap. VII. §.14. & Guil. Beueregius Vindic. Can. Apost. L. II. C. V. §. 7. Atenim non capio, qua ratione eiusmodi adserta congruant ætati Apostolicæ & Ignatianæ, qua Metropolitanos & Patriarchas in Ecclesia constitutos fuisse *μέγα λίαν αἴτημα* est. Non equidem me fugit, Metropoliticarum Ecclesiarum originem ad ipsos Apostolos referri, non modo ab Allatio, Marca, Schelstratio, & aliis Latinarum partium hominibus, sed ab ipso etiam Hammondo & Beueregio. Verum ab ea opinione facile secedet, quicunque serio cogitauerit, *φιλοπρωτείαν*, quæ non modo *ἰσότητα* Episcoporum & presbyterorum Apostolicam sustulit, sed & inter ipsos Episcopos sensim paullatimque superioritatem ac Papæ denique Romani primatum in Ecclesiam introduxit, prorsus aduersari moribus Apostolicis, qui in summa simplicitate ac ministerii Ecclesiastici *ἰσοψυχίᾳ* consistebant. Imo nec nomen, nec iura Metropolitanorum Ignatio conueniunt. Nomen recentius esse fatetur ipse Beueregius Annot. in Can. IX. Antioch. & *vix vnquam primo & secundo sæculo vsurpatum.* Pariter Patriarchæ adpellationem non sapere ætatem Apostolicam fatetur Pearsonius, quidquid de Patriarcha in Epistola Adriani Imp. ad Seruianum COS. moliantur post Baronium Casaubonus & Salmasius; quorum prior sententiam suam retractauit Exercitatione XIV. in Baronium, Diatriba II. pag. 225. & Iudæorum Patriarcham ab Adriano intelligi diserte fassus est. Ac *Patriarcharum nomen primo audiri cœpisse circa tempus Chalcedonensis Concilii* exserte scribit Schelstratius. Iura vero Metropolitanorum Cypriani, multo magis Ignatii, tempestate nondum viguisse colligitur ex ipsius Oratione, qua Episcopos in Concilio Carthaginensi congregatos affatur. Vid. Ioh. Vorstius Exerc. de sedibus Episc. primariis in veteri Ecclesia n. XXXIIX.

§ V. Ignatius itaque magna cum laude munus suum Episcopale administrauit, donec a Traiano Imp. Antiochiam veniente ad bestias condemnatus, Romam ad populi spectaculum longo ac tædioso itinere perductus & a Leonibus discerptus est. Rem latius exponunt acta martyrii, quæ Vsserius in Appendice Ignatiana publici iuris fecit. Iosephus Scaliger in Animaduersionibus Eusebianis num. 2123. *proponit quæstionem de Ignatio Romam perducto*, vt dubiam & moribus Romanis vix conuenientem, quod ciues Antiocheni fruerentur iure ciuium Romanorum, atque adeo martyr noster nec debuerit trahi Romam, nec bestiis obiici. Quem nodum soluunt Vsserius Not. 9. in Acta Ignat. & B. Dannhawerus in Christeide p. 202. ostendentes, esse hic singularem planeque extraordinarium casum, siue ob Traiani a bello Parthico reducis victoris insolentiam, siue ob metum tumultus Antiochiæ per martyrium Ignatii facile con-

concitandi, vt vrbs illa in motus seditionemque prona erat. Disputatur quoque inter Isaacum Vossium & Blondellum de ratione itineris Smyrna Romam ab Ignatio instituti, vtrum id terra an mari fecerit, quemadmodum videre est ex binis Vossii ad Riuetum epistolis, quas Pearsonius Vindiciis Ignatianis appendit. Mihi probabilior videtur opinio Vossii, vellemque simile Aristidis Rhetoris iter cum Ignatiano conferri, de quo Ezechiel Spanhemius agit Dissertatione II. de præstantia & vsu Numismatum pag. 88. 89. & 90. Cæterum, controuersiam de anno, quo martyrii coronam adeptus est Ignatius, examinat Vsserius Not. 39. & Ignatium A. C. CVII. COSS. Surano III. & Senecio II. martyrium subiisse probat. Sed hanc opinionem reiicit Henricus Norisius in Epistola Consulari pag. 74. 76. siquidem contendit pag. 68. & 72. Traianum an. CX. nondum in Asiam transmisisse, sed demum an. CXII. expeditionem in Parthos suscepisse, & Ignatium damnasse exeunte autumno anni CXII. Itaque Ignatius passus est Romæ anno CXIII. Kal. Febr. & si vera sunt, quæ subiicit Norisius, liquet errare omnes, qui Ignatium Traiano Romæ præsente martyrium subiisse volunt. Antonius Pagi in Critica Annalium Baronii non solum ad an. CXII. amplexus est magisque confirmauit, quæ Norisius de profectione Traiani in Orientem expeditioneque in Parthos docuerat, sed etiam ad An. CVII. Ignatii martyrium in A. C. CXVI. fixit, Willelmum Loydium Anglum sequutus, quem cum magnis elogiis ornet Norisius in Epochis Syro-Macedonicis, tum nullus dubito, quin eius sententiæ subscripturus sit. Argumenta saltem pleraque in gratiam Lectorum adiiciam. Pagius citat ἀνέκδοτον Ioannis Malelæ Chronicon, quod Oxoniæ seruatur, & ab Vsserio in notis ad Acta Ignatii citatur, Ignatiique martyrium in A. C. 115. confert, his verbis: *Agebat in ea Vrbe Traianus Imperator, quando diuina illa erupit ira. Martyrium vero passus tunc sanctus est Ignatius, ciuitatis Antiochenæ Episcopus: indignatione enim in illum commotus est, quod ipsum conuicio affecisset.* Subiicit Pagius: *Loquitur is Auctor de terræ motu Antiocheno, quem mense Decembri A. C. CXV. accidisse narrat, eo tempore, quo Traianus Antiochiæ hiemabat. Cum vero anno insequenti, verno tempore, Traianus in Parthos mouerit, Actaque S. Ignatii referant, Traiano in Parthos mouente, illum Romam perductum esse, Ignatii martyrium, quod die 20. mensis Decembris, vt mox ostendetur, contigit, ad annum CXVI. potius referendum.* Hæc tamen non sunt Pagii, sed Loydii verba, ex quo is porro Malelam describit: *Ioannes Fellus Episcopus Oxoniensis nuper defunctus, Ioannis Malelæ Chronicon ex Typographia Scheldeniana edendum susceperat; Sed postquam comperit, Auctorem fuisse nullius iudicii, noluit eum edendo, tum prælo, tum opera sua abuti: Liber tamen non est nihili. Habet quædam præclara, præcipue in ea parte Historiæ, quæ ad sua tempora* per-

pertingebat. Vixit autem sub Magno Iustiniano, & videtur anno eius xxv. aut circiter, scribere desiisse. Ita, (inquit Pagius,) *clarissimus Guilielmus Loydius Episcopus Asaphensis, e Secta Protestantium, vir solidissimi criterii.* Commodam hic haberem occasionem, in descriptionem Malelæ excurrendi, cuius Chronicon adhuc ineditum recentiores Angli, qui ad Historiam Ecclesiæ aliquid conferunt, plerique omnes allegare solent: quanquam Thomas Reinesius prælo id indignum censuerit in Epistolis ad Rupertum, quamprimum illius fama in Germaniam peruenit. Sed hisce in aliud tempus reiectis ea persequamur, quæ Loydius de martyrio Ignatii attulit. Primo *supponit, quod omnes Veteres docent, tum præsertim Acta martyrii, Ignatium passum sub Traiano Imp. post Dacicum bellum confectum; ex eo potissimum tempore, quando ipse Traianus Antiochiæ fuit, in expeditione aduersus Parthos, siue Persas: tunc a Traiano Antiochiæ damnatum, & post aliquandiu Romæ passum fuisse.* Deinde annos scrutatur, quibus hæc egerit Traianus, existimatque, *Dacicum bellum a Traiano confectum A. C. CVIII. & A. CXII. eum ad bellum Parthicum Roma profectum, ea æstate Athenis fuisse, & inde in Asiam profectum, A. CXIII. in hosticum progressum, dein in Armenia hibernasse. A CXIV. Armeniæ omnia reliqua in suam potestatem redegisse, eaque Prouincia constituta Edessæ hibernasse. A. C. CXV. Mesopotamiam & Adiubenem suæ ditionis fecisse, & demum Antiochiam rediisse.* Hinc ad terræ motum Ignatiique martyrium propius accedit: *Terræ motum Malela nos docet contigisse d. XXIII. Decembris. Dio pag. 782. ait, ex eo Traianum ægre euasisse, postea multos dies urbis reliqua trepidasse, Traianum interea sub dio in Circo se tenuisse. Quid igitur putemus? Victor in Epitome nos docebit:* Terræ motus grauis, atroxque pestilentia, famesque & incendia facta sunt, quibus omnibus Traianus per exquisita remedia opitulatus est. *Procul dubio ea sedulo procurauit, quibus ira Deum maxime auertenda fuit. In quibus nihil antiquius habuerunt Dæmonia, quam Christianorum excidium, quibus omnes publicas calamitates deberi persuaserant cultoribus suis. Hoc de omnibus eiusmodi casibus ostendit S. Cyprianus in libro ad Demetrianum. Hoc præcipue de terræ motu Doduvellus meus Dissertat. Cyprianica XI. §. XXIV. Eo magis verosimilia existimo, quæ habet Ioannes Malela de S. Ignatii martyrio, quod euenit hoc tempore & hac occasione. Vix fieri potuit, quin ob hanc caussam Episcopus Christianorum, quisquis ille fuisset, Traiano sisteretur. Vnde ab eo interrogatum & fossum oportuit puniri, secundum sua rescripta, C. Plinius lib. 10. epist. 98. Hero autem S. Ignatii successor 20. annis cathedram tenuit, & diu Traiano superstes fuit. Non igitur tunc temporis (ausim dicere) Hero Episcopus fuit, sed ipse S. Ignatius. Hoc rationi est maxime consentaneum, & hoc diserte asserit Ioannes Malela, cui certe idem auctor, qui annum terræ motus recte tradidit, æque recte Ignatii martyrium tra-*

 dere

dere potuit. Neque tamen confestim S. Ignatius martyrium perpessus est, sed postquam Traiano, illi prauam superstitionem obiicienti, ille vicissim idololatriam increpuisset, (quod indicat Malela) tunc ab eo damnatus, & postea perseuerans, ductus est, primum Seleuciam, vna cum Rufo & Zosimo; dein mari aperto Smyrnam nauigauit. Ibi aliquanto detentus (& forsan iussu Traiani) ad eius constantiam frangendam, quod ait diserte Chrysostomus Orat. ad Antiochen. tom. 5. pag. 502. edit. Sauil. Ibi certe die XXIV. Augusti epistolam ad Romanos dedit. Inde Troadem, illinc Neapolim &c. Demum, vt nos Acta docent, Romam delatus, ibi martyrium compleuit, in Sigillaribus, videlicet XIII. Kalend. Ianuarias A. C. CXVI. Pergit deinceps Loydius ad martyrium Simeonis Hierosolymitani; de quo nos haud solliciti epicrisin saltem Pagii addimus. *Hac eruditissimus Loydius, quibus in vtroque martyrio nihil verisimilius afferri potest. Illud certum, Ignatium post A. C. CXII. ac post incboatum a Traiano bellum Parthicum, morte affectum esse, & quidem die XX. Decembris, vt non tantum ad eum die habent Menaa, sed etiam Acta Graca martyrii eius.* Hæc de epocha martyrii Ignatiani. Illud autem prorsus fabulosum est, & credulitatem sequioris æui sapit, quod Vincentius Bellouacensis Speculi Histor. Lib. X. similesque fabularum architecti (minime autem Eusebius, quem homileta quidam imperite satis allegat,) referunt, Ignatii cor dissectum, inque eo nomen IESV aureis literis insculptum fuisse: scil. illius Ignatii, quem θηρίων γενέσθαι βορὰν ex communi hominum sententia refert Eusebius Hist. Eccl. III. 36. quem τάφους τὰς τῶν θηρίων ἐσχηκότα γαστέρας ex aliis scriptoribus addit Euagrius I. 16. accedentibus Græcis in Menæo 20. Decemb. & aliis apud Vsserium Not. 34. Ossa vero Ignatii asperiora a Leonibus relicta primum Romæ condita sunt, hinc Antiochiam, post CPolim translata, qua de re prolixe allegatis testibus agit Vsserius Not. 38. 39. Videat igitur Paullus Aringhus, qua veritate scripserit lib. I. Romæ subterraneæ cap. XXVI. *ossium Ignatii particulam Roma adseruari, qua adeo ad vinum intuentibus panis formam exhibeant, vt quiuquis oculis rem deprehenderit, hareat profecto, ossa ne sint, an candidi potius fragmenta panis?* ea de causa, quod beatus martyr ad agonem perducendus dixerit: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molior, vt panis mundus inueniar.*

VI. Nos cimelia hæc lipsanolatris libenter dimittentes de aliis Ignatii reliquiis, scriptis nimirum, disquiremus. Etenim celeberrimæ sunt Epistolæ Martyris ad varios missæ, quarum quindecim hodie sub eius nomine circumferuntur: tres vltimæ Latino tantum idiomate, cæteræ Græco, quod primus eruit Valentinus Pacæus, & publicauit an. 1557. quam editionem an. 1558. Guil. Morelius Parisiis expressit, sequutis postea aliis Grynæi, Mæstræi, Vairlenii &c. tam

tam versionibus, quam editionibus. De qua epistolarum forma dum varia hominum prodeunt iudicia, studiose collecta a Pearsonio Procem. cap. III. nouam editionem Geneuæ 1623. dat Nicolaus Vedelius, septemque saltem epistolas priores ex coniectura a se correctas & ab interpolationibus liberatas pro germanis agnoscit, cæteris omnibus repudiatis. Atenim quum nec istud Vedelii studium placeret omnibus, Iacobus Vsserius Græcum Ignatianarum textum iuxta antiquam versionem Latinam à se in Anglia repertam emendauit, vulgatumque miris modis interpolatum esse demonstrauit Oxoniæ 1644. Paullo post Isaacus Vossius reperto in Bibliotheca Medicea codice Græco, Latinæ versioni ab Vsserio publicatæ non absimili, editionem eius maturauit Amstelodami 1646. quem iam triennio ante Parisiis alibique viris doctis monstrauit, a Blondello quidem reiectas, a Grotio autem probatas, vt ex eius Epistolis videre est, in magna Amstelodamensi editione num. 1605. & 1721. tum in Appendice ad Fratrem num. 663. 671. Quo successu lætior factus Vsserius, anno 1647. Londini emisit Appendicem Ignatianam, qua primo loco continentur *Ignatii Epistolæ genuinæ, a posterioris interpolatoris adsumentis libera, ex Græco Mediceo exemplari expressa, & noua versione Latina explicatæ.*

VII. Quamprimum hæ Vsserii Vossiique editiones lucem adspexerunt, in duo quasi agmina diuisi sunt Critici, Reformatæ religioni addicti. Pars cum editoribus faciebat, & prout inter hos de numero Epistolarum germanarum non conueniebat, ita alii post Riuetum in postrema Critici Sacri recognitione L. II. Cap. II. & Iohan. Seldenum Vxor. Ebr. L. II. c. XXIIX. sequebantur Vsserium, sex saltem epistolas admittentem, illamque ad Polycarpum respuentem alii adstipulabantur Vossio, in Notis hanc epistolam ab Vsserii grauaminibus liberare conanti, septemque epistolas Ignatio adscribenti. Verum altera Criticorum pars illas quoque septem spurias & post Ignatii ætatem confictas iudicabat: in quibus primum facile locum tenet Claudius Salmasius, qui postquam in Dissertatione de Episcopis & Presbyteris aduersus Petauium sub personato Walonis Messalini nomine edita istam sententiam amplexus esset, quæ omnes Ignatii epistolas hodie exstantes repudiat, post visas Vsserii Vossiique editiones ab eo non destitit, sed in Apparatu Operis de primatu Papæ p. 56. sq. istas quoque impugnauit, nec postea mutauit sententiam, vtut argumenta eius examinarit Vsserius Præfat. Append. Ignat. Alter in hoc agmine promachus fuit Dauid Blondellus, qui licet primum Epistolas ex Codice Mediceo a Vossio sibi communicatas manu propria descripserit, ac pro germanis agnoscere non dubitarit: videns tamen causæ Presbyterianorum, quibus addictus erat, eas aduersari, in celebri Apologia pro sententia Hieronymi de Episcopis & presbyteris, pro imus omnes abiecit, ac septem illas Vossianas post Clementis Alexandrini obitum prodiisse, magno moli-

mine contendit: cuius rationibus satisfacere allaborarunt partim Grotius epistola 1605. ad Gerardum Ioannem Vossium, quæ data est Lutetiæ 22. Augusti 1643. eaque sibi *gratam esse* significat Vossius in responsione VII. Id. Septembris adornata, quæ in Epistolis eius a Colomesio nuper editis locum CCCLXIV. occupat: partim ipse editor, Isaacus Vossius, binis ad Riuetum epistolis, a Pearsonio editis, & Vsserius in citata præfatione: sed Blondello nihilominus in sententia persistenti Henricus Hammondus se opposuit, ac in Dissertationibus in Episcopatus fauorem conscriptis Dissert. II. a cap. I. ad XXV. omnes illius argutias dissoluere conatus est: qua de re latius disserit Pearsonius Proœm. cap. V. præterea notans, Ioannem Ovvenum Anglum multa in Hammondiana Ignatii defensione culpasse, quæ peculiari scripto Hammondus defenderit. Nec detinere potuerunt Hammondi labores Presbyterianorum doctissimos, inprimis Edmundum Albertinum, & Ioannem Dallæum, quin Salmasii Blondellique iudiciis subscriberent: ille quidem Lib. II. de Eucharistia; hic autem lib. I. de Vsu Patrum cap. II. & lib. IV. de ieiunio & quadragesima cap. V. multoque prolixius lib. II. de scriptis Dionysii Areop. & Ignatii Antioch. a cap. IV. ad XXXIX. vsque, vbi LXVI. argumentis suam opinionem defendere conatus Hammondi vindicias examinauit ac demum præcipiti seculo tertio aut initio quarti septem istas Epistolas confictas putauit; nec solum in Præfatione Operis de Cultus Religiosi Obiecto & in Opere de Cultibus Latinorum Religiosis plus semel eandem censuram repetiit, sed multos etiam eruditos, vt sibi accederent, permouit: imo hanc esse communem Caluinistarum in Gallia opinionem ait Auctor Remarq. sur vne Lettre de M. Spon pag. 149. Ex aduerso apud Anglos Episcopales tantam sibi Dallæus inuidiam conciuit, vt Ioannes Fellus, Oxoniensis Episcopus, Notis in Epist. Clementis ad Corinth. ad p. 92. citans Ignatium scribat: *In quem sensum* θεοφόρος *Ignatius, nequicquam reclamante plagoso S. Patrum Orbilio, Dallæo, ait, ad Smyrnenses &c.* Nec in eiusmodi stricturis acquieuerunt Hierarchici, sed insuper Ioannem Pearsonium permouere, vt Vindicias Epistolarum Ignatii aduersus Dallæum adornaret Cantabrigiæ 1672. quod ægre ferentes Reformati Galli, Anonymum, sed eruditum virum subornarunt, qui Dallæi ac Salmasii caussam ageret: cuius scriptum sub titulo obseruationum in Ignatianas Pearsonii Vindicias & Annotationes Beueregii in Canones Sanctorum Apostolorum prodiit Rothomagi an. 1674. Auctorem vero esse Matthæum Roquanum, siue Larroquanum, aliis etiam scriptis celebrem virum, facile credimus attestanti Collegæ eius, Iacobo Basnage, initio epistolæ ad Arnoldum de Syntagmate Athanasiano. Scio, Larroquanum a Colomesio in Obseruationibus Sacris pag. 123. & Georgio Bullo in Defensione fidei Nicænæ Sect. I. c. II. n. 7. acriter pungi, quasi nihil aduersus Pearsoniū præstiterit: sed Daniel Larroquanus præfatione in parentis sui Aduersaria Sacra, eum aduersus Bullum

lum defendit; & quanquam Guilielmus Beueregius in Codice Canonum Ecclesiæ primitiuæ aduersus eundem anonymum obseruatorem (Larroquanum puta) vindicato & illustrato Londini 1678. lib.1. cap.1. num.4. scribit, se doctissimi Pearsonii sententiæ accedere, *& hanc controuersiam illi, tanquam fortissimo Ignatii patrono, dimittere:* tamen an quidquam reposuerit Pearsonius, rescire hactenus non potui; ex eadem vero præfatione discimus, Larroquanum peculiare Opus aduersus Beueregium adornare cœpisse, sed non absoluisse. Cæterum ex lectione recentiorum Reformatorum intellexi, non alios Pearsonio accedere, quam Hierarchicos, vti sunt Guilielmus Caue in Chartophylace & Historia litteraria Scriptorum Ecclesiasticorum; Henricus Dodvvellus & cæteri Angli plerique omnes: eorum autem aduersarios a sententia Blondelli & sequacium haud abhorrere; vt Frid. Spanhem. in Canonibus Isagogicis aliquoties, & in Introd. ad Hist. Eccl. pag.321. 344. &c. nec non in Quaternione Differt. Histor. Diss. 1. Sect. III. num.14. Christoph. Wittichium in caussa Spiritus Sancti contra Sandium p. 97. Ioán.Henr. Ottium in Examine Annalium Baronianorum An.CIX. num. 3. Iacobum Basnage in epistola de Hæresi Apollinaris pag. 76. quæ cum allegata ad Arnoldum aliisque edita est. Aliorum nomina etiamsi proferre supersedeam, non possum tamen omittere peculiare Iacobi Gronouii de epistola ad Philippenses iudicium, quam vt suppositititiam cæteri plerique omnes explodunt. Ita enim Gronouius in Exercitatione de Iuda proditore cap. IX. pag. 97. *Certe vt concedamus iam non esse Ignatii, vtique tamen est admodum vetusta: neque vllus propterea eam Spurio patre natam dixit ex hoc signo, quod in ea plane scriptum exstet de laqueo Iudæ. Quin etiam si qua eodici Mediceo fides, non meretur minorem auctoritatem, quam reliquæ, quum & illum versauerimus, & hanc iucundissime illic perlegerimus.* In hunc quidem modum de Florentino epistolarum Ignatii Codice pronuntiat Gronouius, sed aliter longe Vossius editor: qui præfatione ad epistolas Ignatii interpolatas, pag. 116. tantum abest, vt epistolam ad Philippenses in Codice Mediceo se reperisse testetur, vt potius dubitet, an in eo vnquam exstiterit. Ait enim: *vna ad Philippenses excepta, quam neque vetus versio agnouit, neque fortassis etiam codex Florentinus.* Vtri enim magis credamus, Vossio, qui MStum diligentissime excussit, indeque Ignatianas nobis dedit, an Gronouio, qui tantam procul dubio curam in eo euoluendo non adhibuit? Notent hoc eruditi, quorum interest, sartam tectamque Theologorum nostratium auctoritatem seruari, in quos Gronouius calamum strinxit. Sane eiusdem criminis reus euadit, cuius Nicolaum Heinsium insimulat, & cum eum malæ fidei in consulendis Claudiani MSStis postulat, tum ipse in allegando Ignatii libro Florentino pariter accusandus venit. Cæterum editio Vossiana Londini an.1680. recusa est, priori plane similis, vtut multa habuerit auctor, quæ elegantiorem reddere potuissent.

IIX. Pro-

IIX. Progredimur ad sedis Romanæ adseclas, quid eorum de Ignatianis iudicium sit, inquisituri. Ac olim quidem tres vltimas Latine tantum exstantes receperunt, tertiamque inprimis ad Mariam Deiparam vt Germanam defensarunt Petrus Canisius, Adrianus Lyræus, Sixtus Senensis, Franciscus Bisarius, aliique Mariolatræ; quibus tamen contradicentes prudentiores, Mæstræus, Vairlenius, Baronius, Bellarminus, Raynaudus, quisquilias hasce reiiciunt. Verum pro γνησιότητι Græcarum XII. communi consensu decertant Baronius An. XLIV. num. 77. Margarinus de la Bigne in Biblioth. PP. Bellarminus de Script. Eccles. Posseuinus in Apparatu, aliique. Post cognitas autem Vsserii Vossiique editiones aliter sentire cœperunt. Lucas Holstenius Epistola X. ad Lambecium, postrid. Kal. Iun. 1646. data, & ab ipso Lambecio Lib. VI. Commentariorum de Bibliotheca Vindobonensi p. 258. magnum desiderium suum exposuit his verbis: *De Ignatio Vossii nihil resciueram, neque Leo Allatius communis noster Amicus. Mirum quam editionem istam videre desidero; nam veterem versionem adiunctam puto, quam penes Armacanum Episcopum esse ipse Vossius adfirmabat.* Sed quid Holstenius de ista Vossii editione, posteaquam vidit, senserit, nec in istis epistolis, nec alibi legere memini. Ioannes Morinus in opere de sacris Ecclesiæ Ordinationibus p. 3. singularem plane, sibique soli, quod sciam, propriam censuram de istis tulit, a Pearsonio Procem. Cap. V. perstrictam, quasi *antiqua Ignatianarum epistolarum editio genuinum textum nobis exhibeat, noua vero mancum & interpolatum.* Nec minus peculiaris est Cardinalis Perronii opinio, qui in Posthumis pag. 163. omnes in genere Ignatii epistolas suppositas & per Monachos S. Catharinæ Montis Sinai scriptas arbitratur. Dubius quoque hæret Leo Allatius in Dissertatione de Dominicis & Hebdomadibus Græcorum num. III. quæ licet biennio post editionem Ignatianarum Vossianam cum Opere de perpetuo Consensu Coloniæ prodierit, scriptam tamen esse antequam illæ a Vossio ederentur, vel saltem in Allatii notitiam venirent, ipsa verba produnt, quæ in gratiam Lectorum describere non pigebit: *Sed, vt ingenue fatear, auctor epistolarum, quæ sub Ignatii nomine sæpius editæ vulgo prostant, semper alias dubius, nunc demum suspicionem adauget. Est enim pro ea ætate prolixior, & rebus enodandis exactior verbosiorque; quamuis simplex, pius, &, vt illa ferebant tempora, æque ac alii Apostoli Christum spiret. Vidi apud Isaacum Vossium iuuenem eruditum, & rerum antiquarum studiosissimum, cum Romæ commoraretur, Ignatii epistolas ex antiquissimo Bibliothecæ Florentinæ Codice descriptas, quas etiam mihi humanissime communicauit, verbis ab editis longe diuersas, sententiis vt plurimum similes, breuiores tamen, succinctiores, efficaciores; vt plane Ignatii æuum referant; adeo vt eas genuinas esse Ignatii diceres; quæ præ omnium manibus sunt, earum paraphrasin; quales in aliis etiam scriptoribus, a doctissimis viris com-*

composita, leguntur. Simplicitas tamen stili & sententiarum, & pura, vt ita dicam, ἀφέλεια, antiquissimum esse hunc Paraphrasten, probe ostendunt. Operæ pretium est, de Allatii mente consulere Roquani obseruationes antea citatas pag. 110. 111. Miraberis etiam, si obseruata Vsserii in Prolegomenis de hæretico Ignatianarum interpolatore cum Allatii laudibus in eundem paraphrasten effusis conferas. Nec prætericrim sententiam clarissimi cuiusdam viri, cuius meminit Isaacus Vossius non longe ab initio secundæ ad Riuetum epistolæ: *Negat deinde* (Blondellus) *aliquid elegantius in Ignatio adscriptis Epistolis* (*ut ipse loquitur*) *quam in aliis veterum Christianorum scriptis exstare; sed auctorem earum minus esse elegantem, vtpote qui affectato vsus fuerit sermone, quod & ineptis conuenire potest. Postremum illud verissimum est: Verum alterum illud Ignatium affectato & inepto vsum fuisse sermone, non itidem concesserim. Longe aliter sentiebat præstantissimus ille sæculi huius Mathematicus, cui aliquando Ignatii mei copiam feceram, dum Lutetiæ morarer. Vix enim ille adduci poterat, vt crederet Epistolas eius esse genuinas, quod nimium ipsi cultæ & elegantes viderentur.* Hunc celebris vir a me consultus non alium esse censebat, quam Ismaelem Bullialdum, quem præclara matheseos Græceque linguæ cognitio inter præcipua æui nostri lumina collocauit. Verum alii Pontificiorum propius ad Vsserii Vossiique sententiam accesserunt. Nam Dionysius Petauius, vtut To. III. Dogmatum Theol. quem annus huius sæculi 44. protulit, Lib. 1. de Hierarch. Eccl. cap. II. num. 14. Walonem Messalinum impugnans adseruerit, *Epistolas Ignatii interpolatas esse, nec omnino sinceras ad nos peruenisse:* tamen in libris de Incarnatione, tomo quarto, multis in locis, ac in Appendice ad istos de Hierarchia libros, quæ eiusdem Tomi anno 1650. editi P. II. reperitur, lib. II. c. IIX. Vossianas epistolas plane pro genuinis agnouit, & Salmasii in Apparatu, Blondellique argumenta refellere studuit: quod etiam aduersus Salmasium molitus est Ioh. Dartis lib. 1. de Ordin. & dignit. Eccles. c. XIIX. quorum vestigia premit Phil. Labbeus Tom. 1. Dissert. de script. Eccl. pag. 502. 503. 803. Dallæi autem vindiciæ, quamprimum Lutetiam Parisiorum peruenerunt, censuram eruditorum Gallorum subire coactæ sunt, propositam To. III. Ephemer. XXXIX. An. 1666. p. 447. 448. In eadem urbe an. 1672. prodierunt SS. Patrum, qui temporibus Apostolicis floruerunt, Opera, accurante Ioh. Bapt. Cotelerio, Doctore Sorbonico, cuius *sententiam cum sua plane conspirare* gaudet Pearsonius in fine præfat. Vindic. Idem censet Natalis Alexander, Cotelerii socius, quando Histor. Eccles. Sæc. 1. Synops. cap. XI. Art. 14. & deinde peculiari Dissertatione septem Epistolas, prout ab Vsserio Vossioque editæ habentur, vt germanas aduersus Dallæum propugnat. Porro Abbas S. Stephani & Doctor Theologus Parisiensis in Disquisitione Theologica de Charitate cap. V. pag. 31. Ignatii

Litterarum Autographum publici iuris fecisse dicit Isacium Vossium, Caluinianæ superstitionis scriptorem eximium &c. Nuperrime Antonius Pagi in Critica Annalium Baronii non solum aliquoties dicam scripsit Baronio, interpolatas Ignatii epistolas alleganti, & editiones post mortem eius factas prætulit, vt in Apparatu num. 142. & An. Christi XXIX. num. 6. sed apertissime Pearsonio accessit ad An. Chr. CVII. num. VII. Eidem pollicem presſit Lud. Ellies du Pin in sua Nouuelle Bibliotheque des Auteurs Ecclesiastiques pag. 42. sqq. & 19. argumenta, quæ aduersus septem illas epistolas proferri solent, ordine soluere conatus est. Verum Pearsonio non æque adstipulatur Schelstratius, sed P. II. Antiquitatis illustratæ Differt. III. Cap. IV. *aliquas adhuc interpolatas & mutilas* ostendere nititur. Peculiari etiam, sed mea opinione haud satis fundato iudicio vtitur Ciampinus in Coniecturis de Azymo Cap. VII. dum allegatis quibusdam Ignatii ex veteri editione verbis subiicit: *Hac profectò est Ignatii sententia, iuxta veterem ipsius Epistolæ editionem ab antiquis de Catholica Religione bene sentientibus pro legitima quidem habita, sed a Ioanne Dalleo, aliisque de rebus fidei male scribentibus pro interpolata, eiusque loco altera ex celebri Medicæo librorum Cimelio deprompta est, subrogataque, ac in Maxima Bibliotheca Patrum noua Lugdunensis impressionis pro genuina etiam inserta, qua an hunc titulum mereatur, meum hic indicare non est.*

IX. Posthæc dispiciendum est, quæ Nostratium Doctorum fuerit sententia, notato prius discrimine inter eos, qui ante & post Vsserii Vossiique editiones scripserunt. Ad priorem classem spectant Centuriatores Magd. Epistolas Ignatii omnes pro suspectis dubiisque habentes: quos more suo sequutus est Lucas Osiander Centur. I. p. 131. B. Chemnitius in Orat. de lect. PP. iudicauit, *multa admixta esse, quæ non sunt Ignatii.* Ioh. Pappus Epit. Histor. Eccles. pag. 102. *Epistolam ad Smyrnenses vel supposititiam vel certe corruptam esse* censet. Simile iudicium post B. Gerhardum Patrol. p. 58. 59. est B. Dorschei Mystar. Missæ c. VII. pag. 249. *Ignatianas epistolas adulteratas antiquitus fuisse & supposititi a multa continere.* In posteriori ordine primum locum obtinent Theologorum nostræ ætatis Principes, B. Hulsemannus Patrolog. pag. 975. 976. & D. Abr. Calouius, Patronus & Doctor maximus, in Methodo studii Theol. p. 300. & in Consid. Arminianismi p. 126. quos sequuntur Theologi ac Philologi plurimi, quorũ illustria nomina breue chartæ spatiũ non capit. Censura eorum in hoc consistit, vt non omnem quidẽ prioribus septem Ignatianis γνησιότητα derogent, ab omni tamen interpolatione aut mutilatione haud esse immunes dicant. Nec aliter poterit iudicare, quicunque accuratius ponderauerit tot causas grauissimas, quæ summos viros ad hanc sententiam ferendam impulerunt: quas vtut magno studio tollere conatus sit Pearsonius, non omnibus tamen ex æquo ipsum sa-

ſatisfeciſſe eruditi animaduerterunt. Præterea ratio emendandi Græcum textum iuxta Latinam Verſionem, quam iniuit Vſſerius, non adeo tuta, tantoue negotio congrua videtur, cum verſio illa recentior ſit, quippe circa confinia ſexti ſeptimiue ſæculi, coniectante ipſo Vſſerio, confecta: nec tanta fide & cura Græcum exprimat textum, quanta in his monumentis requiritur, vt idem & Pearſonius paſſim obſeruant: denique quod maximum eſt, editionem Ignatianarum non genuinam, ſed interpolatam ſpuriiſque Epiſtolis auctam ſequatur. Quare etiam Vſſerius Prolegom. c. IV. *ex ea verſione ſola integritati ſuæ reſtitui poſſe Ignatium polliceri non audet, niſi alterius exemplaris ſubſidium acceſſerit; vel Græci, cuius ex Bibliotheca Florentina obtinendi ſpes ſibi nuper iniecta ſit non exigua: vel ſaltem Syriaci, quod Romæ reperiri adhuc poſſe non deſperet.* Enimuero, quum quadraginta ferme annis ab Vſſerii editione elapſis nemo, quod ſciam, Romæ adſeruatum Codicem Syriacum memorauerit, nec probari queat inſtitutum, quo ex verſione Syra textus Græcus emendandus foret: videndum eſt, quæ Codicis Medicei, quem tantopere præſtolatur Vſſerius, & in ſua editione expreſſit Voſſius, auctoritas pondusque ſit, & num *veras & genuinas & teſtimoniis antiquorum vbique congruentes exhibeat* epiſtolas, quemadmodum videtur illuſtri Voſſio. At vero, ſi accuratius inſpiciatur, ab omnibus plane interpolationibus ac mutilationibus liber immuniſque haud eſſe deprehendetur. Neque enim vbique ipſi conuenit cum veterum Patrum, Theodoreti inprimis, allegatis, fatente in Notis plus ſemel Voſſio, quod ſane maximum adfert præiudicium. Si enim in illis, quæ a Veteribus citantur, fides MSti vacillat, quis adſeuerabit, maiorem in reliquis ipſi tribuendam eſſe auctoritatem? Neque tamen diſſimulo, magis cum veterum allegatis conuenire Codicem Florentinum, quam Auguſtanum a Paceo editum. Hinc dum in Diſſertatione de diſciplina arcani aduerſus Schelſtratium diſputans negaui, * locum ex Ignatii Epiſtola ad Smyrnæos a Theodoreto in tertio Dialogo recitatum inueniri in modernis Codicibus ſequutus ſum tum Doctorum noſtrorum, tum ipſius aduerſarii adſerta, antiquioribus procul dubio editionibus innixa; ſed in Voſſiana eum poſtea deprehendi: quod Petauius etiam monuit Lib. XII. de Incarnatione cap. XIII. num. 3. neutiquam tamen diſſimulans, pro voce προσευχὰς Theodoretum *in ſuo exemplari habuiſſe* προσφορὰς, indeque concludens: *Quare Euchariſtia*

H 2 eſt

*Hæc Diſſertatio in altera huius libri parte primum locum obtinet: ſed cum in ea mutare conſultius viſum fuerit, quæ de Ignatii loco iſto habentur, tum hic addam, quæ in prima editione dixeram, num. v. *Omitto alium Ignatii locum, qui velut ex Ignatii epiſtola ad Smyrnæos recitatur a Theodoreto in tertio Dialogo, qui* Ἀπαθὴς *inſcribitur: ac licet in hodiernis Codicibus non reperiatur, genuinum tamen cum pleriſque cenſet ipſe Schelſtratius &c.*

eſt προσφορὰ, id eſt oblatio, & ſacrificium Corporis Chriſti, quod in cruce pependit, ex antiquisſimi Græcorum Patrum Ignatii ſincero liquidoque teſtimonio. Vnde duo concludimus apprime notanda. Alterum eſt, Theodoretum ex codice ſuo verba Ignatii deſcripſiſſe, eiusque lectionem Codici Mediceo præferendam eſſe. Alterum, hunc ab antiquis diſtare. Vtrumque confirmari poteſt ex duobus locis, quæ idem Theodoretus ex epiſtola Ignatii ad Epheſios citauit. Priorem etiam Athanaſius & Gelaſius allegarunt, diſcrepantque omnes a libro Florentino, vt patet ex paralleliſmo apud Vſſerium cap. III. Prolegomenorum pag. 17. qui differentiam quidem illam non diſſimulat, ſed parui admodum momenti cenſet. At cum Athanaſius & reliqui duo *ex Codicibus, qui ad manum erant, deſcripſerint* verba Ignatii, fatente Vſſerio, iudicent prudentiores, quanta inter Ignatianos Codices iamtum quarto quintoque ſæculo fuerit varietas. Stephanus le Moyne tom. II. Var. Sacr. p. 160. contendit, Theodoreti ætate epiſtolas Ignatii puras & ſinceras exſtitiſſe; mox tamen, producto Athanaſio, & hunc & Theodoretum non ex codice Ignatii locum deſcripſiſſe, ſed ex memoria ſtatuit; quod nodum ſecare eſt, non ſoluere. Præcipua codicum differentia in eo conſiſtit, quod in Mediceo, & apud Athanaſium legitur γεννητὸς καὶ ἀγέννητος, apud Theodoretum vero γεννητὸς ἐξ ἀγεννήτου. Hanc animaduertens Petauius lib. III. de Incarnatione cap. VI. num. 8. *ſuſpicatur, ab aliquo commutatum olim iſtum eſſe locum; qui cum animaduerteret,* ἀγεννήτου *vocabulum proprie attribui Patri, & in eo perſonalem Eius proprietatem ab antiquis collocari, veritus ſit, ne Sabelliani & Patripaſſiani, vnam Patris & filii perſonam inde colligerent: ideoque reſcripſerit filium eſſe* γεννητὸν ex ἀγεννήτῳ *Patre.* Mirum vero eſt, quod adſerit Petauius, in codice Florentino, cuius apographum a Voſſio acceperit, ita legi, vt apud Theodoretum, quum ipſe tamen Voſſius ediderit, vt apud Athanaſium habetur. Nec minus notabilis eſt differentia, quæ inter Theodoretum & librum Mediceum occurrit in poſteriori loco epiſtolæ ad Epheſios. Theodoretus quippe citat: *ἵνα τὸ θνητὸς ἡμῶν καθαρισθῇ*, obſeruante Vſſerio Prolegom. cap. IV. pag. 19. eandemque lectionem in Catena Græca in Lucam habet Macarius Chryſocephalus, quarti decimi ſæculi ſcriptor, quem idem citat Vſſerius cap. XIIX. pag. 135. & *antiqua huius epiſtolæ editione vſum* aperte fatetur. Qui ergo factum eſt, vt Codex Mediceus & interpres Vſſerianus aliter legant: *ἵνα τῷ πάθει τὸ ὕδωρ καθαρίσῃ, vt paſſione aquam purificaret?* Cum autem genuinos procul dubio Codices conſuluerint Theodoretus & Macarius, tum Mediceum interpolatum eſſe manifeſte conſequitur.

X. Sunt etiam verba quædam ab antiquis Ignatio tributa, quæ in editione Voſſiana fruſtra quæras. Cuiusmodi ſunt, quæ Hieronymus lib. III. aduerſus

uerſus Pelagianos *Ignatium audacter ſcribere* refert. Pearſonius quidem P. I. cap. III. exiſtimat, Hieronymum memoria lapſum pro Barnaba Ignatium poſuiſſe, idemque ante eum cenſuit Hugo Menardus in Notis ad epiſtolam Barnabæ. Sed quidni eadem ſcripſerit Ignatius, quæ vel ex eo hauſerit poſtea ſuppoſititius Barnabas, vel ex ſua etiam ſententia pariter edixerit? Præterea clarius exemplum defectus in Codice Mediceo oſtendit Io. Baptiſta Cotelerius tomo I. Monumentorum Eccleſiæ, cui inter alia inſeruit Ioannis Antiocheni Orationem in donationes Monaſteriorum Laicis factas, vbi num. XII. hæc ex Ignatio proferuntur: τῷ δὲ ἐκκλησίαν Θεοῦ σκανδαλίσαντι οὐδὲ μαρτυρίου αἷμα, κατὰ τὸν θεοφόρον Ἰγνάτιον, ἀρκεῖ εἰς συγχώρησιν. *Ei autem, qui Eccleſiam Dei offenderit, neque martyrii ſanguis iuxta Theophorum Ignatium, ad veniam ſufficit.* Vixit Ioannes ille Antiochenus circa medium ſæculi XII. quippe a Leone Iſauro & Conſtantino Copronymo, ipſoque adeo bello Iconomachico, ad ſua vsque tempora quadringentos numerat annos. De loco vero Ignatii ab eo producto Cotelerii in Notis hæc eſt ἐπίκρισις: *Nihil tale legitur in Epiſtolis S. Ignatii. Sed a Chryſoſtomo Homil. II. in Epiſtolam ad Epheſios, vbi contra Schiſma diſſerit, ſimilia proferuntur, tanquam viri cuiusdam Sancti, cuius nomen non apponitur.* Ἀνὴρ δέ τις ἅγιος, *inquit beatus doctor*, εἶπέ τι δοκοῦν εἶναι τολμηρὸν, πλὴν ἀλλ' ὅμως ἐφθέγξατο. τί δὲ τοῦτό ἐστιν; Οὐδὲ μαρτυρίου αἷμα ταύτην δύναται ἐξαλεῖφειν τὴν ἁμαρτίαν. *Dixit autem vir quidam ſanctus quiddam, quod magnam præ ſe fert audaciam; ſed tamen eſt elocutus. Quid hoc eſt autem? Dixit, ne ſanguinem quidem martyrii poſſe delere hoc peccatum.* Atenim quis dubitauerit, Ignatium a Chryſoſtomo intelligi? Quis neſcit veterum Eccleſiæ Doctorum morem, nomina Scriptorum, ſi quos allegant, nonnunquam ſubticentium? quemadmodum Irenæus & Origenes Ignatii apophthegmata proferentes nomen eius non addunt. Cauſſam ſi quæras, cur hoc loco Chryſoſtomus idem fecerit, cogita, num conueniens fuerit, audaciæ coram vniuerſo populo illum virum inſimulare, quem alibi peculiari ſermone ſummis adfecerat laudibus.

XI. Notandum porro Codicem Florentinum in cæteris a corruptionibus liberum haud eſſe, adeo vt Voſſius in Notis nunc *verba quædam librarii culpa* in epiſtola ad Smyrnæos *excidiſſe* putarit: nunc *locum ex omnibus Ignatianis corruptiſſimum* in ea ad Trallianos deprehenderit: nunc conqueſtus ſit, *tam inueterata in his Epiſtolis eſſe vulnera, vt tempus quo illa inflicta ſint, propius Ignatii quam noſtrum accedat ſæculum.* Similiter Vſſerius in præfat. Appendicis Ignat. *conqueritur, non reperiſſe ſe Mediceum codicem, qualem nobis Turrianus commendauerat, emendatiſſimum.* Idem fatentur Hammondus Diſſert. II. cap. II. & Pearſonius Prolegom. cap. VI. Quapropter Hammondus

 etiam

etiam coactus fuit ad alias Orbis Bibliothecas prouocare, in quibus tamen puriorem Codicem aduersari hactenus nemo retulit. Ex quibus omnibus consequitur, genuinas Ignatii Epistolas hodie non superesse, sed variis modis alibi interpolatas, alibi decurtatas in Vsserii Vossiique editionibus existere. Et cum Interpreti Latino Anglicano exemplar Græcum Florentinum apprime conuenire Vossius, Vsserius, Hammondus ac Pearsonius vltro fateantur: interpres autem interpolatum & spuriis Epistolis auctum Ignatianarum Codicem expresserit, quis aliter de hodie exstantibus epistolis iudicare potest? Quare non desunt, qui lectionem interpolati Græci Codicis nonnunquam præferant Mediceo, vt nuper fecit Richardus Simonius aduersus ipsum Vossium disputans, de quo ex personati Hieronymi le Camus Theologi Parisiensis iudicio pag. 24. nonnulla attulisse sufficiet: *Iam ad Ignatii locum, qui sumptus fuit ex illius Epistola ad Philadelphienses venio, ex quo posse ostendi tempus, quo primum Ebraici Codices corrumpi cœperint, Vossius existimat. Sed quam fœde etiam in hoc erratum fuerit, demonstrauerat Simonius ipsius Ignatii mentem verbis illius claris & apertis explicans. Nunc Vossius Ignatii sensum conatur obscurare. Miratur Simonii stupiditatē, qui cum se criticum profiteatur, spurii Ignatii verba adduxerit; afferta Vossio ipsa Ignatii verba, vt concipiuntur in Codice Florentino, nec quidquam in illis mutandum esse affirmat. Sed quam feliciter hoc negotium illi succedat, iuuat expendere. Simonius Ignatii verba non quidem omnino vt extant in Florentino Codice, qui manifeste hoc loco corruptus est & obscurus, protulit; sed ex interpolato Codice, qui isto loco interpolatus non est, imo simplicior est Florentino, & vetustam lectionem magis referens. Interpolatum enim Epistolarum Ignatii Codicem in omnibus interpolatum esse nemo dixerit, ne quidem ipse Vossius. Existimauit igitur Simonius, hic Florentinum Codicem, qui multum præ se fert obscuritatis, corrigendum esse ex alio Codice qui simplicior est, cuiusque verba clara sunt; cum ipse Vossius hoc ipso loco legendum putet ἀρχαίοις, vt habet Codex interpolatus, non vero ἀρχείοις, vt extat in Codice Florentino. Melior est, inquit Vossius, lectio Pseudo-Ignatii, quam & sequentia videntur approbare. Licuit igitur Simonio sequi Pseudo-Ignatii lectionem, vbi constat illum interpolatum non esse, melioremque sensum, quam Codex Florentinus efficit.* Est & alius in eadem ad Philadelphienses epistola Ignatii locus de Coniugio Paulli, quem adhuc hodie vt genuinum laudare solent, vt Ioan. Adamus Osiander Disput. de Coniugio Paulli Cap. III. num. 12. & 13. Casp. Lœscherus de Latrociniis in scriptores publicos num. 65. Eberhard. Rudolph. Rothius de Nicolaitis cap. II. num. 6. Hi aliique similes non codicem Florentinum, sed antea vulgatos sequi debent, cuius generis procul dubio est Noribergensis MStus, in quo Paulli etiam nomen exstare audio. Nam in Florentino totius huius de Apostolorum coniugio

iugio periodi nullum occurrit vestigium; vnde Pearsonius P. II. Vindiciarum cap. X. Dallæi hanc in rem disputata tribus verbis perstringit: *Capite xx. de solo Paulli coniugio agit & Interpolatorem tantum ferit.* Quare etiam Fridericus Spanhemius in Quaternione Dissertationum pag. 71. testimonium illud pro Ignatiano haud agnoscit. His præiuerat Franciscus Turrianus Libro I. pro Canonibus Apostolorum Cap. II. *Ignatius,* inquiens, *in vetere interpretatione Latina manuscripta epistola ad Philadelph. quæ in Vaticano est, non habet, quod in Græca epistola nuper in publicum emissa* (Pacæi editionem intelligit) *legitur de Paullo inter eos, qui vxorem habuerunt.* Huc sine dubio respexit Colomesius initio Paralipomenorum ad Cauii Chartophylacem pag. 2. *Antiquam Ignatii epistolarum versionem Latinam ex Bibliotheca Vaticana laudat Fr. Turrianus, (ob infinitam eius lectionem sæpius a nobis aduocandus) in Defensione Canonum Apostolicorum, circa initium. De hac versione ne γρῦ quidem Ignatii Epistolarum editores.* Meretur sane hæc Latina versio, vt diligentius inquiratur & cum impressis conferatur: quod fortasse Illustris Ciampinus in Collatione Historiæ Ecclesiasticæ a se instituta proponet, orbique litterario aperiet. Mihi enim videtur eadem esse cum Vsseriana, quippe quæ etiam caret verbis controuersis de Paulli Coniugio.

XII. Vt igitur libere sententiam meam edisseram, sic animum composui, vt nihil pro Ignatiano habeam, nisi quod a Patribus priorum quatuor post martyrium Ignatii sæculorum sanctissimo viro tribuitur: a qua opinione non adeo absunt Centuriatores Magdeburgenses. Qui autem sequentibus vixerunt ætatibus, vt Antiochus Monachus, Ioannes Damascenus &c. non habuerunt amplius germanas purasque Ignatii Epistolas, sed varie interpolatas & nouis ac spuriis auctas, prout ostendit Vsserius: eatenus tamen tanquam verorum Ignatii verborum testes admitti possunt, quatenus cum antiquioribus illis aliquo modo consentiunt. Atque huc collimaturos spero omnes, qui epistolas Ignatii interpolatas esse hodie agnoscunt. Quo enim alioquin fundamento pro Ignatianis venditabuntur, quæ pro talibus, stante hoc iudicio, haberi neutiquam possunt? Quo artificio secernentur τὰ κίβδηλα καὶ τὰ δόκιμα? quibus characteribus internoscere dabitur ea, quæ Ignatius scripsit, a transmutatis & adiectis? Noui non deesse inter eruditos, qui hoc negotium facile confici dicant. Sed dicunt saltem, non probant; nec suo ostendunt exemplo, rei procul dubio difficultate deterriti. Optimus diiudicandi modus consistit in diligenti Manuscriptorum Codicum antiquorum bonæque notæ collatione, quorum ope interpolata & corrupta facile agnosci & ab Auctoris verbis distingui possunt. At in Ignatianis hoc artificium locum non habet. Per

vni-

vniuersam quippe Europam, quantum constat, non reperitur Codex melior Florentino siue Mediceo. Cuius defectus cum supra monstrati sint, tum, nisi ex Asia aut aliunde nouus ac genuinus emergat, de restituendis in integrum Ignatii epistolis plane desperandum erit.

XIII. Vidimus hactenus rationes oppido praegnantes περὶ γνησιότητος Ignatianarum dubitandi: nunc ad apophthegmatis nostri considerationem propius accedentes animaduertimus, scrupulos istos multo magis locum habere in Epistola ad Romanos, cui insertum illud est. Etenim quamuis ea *omnium certissima* audiat Schelstratio: & argumentis summatim collectis adferatur a Pearsonio P. II. cap. IX. pag. 105. reiicitur tamen aeque vt caeterae a Salmasio, Blondello Praefat. Apol. p. 42. Bocharto Hierozo. P. I. L. III. c. IIX. pag. 805. Dallaeo de Epist. Ignat. cap. XIIX. & XXXIII. Imo quod amplius est, magnumque adfert praeiudicium, non reperitur in Codice Mediceo, conquerentibus Vossio in Notis p. 291. Vsserio in fine Praefat. Append. Ignat. Petauio lib. V. de incarnat. cap. XIV. num. 5. & Pearsonio P. II. cap. XI. quod probe obseruandum contra illos, qui epistolam ad Romanos in Codice Mediceo haberi falso adserunt, & nescio quas variantes lectiones inde effingunt. Notari etiam meretur, epistolam illam prout in vulgatis exstat Codicibus, interpolatam esse a notissimo mangone, Simeone Metaphraste, vt in Notis plus semel euincit Vossius, subscribente Iacobo Basnage in epistola ad Arnoldum supra citata p. 131. Quamobrem Vossius aliam Epistolae formam post notas in eam edi curauit, non quod in vllo Codice ita legeretur, sed quod ita legendum esse ex Interprete Anglicano & Simeone Logotheta ipse coniiceret: qua de re operae pretium est adiicere censuram Pearsonii P. II. c. XVI. *Vt tamen quod verum esse video dicam; parem fidem Interpres Vsserianus in Epistola ad Romanos, ei quam in aliis obtinet, mereri fortasse non videatur. Non enim eam ex simplici editione genuinarum Epistolarum transtulit, sed ex illa, quae Acta S. Ignatii cum hac Epistola continebat. Ipsa autem Acta interpolata sunt, & eo quidem loco, vbi Epistola haec inseritur, vt a perspicacissimo Armachano obseruatum est.* Quibus omnibus ponderatis tale iudicium tulit Spanhemius: *Id saltem ex Dallaeana disquisitione & ex mutuo illo summorum Virorum conflictu liquet, esse rationes oppido graues, saltem ea de Epistola dubitandi.*

XIV. Quanquam igitur difficile est ac tantum non frustraneum, de mente Ignatii ex dubia & interpolata Epistola iudicare: age tamen, apophthegma beati martyris adscribemus, prout in editione Vsserii Londinensi legitur, quum subinde nouae interpretationis patroni ad contextum prouocare soleant: ζῶν γὰρ γράφω ὑμῖν, ἐρῶν τοῦ ἀποθανεῖν. Ο ΕΜΟΣ ΕΡΩΣ ΕΣΤΑΥΡΩΤΑΙ, καὶ

καὶ ὐκ ἔστιν ἐν ἐμοὶ πῦρ φιλέϋλον, ὕδωρ δὲ ζῶν, καὶ λαλῦν, ἐν ἐμοὶ, ἔσωθέν μοι λέγει, Δεῦρο πρὸς τὸν πατέρα. Interpres Vſſerianus ita vertit: *Viuens enim ſcribo vobis, deſiderans mori. MEVM DESIDERIVM CRVCIFIXVM EST; & non eſt in me ignis amans aliquam aquam: ſed viuens & loquens eſt in me, intus me dicit; Veni ad Patrem.*

XV. Diſputatur hodie inter eruditos, quis ſenſus ſit Ignatiani apophthegmatis? Etenim per ἔρωτα Chriſtum Seruatorem intelligunt viri maximi, Dannhavverus in Chriſteide pag. 290. 291. Calouius Bibl. Illuſtr. V. Teſt. Tom. I. p. 926. Balt. Bebelius Antiq. Eccl. Sæc. I. p. 69. Ioan. Deutſchmannus, Epiſt. Dedicat. Meditat. in Paſsionem Chriſti; Adamus Tribbechouius Præfat. Tractatus Germanici, quem die gekreutzigte Liebe inſcripſit. Ex Reformatis Frid. Spanhemius P. III. Dub. Euang. pag. 638. Andr. Riuetus Crit. Sac. L. I. cap. IX. Ger. Ioh. Voſsius Harmon. Euang. L. II. c. VII. p. 291. Edmundus Albertinus in Opere de Euchariſtia Lib. II. cap. I. p. 264. 265. Iſaacus Voſsius Not. Ignat. pag. 296. 297. Ioh. Pearſonius Vindic. P. I. c. VI. Ioh. Caſp. Suicerus To. I. Theſauri p. 1214. vt alios plurimos, homiletas præſertim, ſilentio prætercam. Verum ex aliorum opinione iſtud vocabulum amorem rerum mundanarum ſignificat; quam inprimis defendit Petrus Halloixius Quæſt. II. de vita & operibus Dionyſii Areop. p. 404. *Amor in illa Ignatii ſententia non Chriſtum ſignificat, non amorem ſanctum, ſed amorem concupiſcentiæ, & terrenorum, non autem æternorum deſiderium, quod ipſe quidem martyrii iam candidatus & totus ad cælum adſpirans, in ſe extinctum prædicabat.* Halloixio præiuerat Ioh. Brunnerus in Paraphraſi Epiſtolarum Ignatii Tiguri edita; & acceſſere Natalis Alexander Hiſtor. Eccl. Sæc. I. Diſſ. XXI. 276. aliique haud exiguæ auctoritatis viri. Eorum argumenta ſummatim collegit vir doctus in Diſputatione Philologica, *Exhibet,* inquiens, *Epiſtola Ignatii, in qua hoc dictum legitur, argumenta* ἀκίνητα καὶ ἀνίκητα, *quibus illi ſententiæ robur conciliatur, quæ* τὸν ἔρωτα amorem vitæ huius, *cuius ſatietas iam ceperat B. Martyrem, interpretatur. Nam* (a) ἔρως *hic ille intelligendus eſt* ἐσταυρῶσθαι, *qui opponitur* ὕδατι ζῶντι, ἔσωθεν. Δεῦρο πρὸς τὸν πατέρα. *Atqui non* Chriſtus, *ſed caro mundanis his delectans, opponitur illi* ζῶντι *&c. Ergo non Chriſtus, ſed* Carnis *amor per* ἔρωτα *intelligitur.* (b) ἔρως *ille* ἐσταυρωμένος *dicitur, qui corruptibilem cibum amat & voluptatibus mundi paſcitur. Hoc enim volunt verba Ignatii, Apophthegma noſtrum ſtatim ſequentia:* ὐχ ἥδομαι τροφῇ φθορᾶς, ὐ δὲ ἡδοναῖς τῦ βίυ τύτυ. *Quæ verba vt exegetica priorum recte ſumuntur. Atqui non Chriſtus, ſed caro tali cibo delectatur; Ergo nec Chriſtus, ſed carnis amor per* ἔρωτα *intelligitur.* (c) Ἔρως *ille* ἐσταυρωμένος *dicitur,* quo ſecundum homines viuimus. *Subiicit enim* Ignatius, *ſe magis explicans:* ὐκ ἔτι θέλω κατ' ἀνθρώπυς ζῆν. τῦτο δὲ ἔσαι ὑμεῖς θόλητε

λητε. *Atqui non per Christum, sed per carnem secundum homines viuimus; Ergo per* τὸν ἔρωτα *non Christus, sed carnis Amor intelligendus est.* (d) Ερως *ille* ἐσταυρωμένος dicitur, qui crucifixus est cum Christo. *Ita enim ille hac Epistola mox ait:* χριστῷ συνεσταύρωμαι, *Atqui Christus ridicule diceretur crucifixus cum Christo, ergo non Christus, sed amor carnis bene per* ἔρωτα *intelligitur. Et potest huc commode referri illud Pauli Gal.* v. 24. οἱ τοῦ χριστοῦ, τὴν σάρκα ἐσταύρωσαν σὺν τοῖς παθήμασι, καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις. *Non autem est quæstio hic: An* Ignatius *propter IESVM vel amorem in IESVM crucifixum, amorem mundi abiecerit, & mori præoptauerit; Id enim vtrumque manu largimur. Siquidem in hac ipsa Epistola expressis verbis B. Vir dicat:* Καλόν ἐμοὶ ἀποθανεῖν διὰ Ἰησοῦν χριστὸν, ἢ βασιλεύειν τῶν περάτων τῆς γῆς. *Sed quæstio est de eo: An ille* ἔρως*, qui hic crucifixus dicitur, sit ipse* Christus? *id quod negamus & pernegamus.* Verum non videntur viri eruditissimi caussam sufficientem habere, vt a peruulgato dicti Ignatiani sensu recedant: imò si veterum allegata perpendimus, verba ipsa apophthegmatis, scopum Ignatii ac denique contextum, quanquam hodie non ἀπαρεγχείρητον eo, quo par est, studio, consideramus, communem istam explicationem omnino germanam & veram esse deprehendemus.

XVI. Quum enim Epistolam Ignatii ad Romanos dubiam hodie esse supra constiterit, genuinam sancti viri mentem inquisituri eos non immerito consulimus, qui ante sextum sæculum, quo interpolationes, probante Vsserio, factæ sunt, vixerunt, Epistolasque Martyris sinceras & illibatas legerunt: inter quos sunt Origenes ac scriptor Hierarchicorum sub Dionysii Areopagitæ nomine exstantium. Ita quippe Adamantius in Prologo Commentarii in Canticum Canticorum. *Nec puto, quod culpari possit, si quis DEVM sicut Ioannes charitatem, ita ipse amorem nominet. Denique memini aliquem sanctorum dixisse, Ignatium nomine, de Christo: Meus autem amor crucifixus est; nec reprehendi eum pro hoc dignum iudico.* Eodem sensu Auctor operum Areopagiticorum lib. de diuinis nominibus cap. IV. Καίτοι ἔδοξέ τισι τῶν καθ' ἡμᾶς ἱερολόγων, καὶ θειότερον εἶναι τὸ τοῦ ἔρωτος ὄνομα, τοῦ τῆς ἀγάπης. Γράφει δὲ ὁ θεῖος Ἰγνάτιος, ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται. *Atque visum est quibusdam ex nostris, qui de diuinis rebus disseruerunt, amoris, quam charitatis nomen esse etiam diuinius. Scribit autem & diuinus Ignatius, meus amor cruci affixus est.* Origenes igitur ac scriptor Hierarchicus, quorum ille inter confinia sæculi II. & III. hic sæculo IV. vixit, procul omni dubio sinceras Ignatii epistolas nullisque adhuc adsumentis contaminatas ad manus habuerunt, adeoq; deprehenderunt, Ignatiani apophthegmatis sensum non esse alium, quam

nos

nos propugnandum suscepimus. Quid vero rectius meliusque putabimus, num Codices hodiernos, corruptos ac mutilos, in eruendo Ignatiani dicti sensu sequi, an potius Veterum allegatis adhærere, qui & integras Ignatii epistolas nouerunt, & Græce bene docti fuerunt, imo de germano veroque scriptorum Græcorum sensu, vtpote ipsi Græci, optime iudicare potuerunt. Præsertim vero accuratius ponderari meretur Origenis testimonium, qui vix octoginta vel paullo amplius annis post mortem Ignatii natus est, adeoque cum eius discipulis conferre potuit, qui genuinum apophthegmatis sensum ab ipso Ignatio procul dubio acceperant & conseruarant. Quare Origenes interpretationem suam vel ex traditione hausit, vel ex germana Ignatii Epistola, vel ex vtraque. Si istud, ab ipso Ignatio per eiusdem discipulos accepit. Si illud, in ἀπαρεγχειρήτῳ epistola inuenit, prout ab ipsa Ignatii manu profecta erat. Si hoc, adsertio nostra tantò firmior est, quanto magis æstimari solet, quum auctor aliquis verum dictorum suorum sensum ipse tradit atque exponit. Equidem Dallæus de Script. Ignat. cap. XXXIV. Erasmum sequutus contendit, opus illud Origenis non esse; sed omnes scrupulos post P. D. Huetium lib. III. Origenianorum Sect. III. excusserunt Pearsonius P. I. c. VII. Alexander Synops. Sæc. III. cap. IV. Art. II. & L. E. du Pin in noua sua Bibliotheca To. I. p. 129. 130. plurimisque argumentis opus hoc Origeni adseruerunt, quibus non est, cur fidem denegemus. Et pro tali etiam habetur ab Albertino, qui pag. 265. prolixe disputat, non Origenem a Pseudo-Dionysio, sed hunc potius ab illo accepisse, quæ in hanc rem disputauit. Imo etiamsi vel Hieronymus Auctor, vt aliqui Codices præferunt, vel Rufinus, vti ex Cassiodoro adfirmat Pearsonius, interpres, adeoque more suo interpolator fuerit istarum Commentationum, nihil tamen sententiæ nostræ decedet, quum vterque ante sextum sæculum vixerit, & Græce bene doctus fuerit: & quod amplius, locum hunc vere Origenis esse, etiamsi Rufinus interpres sit, ex ipsius Dallæi regula probauit Pearsonius P. I. c. IX. pag. 119. Dionysiana vero scripta, vtut non sapiant ætatem Apostolicam, sunt tamen sæculo quarto vel quinto confecta ex sententia multorum Criticorum, tam Orthodoxorum, quam Heterodoxorum. Nec quenquam commouere debent Halloixii & Alexandri machinæ, qui pro peruerso in Hierarchicis Dionysio Areopagitæ vindicandis studio contendunt, hunc locum non ab ipso scriptore profectum, sed ab alio intrusum esse: illas enim Dallæus de Script. Dionys. cap. XVII. & XIIX. adeo feliciter euertit, vt omne plane effugium præcluderit, prorsusque mirum sit, commenta Halloixiana repetiisse Schelstratium Antiq. Illust. P. II. Diss. III. c. III. Art. I. Nobis sufficit Halloixii confessio, auctorem, *qui ea verba Ignatii* iuxta illius opinionem *intrusit in Dionysium, existimasse ibi sub nomine amoris intelligi Christum.* Hunc enim interpolatorem ante sextum sæculum vixisse

inde manifestum est, quia Maximus Abbas ad id argumentum respondere conatus est, quod iamtum sæculo v. mouerat Theodorus de Raythu: is enim ex egregia Pearsonii coniectura Theodorus ille est, cuius obiectiones Photius recensuit Codice primo Bibliothecæ. Itaque apophthegma Ignatii ab eiusmodi homine Dionysii scripto insertum fuisset, qui veras & nondum interpolatas Ignatii epistolas ad manus habuit.

XVII. Præterea sensum vulgarem optime ferunt verba apophthegmatis, ac licet sint ex viris summis aduersum sentientibus, qui nostram expositionem ab indole Græcæ linguæ non esse alienam diserte fateantur, non puto tamen superuacaneum esse, si eam in rem accuratius inquisiuero. Etenim ἔρωτος vocabulum apud Ignatium nostrum de ὑποστάσει accipiendum esse Origenes & Pseudo-Dionysius satis ostendunt, adeoque, explicante Spanhemio, *sumendum non subiectiue, sed obiectiue, non pro affectu vel passione Ignatii, sed pro obiecto illius affectus, Christo nimirum Seruatore, qui & ex se potissimum amoris obiectum, & tale erat Ignatio*, cuius mentem affectumque egregie παραφράζει B. Dannhavverus l. c. Certe apud gentiles quoque scriptores per ἔρωτα quandoque ὑπόστασιν aliquam significari extra dubium est, ac pluribus exemplis probatum a Ia. Windet in Epistola de vita functorum statu Sect. III. Aristophanis locus ab eo productus ex Auium Comœdia p. 573. 574. luce meridiana clarior est: *Habes hic nimirum primo Chaos siue indigestam materiam, nondum existente cœlo, mari vel terra, cum cæteris diis mundanis: quos postea Amor superuolitans temperatis debito modo particulis materiæ, produxit. Allegoria vero, quæ in istis vocibus stetit,* εἰκὼς ἀνεμώδεσι δίναις, πτερύγιον χρυσαῖν, πτερόων, ἐνεόττευσεν, &c. *manauit a Mosaico incubatu Spiritus Diuini super primigeniam voraginem. Inde & alas amoris effinxit Simmias Rhodius. Ipsum autem S. Spiritum Amorem vocant Patres, & ab illis Petrus Lombardus. Sed & Deus Amor est S. Ioanni. Aues autem Aristophanicæ se Diis omnibus antiquiores ferentes gloriantur ab Amore illo allato genus ducere.* Peruulgatum est, Græcos vniuersam suam Theologiam ab Ebræis accepisse: nec negari potest, aliquam de Trinitatis mysterio imaginationem eos habuisse: sed imperfectam illam fabulisque obscuratam, nec ex naturæ lumine, sed conuersatione cum Iudæis ac forte ex Græca aliqua librorum sacrorum versione, quæ vulgatam Septuaginta Interpretum antecesserit, depromptam esse, dudum Nostrates docuere Theologi, B. Gerhardus Exeg. Loc. III. §. 30. B. Dorsch. P. II. Theol. Zachar. Loc. I. quæst. I. §. 25. Loc. II. §. 29. B. Calouius in Apodixi de Trin. & System. Theol. Tom. III. pag. 39. 40. vt Seldenum, Huetium, aliosque taceam innumeros. Videor autem mihi satis adsequutus esse originem commenti illius, quod Theologi,

i. e.

i. e. vetustissimi Græciæ Poetæ, de ἔρωτι γνεσιεργῷ pretulerunt. Præterquam enim, quod totam hanc Aristophanis Comœdiam ex Mose, quem τὸν βραδύγλωσσον vocat, interpretatur auctor Dialogi Philopatris, inter Luciani Opera pag. 469. Constat sane in Ebræo textu Genes. 1. 2. reperiri vocem מרחפת a רחף, quod prima propriaque significatione notat *fouere, incubare, auium more*, sed tralatitia & secundaria, *amore, gratia, misericordia complectentem* dicit, vti aduersus Morinum ostendit Ioh. Henr. Hottingerus Histor. Creat. c. 1. q. 35. Quem vtrumque significatum, ex Ebræorum doctrina leuiter & oscitanter haustum, inter se conferentes Ethnici, ἔρωτα sub forma auis Chao incubasse arbitrati sunt. Verum, inquies, quid hæc ad Ignatium, apud quem ἔρως de Christo accipitur? Noui hoc & contendo, nec nisi analogiam inter vsum istius vocis apud gentiles & nostrum Ignatium intercedere lubens largior: quemadmodum omnia, quæ *de Trinitate penes illos leguntur, sunt saltem analoga quadam, quantum ad verborum similitudinem*, monente τοῦ πάνυ *Calouio*. Interim satis me ostendisse arbitror, ex Græcæ linguæ vsu de Christo exponi ἔρωτος vocabulum, quod a Græcis elegantioribus ad ὑπόστασιν denotandam nonnunquam adhibetur.

XIIX. Nec aliter capi possunt Ignatii verba, si scopum eius modumque ratiocinandi accuratius perpendamus. In eo per totam epistolam occupatur beatus vir, vt desiderium suum ad coronam martyrii adipiscendam exponat, quod tantum erat, vt nollet Romanos amplius preces pro longiori eius vita fundere. Hanc caussam suam vt rite peroraret, tribus præcipue argumentis vtitur, a summo erga Deum amore, mundanarum rerum contemtu, & cœlestis beatitudinis desiderio sumtis. Collineauit eo Chrysostomus, cui sinceras Ignatii epistolas ad manus fuisse nemo dubitauerit, quando in sermone circa finem sæculi IV. in sancti martyris honorem dicto laudat eius animam, tanquam τῶν παρόντων ὑπερορῶσαν ἁπάντων, καὶ τῷ θείῳ ζέουσαν ἔρωτι, καὶ τὰ μὴ βλεπόμενα τῶν ὁρωμένων προτιμήσασαν. *Diserte* enim *respicit epistolam ad Romanos, in qua hæc tria capita præcipue, & ardenter & fuse tractantur*, monente Pearsonio P. I. cap. IX. Luculentissime hoc colligitur ex loco nostro, qui vtinam exstaret ἀπαρεγχείρητος! Sed quidquid etiam transmutarit adulterans manus, non potuit tamen impedire, quo minus triplex iste rationum fons clarissime conspiciatur. Postquam enim Ignatius mortem se oppetere contestatus erat, ζῶν γὰρ γράφω ὑμῖν, ἐρῶν τοῦ ἀποθανεῖν. Continuo deprædicat Christum, cuius amore tenerrimo flagrabat, ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, mundumque contemnit, καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἐμοὶ πῦρ φιλόϋλον, &c. vt in editione Vsserii Londin. legitur ex Metaphraste & Menæo Græcorum: vel πῦρ φιλοῦν τι,

 vt

vt Pacæus ex Augustano Ignatianarum Codice expressit, accedentibus Morelio, Vairlenio, & Grynæo. Denique subiungit desiderium vitæ æternæ eo modo, quem Chrysostomus descripsit: οὐχ ἥδομαι τροφῇ φθορᾶς, οὐδὲ ἡδοναῖς τοῦ βίου τούτου· ἄρτον Θεοῦ θέλω, ἄρτον οὐράνιον, ἄρτον ζωῆς &c. Certe si ἔρως de carnali concupiscentia explicaretur, non inanis tantum foret tautologia, sed omisisset etiam Ignatius argumentum palmarium a desiderio in Deum petitum, quod tanta diligentia alias inculcare solet. Addimus verba Chrysostomi in dicta oratione, quibus ad apophthegma nostrum respexisse videtur Pearsonio: Τοιοῦτοι γὰρ οἱ ἐρῶντες ὅπερ ἂν πάσχωσιν ὑπὲρ τῶν ἐρωμένων μεθ' ἡδονῆς δέχονται.

XIX. Sed contextum Ignatii obiiciens Halloixius opinatur, *secundum membrum, καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἐμοὶ πῦρ &c. explicationem esse prioris, ita vt idem diuersis verbis bis dicatur; semel per affirmationem, semel per negationem.* At vero Epistolas Ignatii sinceras hodie non superesse, sed varie interpolatas ex superioribus constat, vbi simul ostendimus, id maxime verum esse de illa ad Romanos: quonam igitur artificio discernemus scorias a metallo puriori? quis sine omni dubitatione adseuerabit, ea, quibus innititur Halloixius, esse omnia ab Ignatio eo modo scripta, non autem ab interpolatore quædam inserta aut immutata? atque hoc ipsum tanto maiori difficultate inuoluitur, quanto certius est, in ἀπαρεγχειρήτῳ germanaque Ignatii Epistola ab Origene; Pseudo Dionysio ac Chrysostomo explicationem communem fuisse deprehensam. Præterea vulgo hæc verba habentur pro Ignatii Symbolo: quod primus mea opinione indicauit Maximus Abbas, qui Sæc. VII. adulto floruit, Scholiis in Dionys. pag. 613. ἢ τάχα συνήθες αὐτῷ εἶναι ἀπόφθεγμα, ὡς καὶ ὁ θεοφόρος πολλάκις αὐτῷ λεγόμενόν τε καὶ γραφόμενον. Confirmat hanc Maximi opinionem Pearsonius P. I. cap. VI. ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, *perfectissimam apophthegmatis speciem habet, & viro sancto per totum vitæ cursum tum in dictis tum in scriptis familiare esse potuit.* Quæ si vera sunt, nostram interpretationem optime corroborant. Quum enim nonnulli aduersum sentientes concedant, verba ista seorsim sumta de Christo exponi posse: certe eadem in contextu posita hoc modo capienda esse euincit propria apophthegmatum & Symbolorum ratio, quæ non alio sensu ab Auctore dici, alio scribi, notissimum est. Denique paullo ante ostendimus, scopo Ignatii nostram expositionem eleganter conuenire. Nec ipse contextus, prout hodie exstat, nobis adeo aduersatur: nam particulæ καὶ οὐκ quoad sensum non sunt referendæ ad antecedentia, ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, sed ad sequentia, quæ per δὲ connectuntur: quemadmodum Græci innuunt, quando in Menæo d. 20. Decemb. omittentes priora verba, vtpote non de-

ter-

terrenis, ſed de Chriſto explicanda, ita alloquuntur Ignatium, *οὐκ ἔχεις πῦρ φιλόϋλον ἔν σοι, Ἰγνάτιε ὕδωρ δὲ ζῶν μᾶλλον καὶ λαλοῦν, Δεῦρο πρὸς τὸν πατέρα. ὕδωρ τὸ ἐκ ζωῆς εἰς ζωὴν μετοχετεῦον ἡμᾶς·* Neque tamen prætereundum eſt, longe commodius interpretationem noſtram exprimi ab Vſſeriano interprete, quem ſequutus Iſ. Voſſius emendat Græcum textum: *Apage omnes iſtas ſordes, quæ ab improba Pſeudo-Ignatii manu acceſſere, & ſic reſcribe; ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἐμοὶ πῦρ φιλοῦν τι ὕδωρ. ζῶν δὲ καὶ λαλοῦν, ἐν ἐμοὶ, ἔσωθέν μοι λέγει, δεῦρο πρὸς τὸ πατέρα. Ignis ille qui in me eſt, inquit, non amat aquam, non amat refrigerium. Id enim hoc loco ſignificat ὕδωρ.* Non video, quamobrem repudianda ſit hæc Voſſii correctio, quam interpres Anglicanus confirmat: neque enim Græcus huius Epiſtolæ textus ex vetuſto Codice reſtitui potuit: nec quenquam eruditorum latet, in antiquisſimis Manuſcriptis Græcis, quæ literis vncialibus exarata ſunt, nulla prorſus inciſa aut commata reperiri: quid ergo mirum, ſi interpolator ea vſus licentia, quam homines maleferiati in aliorum ſcriptis deprauandis ſibi ſumunt, Epiſtolam Ignatii ſenſu alieno diſtinxerit? Admiſſa autem ſummi viri emendatione, omnem plane vim amittit Halloixii obiectio. Nihil aliud dixiſſet Ignatius, quam ignem a IESV, amore ſuo crucifixo, excitatum nullum amare refrigerium, aut exſtingui vnquam poſſe, quantacunque etiam calamitate prematur, ſed viuere ſemper, flagrareque ardentisſime, & in corde quaſi clamare: Veni ad Patrem.

XX. Sed Lectori haud ingratum fore confido, ſi ex Albertino confirmem mea aduerſus Halloixium diſputata, quem ille pariter impugnauit. *At nomen amoris in Ignatii verbis pro amore diuino & ſpirituali ſumi poſſe, docent ex ipſis Aduerſariis Maſtreus (in Ignat.) & conſodalis Alloix Lanſſelius (in verſ. Dionyſ. ad marg.) ac de conſequenti ab Auctore in hunc ſenſum adduci potuit. Imo, non modo Thomas Aquinas, ſed & ab antiquo Origenes (Prolegom. in Cantica) locum hunc de Chriſto intellexerunt: vt mirum videri non debeat Pſeudo-Dionyſium illum quoque ſic accepiſſe. Nec obſtat quod contra obiicit Alloix. Nam in citatis integris Ignatii verbis poſterior clauſula non eſt prioris explicatiua, vt male ſupponit, ſed tantum ex priore illatiua. Cum enim in priori dixisſet, amorem ſuum, nempe Chriſtum, fuiſſe crucifixum, adiungit tanquam conſequens ex hac hypotheſi, in ſe non amplius eſſe rerum terrenarũ ardorem. Nam id vtiq. eſſe debere Chriſti crucis confectarium, diſerte docet ſcriptum Rom. 6. 6. Galat. 2. 19. & 5. 19. & 6. 14. & 1. Pet. 4, 1. & 2. Ipſe quoque Ignatius in eadem epiſtola idem, aliis licet verbis, innuit, cum ait: nunc incipio eſſe Chriſti (ſcil. crucifixi) diſcipulus, cum eorum quæ videntur, nihil æmulor.* Mox alterum Halloixii argumentum ſubiicit, quod aliis etiam diſſentientium placet. *Ignatii ſententia ſimi-*

similis est illi sententiæ Paulli ad Gal. 6, 14. ἐμοὶ κόσμος ἐσαύρωται, mihi mundus crucifixus est, *id est, nihil mihi cum mundo. Ad illam igitur respexisse Ignatium, & pro* κόσμος *posuisse* ἔρως, *aliis quidem verbis, sed eodem sensu.* Respondet ex re & vero Albertinus: *At falsum est has sententias inter se esse similes. Neque enim Ignatius ait,* ἐμοὶ ἔρως ἐσαύρωται, *vt Paullus* ἐμοὶ κόσμος ἐσαύρωται; *sic enim similes forent, sed* ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσαύρωται, *quod longe aliud sonat, & multo propius accedit ad alteram Paulli sententiam (1.Cor.5, 7.)* τὸ πάσχα ἡμῶν ἐθύτη, *de Christo pariter id intelligens.*

XXI. Nec coniecturæ ac rationes, quæ in contrarium a viro docto feruntur, & supra num. xv. descriptæ sunt, quenquam mouere debent. Etiamsi enim admittatur tantisper contextus, prout hodie exstat, nostræ tamen nonminus quam aduersæ interpretationi fauere deprehenditur, quemadmodum num. xiix. ostendi. Quæ vero caussa est, vt apophthegmatis Ignatiani constructionem extendamus vsque ad verba, δι' ὀλίγων γραμμάτων αἰτοῦμαι ὑμᾶς &c. ac quæ interiacent, ad id omnia referamus? Certe in Epistolis stylo conciso scriptis, quales sunt Ignatianæ, id neutiquam licet, in quibus vnaquæque periodus peculiarem sensum, vtut nonnunquam cæteris aliquo modo conuenientem, infert ac constituit. Tum quod primum argumentum attinet, verba controuersa non opponi videntur his, ὕδωρ δὲ ζῶν &c. sed quæ vtrinq; interiecta, καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἐμοὶ πῦρ φιλοῦν τι, seu φιλόϋλον: cum iis tanquam proxime sequentibus constituunt oppositionem, quæ ex particulis in oppositionibus adhiberi solitis & hic etiam expresis colligitur. Quanquam nondum satis caussæ video, quare emendatio Vossii, restituentis: φιλοῦν τι ὕδωρ. ζῶν δὲ &c locum habere nequeat, quippe quæ sensum reddit clariorem, a Vetere probatu. Interprete, & ab antiquioribus agnita videtur, prout Græcorum in Menæo & Simeonis Metaphrastis φιλόϋλον subinnuit, ex male acceptis verbis, φιλοῦν τι ὕδωρ, siue ab ipso Metaphraste, cuius malam fidem in notis ad hanc epistolam aliquoties perstringit Vossius, siue a librariis formatum. Vtcunque autem hæc res sese habeat, quod in secundo dicitur argumento, verba sequentia: οὐχ ἥδομαι &c. vt exegetica priorum recte sumi, id non conuenit cum triplici rationum Ignatianarum fonte, quem Chrysostomus in germana illius ad Romanos Epistola, Pearsonio iudice agnouit, egoque in hoc nostro loco num. xiix. monstraui. Cur autem non construunt proxime hinc sequentia cum ἔρωτι ἐσαυρωμένῳ, sed iis omisis ad alia pergunt? Nisi quia nostram potius confirmant interpretationem. En verba, prout in vulgaribus editionibus leguntur: ἄρτον τοῦ Θεοῦ θέλω, ἄρτον οὐράνιον, ἄρτον ζωῆς, ὅ ἐστι σὰρξ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, τοῦ γενομένου ἐν ὑστέρῳ ἐκ σπέρματος

Δαβὶδ

Δαβὶδ καὶ Ἀβραάμ· καὶ πόμα θέλω τὸ αἷμα αὐτοῦ, ὅ ἐστιν ἀγάπη ἄφθαρτος, καὶ ἀέναος ζωή. Certe efficacisſimum eſt illud θέλω, ſatisque exprimit adfectum Ignatii erga CHRISTVM τὸν ἔρωτα ἐσταυρωμένον, cuius potiundi vitaque æterna fruendi ſpem oſtendit maximam. Tertium argumentum petit τὸ ἐν ἀρχῇ ac nititur hypotheſi nondum idoneis probata rationibus, de extendenda Symboli conſtructione. Quartum vero non modo eodem laborat vitio, ſed etiam ſapit interpolatorem Ignatii, qui verba Paulli notisſima, χριστῷ συνεσταύρωμαι. Ζῶ δὲ οὐκ ἔτι ἐγὼ, ζῇ δὲ ἐν ἐμοὶ ὁ χριστὸς, neſcio quo conſilio addidit, prout ex Interprete Vſſeriano liquet, qui ea non agnoſcit. Ac ſimile ſane Græculorum facinus paullo ante apophthegma noſtrum perpetratum in Notis ſuis reprehendit Voſſius. Si autem hæc vt Ignatiana admittenda ſunt, quidni comprobabimus alia eiusdem interpolatoris verba, quæ noſtræ ſententiæ addictus inſeruit loco proxime apophthegma noſtrum præcedente: ζῶν γὰρ γράφω ὑμῖν, ἐρῶν τοῦ διὰ χριστὸν ἀποθανεῖν. Nam illa διὰ χριστὸν non tranſtulit Interpres Anglicanus, proinde ab Vſſerio minio ſignantur & a Voſſio in altera Epiſtolæ ad Romanos editione, quam poſt Notas in eam exhibet, plane omittuntur. Auctoritates ſummorum Virorum non contemno, ſed ea qua par eſt reuerentia ſuſcipio: nec tamen propterea abduci me patior a communi receptaque interpretatione, priusquam grauibus conuincar argumentis, qualia nemo hactenus attulit, nec ſtante γνησιότητος Ignatianarum incertitudine adferri vnquam poterunt.

ΤΩ ΕΡΩΤΙ ΗΜΩΝ ΕΣΤΑΥΡΩΜΕΝΩ ΔΟΞΑ.

EXERCITATIO QVARTA
SIUE
COMMENTATIO PARERGICA
DE
POLYCARPO EPISCOPO ET MARTYRE SMYRNENSI,
in memoriam
PROAVI SVI τοῦ μακαρίτου
POLYCARPI LEYSERI,
Summi quondam in Saxonia Theologi &c.
d. XXVI. Ianuar. An. cIↃ IↃc XXCIV.
VVittenbergæ inſtituta.

PRÆFATIO.

Non dubito, fore plerosque, qui hoc genus scribendi leue & non satis dignum summorum virorum personis iudicent. Sed hi erunt ferme, qui ignorant egregiam Veterum curam, quam in adnotandis Martyrum actis praestabant, nec maximam percipiunt similitudinem, quae inter praeclara vtriusque POLYCARPI *nostri facta & in Ecclesiam merita intercedit. Etenim luculentis optimorum scriptorum testimoniis constat, quanta olim celeritate ac fide Notarii a Christianis constituti non cruciatus solum ac dira saepiusque repetita tormenta martyrum descripserint, sed diuinos inprimis eorum sermones calamo exceperint memoriaeque sempiternae commendauerint. Cuius sane rei non exstat antiquius aut praestantius exemplum, quam Ecclesiae Smyrnensis Epistola Polycarpi res in certamine vltimo gestas diligenter recensens. Nam quum alia martyrum acta vel a Gentilibus Vulcano tradita sint, vel a sequiorum temporum Christianis fabulis anilibus conspurcata, neutrum horum Smyrnensium expertae sunt litterae, sed maximam partem ab Eusebio in Historia Ecclesiastica conseruatae & ab Vsserio Armachano ex bonae fidei codicibus integrae editae falsarias interpolatorum manus effugerunt. Quis igitur se continebit a lectione vetustissimi monumenti, quod singularem Polycarpi constantiam, Ecclesiaeque cui praefuit praeclaram erga Doctorem pietatem vndique spirat? Certe notissima sunt eius elogia a Iosepho Scaligero in Animaduersionibus Eusebianis Iacobo Vsserio in Adnotationibus, Gerardo Ioanne Vossio in Commentario de Christianorum persequutionibus, Isaaco Vossio in secunda ad Riuetum Epistola, aliisque summis viris passim decantata. Sed nec defuerunt, qui* POLYCARPI *nostri* LEYSERI *virtutes recenserent, posterisque imitandas relinquerent, inter quos inprimis eminet Celeberrimus Augustanorum Ecclesiastes, Theophilus Spizelius, qui & in Veteri Academia* IESV CHRISTI Polycarpi Martyris, *& in Templo Honoris* Polycarpi Leyseri *effigies exhibens vtriusque laudes celebrauit. Quis enimuero in Historia Ecclesiastica adeo hospes est, vt nesciat, vtrumq;* POLYCARPVM *nostrum nomen & omen vere habuisse, amplissimisque fructibus Christianae Ecclesiae pomaria condecorasse?* Vterque *summa fide orthodoxam doctrinam propagauit, & aduersus haereticorum deprauationes mascule defendit.* Vterque *varias sustulit persequutiones, alter ab Ethnicis, Iudaeis & Marcionitis similibusque haereticis, alter a Pontificiis, Crypto-Caluinianis & falsis fratribus.* Vterque *non viua solum voce, sed scriptis quoque Ecclesiae aedificationem promouit, eamque ob caussam aliorum magnae auctoritatis Doctorum monumenta in publicam lucem protulit.* Polycarpus Martyr *Philippensibus scribens Ignatii simul epistolas iis transmisit ac posteritati consecrauit.* Polycarpus Leyserus *libris tam ad Exegeti-*

geticam quam ad Polemicam Theologiam pertinentibus nobilis (e quibus adhuc ἀνέκδοτα sunt & prodire desiderant Commentaria in Duodecim Prophetas Minores *an. 1579. publice proposita, quum Theologiæ Professorem in hac Academia ageret) summi Theologi*, Martini Chemnitii *Locos Theologicos ab interitu vindicauit, Harmoniamque Euangelicam ab eo inceptam feliciter continuauit. Quamobrem pietas filialis me stimulauit & calcar addidit, vt PROAVI materni memoriam celebrarem, ac leuidense aliquod statuerem gratitudinis monumentum, qua* Amplissimæ Leyserianæ Familiæ *obstrictus sum. Diem vero POLYCARPI præ cæteris elegi, Exemplum ipsius B. PROAVI sequutus, qui d. 26. Ianuarii, quo in Latina Ecclesia Polycarpi memoria celebratur, laudatum Chemnitii opus præfatione exornauit, ac Serenissimis PRINCIPIBVS LVNEBVRGENSIBVS obtulit, & an. 1593. Harmoniam Chemnitianam Friderico Wilhelmo, Saxoniæ Duci, & Electoratus Administratori, inscripsit: & an. 1602. Catechismum ad Pontificiorum, Caluinianorum ac Lutheranorum hypotheses concinnatum in publicam lucem emisit. Imo tanto fuit in hoc nomen amore, vt filio primogenito, celeberrimo postea Lipsiensium Theologo, id imposuerit, multis licet aliud suadentibus; cuius laudes singulari Oratione celebrans non minoris famæ Theologus Henricus Höpfnerus, multa hanc in rem attulit, quæ hic legi merentur. Referemus autem ea ex Decade III. Memoriarum Theologorum nostri sæculi ab Henningo Witten editarum, pag. 372.* Ac quia ipse parens idem nomen gerebat, commonefacere insimul voluit filium, vt tanquam sui viua imago se parentem olim etiam exemplo referret: quin & sanctis vestigiis *Polycarpi*, Martyris constantissimi, & Episcopi Smyrnensis, insisteret. Non quidem deerant momenta rationum, quæ ipsum ab hoc instituto auocare potuissent: Nam Illustrissimi Duces Luneburgenses, *Ernestus* & *Augustus* qui tunc studiorum gratia Wittebergæ versabantur, non obscure innuebant, malle se infantem, ad cuius ex sacro fonte susceptionem inuitati erant, a suo nomine vocari: idque cognati vna voce suadebant. Nihilominus pater, enixæ huius voluntatis suæ tenax, noluit mutare sententiam, recordatus haud dubie consilii, quo inductus olim Pater eius, *M. Casparus Lyserus*, Pastor Winidensis in Sueuia, Defuncti nostri auus, idem hoc nomen ei imposuisset: sicut huius facti sui rationem ipsemet in fastis annotauerat, quando filii sui natiuitatem consignauit. Verba digna sunt quæ celeberrimo huic auditorio commemorentur: *Decimus octauus Martii est dies natalis POLYCARPI, filii mei, in lucem editi Winidæ, quæ & mea patria est, anno supra millesimum, quingentesimum quinquagesimo secundo; Quem POLYCARPI nomen referre ideo volui, quod tum variis ærumnis pressa Christi Ecclesia, fructificare non desiit in exteris Nationibus, Anglia, Gallia, Hispania etiam atque Italia; coniungens meas preces, quo dignari me ac meos, ac omnes fideles corroborare Christus velit S. suo Spiritu, vt*

K 2 *instar*

instar Polycarpi Martyris intrepide coram mundo ipsum confiteri non erubescamus. Hucusque verba viri pii, acerrimum pro Dei gloria studium indicantia. *Hæc ibi Höpfnerus, qui paullo ante ex re & vero dixerat*: Etsi enim ex ipsis appellationibus non debent esse suspensæ hominum mentes, vt inde Fati legem accipiant; placet tamen τοῖς ὀνοματοθέταις, tali suos insignire nomine, quod ad ea, quæ ipsis vel vouent, vel obseruatu necessaria ducunt, per omnem vitam continuum sit incentiuum ac memoriale. *Sed ad Polycarpum nostrum Lyserum seniorem redeamus, quem præterea obseruandum est paullo ante obiisse, quam Græci incohant festum Polycarpi. Decessit enim hora octaua vespertina d. 22. Februarii an. 1610. Sic qui per totam vitam πολύκαρπος fuit, eo quoque tempore decessit, quo Polycarpi memoria in nobili Ecclesia celebratur. Hæc Te scire volui, Lector, si quis vnquam futurus sis. Tuum erit, res ab vtroque Polycarpo in Ecclesiæ commodum gestas tacita admiratione prosequi & venerari.*

I.

VItam & res gestas Polycarpi Smyrnensis descripturus non possum mihi temperare, quin ex Ioannis Bollandi Actis Sanctorum, Tomo secundo Ianuarii, integram præmittam Biographiam, quæ a Pionio adornata dicitur, vna cum notis a Bollando adiectis: Siquidem pro certo habeo, eam paucissimis cognitam esse, non minus ac ipsos Actorum Sanctorum Tomos, quorum Breuiarium si quis conficeret, ac ea tantum vno volumine exhiberet, quæ genuinam primamque antiquitatem sapiunt, & ad Historiam Doctorum primitiuæ Ecclesiæ faciunt, næ is de re litteraria egregie mereretur.

POLYCARPI
VITA AVCTORE PIONIO;

e veteri Græco MS. primum edita.

CAPVT I.

S. Polycarpi adolescentia sub Callistus clientela.

I.

SVperiora repetam dicendo, atque ab eo tempore sumam exordium, quo Smyrnam Paullus venit, quemadmodum in vetustis codicibus repe-

reperi; dein ordine prosequens sermonem, ad rerum a B. Polycarpo præclare gestarum narrationem descendam.

2. *Diebus azymorum e Galatia veniens ingressus est Asiam Paullus, aliquam Smyrnæ, post plurimos labores, apud fideles arbitratus sibi requiem in Christo fore; atque inde Hierosolymam profecturus. Divertit igitur Smyrnæ ad* a) *Strataam, qui eius in Pamphilia fuerat auditor, eratque* b) *Eunices filius, filiæ Loidos: hæ sunt illæ, quarum scribens ad Timotheum ita meminit: Fidei, quæ est in te non ficta, quæ & habitauit primum in auia tua Loide, & matre tua Eunice: vt hinc intelligere liceat, fratrem fuisse Timothei Strataam. Huius igitur vtens hospitio Paullus, ad se fideles conuocauit, deque Pascha & Pentecoste disseruit, admonens eos de noui Testamenti sacrificio in pane & vino, idque omnino peragi diebus azymorum solenniter oportere, & retineri nouum Passionis & resurrectionis mysterium. Quibus verbis visus est doceri voluisse Apostolus, neque extra Azymorum tempus celebrandum esse Pascha, vt quidam hæretici faciunt, præsertim* c) *Phryges, neque vero necessarium esse, vt decima quarta luna peragatur, cum omnino decimam quartam ne nominarit quidem, sed solum Pascha azymorum, confirmans Euangelium Pentecostes.*

3. *Postquam inde discesit Apostolus, suscepit docendi munus Strataas, & alii quidam cum ipso, quorum nomina prout reperire potuero, & qui qualesue extiterint, exponam. At quod nunc quidem attinet, ad Polycarpum propero. Cum eo tempore Smyrnæ Episcopus esset Bucolus, mulier quædam istbic degebat religiosa, ac Deum timens, bonisque assidue vacans operibus, Callisto nomine. Ei adstitit in nocturna visione missus a Deo Angelus, dixitque: Callisto, surge & abi ad portam quæ Ephesiaca dicitur: cumque paullulum progressa fueris, obuiam tibi venient viri duo, secum puerulum ducentes, nomine Polycarpum: quære num venalis sit: iisque annuentibus, da quod postulauerint pretium; atque eum tecum assume: ducit autem is genus ex Oriente. His auditis Callisto, cui cor metu gaudioque subsiliebat, experrecta resedit & continuo surrexit, neque segniter, quod sibi imperatum fuerat, peregit; at festinato ad dictam portam cucurrit, reperitque vt Angelus prædixerat: ac susceptum puerum domum duxit, & gaudebat honeste illum e-*

 ducans,

ducans, & cœlesti erudiens disciplina. Stupebat vero illius intuita præclarum ac moderatum ingenium, atque ad omnem pietatem accommodatum. Erat igitur illi indulgentia quadam materni affectus filius, & dignitate inter domesticos, cum iam ætate adoleuisset, omnium facultatum eius dispensator; nam & claues ei omnium cellarum in manus tradiderat.

4. Cum deinde contigisset, vt ea aliquandiu abesset domo, peregre profecta, familiæ totius custodem reliquit Polycarpum. Egredientem vero illum vt domesticis alimenta ministraret, sequebantur viduæ, pupilli, & plurimi e vicinis, quotquot inter Christianos mendici erant, petebantque ab eo stipem, hic triticum, vinum ille, alius oleum, & quo quisque egebat. Ille vero qui a prima ætate beneficentiæ hauserat disciplinam, Deique præcepta in cordis animæque tabulis, a Spiritu Sancto, Dei digito, inscripta habebat, omni poscenti largiebatur. Quod cum ille faceret, omnes sensim vacuauit apothecas, liberaliter indigentibus tribuendo.

5. Cum post aliquod tempus domum reuertisset Callisto, occurrens quidam domesticorum, Tu quidem, inquit, Domina, vernas tuos omnes nihili faciens, adolescenti isti, qui ex Oriente venit, tua omnia credidisti. Ille vero post tuum abitum cuncta penitus domo exportauit, nihil vt intus relictum sit. Illa graui hac delatoris voce perculsa (potest enim calumnia etiam tranquillam sedatamq; mentem commouere, præsertim si pecuniæ atque opum damna inculcat) animo vehementer commota est, & bile repleta, eam maximam rata calamitatem, si pius ille atque a Deo ipsi donatus, luxuriose cuncta dissipasset: neque enim adhuc sciebat, in quem vsum ea ille vertisset. Quare variæ illi ac multiformes oboriebantur cogitationes. Confestim ergo Polycarpum proprio nomine euocat. Obaudienti, ait, Claues cedo cellarum. Profert eas, ostiaque aperit. Illa intrat omnia inspectura, & videt admirabile prodigium magnificentiæ Domini Iesu Christi. Nam ante eam ingressus Polycarpus ingemuit & orauit, dicens: Domine Deus, Pater dilecti pueri tui, qui præsente Propheta tuo Elia vasa Sarephthinæ viduæ repleuisti, exaudi me, vt in nomine Christi omnia plena inueniantur. Inuenta sunt plena omnia, adeo vt illa existimans sibi illusisse accusatorem, grauiter ei ira-

irata, iusserit per quempiam ex domesticis eum accersiri. At praeoccupans Polycarpus, aperuit se, dicens: Ne, quaeso, pro me alium iniuria afficias. Mihi potius infer, quas illi paras plagas. Non ille tibi imposuit: sed laude potius dignus pro sua in dominam beneuolentia. Ego vero, at non male, sed in mendicos, tua profudi. Deus & Pater benedicti Iesu Christi, & esurientes repleuit, & misit Angelum suum, tuaque tibi restituit, vt & tu haberes, quod iuxta tuam consuetudinem largireris pauperibus. His visis auditisque obstupuit Callisto, ac magis magisque deinceps fidei bonis operibus dedita, Polycarpum quoque filium adoptauit, tandemque in Christo mortua est, Polycarpo omnium facultatum suarum herede instituto.

a) Hunc quidam tradunt Smyrnæ ante S. Bucolum fuisse Episcopum, vt testatur, nec tamen probat Halloix noster in Notat. ad cap. 7. vitæ S. Polycarpi, littera i.
b) De his egimus 24. Ianuar. ad vitam S. Timothei auctore Metaphraste cap. 1.
c) De Phrygum hæresi, M. Aurelii temporibus exorta, auctore Montano, agit Eusebius L. IV. hist. c. 26. & fuse Baron. an. 137. n. 1. sq.
d) Colitur S. Bucolus d. 6. Febru.

CAPVT II.

Mores & studia Iuuentutis. Cœlibatus.

6. *Post Callistus decessum, magnos in fide Christi, sanctaque conuersatione progressus fecit Polycarpus: atque ex Orientali radice, pro indefessa sua & exemplari industria, florem protulit, vnde merito quis* a) *bonum fructuum prouentum possit augurari. Sunt enim studiosi cumprimis, & diuinis scriptis dediti, qui Orientem incolunt. In Asiam autem ductus, ac Smyrnam Dei nutu adueniens, discensque incolarum mores, & ab iis sese quam longissime seiungens, intellexit cuiuis seruo Dei mundum hunc omnem diuersorium esse, patriam vero cœlestem Hierusalem: hic constitutos nos esse, vt commoremur ad tempus, non vt perpetuo habitemus, sed velut hospites & aduenas esse. Et ista quidem expendens singulari quadam & diuina prudentia, die ac nocte seipsum totum omnino velut sanctificatum holocaustum offerebat Deo, exercens seipsum in sacrarum Scripturarum mysteriis, assiduisque pre-*

ca-

cationum veluti victimis, atque erga omnes suæ opis egentes, vel industriæ, vel largitionis studio, inque victu parsimonia ac frugalitate; cibis enim præsentibus, vilibus minimeque operosis vtebatur: vestitu autem, quem solus vsus posceret, qui propulsando frigori & modesto corporis ornatui esset opportunus.

7. Vt plurimum non in publico & illustri loco versabatur, neque vnde vllam a spectantibus referre laudem posset. Temporis partem maximam vel domi exigebat, vel in suburbiis, in quibus tumultum popularem effugere didicerat. Necessarius est enim profecto animæ quietus & omni malo immunis visus atque auditus: quanquam erat ipse satis quidem ab his tutus, tum eximia animi prudentia, tum totius conformatione corporis. Erat enim ei incessus etiam adolescenti grauis ac prope senilis, virilis aspectus, liber omni affectu erga ea quæ in hac vita cernuntur. Si qui, vt fit, occurrentium in eius vultum defigerent oculos, rubore suffundebatur, conciliabatque ea illi reuerentiam verecundia. Rubro enim colore corporis veluti per speculum, sapientum perspiciuntur animæ. Solebat vero aduentantes & congredi cupientes, si vani essent ac nugaces, quoad eius fieri poterat, declinare ac defugere, veluti cuipiam serio negotio intentus, non aduerteret in obuios animum. At si contingeret eum cogi cum illis colloqui, solum ne videretur eos despicere, cum paucis respondisset, silebat. Talis erat erga eos a quibus nullus sperari fructus poterat. Malos vero, veluti canes rabidos, ac feras agrestes, aut venenatos serpentes, vitabat. Meminerat enim diuini illius pronunciati: Cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, cum peruerso peruerteris. Si qui vero ei prodesse valerent, eos plurimum frequentabat, præsertim ex quorum nòn verbis solum, sed & actionibus percipere vtilitatem posset.

8. Si quando ex agro in vrbem reuertens incideret in quospiam ligna portantes, præsertim senes, compatiebatur eorum labori, vnaqve incedens suscitabatur, an simul atque in vrbem venissent, venditurì ea essent ligna: cumque dicerent sæpe ante vesperam non posse ea diuendi; persoluto iis pretio, ad viduas prope portam habitantes ligna ferri curabat, his eorum vsum impertiens, illis victus opportuni beneficium.

9. Cum

9. *Cum ad virilem peruenisset ætatem, multo etiam ardentiori studio complexus est pietatem. Cognouit enim quam proprium id sit innoxiæ libertati, quæ paucis obtingit illa quidem, sed iis præcipue, qui non seruiles nec impeditas animæ alas accepere a Deo, tribuente iis facilem in terra conuersationem. Neque terræ adstrictus est Polycarpus coniugii vinculis. Nam nemo vnus est nostrum, qui non iis rebus egeat, quæ sunt ad vitam sustentandam necessaria: egent vero ii maxime, quibus sumptuosa & studiosa ornatus deducta domum est coniux. Quæ vero ex ea nascantur contentiones ac molestiæ, probe considerarat; vt nimirum difficile sit iis, qui hoc alligati sunt iugo, pacificam & tranquillam vitam viuere. Nam si incontinens illa sit, tum vero, vt Salomon ait, Zelotypia mariti torquetur animus; si temperans, superbit ac fastu intumescit: adeo vt multo optabilius sit, in solitudine vitam agere, quam cum muliere litiginosa & loquace. Omnino autem nulla vitæ pulchritudo abstrahere animum illius a cœlestibus potuit. Solebat autem dicere: Speciosa Christi verba, & Prophetarum & Apostolorum. Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, &, Quam speciosi pedes euangelizantium bona! Expenderat quoque quid nutriendorum liberorum sollicitudo, quid nepotum ac posterorum cura, quid seruorum ac familiæ ratio poscant; quam multis indigeat, qui illis implicatus est: quam multa, exsorbere eum difficultates ac molestias oporteat, quantam gerere curam conuersationis ipsorum: quanto, si liberi ægrotarint, angi metu; si decesserint, mœrore cruciari. Tum alia per omnem vitæ decursum pericula: nam per omnes vitæ gradus, adolescentibus aliqua iudicii mutatio accidit, natiuo calore, instar musti, ipso quodam vigore ac temperie ætatis efferuescente, & secernente magisque ac magis purgante materiam; frenumque & habenas, vt equi subiugales, excutere moliuntur: donec moderatrix & inspectrix mens, ratione ac iudicio veluti freno compescat, reprimat ac coerceat illum veluti hinnitum fremitumque naturæ, vagum illum & irrationalem impetum ordine modoque constringens. Agit vero istæc animus & præualet, quando eum diuina quadam Sapientia ac vis sanctique Spiritus præsentia illustrarit. Ideo precatur diuinus Dauid, dicens: Spiritum rectum innoua in visceribus meis. Spiritu principali confirma me, & Spiritum Sanctum tuum*

ne auferas a me. Apostolus vero ait, Spiritu ambulate, & desideria carnis ne perficite.

a) Alludit ad vocem πολύκαρπος, quæ *copiosum fructum* significat.

CAPUT III.

Diaconatus. Doctrina Christiana.

10. *Reliquum est, ut Episcopatus illius cursum explicemus, qua ratione eum gesserit, qua ad eum peruenerit, ut & ipsi imitatores esse discamus diuinitus electorum Sacerdotum. Bucolus eius decessor eum vnice diligebat, & maximi semper inde a prima ætate fecerat, & quam de eo conceperat, spe exultabat, vti lætari filiorum probitate parentes consueuerunt, quod prudentes nacti sint suarum facultatum hæredes. Ipse quoq; mutuum Bucolo affectum rependebat, eum vt parentem reuerebatur, non fucatis sermonibus, nec omnino vna vice ac subito conciliata inuicem caritate, sed sensim ac tacite. Aspernabatur enim eos qui dicunt: Nouerat tempora opportuna, vt neque fastidium afferret, neque semper eadem placitura existimaret. Domum quidem aut munus aliud neque hic illi, valenti etiam aliis subuenire, largiri studuit, neque Bucolus accipere. Nam proprium hic lucrum censebat adolescentis erga egentes promptitudinem: is vero Domini Iesu præceptum decenter exequebatur, tribuens non valentibus remunerari: cum quidam artificio quodam honorem venentur, maioremque minori quodammodo mercari appetant.*

11. *Erat igitur Polycarpus vti olim Iacob, simplex ac rectus, & cuncta sine vlla ambitione ac superbia agebat. Clarus autem erat corporalium obsequiorum operibus, quæ ipsimet obibat, cibum cæteraque necessaria affatim largiens indigentibus. Bucolus vero ea non ex ipso audiebat Polycarpo, sed ex iis, qui eius fuerant beneficentiæ participes. Vt enim probis hominibus inest indefessa quædam ad benefaciendum promtitudo; ita & quibus ii benefecerint, assidua ex ipso beneficio nascitur gratitudo. Contigit quoque, vt multi infirmi & dæmoniaci, per gratiam ei cælitus collatam, incolumitatem recuperarent, & Christum glorifi-*

rificarent, gaudio gestientes. Multa quoque ab eo recte gesta, ipse suis oculis vidit Bucolus. Intelligens igitur vere eum Ecclesiastico ordine dignum esse, propter ætatis necdum satis prouectæ imbecillitatem, in Diaconorum gradu primum eum constituit, vniuersa suffragante Ecclesia. Beatus ipse reuera, qui dignus fuerit manum imponere sancto illi capiti, & suo ore benedicere ': animæ. Est enim rite electorum ordinatio probata & legitima, apud homines irreprehensibilis, conscientiæ innoxia, caussaque tranquillitatis & lætitiæ, quæ fit ab iis, qui sunt in diuini officii munere collocati, per fidem in Deum.

12. *Diaconus igitur fuit, suis probatus operibus, vt inter eos qui ab Apostolis electi fuere, Stephanus; ac pollens sermone, & benefactis ornatus, cum libertate Gentiles, Iudæos, hæreticos, confutabat. Crebro autem eum admonens & adhortans Bucolus, vix tandem persuasit, vt Christianam fidem publice doceret, & in ecclesia catecheseos sermones haberet, (hic enim est traditus a Christo, veluti principium rectæ doctrinæ, Ecclesiasticus Catholicus canon) & mysteria sufficienter interpretaretur, quæ multis occulta. Quæ dein ita perspicue exposuit, vt testarentur auditores, se non solum ea audire, sed quodammodo oculis intueri. Multa vero ab eo scripta fuere homiliæ & epistolæ; quæ in persequutione, illius excitata temporibus, in qua & ipse martyrium subiit, ab impiis dispersa sunt. Cuiusmodi vero illa extiterint, ex iis quæ reperta sunt licet agnoscere, inter quæ est epistola ad Philippenses plane insignis, quam* a) *idoneo loco reponemus.*

13. *Quod vero ad doctrinam attinet, illud præcipue curabat, vt auditores scirent Deum omnipotentem, inuisibilem, immensum; qui dignatus est proprium Verbum ac Filium e cœlis promittere, vt hominem induens & vere Verbum incarnatum, propriam creaturam saluaret: qui & iuxta Prophetarum vaticinia ex pura immaculata Virgine & Spiritu sancto generationis multis incomprehensibile mysterium compleuit, & pati quoque pro hominum salute sustinuit; quemadmodum per legem & Pro-*

Matt.20.18 *phetas ipse de se Christus, & de Filio Pater praenunciarat: quem*
Isa.53. Zachar.13. *& Deus suscitauit a mortuis, & viderunt discipuli talem in corpore, qualis & ante passionem fuerat, & spectarunt deinde in lucida nube ascendentem ad caelos in eodem ipso* b) *corpore, in quali Adamum ante lapsum creauerat. De Spiritu Sancto & dono Paracleti, caeterisque charismatibus, ostendit ea non percipi extra Catholicam Ecclesiam, quemadmodum neq; membrum a caeteris abscissum virtutem vllam retinet; varia in eam rem congerens ex sacris litteris; quale illud Danielis: Regnum eius alteri populo*
Dan.2.44. *non tradetur, & in Euangelio: Maria optimam partem elegit,*
Luc.10.42. *qua non auferetur ab ea; & alia his similia.*

14. Si ad continentiam & virginitatem hortaturus erat Concionem (vt est laudabile, non ex necessitate aut alieno imperio, siue parentum siue Dominorum, sed ex propria cuiusque electione, & prompto animo, voluntarium certamen subire) dicebat pudicitiam esse veluti futuri immortalis regni praenuntiam, ipsamque vocem c) εὐνουχία, *id est, continentia, inde efformari, quod* ἔυνιαν ἔχει d) *beneuolentiam habeat & fauorem magnum apud Dominum.* Παρθενία *vero, id est, virginitas, quasi* παρὰ τῷ Θεῷ, e) *quod quae a Deo cogitantur, eadem & illi qui eiusmodi continentiam sectantur, cogitent. Incendium enim carnis perimunt qui talem vitam degunt. Monogamiam vero, siue vnius cum vna coniugium, ex ipsa ostendebat hominis conditione, quod vna vni creata sit, quare & ad virum deducta est virgo, siue* παρθένος; *consentaneo appellata nomine: cuius prior pars quasi* παρὰ Θεοῦ, *a Deo, posterior* ἑνὸς, *vnius, nempe viri, quodque primus Lamech ex Cain ducens originem duas sibi accepit vxores,*
Gen.4.19. *illud vero sibi accepisse, indicat non ex Dei voluntate id fieri. Polygamiam igitur dicebat nomen quidem* γάμου, *id est matrimonii habere, esse vero honesta larua ornatum adulterium.*

15. Dicentibus ei Gentilibus quibusdam, difficile nimis & operosum esse apud Christianos imperium in appetitus obtinere,
Philip.4.13. *respondit stultum esse existimare ista ab hominibus propria geri virtute, cum omnia efficiat Dominus, & magnis suis habenis flectat*

ctat appetitum. Tres dein modos fidelibus propositos castitatis exposuit, exclusit autem & penitus eliminauit fornicationem: Reginam atque Imperatricem ostendit pudicitiam esse. Nam cum ceteri mortales vagos nullisque limitibus circumscriptos, & temere ruentes sequantur suarum impetus cupiditatum, atque instar equorum insana ferantur libidine, & veluti binniant ad alienas coniuges; ii soli qui cœlestem Legem, & Verbum Dei vindicem & propugnatorem omnium cum timore iudicem exspectant, vnius contenti sunt thoro, ad liberorum susceptionem. Mulieres quoque ad vnum respicere virum virginitatis suæ docentur.

16. Secundus pudicitiæ gradus viduitas est, priorem longe supergressus. Neque enim prius illud vsque adeo arduum videtur, altius assurgit, qui ab iis, quæ licuere aliquando, potest sese abstinere. Tertium vero victoriosæ castitatis genus quam non habet exuperantiam? quo non amore ac laude dignum continentiæ & virginitatis honorem obtinet, excutiens, &, vt dixerit quis, a se longissime reiiciens omnia vitæ huius vincula, simulque facili & expedito gressu ante dicta percurrens ac transiliens certamina? nam & fortius animi propositum ostendit, & maiorem Dei donantis virtutem confitetur, quam cum quis vna contentus est, aut concessis olimque compertis abstinet. Quod enim & voluntarium sit & Dei donum, proponere & posse, dicit ipse Saluator, eos seipsos castrasse propter regnum cælorum, & non omnes capere verbum hoc.

a) Ergo plura de Polycarpo scipsit Pionius, quam quæ ad manus nostras peruenerunt, & sane videtur deesse finis vitæ S. Polycarpi. Supra quoque cap. 1. num. 3. innuit, se de aliis Smyrnæorum Doctoribus scripsisse. At de Polycarpi epistola & aliis scriptis superius actum est a nobis.

b) Sed glorioso iam, quale ante passionem non erat, nedum Adami in statu etiam innocentiæ. At verum perfectumque corpus vult indicare Pionius.

c) Plura de harum vocum etymologia disputat Halloix cap. 4. & in Notat.

d) Idem, *quod virgines multa Dominum prosequerentur beneuolentia.*

e) Halloix: *quod virginum cogitationes ad Deum tenderent eique soli intentæ essent.*

CAPVT IV.

Sacerdotium. Conciones.

17. *CÆterum cum in dies ætate proueberetur, vt iam etiam senii prænuntia florere canities, atque albi in temporibus ridere capilli cœpissent: (non quasi relanguescat hominum natura, sed Dei prouidentia exultat, cunctaque opportunis profert temporibus, ad posteritatis memoriam, ac magna gratia sapientiæ operibus ac verbis hominem ad id quod perfectius est prouocat, quasique illud ingerit: Vsque quopiger dormies? quando consurges e somno tuo? & rursus,* a) *Præpara ad discessum opera tua. Atque ideo quoque arbitror vnumquemque vestrum finis meminisse priusquam adsit; vt quo cuiq; de cursu temporis caput amplius canescit, eo animus rationis cultu magis splendeat.) Cernens igitur Bucolus & maturam Polycarpo esse ætatem & maturiorem quam pro numero annorum compositionem vitæ totius, intellexit posse eum sibi optimum consiliarium esse in iis quæ ad Ecclesiam pertinebant, & socium doctrinæ. Confirmauit autem quasique consignauit Dominus hanc eius sententiam, idem ei per visum præcipiens. Itaque eum Presbyterum ordinauit, omni Ecclesia vnanimiter eum cum magno gaudio suscipiente: cum ipse contra id munus vehementer refugeret; dicebat enim vix se pro loco vno, deque vno officio reddendæ rationi sufficere, nedum de pluribus. Addidit deinde: Si quis indignus eo honore suscipere eum audet, iudicium habet: sin dignus est, at priorum iam mercedem recipit; suscipiens veluti præmium quoddam benefactorum, sacerdotii dignitatem. Cum non sineretur plura dicere, Dei voluntati & piorum consilio cessit, initiari se sacerdotio passus, visione quoque diuina, & plurimis adhortationibus permotus.*

18. *Cum deinceps plurimi ab eo salutari doctrina eruditi Ecclesiæ aggregarentur, omnes Dominum nostrum Iesum Christum laudabant. Multipliciter enim, maxime quando ex*

ipsa

ipsa sacra scriptura prælecta sermonis sumebat argumentum, ædificationem promouebat, cum omni demonstratione & plenitudine, vt auditoribus posita esse ante oculos quæ tractabat viderentur. Dicebat enim oportere sacrum oratorem prius ea quæ dicit credere: inde enim fieri, vt non veluti alienæ explicationes, sed vt propriæ directiones audiantur. Erat illi vox, vti & aspectus & forma, grauis ac virilis, suaue tamen quiddam & canorum habens, ac Dei timore quodammodo condita. Cum aliquando contra Iudæos, Gentiles, hæreticos, verba faceret, exclamauit quidam (f. quidem) ita alte, vt etiam infra positi audirent: (pertractabat autem illud argumentum, quæ res debeant benigne non cum concitato ardore dici:) Talia quomodo existimatis Christum esse locutum? (Habenti manum aridam, vti scriptum est, Et circumspiciens eos cum indignatione, dixit: Extende manum tuam, & illud: O generatio peruersa & incredula, & alia id genus,) aut Apostolum Petrum? Quid vtique conuenit vobis tentare Spiritum Domini? aut Paullum: Vtinam & abscindantur, qui vos conturbant. Adhortans vero dicit Christus, suaui & benigna voce: Venite omnes qui laboratis & onerati estis. Miseratus quoque vrbem Hierusalem, dicit: Quoties volui congregare filios tuos! Et alia eiusmodi plura. Et Petrus quoque cum Ioanne ad Speciosam portam paralytici miseratus, & Paullus Galatis scribens, Filioli quos iterum parturio, inquit, quia nimirum tempus adhortationem postulabat.

Matth. 12. 10. 13. Matt. 17. 17 Act. 5. 9. Gal. 5. 12. Matt. 11. 28 Luc. 13. 34. Act. 3. 10. Gal. 4. 19.

19. *Ita ergo a prima ætate ad senium lectionem in ecclesia scripturarum vsurpabat, & aliis suadebat, dicens, lectionem legem esse Prophetarum, prænuntiam gratiæ, præparantem rectas vias Domini, id est, audientium corda, similia tabulis, in quibus ante earum cognitionem sententiæ & pronunciata quædam difficilia per assiduitatem inscripta sunt, ex veteri Testamento, eiusque recta interpretatione. Exæquantur plurimum & læuigantur hæ tabulæ; vt adueniente, veluti graphio, Spiritu Sancto, gratia & lætitia Euangelicæ vocis, immorta-*

mortalis & cœlestis doctrinæ Christi, inscribi possit. Nec enim aliter sigillum, quod per Baptismum fit, imprimi, ac formam potest, quæ insculpta est, referre, nisi prius subacta fuerit cera, atq; ad quod imprimendum fuerit altius recipiendum mollita. Sic animos auditorum censebat ad verbi impressionem cedere quasique obsequentes reddi oportere. Concuti enim, ac velut clausas fores aperiri dicebat eorum, qui recens in Ecclesiam ingressi sunt, mentes. Sic & Propheta a Deo imperatur:
Isa. 58. 1. *Clama fortiter, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam. Quid attinet enim dicere, quod ipse quoque, qui præ cæteris omnibus maxime mansuetus erat Christus, ita tamen clamet die festo Scenopegiæ? Scriptum est enim: Postremo die magno festiuitatis*
Ioan. 7. 37. *stetit Iesus, & clamauit dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Ita vere est. Docens clamat. Consputatus vero, condemnatus, vexatus, patiens, silet. quia sicut ouis ad occisionem ducitur, & velut agnus coram tondente sine voce est. Ego enim, inquit, sicut surdus non audiebam, & factus sum tanquam homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.*

a) Vulgata editio habet: *Præpara foris opus tuum.*

CAPVT V.

Episcopatus Smyrnensis.

20. T*Hesaurus impertitæ diuinitus Polycarpo gratiæ, dum conuersationem eius aliqua ex parte commemorare nitimur, eo nos perduxit, vt & formam doctrinæ eius traderemus, &, qua ratione interpretari scripturas esset solitus, ibi veluti defixi exponeremus, idque eo fine, vt & posteris sanctarum & a Deo inspiratarum scripturarum rectam doctrinam ministraremus. Quod nunc attinet ad commissum ei Episcopatum veniamus, quæque in eo egerit. Quum longum pietatis stadium percurrisset Bucolus, ac sæpenumero edoctus esset*

cœli-

cœlitus, qualem esset successorem habiturus, gaudens & exultans, atque veluti in sapiente dispensatore acquiescens, ita decessit, vt imminente iam morte Polycarpi manum caperet, & primum quidem pectori suo eam apprimeret, dein vultui; a) *ostendens quod quæcunque munia ac charismata illis sensuum facultatibus & instrumentis administrantur, corde quidem intelligendo, videndo oculis, auribus audiendo, naribus Christum adspirando, ore Deum Patrem & Filium eius Iesum prædicando, ea omnia illi essent commissa. Quæ cum egisset Bucolus, Gloria tibi Domine, inquit, itaque obdormiuit. Polycarpus vero nihil eorum tunc cogitabat: semper enim illi solum futurorum spes studiumque inerat. At qui præsentes circumstabant, & hæc videbant, mutuos de iis sermones priuatim conferebant, spe pleni, fore vt talis sibi Pastor obtingeret. Efferentes vero B. Bucoli corpus ad cœmeterium Basilicæ Ephesiacæ dictæ,* b) *iuxta Smyrnam sitæ, illud condiderunt, vbi nunc myrtus crescit post translationem corporis S. Thraseæ martyris; peractisque omnibus obtulerunt panem pro Bucolo & cæteris: vna vero omnium sententia fuit, vt Polycarpus offerret. Ille vero vt semper modeste & circumspecte se gerebat, quæ ad honorem suum spectabant, rescindere conabatur: illi vero praeoccuparant, ne aliter fieret. Cessit ergo voluntati eorum, sacrificiumque peregit.*

21. *Illi autem nulla interposita mora, intra paucos dies vicinarum vrbium* c) *Episcopos euocant, præparantque sedulo omnia, quæ opus erant ad eos excipiendos, qui conuenturi essent ad electionem noui Antistitis. Cum ii iam adessent, concurrit ingens hominum multitudo ex propinquis vrbibus ac vicis; quorum alii quidem nouerant Polycarpum, alii videre eum, de quo iam multa audiuerant, cupiebant. Cumque congregati templum replessent, cœlestis luminis splendor cunctos circumfulsit, & nonnulli e Fratribus mira quædam videre portenta; vnus quidem circum Polycarpi caput albam columbam lumine circumcinctam: alius priusquam reuera consedisset Polycarpus, conspexit eum veluti iam in Episcopali throno considentem; alius ceu militari habitu conspicuum, flauaque zona præcinctum; alius purpurea veste indutum, lumine faciem eius vndiquaq; allambente: alia fidelis & pia Virgo vidit staturam duplo maiorem quam reuera erat, ac vestimenta cocco tincta supra dextrum eius humerum; ceruicem vero eius splendidam instar niuis, & annulum.*

22. *Post orationem & multiplicem genuflexionem, vt ei mos erat,* d) *ad legendum surrexit, omnium arrectis ad audiendum animis. Lectio vero erat epistolarum Paulli ad Timotheum & Titum: in quibus tradit qualem esse oporteat Episcopum. Eratque ipse ita ad eius loci normam compositus & conformatus, ut quicunque audiebant, dicerent inuicem, nihil illi deesse eorum, quibus Paullus vult praeditum esse eum, qui Ecclesiae gubernacula suscepturus est. Vt igitur post Lectionem & Episcoporum admonitionem, ac concionem Presbyterorum, missi sunt ad Laicos Diaconi, sciscitatum, quem vellent; ii vna voce responderunt: Polycarpus sit Pastor noster ac Doctor. Annuente igitur vniverso coetu Ecclesiasticorum, promouerunt eum, multa precantem, & defugere onus volentem.*

23. *Diaconi ergo eum adduxerunt ad consuetam consecrationem, quae ab Episcopis manuum impositione peragitur. Constitutus igitur coram primis ipsorum, lacrymis pietatis & humilitatis locum respersit & vnxit, quo in loco per spiritum vidit stantes Christi pedes, qui ipsi ad hoc sacrae dignitatis suscipiendum gerendumq; munus aderat. Cum igitur divinum officium peragentes Sacerdotes ac Leuitae in medio constiterunt, magnoq; pondere circumamictus Archipraesul; hortati sunt eum praesentes, vt quia ita habet consuetudo, ad populum verba faceret, nam & maxima pars communitatis id vrgebat. Aperiens igitur os suum dixit, voce indicante, qui inerat animo, timorem: Benedictus Deus & Pater Domini nostri, summi Sacerdotis, & Pastoris, & Doctoris, & Regis aeterni, Christi; cui gloria in saecula saeculorum, qui in omnibus nos probat, & corda explorat per omnia, per quae & Patrum nostrorum ac sanctorum suorum Prophetarum probauit, quibus statuta ac sanctos ritus dedit, vt quae in iis erat fides aliis innotesceret; ita & nunc humilitatem meam probat, impositi sacerdotii magnitudine: quod eiusmodi esse suo, ut recte illud obire nemo hominum possit, nisi coelitus gratiam acceperit: quemadmodum B. Paullus Apostolus in epistolis suis declarauit, atq; adeo verbo vnico omnem conuersationem complexus est eius, qui reliquis est praepositus, dicendo irreprehensibilem esse oportere; quod verbum arbitror nullius vestrum aures esse praeterlapsum; sed intro ad ipsum penetrasse totumque peruasisse animum. Quare aequum est vos, carissimi, preces pro me ad Deum fundere, ut ipse mihi tribuat, digne immaculatae suae sponsae Eccle-*

sia

siæ seruire. Idem omnibus conseruis & consacerdotibus di o, quos mihi necesse est coram Deo ac vobis adhortari, vt mecum certent ac laborent cum omni alacritate & caritate non ficta, in proposito mihi agone. Scitote oportere nos omnes simul currere, vt omnes brauium consequamur, vti omnibus æqualis proposita est corona immortalitatis, ab eo qui sine personarum acceptione illam tribuit iis qui præclare certauerint ac vicerint, per gratiam omnipotentis Dei & Domini nostri Iesu Christi inuisibili & immenso, soli immortali Patri gloria, honos & imperium fuit, est, & erit in sæcula sæculorum Amen. Tunc reliqui quoque Episcopi accommodatos ad exhortationem & consolationem sermones habuere sabbatho & Dominica, oblationes & gratiarum actiones cum exultatione peragentes, & cibo sumpto, singuli domum suam reuersi sunt, magno perfusi gaudio, quod cum Polycarpo societatem communionemque contraxissent, glorificantes Dominum Christum Iesum, cui gloria in sæcula. Amen.

24. Incipiente autem Sabbatho dixit Polycarpus: Audite exhortationem meam dilecti filii Dei. Ego præsentibus Episcopis contestatus sum, & iterum vos hortor, honeste & digne vias Domini ambulare, qui scitis, quod, cum in Presbyterorum ministerio essem, tantam pro viribus sollicitudinem adhibuerim: nunc vero maiorem etiam impendere oportet, quia maximum mihi propositum est, si segnis fuero, periculum. Nam præter diuini iudicii metum, etiam apud homines turpissimum mihi foret, dissoluere ac demoliri bene cœpta, & non potius superstruere & augere incitantem me ad ea animi impetum. Nostrum igitur est, ab omni improbitate & perturbatione procul recedere, ne quis existimet nos fastu potius, quam pietate & præcautione, in peccantes animaduertere. Accidit enim aliquando, vt nonnulli qui in sublimiore constituti sunt loco, aliisque præpositi, quando quis eos potius incitatius currere diceret oportere, tunc remissius agant, haud satis memoria repetentes, quo quis ampliorem consequitur honorem, eo maiorem erga Dominum testari eum beneuolentiam debere; nec verba retinentes Christi dicentis: Cui multum datum est, multum quæretur ab eo; aut parabolam creditorum variis talentorum: vel oblatam vigilanti seruo felicitatem: atque expostulationem de negligentibus ad nuptias venire, & mulctam inflictam ei qui accommodatum lætitiæ nuptiali omiserat vestitum: prudentes virgines a sponso admissas: denique

 ista,

ista, Vigilate, Parati estote, Non grauentur corda vestra; tum nouum praeceptum de mutua charitate: dein aduentum Domini subitum & fulminis instar manifestum, terribile per ignem iudicium, vitam aeternam, regnum nunquam obnoxium corruptioni; & quaecunque a Deo edocti nostis, scrutantes inspiratas diuinitus scripturas. Stylo Spiritus Sancti inscribite ita cordibus vestris, vt maneant indelebilia praecepta.

a) Multas Halloix congerit caussas, ob quas hanc caeremoniam vsurparit S.Bucolus. Menaea habent a Bucolo consecratum Polycarpum; falso, vt hinc patet.

b) Graece est, εἰς σμύρναν, ad, vel *iuxta Smyrnam*. Halloix ita exponit: *Delato igitur in vrbem Smyrnam Bucoli corpore (quippe in suburbanis mortem oppetierat) atque in caemeterio non ita procul ab Ephesina porta tumulato*, vnde accepit, in suburbanis obiisse, probabilius est, vetusto more extra vrbem fuisse coemeterium.

c) Cum plurimi veterum ordinatum a S. Ioanne Apostolo tradant, vel Smyrnam is tunc Ephesо venit, vel iudicium ipse suum ad congregatos Patres misit, vel denique eorum suffragiis peractam electionem confirmauit.

d) Halloix: *Quae tametsi Polycarpus eo produceret explicaretque animo, & earum in se virtutum penuriam defectumque conderet, ac tanto impares oneri humeros comprobaret &c.* Non dubium quidem, quin ita de se, deque Episcopatus onere senserit: non videtur tamen eam lectionem ideo suscepisse; sed consuetudo potius fuit, quae de adsciscendis ad tale munus viris idoneis essent Ecclesiae ab Apostolis praescripta, in conuentu praelegere, vt Patres non alium ad id cooptarent, nisi qui iis esset praeditus dotibus. Ipsi vero Polycarpo legendi munus vel ab Episcopis iniunctum erat, vel ex peculiari aliquo officio incumbebat.

CAPVT VI.
Miracula.

25. *ET talia quidem loquens, ac permanens in doctrina, aedificabat & saluum faciebat seipsum & auditores suos. Quae vero de patratis ab eo miraculis ad nos peruenerunt, nunc commemorabo. Contigit vt in* a) *Teo veniret ad thermas quae dicuntur* b) *Lebadiae, ad* c) *Daphnum quendam Episcopum, qui post sumtum cibum narrauit ei penuriam suam, quodque perquam modicum sibi alimentum agrum colendo pararet, cumque ostenderet dolia sua fere vacua, extendens ad ea manus ait: In nomine Iesu Christi, vtere. Et ab ea hora tanta adfuit copia. post semen terrae commissum, vt secure & familiam suam aleret, & aliis largiretur.*

26. *Post aliquod tempus iterum ad Daphnum diuertit: bic vero gratias pro collato beneficio egit, eoq; praesente cibum praebuit multitudini Fratrum.*

trum. positum vero in medio est vasculum vini aliquantum continens. Dicente vero illo domesticis suis, vt intro auferrent ac plus vini infunderent, dixit Polycarpus: Relinque ita, non enim deficiet vinum. Cum ergo promerent ac biberent, vinumque vberius scaturiret; id animaduertens ancilla quædam adolescentula, non cum reuerentia & timore, sed iuuenili ioco exclamauit dicens: O dolium inexhaustum! Post quod dictum abscedente Angelo, qui portentum illud patrarat, & vinum ipsum, quod supererat, euanuit. Quare Polycarpus ait: Præclare pronuntiatum est a Dauide, Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.

27. Constituit vero Polycarpus alios quidem Diaconos interque eos vnum cui Camerio nomen, qui tertius ab eo, post Papirium nempe, illam rexit Ecclesiam. Eo secum assumto rus iit, erat enim ei Ecclesiarum, quæ in pagis erant, curam commissurus. Cum autem in vrbem reuerteretur, procurrens iuxta viam ex agro vidua, viro probatissimo obtulit auiculam adhuc paruam. & primum recusanti, vt eam acciperet, tandem persuasit, rogans vt ea vteretur pro oblatione. Sero autem vespere, quoniam pedes vt plurimum iter agebat, statuit cum Camerio ad publicum diuersorium deflectere, cum locus ille necdum Euangelicæ gratiæ particeps esset factus. Post cœnam autem paullulum quiescens celeriter in somnum incidit, nam voluntarii corporis labores ac cruciatus quietem, dum quis solitarius est, facile conciliant. Post mediam autem noctem adstitit ei Angelus Domini percussoque eius latere ait: Polycarpe. & ille: Quid est? Angelus autem: Surge atque e diuersorio egredere; ruiturum est enim. Ipse vero experrectus Camerium quoque vocauit. ast ille somno ac lassitudine grauatus vix tandem obaudiit. tum ei rem exponens suasit vt surgeret. Ille vero: Nondum primus somnus præteriit, sancte Pater. Et quorsum properamus? Tu assidue diuinas Scripturas meditans ita vigilas, vt nec ipse dormias, nec alios sinas quiescere. Siluit Polycarpus. Postquam vero Angelus secundo apparens eadem rursum edixit, iussit Camerium surgere. Obtendente eo credere se Deo, quamdiu intus esset Polycarpus, non ruiturũ esse murum; respondit Polycarpus: Et ego Deo credo, sed muro non credo. Tertio apparente & eadem inculcante Angelo, & is, qui prius neglexisse periculum videbatur surrexit, & ipse quoque celeriter exiliit. Cum exissent autem, nec adhuc tamen longe eßent progresßi,

recordati sunt se aniculam in diuersorio reliquisse, cumque abessent circiter iactu lapidis, Ne pigeat, inquit Polycarpus, cum beata illa vidua eam in oblationem donarit. Et reuersus eam accepit, cumque exisset, subito totum diuersorium a fundamentis corruit, obtritis omnibus qui in eo erant. Stans vero Polycarpus & ad cœlum suspiciens ait: Domine Deus omnipotens, Pater Iesu Christi benedicti Filii tui, qui Niniuitarum subuersionem per magnum Prophetam tuum Ionam prænuntiasti, & vt discrimen effugerent dedisti, vere te benedico, quia per manum Angeli, per quem collapsurum ædificium significasti, ex illo nos periculo exemisti.

28. *Aliud factum est per eum istiusmodi miraculum. Cum in vrbe omnes sopore obruti essent, iamque fere nox media præteriisset, coquerent vero panem pistores, contigit vt in vicina sarmenta incidens ignis, totam inflammaret officinam, indeque latius exundans magnam partem inuaderet ciuitatis. Concurrente dein multitudine, & tumultu ac clamore magno exorto, Præfectus afferri parata in eam rem instrumenta imperat. Feruntur siphones, aqua, omniaque artis instrumenta. Accurrerunt & Iudæi eo prætextu quod ignem possent restinguere, vltro enim sese orto uspiam incendio offerunt, dicentes id alioquin sopiri nisi adstiterint non posse. Id illorum est artificium, vt ea occasione rapiant quæ in domibus sunt. Periclitante igitur ciuitate dixit Dux: O viri qui adestis ad luctuosum hoc nobis spectaculum, videtis nihil esse remedii, aduerso spirante vento: cumque vnica fuerit spes in præsentia Iudæorum sita, ea quoque excidimus. Quid igitur est quod dico? Audite. Nuper in prætorio noctu consurgens seruus quidam meus a dæmone correptus vociferabatur, neque sui ipse compos erat. Cum lumen intulissemus, reperimus eum omnino furentem, & omnia vorantem. Orto die adfuerunt Iudæi, incantare eum cupientes. Ipse vero vnicus cum esset, ii vero multi, ita illos verberibus multauit, ut parum abfuerit, quin eos interficeret, & dilacerans eorum vestes, nudos & sanguine conspersos dimisit. Vnus igitur in domo mea existens Christianus dixit: Si iubes, aduocabo quempiam qui ei succurreret. Annuente me, venit Christianorum Doctor, quem Polycarpum vocant. Cum autem longe adhuc abesset, alte vociferari cœpit adolescens: Venit ad me Polycarpus, & fugere debeo. Appropinquante autem* d) - - - -

29 - - - - - - - - -

con-

consueta ad plures dies nihil proficientes tunc quieuerunt. Et vix congregatis Senatoribus, ac dicente Præfecto se neque frumentum habere, neque qua comparetur reperire se qui pecuniam paratam numerare possit; surgens e medio ipsorum senex quidam ait: Viri, quotquot eo tempore præsentes fuistis, quando orto sub mediam noctem incendio vrbs erat in discrimen adducta, meministis quod neque nobis neque Iudæis valentibus ignem sistere, accersitus a nobis vir quidam vere religiosus, Sacerdos eorum qui Christiani dicuntur, stans coram nobis omnibus, & suspiciens in cœlum verba quædam pronunciauit; & confestim flamma conglobata, & nescio quo modo illius vocem reuerita, ipsa in seipsam resedit. At sæpe mihi incidit, reuera Deum esse virum illum. Scitis enim quod poëtæ nostri aliique tradunt auctores, Deos quandoq; e cœlo descendere forma assumpta humana, ad irroganda iniuriam facientibus supplicia, insontes vero vindicandos.

30. His auditis, censuerunt omnes conuocari amplissimum populi concilium oportere: neque cunctati ciues vndique frequentes ad theatrum conuenere; nam fame pressi, positam ante pedes necessitatem videbant, vt etiam vnum Deum esse vnanimi voce conclamare cogerentur. Missi igitur ad Polycarpum, qui eum obtestarentur, vt ad illum populi conuentum adesse vellet: a quibus repertus adductusque est. Tum vociferari populus: Primates vero vrbis ita eum affati sunt: Polycarpe, vides vrbem, in qua tu quoque moraris, in angustiis esse, atque ipse quoque es particeps, si non morum eorundem, at certe quidem penuriæ, quam nobis nimia siccitas attulit: rogant igitur te Smyrnæi, vt a Deo tuo pluuiam poscas, vt tellus hausta cœlitus aqua, commissa semina colonis reddat. At viro Dei suffundi robore facies, corpus omne largo sudore fluere, cor validis tremoribus palpitare, & ad cœlum oratione subsilire; & breuiter quidem, sed præclare respondit, dicens: Viri pulcherrimæ vrbis huius incolæ, audite me hospitem & aduenam; vt est vrbs mihi omnis peregrina propter cœlestem ciuitatem, mundusque hic vniuersus ciuitas vna, Dei qui cuncta fabricatus est, munere. Non equidem, vt vos existimatis, tantum mihi sumo, vt me posse arbitrer gentis totius propter sua delicta ab vltore Deo castigatæ, plagas propulsare. Verum, quid fieri possit, ostendam. Sunt mecum congregati Presbyteri religiosi, quos ego, si quam rem consequi cœlitus exopto, allegare ad Deum oratores soleo. Hos ergo adducam, vt & ipsi

pro

pro vobis preces ad Deum fundant. Vos autem hortor, vt alacri animo sitis, atque vniuersum populum iubeatis & dimittere syngrapham, & meliora sperare. Nam cum Deus longanimis sit, tribuit hominum generi pœnitentiæ tempus. Tunc Præfectus tum ex prioribus Polycarpi miraculis, tum ex præsenti eius sermone sumpta fiducia ait: Scitis omnes, aduenæ ac ciues, nos iuxta proprias leges atque instituta, Diuinitatem venerari cæremoniis, sacrificiis, altaribus erigendis, thurisque suffitu: hic vero, & quos se comministros & sacerdotes habere in secessu profitetur, priuatim quietius concipiunt ad Deum suum preces. Discedamus igitur nos atque ipsi, atque hunc dimittamus, libertatem ipsi dantes, vt cum illis, excusso quem hic tumultus attulit pauore, quieto securoque animo sacra pro nobis peragat. Quæ cum dixisset, populum dimisit.

31. Polycarpus e vestigio ad templum, in quo congregari Christi Ecclesia solebat, properauit, & Diaconos iussit omnibus quamprimum denuntiare, vt summa animorum contentione vna a multis offerretur deprecatio. Illi vero sese iam ad id præpararant a matutino tempore, propterea quod & parasceue erat, & ad theatrum ductus Polycarpus, cui ne quid a populo iniuriæ fieret, verebantur. Audientes igitur conuenerunt. Ille vero, Memores, inquit, simus, fratres, promissorum Domini nostri Iesu Christi, qui ait: Petite, & dabitur vobis. Si enim consenserint duo ex vobis de omni re quam petierint, fiet illis a Patre meo, qui est in cœlis. Cum fide igitur petamus, non fluctuantes animis. Nam precantis oratio quodammodo velut bilance libratur, & suspensa hæret, quo mens inclinet. Manifestum id nobis, quod Petrus ingressus aquas, credens quidem super eas ambulabat, territus vero vehementiore vento mergi cœpit; documentum nobis præbens, vt mentis, veluti libræ, in alterutram partem inclinationem intelligamus. Tali præditus fiducia Moyses seruus Dei, trepidanti populo dixit: State & videbitis magnalia Domini. Stare enimuero oportet veluti super petram vere fundatos, vt neutram in partem declinantes immobiles firmique maneamus, per fidem in Saluatorem & Dominum nostrum Iesum Christum: qui & beato Prophetæ Eliæ petenti pluuiam tribuit, quum clausum fuisset cœlum annos tres & menses sex.

32. Hæc

32. Hæc quum dixisset Polycarpus, primus genibus flexis, cum ceteris ita diu precatus est: O Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi! O Deus omnipotens & benedictus in sæcula sæculorum amen. Cui seruiunt Angeli, Gloriæ, & Virtutes cœlestes, Throni, Dominationes, Seraphim & Cherubim! O Deus, qui creasti cœlum, terram, mare, & omnia quæ in eis sunt: qui finxisti hominem ad imaginem & similitudinem tuam; propter quem dignatus es mittere Verbum tuum ad terram, vt carne assumpta ex Virgine & Spiritu Sancto, saluaret & suscitaret per Passionem suam hominem ad flagitia prolapsum; exaudi Domine, respice Sancte. Attende ad preces sanctæ tuæ Catholicæ Ecclesiæ, & da pluuiam super faciem terræ & semen seminanti & panem ad manducandum; vt in diebus necessitatis agnoscant gentes, quoniam serui tui sumus. Quærunt a nobis iustitiam, & nunc Domine cognoscant omnes aduersarii nostri. Hæc eo precante cœlum imbrem dedit, atque vniuersi gloriam Dei prædicarunt, qui mirabilia facit per seruos suos, cui gloria & imperium nunc & in infinita sæcula, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, Amen.

a) *Teos* vrbs est Ioniæ & peninsula, Anacreontis poetæ patria.

b) Ita MS. Alii *Lebedius* vocant. Λέβεδος vrbs est in eadem Ionia, Smyrnæ vicina.

c) Hunc *Daphnum* esse coniicit probabiliter Halloix, cuius meminit S. Ignatius in epistola ad Smyrnæos, ita scribens: *Saluto Alcen, amabile mihi nomen, & Daphnum Incomparabilem, & Eutecnum, & omnes nominatim.*

d) Quæ in nostro desunt MS. ita supplet Halloix: *Quando ergo, inquit Præfectus, neque per nos neque per Iudæos restingui incendium potest, is nobis accensendus est, si forte huic malo mederi queat. Ne multa. Inuentus & inuitatus adfuit, preces fudit, ignes inhibuit.*

Alteri quoque malo partim præsenti, partim impendenti, eodem remedii genere obuiam iuit. Cum enim ciuitas magna annonæ penuria premeretur, atque ingens & permolesta fames timeretur, congregatis super hac re primoribus, & Præfecto palam exponente &c.

11. Hæc est vita illa Polycarpi a Pionio, vt fertur, conscripta, de qua audiamus censuram Bollandi in Prolegomenis num. 10. *Historiam martyrii S. Polycarpi descripsit Ecclesia Smyrnensis, missa encyclica ad omnes ecclesias, aut certe Asiaticas, epistola, e qua multa recitat Eusebius lib. 4. hist. cap. 14. Extatque ea epistola in vetustis quoque Latinis Codicibus. Descripserat eam Rosvveydus e codice S. Maximini Treuiris: nos eam cum MS. Ecclesiæ S. Audo-*

mari contulimus; aliamque huic Audomarensi codici consentientem accepimus a Petro Francisco Chiffletio nostro e MSS. Burgundicis. Ast eandem Epistolam Graecam & pleniorem e MS. Bibliothecae Regis Christianissimi nactus erat idem Rosvveydus, simulque vitae eiusdem Polycarpi historiam, *hactenus Latinis penitus ignotam. Primus ex hoc MS. alioque, Latinis litteris integram tradidit Petrus Halloix noster, tom. 1. de Vitis illustrium Orientalis ecclesiae scriptorum, ex aliorum quoque auctorum de Polycarpo testimoniis amplificatam, atque eruditis Notationibus illustratam. Nobis pro more institutoque nostro satius visum est, ipsam Latinam vitam dare, Latine redditam, pressius fortasse, quam elegantius, quia ad fidem id nobis magis videtur accommodatum.* Mox obseruat Bollandus, *auctorem huius vitae passim ab Halloixio Pionium adpellari;* & in Codicibus tribus MSStis Latinis allegatis, quibus Smyrnaeorum epistola continetur, differentiam quandam occurrere, ita vt Codex Audomarensis hanc habeat clausulam: *Exemplaria haec ex Irenaei, discipuli Polycarpi, doctrina scripsit Caius, qui conuersatus est vna cum Irenaeo. Ego autem Socrates ex his Caii exemplaribus scripsi. Ego Pionius memorata exemplaria inuestigaui & scripsi, ex reuelatione, quae mihi facta est de B. Polycarpo, sicut enuntiaui in conuentu reliquis, ex tempore, quo laboraui cum electis, & vt me colligat Dominus Iesus Christus in regno coelorum cum Patre & Spiritu Sancto in saecula saeculorum Amen.* Haec omnia desunt in Codice Chiffletiano: in Treuirensi autem S. Maximini illa de Pionio: *Ego Pionius memorata exemplaria inuestigaui & scripsi*, atque ita sequentia omnia Socrati tribuuntur. His non acquiescit Bollandus, sed num. 12. lectionem Codicis Graeci profert: *Ista scripsit Caius ex iis, quae tradidit*, aut *scripsit*, aut *habuit Irenaeus* (ἐκ τῶν εἰρηναίου) *discipulus S. Polycarpi, qui Caius cum Irenaeo conuersatus est. Ego vero Socrates Corinthi, e Caii exemplaribus descripsi. Gratia cum omnibus nobis. Ego vero rursus Pionius ex iam memorato exscripsi, exscrutatus iuxta reuelationem B. Polycarpi mihi apparentis, vt ostendam ea colligens, quae iam fere tempore erant obliterata: & vt me colligat Dominus noster Iesus Christus cum Electis suis in coeleste suum regnum; cui gloria cum Patre & sancto Spiritu, in saecula saeculorum Amen.* Subiicit Bollandus: *Quibus ex Verbis intelligi potest, Pionium Socratis vsum exemplari, ex eo martyrii historiam transscripsisse, ceteras Polycarpi res gestas partim ipso coelitus reuelante didicisse, partim fortassis ex vetustis aliis monumentis eruisse. Eundem certe vitae esse auctorem videtur ex primis vitae verbis colligi:* ἐπαναλαβὼν ἀνωτέρω, altius reddens, priora repetens. *Vnde consequens est, ab eodem haec scribi, a quo quae praecesserant, Pionio nimirum. Quando hic vixerit Pionius, non constat. Nullum saltem argumentum est, quo probemus aequalem fuisse: imo haud paullo iunior videtur, cum e Socratis commentariis certamen descripserit Polycarpi,*

carpi, qui e Caii scriptis id acceperat, hic ex Irenæi. *Dein num. 12. queritur, scripta Polycarpi deperdita, turbine motæ tunc quartæ persequutionis: Multa vero,* inquit, *ab eo scripta fuere &c. Imo ex iis, quæ in Prologo suo contra Quartadecimanos, siue quarta decima Luna celebrantes Pascha disserit, coniicere est, post Nicænum Concilium vixisse, quando omnis illa sopita tandem controuersia est.* Haud paullo apertius iudicat Christianus Lupus Scholiis in Caput XXXII. Tertulliani de Præscriptionibus: *Quare sancti Polycarpi per Pionium, quem aliqui existimant antiquum Martyrem, scripta Acta, affirmantia, ipsum S. Buculo successisse, probare non possim ob varia. Primo, quod dicant Polycarpum non a S. Ioanne Apostolo fuisse consecratum Episcopum, sed a Prouincialibus Collegis. Secundo quod dicant S. Polycarpum fuisse Archi-Præsulem. Istud enim vocabulum apud ecclesiasticas res est multo recentius, & Smyrnensis Ecclesia non nisi posterioribus sæculis est euecta in Metropolim. Et istius sancti Bucoli nulla meminerunt antiqua Martyrologia, nulla alia vetusta Ecclesiæ monimenta. Quare certum puto, ista acta esse commenta alicuius recentioris Græculi.* Hæc sententia mihi maxime probatur, quippe quam aliis etiam rationibus confirmare licet. Nam quæ num. 4. narrantur, haud satis conueniunt cum pauperum cura, quæ in Ecclesia prima vigebat, neque totius substantiæ vnius diuitis profusione (quod recentioribus nonnunquam sæculis factum,) sed diuitum collatione, agaparum celebratione, bonorumque communione absoluebatur. Narrat quidem Eusebius lib. III. Cap. XXXVII. plerosque ex primis Apostolorum discipulis Seruatoris mandatum expleuisse, ἐνδέεσι νέμοντες τὰς οὐσίας, *diuisis inter egentes facultatibus suis*, Atqui etiam Polycarpus ex prima illa successione fuit. Sed ille tamen Smyrnæ remansit, non in barbaras regiones ad prædicandum Euangelium profectus est, quod isti fecerunt, bonis suis inter pauperes prius dispersis, vt expeditiores essent ad iter, vnde nunquam reuerterentur. Falsum porro est, quod ait ὑποβολεὺς num. 12. scripta Polycarpi deperdita esse in quarta persequutione: Ea enim Hieronymi adhuc tempore superfuerunt, & socordia demum posterorum perierunt, quod grauiter monet Philippus Melanchthon in Oratione de Polycarpo, quæ inter alias eius declamationes exstat: *Atq; vtinam non tantum hanc breuem historiolam, quam recitabo, adferre possem, sed ipsius etiam exhibere monumenta, in quibus complexus dicitur summam doctrinæ Christianæ, quæ adhuc Hieronymi ætate in manibus piorum fuerunt, vt ipse commemorat. Postea sequuta est ætas inerudita, quæ occupata ambitione litteras neglexit, & vetera monumenta turpiter amisit.* Inprimis vero se prodit fictitius Pionius, quando num. 4. de Polycarpo ita loquitur, quasi ab infantia siue Christianus natus fuerit: *Ille vero, qui a prima ætate beneficentiæ hauserat disciplinam, Deique præcepta in cordis animæque tabulis, a Spiritu Sancto,*

Ɛlo, Dei digito, inscripta habebat, omni poscenti largiebatur. Polycarpus enim ipse in Epistola ad Philippenses disertis verbis fatetur, se eo tempore, quo Paullus epistolas scripsit, Christum nondum agnouisse. Sed de his mox plura. Nunc saltem mirari subit Stephanum le Moyne, maximæ virum eruditionis & accurati iudicii, quod in *Dissertatione Analectica de Polycarpo*, Prolegomenis in Varia Sacra innexa, præmissa etiam *cautione, ne incerta & parum verosimilia obtrudantur & admittantur, quæ immoderatum & nimis feruens, sed minus perspicax, erga viros sanctos studium, finxit & excogitauit;* nihilominus suppositititiam hanc Polycarpi vitam cum Halloixio sequutus sit, indeq; Polycarpi natiuitatem *in Oriente* (i. e. in vicinia Antiochiæ, & ista Diœcesi, quæ vocatur Oriens,) seruitutem, hæreditatem splendidam, liberalitatem, & successionem post Bucolum hauserit, quæ tamen omnia recentiorum Græculorum figmenta sunt. *Recentiores* dico; quoniam multa in Gallicis prouinciis, Belgio inprimis, reperiuntur antiqua MS. exempla epistolæ Smyrnensis Latina; nullum autem vitæ illius non obstante priscarum in Gallia & Græcia ecclesiarum commercio. Longe itaque melius Ludouicus du Pin Tom. I. Nouæ suæ Bibliothecæ pag. 52. iudicauit: *Ces contes, & plusieurs autres sont tirez des faux Actes de la vie de saint Polycarpe supposez sous le nom de Pionius par les nouveaux Grecs, & du Menologe des Grecs.*

III. Ita fabulis plena sunt omnia. Nos certiora ex certioribus monumentis capiemus. *Parentes, patriam, tempus Natiuitatis Polycarpi ignorari,* bene scribit Moynius: postremum tamen quidam retro numerando assequi voluerunt, ex verbis, quæ Polycarpus ad Proconsulem dixit: ὀγδοήκοντα ϰ̀ ἓξ ἔτη δουλεύω αὐτῷ, *octoginta sex annis seruio ei:* siquidem pleriq; veterum Polycarpum totidem saltem annos vixisse referunt, quibus nouissime Pearsonius mox citandus, & Guilielmus Caue in Historia litteraria Scriptorũ Ecclesiasticorũ p. 28. adstipulantur. Sed Iacobus Vsserius præfatione in Acta Ignatii & Polycarpi contendit, ea non de vitæ, sed fidei annis capienda esse: *Ex temporum vero ratione plane conuincitur, non posse hæc intelligi de vitæ totius annis, sed de Christiani tantum seruitii. Ab anno enim vulgaris epochæ Christianæ CLXIX. ad quem passionem Polycarpi referimus, subductis 86. relinquitur eiusdem epochæ annus LXXXIII. quo non natum quidem illum, sed renatum Christo primum nomen dedisse, dicamus necesse est. Inde enim ad mortem Ioannis Apostoli 17. circiter anni numerantur. Quot tantum ætatis annos si tum habuisset Polycarpus: neque ab ipso Ioanne ordinari potuit ille Episcopus, quod præter alios Tertullianus prodidit; nedum ab aliis quoque Apostolis, quod non alii modo, sed etiam Irenæus, ipsius discipulus, clare testatus est. Et apposite Polycarpi vocem hanc cum Hilarionis illi simillima contulerit Halloixius, dicentis in vitæ mortisque confinio:* Egredere anima mea:

mea; quid dubitas? Septuaginta prope annis seruisti Christo: & mortem times? *quanquam illum annos ipsos octoginta viuendo exegisse, confirmet in vita ipsius Hieronymus.* Non tamen desunt, qui hoc Polycarpi dictum de annis vitæ eius accipiunt, vti non modo Ioan. Dallæus de Scriptis Dionysii & Ignatii cap. 12. subobscure sententiam promens, sed clarius Henr. Valesius Annot. Euseb. pag. 109. *Mortuus est anno 7. M. Aurelii Imperatoris, cum sextum & octogesimum ætatis annum iam exegisset. Ita enim scribitur in Epistola Ecclesiæ Smyrnensis &c. Quod si annos illos non a primo statim ortu, sed a pueritia ordiri lubet, quando primum homines ratiocinari incipiunt; sequetur omnino, Polycarpum centenario maiorem aut proximum e viuis abiisse.* Horum sane opinioni patrocinatur Græcus Epistolæ textus, prout ab Vsserio editus est, ὀγδοήκοντα καὶ ἓξ ἔτη ἔχω δουλεύων αὐτῷ, illumque eo sensu παραφράζει vetus interpres. Præterea characteres Vsserii ab omnibus non admittuntur. Quod si enim Polycarpus Anno æræ vulgaris 167. decesserit, vt Valesio placet, subductis 86. relinquitur eiusdem epochæ annus 81. quo vel præcedente potius Polycarpum natum esse colligas. Ioannes autem Apostolus ad initium secundi sæculi peruenisse communiter creditur. Ponamus eum an. 101. obiisse, sequetur, Polycarpum tunc plusquam 20. fuisse annorum: Quidni circa illa tempora constitutus esse poterit Episcopus, quum Apostoli non tam ætatem quam qualitates Episcoporum respexerint, vti vel Timothei exemplo constat? Verum hæc omnia eludere potest Vsserii patronus, cum nemo facile negauerit, ea quæ in latina Epistolæ Polycarpi ad Philippenses versione leguntur, ab ipsa Polycarpi manu profecta esse, quanquam in omnibus editionibus, ea etiam, quam Moynius curauit, Græca desiderentur. Ita autem Polycarpus scribit: *Ego autem nihil tale sensi in vobis, vel audiui, in quibus laborauit B. Paullus, qui estis in principio epistolæ eius. De vobis etenim gloriatur in omnibus Ecclesiis, quæ Deum solæ tunc cognouerant: Nos autem nondum noueramus. Vixisse his verbis se innuit,* (Vsserio iudice) *quum suas Paullus ad Ecclesias scripsit Epistolas, licet nondum Christo nomen dedisset.* Patet igitur ex illis, Polycarpum eo tempore, quo Paullus varias scripsit Epistolas non vixisse tantum, sed ad annos quoque discretionis peruenisse, fideique Christianæ capacem fuisse. At Paullus Apostolus, siue anno a Natiuitate Domini 60. a passione 36. Æræ vulgaris 67. gladio interemtus sit, vt cum Euthalio sustinet Vsserius cap. v. de Macedonum & Asianorum anno Solari; siue anno 72. quem Isaacus Vossius in Canone Chronologico adsignat, nunquam tamen an. Æ. V. 81. attigisse censeri potest. Quamobrem 86. Polycarpi annos neutiquam cum Valesio a pueritia Polycarpi, aut cum aliis a prima statim eius natiuitate ordiri licet.

IV. Quæ omnia si probe ponderasset doctissimus Pearsonius, verba illa

ſto, Dei digito, inſcripta habebat, omnipoſcenti largiebatur. Polycarpus enim ipſe in Epiſtola ad Philippenſes diſertis verbis fatetur, ſe eo tempore, quo Paullus epiſtolas ſcripſit, Chriſtum nondum agnouiſſe. Sed de his mox plura. Nunc ſaltem mirari ſubit Stephanum le Moyne, maximæ virum eruditionis & accurati iudicii, quod in *Diſſertatione Analectica de Polycarpo*, Prolegomenis in Varia Sacra innexa, præmiſſa etiam *cautione, ne incerta & parum veroſimilia obtrudantur & admittantur, quæ immoderatum & nimis feruens, ſed minus perſpicax, erga viros ſanctos ſtudium, finxit & excogitauit;* nihilominus ſuppoſititiam hanc Polycarpi vitam cum Halloixio ſequutus ſit, indeq; Polycarpi natiuitatem *in Oriente* (i. e. in vicinia Antiochiæ, & iſta Diœceſi, quæ vocatur Oriens,) ſeruitutem, hæreditatem ſplendidam, liberalitatem, & ſucceſſionem poſt Bucolum hauſerit, quæ tamen omnia recentiorum Græculorum figmenta ſunt. *Recentiores* dico; quoniam multa in Gallicis prouinciis, Belgio inprimis, reperiuntur antiqua MS. exempla epiſtolæ Smyrnenſis Latina; nullum autem vitæ illius non obſtante priſcarum in Gallia & Græcia eccleſiarum commercio. Longe itaque melius Ludouicus du Pin Tom. I. Nouæ ſuæ Bibliothecæ pag. 52. iudicauit: *Ces contes, & plusieurs autres ſont tirez des faux Actes de la vie de ſaint Polycarpe ſuppoſez ſous le nom de Pionius par les nouveaux Grecs, & au Menologe des Grecs.*

III. Ita fabulis plena ſunt omnia. Nos certiora ex certioribus monumentis capiemus. *Parentes, patriam, tempus Natiuitatis Polycarpi ignorari*, bene ſcribit Moynus: poſtremum tamen quidam retro numerando aſſequi voluerunt, ex verbis, quæ Polycarpus ad Proconſulem dixit: ὀγδοήκοντα καὶ ἓξ ἔτη δουλεύω αὐτῷ, *octoginta ſex annis ſeruio ei:* ſiquidem pleriq; veterum Polycarpum totidem ſaltem annos vixiſſe referunt, quibus nouiſſime Pearſonius mox citandus, & Guilielmus Caue in Hiſtoria litteraria Scriptorũ Eccleſiaſticorũ p. 28. adſtipulantur. Sed Iacobus Vſſerius præfatione in Acta Ignatii & Polycarpi contendit, ea non de vitæ, ſed fidei annis capienda eſſe: *Ex temporum vero ratione plane euincitur, non poſſe hæc intelligi de vitæ totius annis, ſed de Chriſtiani tantum ſeruitii. Ab anno enim vulgaris epochæ Chriſtianæ CLXIX. ad quem paſſionem Polycarpi referimus, ſubductis 86. relinquitur eiuſdem epochæ annus LXXXIII. quo non natum quidem illum, ſed renatum Chriſto primum nomen dediſſe, dicamus neceſſe eſt. Inde enim ad mortem Ioannis Apoſtoli 17. circiter anni numerantur. Quot tantum ætatis annos ſi tum habuiſſet Polycarpus: neque ab ipſo Ioanne ordinari potuit ille Epiſcopus, quod præter alios Tertullianus prodidit; nedum ab aliis quoque Apoſtolis, quod non alii modo, ſed etiam Irenæus, ipſius diſcipulus, clare teſtatus eſt. Vt appoſite Polycarpi vocem hanc cum Hilarionis illi ſimillima contulerit Halloixius, dicentis in vitæ mortisque confinio:* Egredere anima mea:

mea; quid dubitas? Septuaginta prope annis seruisti Christo: & mortem times? *quanquam illum annos ipsos octoginta viuendo exegisse, confirmet in vita ipsius Hieronymus.* Non tamen desunt, qui hoc Polycarpi dictum de annis vitæ eius accipiunt, vti non modo Ioan. Dallæus de Scriptis Dionysii & Ignatii cap. 12. subobscure sententiam promens, sed clarius Henr. Valesius Annot. Euseb. pag. 109. *Mortuus est anno 7. M. Aurelii Imperatoris, cum sextum & octogesimum ætatis annum iam exegisset. Ita enim scribitur in Epistola Ecclesiæ Smyrnensis &c. Quod si annos illos non a primo statim ortu, sed a pueritia ordiri lubet, quando primum homines ratiocinari incipiunt; sequetur omnino, Polycarpum centenario maiorem aut proximum e viuis abiisse.* Horum sane opinioni patrocinatur Græcus Epistolæ textus, prout ab Vsserio editus est, ὀγδοήκοντα καὶ ἓξ ἔτη ἔχω δουλεύων αὐτῷ, illumque eo sensu παραφράζει vetus interpres. Præterea characteres Vsserii ab omnibus non admittuntur. Quod si enim Polycarpus Anno æræ vulgaris 167. decesserit, vt Valesio placet, subductis 86. relinquitur eiusdem epochæ annus 81. quo vel præcedente potius Polycarpum natum esse colligas. Ioannes autem Apostolus ad initium secundi sæculi peruenisse communiter creditur. Ponamus eum an. 101. obiisse, sequetur, Polycarpum tunc plusquam 20. fuisse annorum: Quidni circa illa tempora constitutus esse poterit Episcopus, quum Apostoli non tam ætatem quam qualitates Episcoporum respexerint, vti vel Timothei exemplo constat? Verum hæc omnia eludere potest Vsserii patronus, cum nemo facile negauerit, ea quæ in latina Epistolæ Polycarpi ad Philippenses versione leguntur, ab ipsa Polycarpi manu profecta esse, quanquam in omnibus editionibus, ea etiam, quam Moynius curauit, Græca desiderentur. Ita autem Polycarpus scribit: *Ego autem nihil tale sensi in vobis, vel audiui, in quibus laborauit B. Paullus, qui estis in principio epistolæ eius. De vobis etenim gloriatur in omnibus Ecclesiis, quæ Deum sola tunc cognouerant: Nos autem nondum noueramus. Vixisse his verbis se innuit,* (Vsserio iudice) *quum suas Paullus ad Ecclesias scripsit Epistolas, licet nondum Christo nomen dedisset.* Patet igitur ex illis, Polycarpum eo tempore, quo Paullus varias scripsit Epistolas non vixisse tantum, sed ad annos quoque discretionis peruenisse, fideique Christianæ capacem fuisse. At Paullus Apostolus, siue anno a Natiuitate Domini 60. a passione 36. Æræ vulgaris 67. gladio interemtus sit, vt cum Euthalio sustinet Vsserius cap. v. de Macedonum & Asianorum anno Solari; siue anno 72. quem Isaacus Vossius in Canone Chronologico adsignat, nunquam tamen an. Æ. V. 81. attigisse censeri potest. Quamobrem 86. Polycarpi annos neutiquam cum Valesio a pueritia Polycarpi, aut cum aliis a prima statim eius natiuitate ordiri licet.

IV. Quæ omnia si probe ponderasset doctissimus Pearsonius, verba illa

Polycarpi ad Proconsulē nouæ suæ opinioni stabiliendæ minime attulisset, Differt. II. de Serie & Successione primorum Romæ Episcoporum Cap. XV. Obseruat, ab Auctore Chronici Alexandrini & Gregorio Turonensi responsionem hanc Polycarpi de LXXXVII. annis ætatis eius intellectam; quam *primus omnium Halloixius de annis Christianæ professionis interpretatur Hilarionis exemplum adduxerit, sed minus idoneum: constare enim Hilarionem habuisse* parentes idolis *deditos, & Alexandria in Schola Grammatica ad annum vitæ decimum quintum Gentilem plane fuisse, quale nihil de Polycarpo traditur.* Atenimuero maiorne testis dari poterit Polycarpo ipso, in epistola, vt vidimus, aperte profitente, se eo tempore, quo Paullus litteras suas ad Ecclesias scripsit, Christum nondum nouisse? Certe Pearsonius verba hæc Polycarpi pro genuinis habet P. I. Vindiciarum Ignatianarum pag. 80. censetque ea iuxta cum aliis ex Ignatii epistolis depromta. Sic apud eundem Isaacus Vossius Epistola secunda ad Riuetum pag. 16. ea contra Blondellum vrget. Ecquomodo igitur Pearsonius negare audet, Polycarpum partem ætatis in ignorantia Christi transegisse? Sed inde etiam conficitur, Polycarpum ante annum Æræ Vulg. LX. natum esse. Paullus enim epistolas suas anno LII. scribere cœpit, & illam ad Philippenses an. LXIII. exarauit, ipso Pearsonio computante in Annalibus Paullinis, qui primum inter Posthuma locum obtinent. Præcipue primam ad Thessalonicenses anno LII. scriptam arbitratur. Salmeron autem rationem exquirens, cur Polycarpus *epistolarum* a B. Paullo scriptarum *in plurali* meminerit, *ideo factum hoc affirmat, quia præter illam ad Philippenses, vtramque ad Thessalonicenses tanquam sibi scriptas agnoscere debebant, qui in vna & eadem Macedonia non procul a seipsis commemorabantur.* Hæc opinio si vera est, (quam adducit quidem, sed diserte non probat Vsserius Annotatione 2. in Epistolam Polycarpi;) certe iam an. Christi LII. non solum vixisse, sed rationis quoque vsum habuisse Polycarpum nostrum oportet: si quidem Pearsonio computante Paullus priorem ad Thessalonicenses epistolam scripsit A. C. 52. posteriorem anno sequente: demum A. C. 68. martyrium fecit. Inde patet, non satis accurate calculos posuisse L. El. du Pin, quando vult pag. 52. Polycarpum natum circa A. C. 70.

V. Cum igitur annus Natiuitatis Polycarpi indubie sciri nequeat, tum incertum quoque esse oportet tempus conuersionis eius ad Christianam religionem. Equidem L. du Pin putat, eum cœpisse an. 81. Dei seruitio se consecrare. Sed dubitandi ansam præbet Irenæus, Polycarpi discipulus, quando lib. III. aduersus hæreses Polycarpum dicit ὑπὸ Ἀποστόλων μαθητευθέντα, *ab Apostolis edoctum*; & in epistola ad Florinum apud Eusebium, eundem inter τοὺς τοῖς Ἀποστόλοις συμφοιτήσαντες, *ipsorum Apostolorum discipulos* numerat; ac in epistola ad Victorem refert, eum *cum Ioanne Discipulo Domini nostri, & cum*

& cum reliquis Apostolis multum versatũ esse. Quibus innuit, Polycarpũ ante An. 81. ad Christum sese conuertisse, vt cum Apostolis, quorum vix vnus alterue illum annum superuixit, aliquo temporis spatio versari, moremque Paschatis ab iis obseruati discere, & ab Eusebio τῶν Ἀποστόλων ὁμιλητὴς vocari potuerit. Malim itaq; dicere, Polycarpũ eo anno ab Apostolis ordinatum. Equidem solum Ioannem nominat Tertullianus lib. de præscript. hæret. c. 32. *Edant ergo origines Ecclesiarũ suarum, euoluant ordinem Episcoporũ suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerit, habuerit auctorem & antecessorem, hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt, sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum a Ioanne collocatum refert.* Ita quoque Hieronymus sentit in Catalogo. *Polycarpus Ioannis Apostoli discipulus, & ab eo Smyrnæ Episcopus ordinatus, totius Asiæ Princeps fuit. Quippe qui nonnullos Apostolorum, & eorum qui viderant Dominum, Magistros habuerit & viderit.* Sed Irenæus lib. III. aduersus hæreses apud Eusebium aliorum quoque Apostolorum meminit: Καὶ Πολύκαρπος δὲ οὐ μόνον ὑπὸ Ἀποστόλων μαθητευθεὶς, καὶ συναναστραφεὶς πολλοῖς τοῖς τὸν Χριστὸν ἑωρακόσιν, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ Ἀποστόλων κατασταθεὶς εἰς τὴν Ἀσίαν ἐν τῇ ἐν Σμύρνῃ ἐκκλησίᾳ ἐπίσκοπος. Quæ lucem fœnerantur Eusebio, cuius lib. III. cap. 36. hæc sunt verba: Διέπρεπε γε μὴν κατὰ τούτους ἐπὶ τῆς Ἀσίας τῶν Ἀποστόλων ὁμιλητὴς Πολύκαρπος, τῆς κατὰ Σμύρναν ἐκκλησίας πρὸς τῶν αὐτοπτῶν καὶ ὑπηρετῶν τοῦ κυρίου, τὴν ἐπισκοπὴν ἐγκεχειρισμένος. Hinc non satisfacit L. El. du Pin, quando in noua Bibliotheca ista Irenæi verba ad solum Ioannem restringit: *ce ne peut pas estre par un autre Apostre, que par S. Iean.* Christianus Lupus Notis in citatum Tertulliani locum varia obseruat, a nobis non omittenda. *Septimius*, inquit, *videtur affirmare, ipsum fuisse primum Smyrnensem Episcopum.* Obiicit autem Constitutionum Apostolicarum lib. VII. Cap. 47. verba: *Aristion primus Smyrnæ Episcopus. Huius post mortem Successor fuit Strateas, Loidis filius. Cui successit tertius Episcopus, alter Aristion. Lupus primum Aristionem Salaminæ Episcopum* fuisse coniicit, *certumque pronunciat, Apostolicarum Constitutionum auctorem labi.* Deinde ex Dorothei Catalogo refert, *Apellem, cuius mentionem Apostolus ad Romanos facit, Episcopus Smyrnæ ante S. Polycarpum factus est.* Putat itaque, Apellem a Paullo, istoque defuncto Polycarpum a Ioanne Smyrnæis datum esse Episcopum. His tamen non contenti alii ex eruditis, annum etiam, quo episcopatui præfectus sit Polycarpus, inuestigare satagunt. Vsserius not. 34. in Polycarpi Acta, postquam obseruasset, a variis varios Polycarpi in cathedra Smyrnensi Antecessores enumerari, subiicit: *Sed siue vnum siue plures in eo episcopatu antecessores ille habuerit: Illud constat, & a Christi passione ad Ioannis obitum minus quam*

LXX.

LXX. annorum spatium intercessisse & vltra septuaginta annos episcopatum Smyrnensem obtinuisse Polycarpum. Immo vero maius temporis spatium esse adsignandum DauidBlondellus indicat, quando in Apologia pro sententia Hieronymi de Episcopis & Presbyteris pag. 14. censet, Polycarpum *An. 82. a Ioanne ordinatum*, non refragante Pearsonio P. II. Vindic. Ignat. Cap. VII. Vnde Labbeus ait, eundem *anno Christi, vt creditur, 82. Episcopum ordinatum.* Cuius opinionis fundamentum Blondellus qua fuisse videtur in verbis Polycarpi ad Proconsulem, de quibus proxime disputauimus: Nec repugnat adeo temporum ratio, deque alio seruitio quam munere Ecclesiastico Polycarpum, Ecclesiæ quippe ministrum, loquutum non esse verba eius haud obscure innuunt, & omnino eum in sensum explicantur a Bullingero in Apocalypsin: *Destinatur Epistola Cælestis Angelo Smyrnensis Ecclesiæ, id est, Pastori. Testantur autem historiæ, Angelum siue Pastorem illum Smyrnensis Ecclesiæ Polycarpum fuisse, ordinatum ab Apostolis, ab ipso, inquam, Ioanne, Episcopum, ac vixisse in ministerio huius ecclesiæ annos LXXXVI.* Grotius in libello de Imperio Summarum Potestatum circa Sacra Cap. XI. num. 6. hæc Bullingeri verba suo consensu probat: *Verum est, quod de Polycarpo Bullingerus refert.* Sic etiam Moynius alicubi dicit: *Polycarpum per 86. annos rexisse Ecclesiam Smyrnensem:* Bollandus in Commentario præuio num. 17. post enarratas Pionii sui fabulas de Bucolo, subiicit: *Quid si antequam in Patmon relegaretur S. Ioannes, iam Episcopus erat? Id quidem sentiunt complures, qui quæ de Angelo Smyrnæ prædicat Apocalypseos 2. idem Ioannes, in Polycarpum putant esse pronuntiata: sicque illorum indicio circiter annum Christi 94. ordinatus fuerit. Demus tunc annorum fuisse 30. adiice 74. annos episcopatus & 4. annis centenario maiorem effeceris.* Haud paullo confidentius Lupus in notis citatis: *Et istud omnino fecit Ioannes ante Romanam in feruentis olei dolio confessionem, ac deportationem in Insulam Pathmon:* descriptisque Ioannis in Apocalypsi verbis addit: *Hæc, inquam, verba omnino diriguntur ad S. Polycarpum. Quod enim & ipse, & cuncta eius ecclesia horrendas persecutiones sustinuerit a paganis Romanorum Magistratibus, & quod ad ipsas scelerati Iudæi sint impetuosissime cooperati, apud Eusebium docet Smyrnensis Ecclesiæ epistola.* Equidem facile concesserim, Polycarpum a Ioanne in Apocalypsi intelligi, quod sane pleriq; Interpretes, optimeque illi conuenire ostenderunt Vsserius in Dissert. de Episcoporum & Metropolitanorum origine pag. 11. 12. 14. 15. & Theoph. Spizelius in Veteri Academia Iesu Christi pag. 24. neque abnuerim Pearsonio P. II. Vindic. Ignat. Cap. XI. suspicanti, Ignatium in epistola ad Polycarpum laudem illam Apocalypseos innuere: nolim tamen contendere, anno demum 94. vel 95. Polycarpum esse ordinatum; præsertim cum ex elogio in Apocalypsi liqueat, eum bonis operibus & afflictionibus iamtum probe fuisse

fuisse exercitatum, ad quod faciendum maius omnino spatium, quam annuum requiritur. Non satis itaque caussæ Cauius habuit, quando in Historia litteraria p. 27. 28. dubitat, *an vera sit* ista *Vsserii* de Polycarpo in Apocalypsi memorato *coniectura*, Pearsonio certe probata, cui alioquin ipse plurimum tribuere solet.

VI. Polycarpus noster in hac dignitate constitutus puritatem dogmatum & τὸ πρέπον disciplinæ Apostolicæ sibi duxit conseruandum. Cuius rei egregium testem Irenæus se sistit lib. III. Cap. III. *Hæc docuit semper, quæ ab Apostolis didicerat, quæ & Ecclesiæ tradidit, & sola sunt vera: testimonium his perhibent, quæ sunt in Asia Ecclesiæ omnes, & qui vsque adhuc successerunt Polycarpo.* Hinc alii Ecclesiarum ministri Polycarpo præ aliis sese probare studebant. Quod liquet exemplo Florini, Presbyteri, Romani, qui postea in hæresin prolapsus Irenæi animaduersionem meruit, de qua Eusebius lib. v. Historiæ Ecclesiasticæ Cap. xx. agit, ac verba quædam eius de Polycarpo conseruauit, quæ nuper a Pearsonio Dodvvelloque ad suam opinionem tracta accuratius discuti merentur. Εἶδον γάρ σε παῖς ὢν ἔτι ἐν τῇ κάτω Ἀσίᾳ παρὰ τῷ Πολυκάρπῳ, λαμπρῶς πράττοντα ἐν τῇ βασιλικῇ αὐλῇ, καὶ πειρώμενον εὐδοκιμεῖν παρ' αὐτῷ. *Vidi enim te, cum adhuc puer essem, in inferiore Asia apud Polycarpum, splendide agentem in palatio, & magnopere laborantem, vt te illi approbares.* Mox de felicitate memoriæ puerilis præfatus addit: *Adeo vt & locum ipsum possim dicere, in quo beatissimus Polycarpus sedens disserebat; processus quoq; eius & ingressus, vitæque totius formam, & corporis speciem; sermones denique, quos ad populum habebat; & familiarem consuetudinem, quæ illi cum Ioanne, vt narrabat, & cum reliquis, qui Dominum ipsum vidissent, intercesserat: & qualiter dicta illorum commemorabat; & quæcunque de Domino ab iisdem audierat. De miraculis quoque illius ac de doctrina, prout ab iis, qui verbum vitæ ipsi conspexerant, Polycarpus acceperat, eodem prorsus modo referebat, in omnibus cum Scriptura Sacra consentiens.* Posteriora verba, characterem Polycarpi delineantia satis per se clara sunt: priora autem, quæ Græce dedimus, adeo luculenter accurateque explicuit Henricus Dodvvellus, Dissertatione III. in Irenæum, vt non nisi vnicum παρόραμα commiserit. Monstrat enim num. 5. 6. 7. 8. 9. *pueritiam* Irenæi, quam lib. III. aduersus hæreses eandem felicitatem suam prædicans πρώτην ἡλικίαν vocat ex ipsius Irenæi aliorumque more computandi annum ætatis xxv. superare; num. 10. Florinum in Aula Imperatoris versatum (quod in Addendis ad hunc locum clarius euincit;) & quidem Hadriani, qui an. cxxII. Asiam visitauerit, num. 11. 12. At non satis considerauit Irenæi in altero de hæresibus loco verba de Polycarpo admodum sene. Ita enim sonant: ἐπὶ πολὺ γὰρ παρέμεινε καὶ πάνυ γηραλέος ἐνδόξως καὶ ἐπιφανέστατα μαρτυρήσας ἐξῆλθε τοῦ βίου. Quæ non alium gignunt sensum, quam Polycarpum diu in viuis fuisse,

isse, senioque confectum martyrio vitam finiisse: adeoque verba de senectute eius non ad tempus, quo eum vidit Irenæus, sed quo mortuus est, referenda veniant. Vnde non male vetus Interpres: *multum enim perseuerauit, & valde senex gloriosissime & nobilissime martyrium faciens, exiuit de hac vita.* Neque tamen inficias iuerim, Polycarpum A. C. CXXII. sexagenario maiorem fuisse; imo ex rationibus supra allegatis plures annos ipsi adsignauerim. Quæ autem inde pro sua opinione concludit Pearsonius, haud satis capio. *Quis hæc vnquam dixisset*, quærit, *qui quinquennio aut duodecennio circiter post tam clarum tanti Viri Martyrium scripserit?* At nullam ego difficultatem video, quæ magis premat vulgari Chronologiæ adhærentes, quam nouæ a Pearsonio productæ. Nec splendidiori elogio Irenæus ornare Polycarpum potuisset, siue ante quadraginta, siue duodecim demum aut quindecim annos vita functum. Sed operæ pretium puto de tempore, quo is aduersus hæreses scripsit, pauca inserere. Pearsonii P. I. Vindiciarum Ignatii Cap. VI. hæc est sententia: *Priores tres libros sub Eleuthero quidem scriptos constat, sed vergente iam ad finem eiꝰ pontificatu: reliquos aut sub Eleuthero iam exeunte, aut sub ineunte Victore exaratos patet.* Eleutherum autem idem in posthumis p. 221. ab An. CLXX. ad CLXXXV. sedisse censet. Sed Dodvvellus non modo hac in parte ab eo recedit, & Eleutheri annos a Christi CLXII. ad CLXXVII. numerat; verum etiam Dissert. IV. in Irenæum num. XXIV. seqq. tempus scriptionis eius sollicite exquirens, num. 34. definit, non diu post annum CLXXIV. illum cœpisse, & ante an. CLXXVII. desiisse ipsum scribere aduersus hæreses. Malim tamen Pearsonio accedere, quam Dodvvello: huius enim rationes in Eleuthero non satis firmæ sunt, & præcipuam earum a persequutione Christianorum Galliæ petitam satis eneruauit Antonius Pagi Critica in Annales Baronii An. CLXXVII. Quare placet mihi Chronici Alexandrini sententia, quam idem Pagius allegat An. CLXXXI. num. 4. Irenæum anno CLXXXIV. vel CLXXXV. aduersus hæreses scripsisse: quod quidem de vltimis Operis libris intelligi velim; priores enim annis præcedentibus confectos esse facile largior.

VII. Neque exiguam laudem Polycarpo conciliant, quæ addit Irenæus in epistola ad Florinum: *Et in conspectu Dei affirmare possum, beatum illum & Apostolicum Presbyterum, si quid eiusmodi vnquam audiisset, exclamaturum continuo, & obturatis auribus suis dicturum fuisse, prout ipsi moris erat:* ὦ καλὲ θεὲ, εἰς οἵες με καιρὲς τετήρηκας, ἵνα τέτων ἀνέχωμαι. *Deus bone, quæ me in tempora reseruasti, vt hæc sustinerem! Atque ex loco ipso aufugiturum, in quo seu stans, seu sedens, eiusmodi sermones audiisset.* Multam lucem his affundit Cl. Dodvvellus num. XII. XIII. monstrans, quomodo Polycarpus nouis exorientibus hæreticis subinde ita exclamarit, suamque indignationem tam sermonibus, quam scriptis

scriptis etiam ea de caussa ad vicinas Ecclesias epistolis, testatam fecerit. Sicuti autem generalis est & per totam Polycarpi vitam ista consuetudo sese extendit; ita nolim cum Dodvvello ad Hadriani ætatem ortosque tum Hæreticos extendere. Saltem cum Romam venit Polycarpus, istam suam indignationem apertissime prodidit, Marcionique sibi obuiam facto dixit: *Agnosco Te primogenitum Diaboli.* Etenim hic hæreticorum malleus gliscente inter Occidentis & Orientis Ecclesias Paschali dissidio, quod postea demum in neruum erupit, Romam profectus est, vt cum Aniceto Episcopo super ea re collationem institueret. Rem omnem prolixius ex Irenæo exponit Eusebius lib. IV. cap. 14. & lib. V. cap. 24. Non erimus adeo soliciti de tempore, quo Romam venerit Polycarpus. Nam quæ aduersus Baronium disputat Valesius, intricatissimæ supputationi annorum Episcopatus primorum Romæ Antistitum innituntur, & hoc loco magis augentur varietate antiquorum scriptorum, dum alii præponunt Anicetum Pio, alii postponunt; obseruante Eman. a Schelstrate in Serie Chronologica Romanorum Pontificum col. XLVII. qui posteriorem sententiam amplectitur, Irenæi, Egesippi aliorumque auctoritate fretus, & cum Petauio ac Labbeo statuit *succedisse Pio Anicetum 25. Julii anno 166.* mox addens, *sub Aniceto Polycarpum Romam venisse.* Sed vereor, vt hæc satisfaciant Valesianæ sententiæ, multo minus dubia a D. Augusto Varenio Rationar. Script. Eccles. Sæc. I. pag. 32. mota euellere possunt, cui *non satis apparet, quomodo, qui sub Antonino, imperante ab an. 140. ad 162. coronatus, & Martyr ignibus est traditus, cum Aniceto, qui demum sedit ab anno 167. communicare potuerit: Vt haud mirari liceat, pro Aniceto lectum olim Anacletum longe anteriorem.* Quanquam non diffiteor, vniuersali Codicum Irenæi, Eusebii, Hieronymi, Socratis & aliorum consensui hæc vix præiudicare, quum constet, Polycarpum non sub Antonino Pio, sed M. Aurelio Antonino martyrium subiisse. Nisi fortassis alicui placeant recentiorum Anglorum, Pearsonii ac Dodvvelli, rationes, Anicetum ab anno CXLII. sedem Romanam tenuisse. Fateor tamen, eas sese mihi hactenus nondum probasse, nec Pearsonium satisfecisse responsionibus, quas ad finem prioris Dissertationis protulit, vt præcipuum opinionis suæ fundum, Scriptorem Arabem, Eutychium, ab exigua eius in Historicis & Chronologicis fide a seipso in Vindiciis Ignatianis prolixe ostensa liberaret. Saltem argumenta, quæ pro citeriori, ac vulgo numerari solet, Aniceti Pontificatu, a martyrio Polycarpi & hæreticorum ortu petiit, æque incerta sunt, ac primorum Romæ Episcoporum successio.

VIII. Vtut autem controuersia Paschalis primaria forte non fuerit caussa aduentus Polycarpi in vrbem, sed hæreticorum potius confusio aut conuersio; ex contextu tamen Irenæi nullo negotio elicitur, ad eandem quoque

 com-

componendam itineri sese accinxisse ac Anicetum conuenisse, idque confirmant Eusebius priori loco, & Hieronymus in Catalago. Quamobrem non opus habebat Valesius, vt contenderet, *hoc tantum dicere Irenæum, cum Polycarpus Romam venisset Aniceti temporibus, & leues quasdam cum illo de aliis rebus controuersias habuisset, ambos tamen illico pacem inter se fecisse, ac de festo Pascha noluisse inter se contendere.* Irenæus enim non tam negat, controuersiam de Paschate celebrando inter Polycarpum & Anicetum agitatam fuisse, quam adfirmat, μὴ φιλερεισήσαντας, non acriori animorum contentione ac obstinatione sententiarum eos in hoc negotio versatos fuisse, quod non impedit, quo minus de illo etiam, amicis vtrinque vsi persuasionibus, quas diserte nominat Irenæus, inter se contulerint. Melius itaque hæc conciliare adgressus est Natalis Alexander Sæc. II. Dissert. V. conclusione tali proposita: *Morem Asiaticarum Ecclesiarum Pascha Luna 14. cum Iudæis celebrantium, congressus cum S. Polycarpo Anicetus suadere non potuit, vt abiiceret: Nullum tamen inter ipsos dissidium fuit.* Nec improbanda est consequentia, quam ex istis Irenæi apud Eusebium verbis nectit Schelstratius Antiq. Illust. P. II. Dissert. I. cap. III. num. 30. *Ex quibus apparet, Romanos Pontifices ad ista vsque tempora Asianorum consuetudinem non improbasse, & primum omnium fuisse Victorem Papam, qui se Asianis opposuerit, & paschatis diem iuxta morem Ecclesiæ Romanæ obseruandum præscripserit, ac communionem ipsam denegandam Asianis minitatus sit.* Conf. Dionysius Petauius lib. II. de Doctrina Temporum Cap. LVII. pag. 206. & Ioan. Cabassutius Notit. Eccles. p. 19. Quorum iudicia opponi possunt Baronio A. 159. n. 3. illiberaliter Polycarpum mendacii accusantem & Iudaismi postulantem. Vid. Ioann. Henr. Ottius Exam. Annal. Baron. To. II. p. 173.

IX. Cæterum quod dixit Irenæus, καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ παρεχώρησεν ὁ Ἀνίκητος τὴν εὐχαριστίαν τῷ πολυκάρπῳ κατ' ἐντροπὴν δηλονότι, ansam dedit eruditissimis inter Pontificios viris accuratius inquirendi, an recte Irenæi sensum adsequuti sint Rufinus & cæteri Interpretes hoc modo a Valesio expositum: *Hunc honorem Anicetus Pontifex Romanus habuit venerabili seni Polycarpo, vt illum in Ecclesia sacra facere sineret, & quidem præsente se, quod inprimis notandum est.* Sed Franciscus Florens Antecessor Aurelianensis in tractatu ad Titulum 7. Decretalium de translatione Episcopi vult, *Anicetum porrexisse duntaxat Eucharistiam Polycarpo, non autem concessisse illi ius sacra mysteria celebrandi.* Huic se opposuit Valesius: *Verum si hunc Irenæi locum sic intelligimus, quid honoris tributum fuerit Polycarpo ab Aniceto? Hoc enim diserte notat Irenæus, tum illo verbo παρεχώρησε, quod de suo iure concedere significat; tum illis verbis quæ addit κατ' ἐντροπὴν δηλονότι. Id est, honoris caussa & contemplatione, vt vertit Rufinus. Certe si Eucharistiam tantum Polycarpo porrexisset Anicetus, nullum ei præcipuum bono-*

honorem detulisset; cum omnibus peregrinis Episcopis id passim tribui soleret, vt cum Episcopo ciuitatis simul communicarent, quemadmodum scribit ipse Florens ibidem: sed & in Concilio Arelatensi capite 20. decretum est, vt peregrino Episcopo locus sacrificandi detur. Petrus autem de Marca nihil motus Valesianis obseruationibus Lib. v. de Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 11. num. 6. postquam eundem Concilii Arelatensis primi Canonem attulisset, non dubitauit opinioni *Fr. Florentis* (hunc enim diserte in margine nominat Baluzius) subscribere: *Etenim ante huius Concilii definitionem Eucharistia tantum in Ecclesia illis porrigebatur, iuxta morem ab Aniceto Papa inductum; quo vsus est erga Polycarpum Smyrnensem, quem Eucharistiæ communione* in Ecclesia *denotauit; licet ante illud tempus peregrinis Episcopis Eucharistia* domum *mitti consueuisset, ne a communione viderentur alieni. Vtriusque consuetudinis, & illius antiquissimæ & indulgentioris ab Aniceto inductæ, meminit Irenæus, qui* κατ' ἐντροπὴν *concessam in Ecclesia Polycarpo Eucharistiam obseruat disertis verbis.* Ἐντροπὴ *in eo versabatur, ex mea quidem sententia, quod Anicetus sacramenta non misisset domum, sed Polycarpo permisisset iis participare contra Ecclesiæ cancellos. Male enim interpretes hunc locum ad celebrationem Liturgiæ ab Aniceto permissam trahunt, quemadmodum adnotauit vir doctissimus, cuius censura hac nostra obseruatione & canone Arelatensi omnino confirmatur.* Diiudicet hæc prudens Lector. Ego fateor, vtrobique rationes minime spernendas deprehendi, & Valesianæ explicationi præluxisse B. Chemnitium Part. 11. Examinis Concilii Tridentini pag. 165. *Quod non ita simpliciter intelligendum est, quasi Anicetus Polycarpo præbuerit & porrexerit Eucharistiam, sed quod concesserit Polycarpo, vt in Romana Ecclesia celebraret, & administraret Eucharistiam. Irenæus enim his verbis vtitur:* παρεχώρησε πολυκάρπῳ τὴν εὐχαριστίαν. Nolim tamen vtramque sententiam admittere cum Ottio Exam. Annal. Baron. An. 167. n. 11. quum diuersæ actiones innuantur. Nam si prior valet, Polycarpus ipse Eucharistiam distribuerit: Si posterior, Polycarpo Anicetus eam porrexerit, vel secundum Marcam ea participare permiserit. Nec dissimulo, propius verbis Irenæi respondere Valesianam, quæ verum retinet vsum vocis παρεχώρησε hic inprimis attendendæ, sed nuspiam vel de distributione Eucharistiæ vel participationis saltem permissione apud veteres vsurpatæ. Nec Canon Concilii Arelatensis obstat, quo minus iamtum præcedentibus temporibus Liturgiæ celebratio peregrinis Episcopis Romæ concessa fuerit, eamque postea in cæteris quoque Occidentis Ecclesiis permittendam sanciuerint huius Synodi Patres, qui ex vniuersa Occidente congregati fuerant. Certe hunc in sensum Canonem istum accipit Natalis Alexander in Synopsi Sæculi quarti p. 61. *Decimus nonus Canon Episcopis peregrinis locum dari sacrificii offerendi iubet: quod antea non concedebatur vulgo & ex Ecclesiæ disciplina:*

quamuis Anicetus Romanus Pontifex offerendi potestatem S. Polycarpo, honoris ergo, Romana in Ecclesia fecerit. Neque enim insolens est, rem in aliqua Occidentis Ecclesia seorsim vsurpari cœptam, reliquis etiam per Concilia iniungi. Exemplum præbet idem Arelatense Concilium, Canone VIII. aduersus Donatistas ratum habens Baptismum hæreticorum in nomine Trinitatis collatum, & rebaptizationem prohibens: quod iampridem in Synodo Africana sub Agrippino celebrata sancitum fuerat. Guil. Beueregiis in Codice Canonum primitiuæ Ecclesiæ vindicato lib. II. Cap. XII. hinc defendit antiquitatem Canonum Apostolicorum, quos ipse Marca ante Concilium Arelatense occasione controuersiæ inter Stephanum & Cyprianum cusos esse vult, adeoque tacite concedit, ante Concilium Arelatense in Ecclesia morem aliquem obtinuisse, ab eodem denuo sancitum.

X. Equidem hic intercedit Stephanus le Moyne, cuius verba integra dabimus: *Ingenue fateor, mihi durum videri istud loquendi genus,* παραχωρεῖν Ἐυχαριστίαν, *pro concedere munus consecrandæ Eucharistiæ. Hunc sensum nec vox* Ἐυχαριστία, *nec verbum* παραχωρεῖν *complectuntur. Si dixisset* λειτουργίαν, *hoc non tantam pateretur difficultatem.* Παραχωρεῖν λειτουργίαν, *reddi posset, concessit officium, id est, ius officio defungendi. Sed nullibi* Ἐυχαριστία *sumitur pro iure Eucharistiæ consecrandæ, nec in se* παραχωρεῖν *ius conferre significat.* Ἐυχαριστία *hic sumitur eodem sensu, quo accipitur paucis lineis ante. Nam ibi idem Irenæus dicit,* ἔπεμπο. εὐχαριστίαν, *miserunt absentibus ac peregrinis, non ius Eucharistiæ conficiendæ, sed ipsam* Ἐυχαριστίαν, εὐλογίαν, *vt loquitur Concilium Laodicenum,* τὰ ἅγια, *vt Concilium Carthaginense,* τὸν ἄρτον εὐχαριστηθέντα, *vt B. Iustinus Martyr. Sic paullo infra dicit,* Ἀνίκητος παρεχώρησε πολυκάρπῳ τὴν εὐχαριστίαν. *Quod meo iudicio non est intelligendum de iure celebrandi publice in Ecclesia, quod Polycarpo peregrino concesserit Anicetus. Sed de iure Eucharistiam accipiendi, ac illi communicandi cum Aniceto ac Clero Romano, quod nisi Catholico, Orthodoxo, in fide omnino conformi, non poterat iure concedi. Praiuerat Valesio interpretatio Christophorsoni, quæ sic sonat, ritus, qui in Eucharistia peragi solebant, Polycarpo Anicetus, obeundi potestatem concessit. Vbi tamen ritus sumendæ Eucharistiæ, non vero consecrandæ, æque possunt intelligi. Certe si diceret Irenæus,* εὐχαριστίαν προσφέρειν, ἐπιτελεῖν, εὐλογεῖν, *vel* παρεχώρησεν εὐχαριστεῖν; *nulla foret difficultas, nec dubitandi vel minimus scrupulus. Sed* παραχωρεῖν εὐχαριστίαν, *pro ius concedere Eucharistiam celebrandi, est locutio tam peregrina auribus meis, vt vel alterum exemplum apud bonos auctores reperiri posse desperem. Concessit ergo mea sententia Anicetus Polycarpo ius communicandi Sacræ Eucharistiæ. Concessit peregrino, concessit dissidenti, concessit publice, in Ecclesia, in omnium conspectu, vt illorum inter se concordiam nullus posset*

in

in dubium reuocare. *Nam peregrinis absentibus etiam mittebatur Eucharistia, ad ægrotos, qui publicis sacris non poterant interesse, mittebatur peregrinis, in vrbe morantibus, qui Lingua ignota caussa, vel alia quauis ratione, non poterant publice communicare; & hinc forsan* Communio peregrina, *id est, cuius participes erant tantum in priuatis ædibus, instar peregrinorum, ii, qui Ecclesiæ censuram aliquando incurrissent, de qua nos forsan alibi. Sed aliter cum Polycarpo agendum censuit Anicetus, & Polycarpus cum Aniceto.* Ἐκοινώνησαν ἑαυτοῖς. *Se ipsos concordes significarunt, & participatione & communione vnius panis, se vnam fidem, vnam charitatem, vnū cor & animam habere declararunt; ac Anicetus Polycarpo concessit Eucharistiam sumendam in Ecclesia, publice, propter reuerentiam qua virum prosequebatur, ne a se inuicem discedentes sine ista publica concordiæ testificatione, & sine vinculo, quod lites compositas, vel de* ἀδιαφόροις *esse significaret, discessus & separatio ista discordes animos proderet, & Ecclesiæ paci publicæ, & concordiæ non parum intercederet.* Deinde allegat Franc. Florentis suffragium: *Nec enim temere Ciuitatis Episcopus, Anicetus, videtur concessisse peregrino, ius celebrandi, & habendi conuentum, & sacra coram eo peragendi, illis præsertim temporibus, in rixa iam suborta.* Addit vero Moynius: *Videtur falli Cl. Florens, & confundere tempora Aniceti & Victoris, Polycarpi & Polycratis, cuius tempore admodum feruebat negotium de Paschate. Sed in eo omnino mihi probatur, quod Polycarpo ius celebrandi non concessum contendat, sed ius tantum ritibus publicis communicandi, & Sacræ Eucharistiæ in Ecclesia percipiendæ.*

XI. Fateor, morem Episcoporum, Eucharistiæ participatione mutuam communionem concordiamque testandi, esse antiquissimum, neque dubito, quin eo faciant verba Chrysostomi in epistola ad Innocentium, de Theophilo Alexandrino Constantinopolin ingresso: οὐκ εἰς ἐκκλησίαν ἦλθε, κατὰ τὸν ἄνωθεν κρατήσαντα θεσμὸν, οὐχ ἡμῖν συνεγένετο, οὐ λόγων μετέδωκεν, οὐκ εὐχῆς, οὐ κοινωνίας. *Ecclesiam non adiit iuxta morem hactenus obseruatum, neque nobis cum congressus est, nec particeps nos sermonis fecit, non precum, non communionis.* At *communionis inter Episcopos hoc erat Symbolum, vt alter ab altero acciperet Eucharistiam*, docente ac probante Larroquano Lib. II. Aduersariorum Sacrorum Cap. I. extremo. Nihilominus aliquid amplius innui existimo ab Irenæo, cuius ætate consuetudo ista Episcoporum neque noua, neque singularis fuisse videtur. Sed peculiare quiddam atque insolitum Anicetus Polycarpo concessit, quo mutuam testaretur concordiam; id nempe, quod sibi ipsi in celebratione Eucharistiæ competebat. Quodnam erat hoc? Consecratio. Diserte enim Ignatius in Epistola ad Smyrnenses: Ἐκείνη βεβαία εὐχαριστία ἡγείσθω, ἡ ὑπὸ τὸν ἐπίσκοπον οὖσα, ἢ ᾧ ἂν αὐτὸς ἐπιτρέψῃ. Vetus Interpres: *Illa firma gratiarum actio*

actio reputetur, quæ sub ipso est, vel quam vtique ipse concesserit. Multo clarius id confirmat Iustinus Martyr in Apologia prima, quæ vulgo secunda audit: ἔπειτα προσφέρεται τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος. καὶ οὗτος λαβὼν, αἶνον καὶ δόξαν τῷ πατρὶ τῶν ὅλων διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, ἀναπέμπει καὶ εὐχαριστίαν ὑπὲρ τοῦ κατηξιῶσθαι τούτων παρ' αὐτοῦ ἐπὶ πολὺ ποιεῖται. *Deinde ei qui fratribus præest, offertur panis & poculum aquæ & vini, quibus ille acceptis, laudem & gloriam rerum vniuersarum Patri, per nomen Filii & Spiritus Sancti offert, & Eucharistiam siue gratiarum actionem, pro eo, quod nos donis suis hisce dignatus sit, prolixe exsequitur.* Nescio, an quidquam proferri queat, quod Irenæum magis illustret. Iustinus sane Polycarpo & Aniceto σύγχρονος fuit, & quid τῷ προεστῶτι, hoc est, primario Ecclesiæ Ministro in actionibus Eucharisticis conuenerit, certissime testatur. Atqui Anicetus Romanæ Ecclesiæ erat προεστὼς & Episcopus, munusque suum sine dubio strenue obiuit; quod tantum in consecratione consistebat, minime autem in distributione, quam Iustinus Diaconis adscribit. Ergo neque Anicetus ipse Polycarpo porrexit Eucharistiam; neque ab eo pro more illorum temporum accipere potuit: vterque enim προεστὼς erat. Cum igitur παραχωρεῖν propriissima significatione *de iure suo concedere* est, vti Valesius optime adnotauit; tum facile patet, Irenæum nihil aliud velle, quam Anicetum Polycarpo cessisse ius consecrandi, quippe quod ipsi de iure competebat, adeoque ἐπιτροπὴν Ignatio commemoratam ac probatam obseruasse; splendidiori sane ratione, quod non Presbytero, sed maximæ auctoritatis Episcopo vices suas demandaret. Moynii auribus insolens plane videtur phrasis Irenæi hoc sensu intellecta: sed in eo securos esse iubeo Lectores. Verbo enim παραχωρεῖν similiter vsus est Plutarchus in Lycurgo pag. 85. editionis Henrici Stephani. quem locum & ipse Stephanus in Thesauro & alii Lexicographi pridem obseruarunt: τῶν δὲ ὄψων εὐδοκιμεῖ μάλιστα παρ' αὐτοῖς ὁ μέλας ζωμὸς, ὥς τε μήτε κρεαδίου δεῖσθαι τοὺς πρεσβυτέρους, ἀλλὰ παραχωρεῖν τοῖς νεανίσκοις, αὐτοὺς δὲ τοῦ ζωμοῦ καταχεαμένους ἑστιᾶσθαι. i. e. interprete Cruserio: *Inter pulmenta prima laus erat iuri nigro: quare carnes non petebant maiores natu, quas iunioribus permittebant: ipsi decuriati iuribus vescebantur.* Proinde sicut seniores Lacedæmonii optimo iure poterant vesci carnibus, tanquam præstantissimo corporis nutrimento, illud tamen iunioribus sponte cedebant: Ita etiam Anicetus Polycarpo ius consecrandi Eucharistiam sibi ipsi alias competens libere concesit. Neq; difficultet expedias tricas a Moynio ex voce εὐχαριστία apud Irenæum nectas. Nam & Iustinus eodem loco τὴν εὐχαριστίαν vsurpat tam de consecratione (vt audiuimus) a Præside peracta, quam de sacris speciebus; dicens quippe, panem & vinum a Diaconis distribui præsentibus & ad absentes perferri, e vestigio addit: καὶ ἡ τροφὴ αὕτη

καλεῖ-

καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία, alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia. Quamobrem verissime Bebelius Sæc. II. Antiq. Eccles. Euang. p. 322. *Quod si ex peregrinis adesset Episcopus vel Sacerdos, huic celebrandæ cœnæ facultatem faciebant, vt Anicetus Polycarpo, testandæ concordiæ ergo.* Nostram quoque sententiam tenet Henricus Dodvvellus Dissert. III. in Irenæum num. 25. multaque singularia more suo admiscet, quæ breuiter delibabimus. Ait, primariis traditionis Ecclesiasticæ auctoribus, (qui cum Apostolis, vt Polycarpus, vel primis eorum discipulis, vt Irenæus, versati erant) eundem honorem delatum esse, qui postea secundum Sedis dignitatem Episcopis deferebatur. *Sic enim Polycarpus iam senior plures, etiam e Romanis hæreticis, ad Ecclesiam conuertit. Eidemque Polycarpo Romanus Episcopus Anicetus, etiam in propria Sede Romana, εὐχαριστίαν παρεχώρησε, & quidem κατ' ἐντροπὴν, sua nimirum ductus verecundia, tantique Viri reuerentia. Senectutis nimirum honor erat, etiam in vulgaribus Conuiuiis, (vnde Conuiuii Eucharistici exemplum est desumptum) vt qui reliquos ætate anteiret, is in Gratiarum actione, & solemni cibi benedictione, reliquis præiret. Vestigium nimirum, vt videtur, illud antiquissimi Primogenitorum Sacerdotii. Inde Paulo Eremitæ* (teste Hieron. in eius vita) *vtpote seniori communium ciborum benedictionem fractionemque obtulisse traditur Antonius, quem tamen ipse honorem præ modestia repulerit. Patrisfamilias illud erat officium, nisi honoris caussa hospitem aliquem iure illo decorandum censuisset. Sic ergo Episcopo siue προεστῶτι* (apud Iustinum Mart. Apol. II.) *vt Patrifamilias S. Matth. XXIV. 45. bonor ille proprius, Sacra quoque Conuiuia benedicendi, panemque Eucharisticum frangendi, in propriis præsertim Ecclesiis, quem ille* (Anicetus) *Polycarpo tamen obtulerit. Arrogauit sibi honorem illum Ioannes Episcopus Romanus Constantinopoli An. DXXV. vt ex Auctoris coæui Fragmento discimus ad calcem Anastasii Nicæni in Codice Oxoniensi. Et quidem eodem arrogauit nomine Senioritatis, quem tamen Senioritatem ille Sedis obtendebat, non hominis, vt in illis, quæ modo dedimus, exemplis.*

XII. Maiori animorum contentione inter Orthodoxos & Pontificios disputatur, an Polycarpus Romanum Episcopum pro capite Ecclesiæ agnouerit? Aientem quidem sententiam post alios plurimos defendere satagunt Petrus de Marca Dissert. de Primatibus num. CXI. & Leo Allatius lib. I. de Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua consensione Cap. XI. num. 8. sed irrito plane successu, quod Nostrates dudum euicerunt, e quibus vnum sufficiat citasse Bebelium Antiq. Eccles. Sæc. II. Artic. VI. §. II. Neque enim opus erat, vt Anicetus persuadendo Polycarpo tempus tereret, sed imperare par erat, vt faceret, quod vellet. Nec permissio Paschatis Polycarpo facta est dispensatio Pontificis, sed necessitas, quod Asiatici traditionem Apostolicam vrgerent. Conf. Ottius An. 167. n. 10. 11.

qui an. 169. num. 7. sq. egregie exponit, quemadmodum Polycarpus ex Asia in Gallias miserit Euangelii praecones, vt non opus sit cum Petro de Marca fingere, Pontificis Romani consensu adprobationeque id peractum esse. Equidem hodierni Angli in hoc simpulo fluctus mouent, inprimis Pearsonius Dissert. II. de Successione priorum Romae Episcoporum Cap. XIV. scribens, *Halloixium vulgari Chronologia misere deceptum asserere, Irenaeum a Polycarpo primo Diaconum, dein Presbyterum ordinatum esse; cum Irenaeus nunquam Polycarpum vidit, postquam ad Ephebos transierat ipse.* Id magis ex epistola Irenaei ad Florinum confirmare satagit addens: *An Irenaeus haec dixisset, si adultior factus Polycarpum audiisset, si ab eo Diaconus & Presbyter ordinatus in Galliam missus fuisset? An misericordiae Dei, quod eum puer adhuc studiose audiuerit, & gratiae etiam imputasset, quod quae ab eo tunc audierat, assidue recoluerit, si eius doctrina & institutis per multos annos postea fuisset imbutus: Ferri haec non possunt. Irenaeus Polycarpum audiuit adhuc puer, & in prima aetate; admiratione tam venerandi Viri captus eius personam, gestus & verba in animo semper habuit, eiusque auctoritatem omnibus Haereticis opposuit.* Haec pluribus exaggerat Dodvvellus Diss. III. in Irenaeum num. 5. *Plane commentitia ea omnia fuisse necesse est, quae de Irenaei Presbyteratu, Diaconatu aliisque Ecclesiae Officiis, a Polycarpo acceptis, nulla prorsus Historicorum monumentorum fide, tradidit Halloixius. Quid enim? Puerumne Polycarpus, & in prima aetate constitutum, ad Presbyteratum vsque fuerat euecturus? Aut maturuisse verisimile est apud Polycarpum illam Irenaei pueritiam, cum & illud innuat, non nisi a se puero senem quoque Polycarpum potuisse videri; & memoriam suam rerum a Polycarpo traditarum exinde confirmet, quod firmissima esse soleant, quae a puerili vsque aetate soleamus in memoria recondere? Nusquam memorat ille, quod tamen potissimum fecisset ad res firmius in memoriam imprimendas, tempus in Polycarpi familiaritate diutinum. Perperam ita fuisset argumentatus, si Polycarpum etiam prouectior, & diuturniori etiam tempore, audiuisset.* Non dubito, Dodvvellum aliter iudicaturum, dummodo in memoriam sibi reuocauerit, quae de ἡλικία πρώτη Irenaei, qua is Polycarpum vidit, in eadem Dissertatione docuit, cumprimis haec verba: *Eam itaque aetatem intellexit, quae suo quodam proprio iure ἡλικία dicenda erat, iustam nimirum hominis adulti, gerendisque seu domi, seu militiae idonei*, id est, ab anno aetatis XXV. vti mox pluribus declarat, Irenaeumque eundem agentem annum Polycarpo adfuisse contendit. Quis vero negauerit, in illa aetate Irenaeum a Polycarpo Diaconum ordinari potuisse? Nulla tamen ipsum necessitas coegit, in epistola ad Florinum ordinationis suae mentionem faciendi, quae Florinum haud latebat, neque ad errores eius profligandos quidquam conducebat. Presbyterum vero a Pothino Lugduni ordinatum facile concesserim Ludouico du Pin To. I. pag. 24. *Le P. Hal-*

P. Halloix a creû, qu' il avoit esté ordonné Prestre par saint Polycarpe : Il y a plus de apparence, qu' il n' a esté ordonné que par Photin, c' est pourquoi S. Jerôme l' appelle le Prestre de Photin. Ita enim incipit Hieronymus in Catalogo : *Irenæus Photini Episcopi, qui Lugdunensem in Gallia regebat Ecclesiam, Presbyter.* Cæterum Canius in Historia litteraria p. 40. licet Dodvvelli *de Irenæi ætate sententiam hoc loco amplectendam duxerit*, præmisit tamen hæc verba : *Probabile est, illum vna cum Polycarpo Romam sub Aniceto venisse, indeq; in Gallias profectum, Lugduni lares fixisse, eiusq; Ecclesiæ Presbyterum factũ esse*; quæ sane Dodvvello contrariantur, nec cum prima Irenæi ætate vllatenus consistere possunt, siue Polycarpus post annum Christi CXLII. cum Dodvvello, siue post annum CLXII. Romam venisse dicatur. Ergo iam ante illud tempus Irenæum in Galliam missum necesse est, non vero post, vt Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano scripsit, quasi *Polycarpus ex Asia Romam cum peteret, Massiliam appulsus, inde B. Pothinum Lugdunensem Episcopum & Martyrem, eo semina gratiæ sparsurum; deinde redux & Irenæum eius in Episcopatu successorem, itidemque iuratum Christi testem, Galliam in Celticam legauerit.* At Bollandus in Commentario præuio num. 25. inquit, *S. Pothinum tunc esse Lugdunum missum, haud facile fortasse quis credet. Nam Eusebii & Hieronymi testimonio constat, S. Pothinum fuisse, cum obiit, M. Aurelii Imperatoris & S. Eleutheri Papæ temporibus, nonagenario maiorem : vt oportuerit eum, si S. Polycarpum Romam comitabatur, tum septuaginta minimum annos natum fuisse, minusque ad eiusmodi Apostolicam expeditionem idoneum : nisi si solum Antistite & Doctore egebant Lugdunenses, iam antea conuersi, eumque poposcerent a Polycarpo, aut Aniceto Papa.* Frustra quidem Papam admiscet Bollandus, cuius tum in Gallicanam Ecclesiam nulla erat potestas : bene tamen coniicit, florenti ætate Pothinum a Polycarpo missum. Cum igitur Pothinus A. C. 177. quo martyrio vitam finiuit, nonagenario maior fuerit, teste apud Eusebium Lib. v. Cap. II. Viennensis Lugdunensisque Ecclesiæ epistola ; tum minimum ante quadraginta aut quinquaginta annos eum a Polycarpo illuc missum oportet, forte circa A. C. 123. quo Irenæus Diaconus commodissime adiungi potuit, etiam ex Dodvvelli rationibus : cui iungemus L. du Pin p. 74. *Gregoire de Tours écrit, qu' il y fut envoié par saint Polycarpe, on ne sçait pas l' année, il y a de l' apparence, qu' il ne demeura pas long-tems en Asie.*

XIII. Vtcunque autem ista se habeant, reliquorum a Polycarpo in Galliam missorum tempus forte post eius reditum ex Romano itinere melius collocabitur, de quibus pergit Saussayus : *Benignum ad Lingonenses, Andochium & Thyrsum ad Æduos, Andeolum ad Viuarienses, salutis nuntios destinauit.* Multa de his ex Martyrologiis congessit Bollandus, quæ apud eum legant harum

rerum curiosi. Nos duorum inter Reformatos celebrium Doctorum suffragia allegabimus. Alter est Ioannes Dallæus Cap. IX. de Extrema Vnctione: *Illud quidem certum atque indubitatum est, Lugduni & Viennæ & locis vicinis Euangelium primum prædicasse viros non Roma, sed ex Asia missos, earumque Ecclesiarum, quibus nullæ sunt in Gallia antiquiores, originem inde fuisse, quod fatetur & vtriusque Ecclesiæ de suorum martyriis ad Asianos potissimum, veluti ad suæ pietatis parentes gratulatio,* (intelligit Dallæus illorum epistolam paullo ante a me laudatam ex Eusebio, vbi conferri merentur Valesii annotationes) *& a Polycarpo Smyrnæ Episcopo in Galliam missa legatio. Benignum quidem & Audochium presbyteros, Thyrsum Diaconum & Felicem, Audeolum item subdiaconum a beato Polycarpo ab Oriente ad docendam Galliam directos esse & in prouinciis strenue laborasse, martyrioque tandem consummatos esse, vel Romanum ipsum Martyrologium hodienum loquitur.* Alter est Stephanus le Moyne in Dissert. de Polycarpo: *Similis irrepsit error apud Martyrologia quædam, & Episcopum Equilinum in Catal. Sanctorum. Vbi legitur, D. Benignum & Antiochum Polycarpi Discipulos, missos in Galliam, ac Benignum Diuioni in Burgundia passum sub Aureliano. Sed non ibi legendum Antiochum, sed Andochium, ac pro Aureliano, legendum Aureli. An. Aurelio Antonino; sub quo Præceptor & Discipuli missi, robore animi infracto se commendarunt, pro vna ac eadem fide passi sunt;* &c.

XIV. Cum igitur Polycarpus optime de Ecclesia Gallicana meritus fuerit, tum mirum haud est, memoriam eius in ista solennissime celebratam seruatamque fuisse. Notari cumprimis meretur locus Gregorii Turonensis Lib. I. de gloria Martyrum Cap. 86. *Dies passionis erat Polycarpi Martyris magni, & in Ricomagensi vico ciuitatis Aruernæ eius sollemnia celebrabantur. Lecta igitur passione cum reliquis lectionibus, quas canon sacerdotalis innexit, tempus ad sacrificium offerendum aduenit; acceptaque turre Diaconus, in qua ministerium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium, ingressusque templum, vt eam altari superponeret, elapsa de manu eius ferebatur in aera, & sic ad ipsam aram accedens, nunquam eam manus Diaconi potuit assequi; quod non alia credimus actum de caussa, nisi quia pollutus erat in conscientia. Sæpius enim ab eodem adulteria ferebantur admissa.* Quæ egregie illustrant Dallæus Lib. VI. de Cultibus Latinorum Religiosis Cap. VII. Steph. le Moyne in Dissert. Analectica de Polycarpo, Ioan. Mabillonius Lib. I. de Liturgia Gallicana Cap. V. num. 7. 9. & Cap. VII. num. 7. & alii. Nobis verba Gregorii adduxisse sufficiat, cum alia restent maioris momenti, Polycarpum ipsum attingentia.

XV. Etenim ante paucos annos in Gallia ex itinere eius Romano mota est controuersia, quam recensebimus & examinabimus. Petrus Facditius (Gallice *Faydit*) Concionator Parisiensis, in sermone sacro, die Polycarpi 26. Ianuarii an.

rii an. CIↃ IↃ C XXCVIII. ad populum habito libere satis de Polycarpi itinere Romano, & Victoris Papæ actionibus contra Ecclesias Asiaticas fuerat loquutus, ita vt sub Victoris persona haud obscure redargueret, quæ Innocentius XI. tum Papa aduersus Regem Galliæ eiusque Legatum Lauardinum statuerat. Mox prodiit libellus, *le Predicateur Regaliste de Saint Polycarpe confondu*, quo bonus ille Concionator adulationis aulicæ milleque falsitatum postulabatur; indeque occasionem captabat, excerpta ex concione sua in publicum edendi, notisque pro virili defendendi, hoc titulo: *Extrait d'un Sermon preché le iour de Polycarpe, a St. Jean en Greue à Paris.* An autem hoc pacto aduersariis suis silentium imposuerit; compertum non habeo; neque animus mihi est, quæ de Victore Papa, & sub eius effigie de Innocentio XI. attulit, sub incudem reuocare: sed ea tantum perstringam, quæ ad Polycarpum nostrum eiusque iter Romanum spectant. Primo nobis sistit Ecclesias Asiaticas, deliberantes de Legatione ob exortum dissidium Paschale (quod principale & præcipuum instructionis Caput fuerit) Romam mittenda, & Polycarpum inprimis eligentes, quem non dubitat Legatum Asiæ (*Ambassadeur & Deputé de l'Asie*) appellare. At nullibi Irenæus, Eusebius vel allus veterum Scriptorum nobis patefecit istud mysterium. Simpliciter potius referunt, Polycarpum Romam venisse, spontaneo, vt credere par est, motu, vt tanquam vnicus adhuc superstes Apostolorum discipulus hæreticos Romæ degentes confunderet, cum Aniceto conferret, exortumque de Paschate dissidium, si qua pote, in herba suffocaret. Neque enim dubium apud me est, quin Polycarpo adhuc vivente magna Laodiceæ controuersia exorta sit, quæ Melitoni occasionem ad librum de Paschate, vtinam adhuc superstitem! scribendum suppeditauit, apud Eusebium lib. IV. Cap. 26. Cæterum miror, Facditium maluisse Christophorsono adhærere, vocemque κεφαλαίȣ pro *capite controuersiæ* accipere; quam Valesio suo, qui Moynio iudice *bene obseruat, de aliis quibusdam articulis non bene Aniceto & Polycarpo inter se conuenisse, & vocem κεφαλαίȣ, non de summa controuersiæ inter illos agitatæ esse intelligendam, sed tantum de peculiari & singulari articulo Paschatis.* Quare minime culpandæ sunt illustres illæ personæ, quæ Facditio exprobrarunt, quod Polycarpo Legati Ambassadorisque nomen daret. Ille quidem in Notis p. 44. 45. sese conatur defendere, quod apud Eusebium ii, qui ab Ecclesiis pacis caussa ad alias mittuntur, πρεσβεύοντες appellentur, Latinis autem *Legati*. Sed neque Irenæus neque alii Polycarpo Romam eunti πρεσβεύοντος nomen vnquam dederunt; frustra ergo ista profert Facditius: qui porro fingit, Anicetum in Polycarpo suspexisse characterem Legati Asiatici, quum maiori veritatis specie antea num. XI. ex Dodvvello caussa tanti honoris allata sit: Verum interim est, quod ait Facditius; Polycarpo Anicetum audientiam non denegasse, cumque eo sæpius contulisse, & rationes il-

lius attendiſſe. Sed nimis ex vſu ſæculi noſtri loquitur, cum Polycarpum dicit ex manibus cuiusdam Presbyteri ſui (quem nos vocaremus Eleemoſynarium & Capellanum) ſumſiſſe Euchariſtiam, Aniceto permittente: nec facile fidem merebitur, quando in notis pag. 47. hunc Eleemoſynarium & Presbyterum vult fuiſſe Irenæum, quem ante hoc Polycarpi iter Romanum ab eodem in Gallias miſſum vidimus num. XII. Is ſaltem minime felicitatem ſuam præteriiſſet, ſi Comes Polycarpo fuiſſet in hoc itinere, ſed eam non minus prædicaſſet, ac in epiſtola ad Florinum, quæ apud Polycarpum viderat & audiuerat. Scribit porro, Anicetum Polycarpo communionem manibus ſuis præbuiſſe, aut ad illum in ſignum vnionis miſiſſe; imo conceſſiſſe, vt Miſſam ſuo loco diceret in Eccleſia, *de dire la Meſſe en ſa place dans ſon Egliſe, de celebrer Pontificalement pour lui, & de conſacrer & diſtribuer le Sacrament adorable de l'Euchariſtie:* at neque primum, neque ſecundum diſerte affirmat Irenæus, ſed tantum tertium, quod Faeditius rurſus ad ſæculi noſtri mores nimis efformauit. Tantum ſibi ſumunt nouelli Concionatores in rebus Veterum geſtis ad ſcopum ſuum applicandis? Sed nos ad Polycarpum noſtrum redeamus, finemque vitæ eius attentius contemplemur.

XVI. Tanti viri pietas non potuit non offendere gentilium animos, qui Chriſtiano nomini infenſiores erant. Hinc perſequutione Chriſtianorum quarta ſub Marco Aurelio Antonino & Lucio Vero erumpente quæſitus ad necem Polycarpus & igni traditus eſt. Paſſionem eius prolixe deſcripſit Eccleſia Smyrnenſis Epiſtola peculiari ad Eccleſiam Philomelienſem miſſa, cuius nobile fragmentum conſeruauit Euſebius Lib. IV. Hiſtor. Eccleſ. cap. 15. integram vero dedit Iacobus Vſſerius cum Actis Ignatii: quod adeo placuit Henrico Valeſio, nouiſſimo Euſebii interpreti, vt ab Euſebio prætermiſſa Annotationibus ſuis inſeruerit, adiecta noua totius Epiſtolæ verſione, quum Vetus Interpres ab Vſſerio editus ſenſum eius in plerisque neutiquam ſit adſequutus. Eundem veterem Interpretem ex tribus MSS. Codicibus ante Vſſerium ediderat, notisque illuſtrauerat Bollandus, vt ſupra num. II. vidimus. Iſta tamen editio ad Vſſerii manus notitiamque nondum peruenerat, licet quatuor annis Vſſerianam præceſſerit. Eſt ſane id vetuſtiſſimum monumentum, ampliſſimisque ex Antiquitate ſacra & profana obſeruationibus refertum, quas nunc prolixius perſequi inſtituti ratio non permittit.

XVII. Quo vero anno martyrii coronam adeptus ſit Polycarpus, maxime inter eruditos controuerti video, ac proinde operæ pretium exiſtimo, vt veterum inprimis ſcripta excutiamus, & characteres martyrii Polycarpi ab iis conſignatos probe conſideremus. In Epiſtola Smyrnæorum poſt verba ſupra adducta & diem certaminis indicantia, hæc ſubiiciuntur:

σύν-

συνελήφθη ὑπὸ ἡρώδου, ἐπὶ ἀρχιερέως Φιλίππου τραλλιανοῦ, ἀνθυπατεύοντος στατίου κοδράτου. Eusebius in Chronico, prout ab Hieronymo translatum & a Iosepho Scaligero editum est, ad num. 2183. cui annus Christi 168. & septimus M. Aur. Antonini & Lucii Aurelii Commodi respondet: *Persequutione orta in Asia Polycarpus & Pionius fecere martyrium: quorum scripta quoque passiones feruntur.* In Græca vero editione ad eundem annum hæc legimus: Πολύκαρπος, ὁ ἱερώτατος Σμύρνης ἐπίσκοπος τῷ ὑπὲρ χριστοῦ μαρτυρίῳ ἐτελειώθη, διωγμοῦ κατὰ τὴν Ἀσίαν γεγονότος. Idem Eusebius lib. IV. Histor. Eccles. postquam cap. XIV. indicasset, Antonino Pio successisse Μάρκον Αὐρήλιον Οὐῆρον ὁ καὶ Ἀντωνῖνος υἱὸν αὐτοῦ σὺν καὶ Λουκίῳ ἀδελφῷ, subiicit cap. XV. Ἐν τούτῳ δὲ ὁ πολύκαρπος μεγίστων τὴν Ἀσίαν ἀναθορυβησάντων διωγμῶν, μαρτυρίῳ τελειοῦται. Hinc est, quod Eusebius vt cæterorum titulorum, probante initio Adnotationum Valesio, auctor, ita & huic capiti hunc præfixerit: Ὅπως κατὰ Οὐῆρον ὁ πολύκαρπος ἅμα ἑτέροις ἐμαρτύρησεν ἐπὶ τῆς Σμυρναίων πόλεως. Hieronymus in Catalogo cap. XVII editionis Miræi: *Postea vero regnante Marco Antonino & L. Aurelio Commodo quarta post Neronem persequutione, Smyrnæ, sedente Proconsule & vniuerso populo in Amphitheatro aduersus eum personante, igni traditus est.* Septimo sæculo vixit Autor Chronici, quod sub Ἐπιτομῆς χρόνων nomine cum Eusebio edidit Scaliger, & copiosius postea sub titulo *Alexandrini Chronici* Raderus publicauit, *antiochenum* vero dici mauult Valesius, sed *CPtanum* vocant Vsserius, Reinesius, Spanhemius & alii viri docti. In eo pag. 270. 271. edit. Scaliger. sequentia legimus: Ἔτους ρλγ. τῆς εἰς οὐρανοὺς ἀναλήψεως τοῦ Κυρίου μεγίστων τὴν Ἀσίαν ἀναστορβησάντων διωγμῶν, πολλοὶ ἐμαρτύρησαν, ἐν οἷς Πολύκαρπος Σμύρνης ἐπίσκοπος, καὶ τοῦ Ἀποστόλου Ἰωάννου μαθητής, καὶ ὑπ' αὐτοῦ καταστάθεις ἐπίσκοπος, συλληφθεὶς ἐπὶ ἀνθυπάτου Κοδράτου ὑπὸ Ἡρώδου εἰρηνάρχου υἱοῦ ὄντος Νικήτου, καὶ πολλὰ ὑπομείνας διὰ τὴν εἰς χριστὸν πίστιν, τῇ πρὸ ζ Καλανδῶν Ἀπριλλίων τῷ μεγάλῳ σαββάτῳ, ὥρα η.

XVIII. Eiusmodi sunt characteres, quos ex antiquorum scriptis colligere licuit. Epistola Smyrnæorum nobis sistit Proconsulem, de quo Valesius in Notis. pag. 71. *Hic Proconsul Asiæ vocatur Statius Quadratus. Is est, vt opinor L. Statius Quadratus qui consul fuit principatu Antonini Pii, anno vrbis conditæ 895. vt legitur in Fastis Onuphrii. Eiusdem Proconsulis Asiæ meminit Aristides in prima & quarta Orationum sacrarum, vbi etiam illum Rhetorem vocat.* Posthac erudite elicit Valesius ex Aristide, quo anno Proconsulatum Asiæ gesserit, ac subdit: *Ita Quadratus Proconsul Asiæ fuit anno 7. Imp. Marci. Quo etiam anno Eusebius in Chronico Polycarpi martyrium refert. Falluntur itaque, qui Polycarpi martyrium serius retulerunt, anno scilicet*

licet 9. Marci. Cum enim ex Aristidis testimonio constet, Quadratum, sub quo passus est Polycarpus, anno 7. Imp. Marci, Proconsulatum Asiæ gessisse, Polycarpi mors in eum annum necessario conferenda est. Iosephus Scaliger in Animaduersionibus Eusebianis pag. 221. animosius, vt solet, Baronii in Martyrologium Romanum Commentationes perstringens hæc inter alia obseruat: *Locus iste Chronici congruit numero Eusebiano MMCLXXXIII. anno Christi Dionysiano CLXVII, Cyclo Solis VIII, Lunæ XVI. Pascha ἀναςάσιμον XXIII. Martii. Proinde σάββατον μέγα XXII. Martii, quomodo contigit anno Christi CCLI. Itaque si hoc anno passus est Polycarpus, haud dubie XXII. Martii hoc acciderit.* Et paucis interiectis: *Sed quomodo Polycarpus passus XXVI. Ianuarii, vt Latini volunt, aut XXIII. vt Græci, quum neutrubi potuerit contingere sabbatum magnum? Plura sunt eiusmodi in Martyrologiis, quam quæ ad veram historiæ regulam directa sunt.* Nolim tamen fidem facere, ea ratione ab Eusebio profecta esse, quæ supra ex Chronico produximus: Incerta enim sunt omnia, quæcunque ibi sub Eusebii Hieronymiue nominibus circumferuntur, non ea solum de caussa, quod Græca Eusebiana amplius haud superesse demonstrauit Martinus Hankius de Scriptoribus Byzantinis P. I. Cap. I. num. cxcvi. sq. sed etiam miras sæpe interpolationes in hoc Chronico deprehenderunt, ac indicarunt viri docti, & nouissime Schelstratius Antiq. Illust. Dissert. præuiæ Cap. II. ex quo inprimis huc faciunt sequentia, vtpote difficultatem inueniendi Anni epochæ Christianæ, quo martyrio coronatus sit Polycarpus, plane aperteque euincentia: *Exstant Eusebiani Chronici editiones quam plurimæ habentes notatos in margine Christi annos, quos certum est nec ab Eusebio positos, nec a D. Hieronymo additos, quandoquidem hic modus numerandi auctore Dionysio Exiguo primum sit introductus post sæculum quintum tempore Iustiniani Imperatoris, vnde & in MS. Codice Amandino nusquam anni Christi notantur.* Quæ cum ita se habeant, quilibet me non monente animaduertit, obseruationes ex Chronico Eusebiano productas nullius esse ponderis: quanquam in Historia satis habuerit Eusebius, generali notatione indicasse, sub quo Imperatore certauerit Polycarpus.

XIX. Cæterum facile intelligi possunt, qui in Hieronymi Catalogo de Commodo leguntur; vt enim *Christi an. 167.* margini adscripserit Miræus, & in Scholiis dicat, *Polycarpum martyrio coronatum in Asia circa annum M. Aurelii septimum, hoc est, Christi 167.* Aliter tamen Labbeus pronunciat, *magnam esse suspicionem in textum S. Hieronymi pro vero irrepsisse Commodum.* Labbeo patrocinari videri posset mos Hieronymi, in Catalogo κατὰ πόδα Eusebii Historiam sequentis. Verum Antonius Pagi in Dissertatione Hypatica pag. 216. ex Athenagoræ Apologia & vetustis inscriptionibus fidem fecit,

Luci-

Lucium Verum, Marci consortem, *vocatum fuisse Aurelium Commodum.* Vnde constat sua Hieronymo fides & auctoritas. Denique Chronici Alexandrini (quod alii etiam *Fastos Siculos* adpellant, Scaliger nonnunquam *Chronicon Casauboni*, quoniam Isaaco Casaubono illud acceptum ferebat) computatio annum post adscensionem Christi 133. diemque septimum Kalend. April. adsignat. De qua in Animaduers. Euseb. hæc exstat Scaligeri ἐπίκρισις: *In Chronico Casaubon.* τῇ πρὸ ζ καλανδῶν Ἀπριλίων, τῷ μεγάλῳ σαββάτῳ. *Æliano, & Kastore Coss. sed si Sabbathum fuit VII. Kal. Ergo Pascha VI. Kal. in litera B. Atqui quinque annis antea, & VI. postea litera dominicalis non potuit esse* B. Prolixius eam in rem inquisiuit Iacobus Vsserius in Dissertat. de Macedonum & Asianorum anno Solari cap. III. vnde hæc notamus: *Anno æræ nostræ Christianæ CLXIX. Cyclo Solis X. Dominicali litera B. existente, terminus Paschalis Alexandrinus fuit Martii die XXIX, Calippicus Mart. XXXI. quo & iuxta hodiernum Iudæorum calculum Pascha fuisset celebrandum. Sabbatum quod præcessit Lunam hanc XIV. (qua Polycarpus cum Asianis suis Pascha agere erat solitus) in Martii diem XXVI. incurrit, hoc est in VII. Kalendas Apriles, quo passum fuisse Polycarpum, Constantinopolitanum iam nos docuit Chronicon.* Eandem sententiam retinet Vsserius Annotat. 105. in Polycarpi Acta: *Ex quibus etiam characteribus manifeste deprehenditur, anno vulgaris æræ Christianæ CLXIX. & imperii M. Aurelii Antonini nono passionem eius contigisse.* Atenimuero aliter plane sentit vir neutiquam sui nominis Samuel Petitus, qui huic Chronici Alexandrini loco explicando septimum caput libri quarti Variarum Lectionum insumsit. Non solum enim refellit illos, qui in annum Dionys. 167. persequutionem istam martyriumque Polycarpi coniiciunt, vti post Scaligerum & Miræum Blondellus in Apologia pag. 14. facit: *nam annus Christi Dionysianus 167. Cyclum habuit Solis octauum, litera Dominicali E. Quare dies septimus Kalendas Aprileis non cadit in Sabbatum, sed potius in feriam quartam. Præterea non potuit Titus Quadratus administrare Proconsul Asiam hoc anno Christi 167, quia hoc ipso anno erat Consul cum L. Aurelio Vero.* Sed alteram quoque reiicit opinionem, quam postea amplexus est Vsserius, duabus de caussis. *Nam Titum Quadratum Consulem fuisse anno Christi Dionys. 167. non nisi autem post exactum a Consulatu quinquennium potuit Proconsul Asiam obtinere Quadratus, idque e veteri iure.* Tum *Polycarpum ceterosque Asiaticos Pascha celebrasse eadem cum Iudæis die, quarta decima scilicet Luna, in quam tandemcunque incidisset feriam, suasque quartas decimas obseruasse e Iudaica Octaeteride.* Et paucis interiectis suam proponit opinionem: *Erat annus Christi Dionysianus 175. ac proinde vltimus vertens posterioris nostræ Octaeteridis Iudaicæ, cuius Neomenia Nisan cadit in diem quintumdecimum Kalendas Aprileis, feria sexta, dies decimus Nisan fuit*

die septimo Kal. Apprileis, feria septima, estque τὸ μέγα σάββατον. Postremo Henricus Valesius in Annotationibus Eusebianis tria in illorum opinione, qui an. 169. adsignant, desiderat: *Primo quod auctorem Chronici Alexandrini in die quidem passionis sequuntur, in anno vero ab eodem dissentiunt. Deinde in actis Pionii martyris & in Menæis Græcorum, natalis B. Polycarpi confertur in diem 23. mensis Februarii. Postremo nequaquam verosimile videtur, Ecclesiam Smyrnæorum Sabbatum magnum more Iudaico accepisse. Quamuis enim Asiani Pascha cum Iudæis celebrauerint, non tamen ex eo sequitur, illos Sabbatum magnum cum Iudæis pariter obseruasse.*

XX. Vt horum clarissimorum virorum dissensus eo melius intelligatur, collationem sententiarum instituam, breuesque adiiciam obseruationes. Scaliger & alii supra adducti, quibus addi merentur Sethus Caluisius Oper. Chronol. pag. 352. ac vterque Blondelli aduersarius, Petauius Tom. IV. Dogm. Theol. Append. de Ecclesiastica Hierarchia Lib. II. cap. VII. num. 3. 4. & Henr. Hammondus Differt. V. cap. XII. num. 2. vno ore adserunt, A. C. Dionysiano 167. Polycarpum esse passum. Id negat Petitus, sed nescio an satis accurate: Prior enim ratio falsæ Chronici Alexandrini lectioni insistit: Posterior a Proconsulatu Quadrati petita pro altera potius sententia militat. Non enim Titus Quadratus, sed *Lucius Statius Quadratus* intelligendus est, *qui Consul fuit principatu Antonini Pii, anno vrbis conditæ 895. vt legitur in Fastis Onuphrii*, docente Valesio. Nam in veteri Latino Interprete nomen eius recte expressum legitur *Statius Quadratus*; quod Vsserius quoque adnotauit, sed male Titum Quadratum cum Petito intellexit, adeoque obruitur difficultate ab eodem Petito *e veteri iure* mota. Præterea Scaliger reclamantibus Smyrnæorum epistola aliisque Valesii argumentis Polycarpi martyrium in XXII. Martii siue X. Kalendas Aprileis confert. Vsserii opinio non tam Petiti quam Valesii obiectionibus laborat. Petitus denique nihil efficit, quandoquidem alius est Statius Quadratus, qui anno Marci septimo Proconsulatum Asiæ gessit, alius autem qui eodem anno Consul Romæ fuit, Titus Quadratus. Præterea Polycarpum martyrio obiisse Lucio Vero adhuc viuente ex Eusebio constat: Verum is *An. C. 169. apud Altinum periit, idque Apoplexia & media hieme, vt docet Galenus*, & Antonius Pagi obseruat p. 217. Maxima controuersia in charactere μεγάλου Σαββάτου versatur, quem quisque suæ hypothesi adplicat vt potest: Enimuero, quum A. C. Dionysiano 167. respondeat An. VII. Marci, quo Proconsulatum Asiæ administrasse Quadratum probauit Valesius: eodemque anno quindecennalia imperii Cæsarei Lucius Verus celebrauerit, quem non mirum est eodem modo aduersus Christianos sæuiisse, quo Collegam, M. Aurelium, & alios Imperatores eiusmodi festa celebrasse noue-

nouerat. Conf. Pagi P. II. cap. III. num. 3. & cap. XII. 2. totque argumentis Valesius ostenderit, diem Polycarpi emortualem fuisse 23. Februarii: nemo forte adeo culpandus erit, qui eam amplectatur sententiam, vtut magnum Sabbathum non possit more Iudaico exponi. Neque tamen caussam adsequor, ob quam Vsserio, Bucherio, Petito eorumque adseclis tantopere placeat dies in Chronico Alexandrino consignatus: Etenim ipsi fatentur, anno 133. ab adscensione Christi ibidem adnotato diem illum in Sabbathum cadere non posse, ideoque ea parte ab eo recedunt, quod merito Valesius obiecit. Deinde non potuit auctor Chronici conciliare diem 2. Xanthici, in Smyrnensi Epistola exstantem, eamque notam plane omisit, vti Vsserius etiam obseruauit: Erat enim illi ignotus nouus conciliandi modus ab Vsserio excogitatus, sed a Valesio reiectus, *quum ad id probandum nullam rationem adferat*. Praeterea quilibet videt, in Smyrnaeorum epistola Μαΐων vocem non nisi maxima corruptione substitui potuisse pro Ἀπριλλίων: leuissimam vero esse, si ea statuatur pro Μαρτίων irrepsisse. Denique Chronicon illud exiguae alias est auctoritatis, & plurimis erroribus, tam Chronologicis quam Historicis, refertum, quod rigidus eius censor Thomas Reinesius lib. II. Var. Lect. C. XVII. prolixe ostendit. Haec autem omnia eruditorum iudicio submitto, quum me haud lateant difficultates, quae Valesianae sententiae obiici possent, eamque tantum non subuertere: imprimis si literam Dominicalem illius anni respiciamus, quae fuit E. adeoque tum dies 23. Februarii, quippe ea littera signatus, non dies Sabbati, sed ipsa Dominica fuit.

XXI. Haec fere in prima huius Diatribae editione scripseram, & Valesio dubitanter accesseram; nunc autem plane desero, postquam ab eo tempore multi eruditorum grauissimis argumentis eum refutarunt. In quibus facile primas tenet omnis eruditionis non ita pridem in Anglia oraculum, Ioannes Pearsonius, septem integra Capita secundae de annis Romae Episcoporum Dissertationis huic controuersiae impendens. Maxima viri fama facit, vt non sine honoris praefatione ad ea perpendenda accedam, rationesque aperiam, quae ab omnimodo consensu me retrahunt. *Capite XIV.* reiicit omnes vulgares opiniones, quae vel Anno 167. vel 169. vel cum Petito 175. Polycarpi martyrium figunt. *At tam sero* (inquit) *passum esse Polycarpum vt putemus, vetat Irenaeus eius discipulus*; quippe qui libro III. Cap. III. mentionem facit τῶν μέχρι νῦν διαδεδεγμένων τὸν πολύκαρπον, *vel*, τὸν τοῦ πολυκάρπου θρόνον, i. e. eorum, *qui vsque adhuc successerunt Polycarpo*, vt vetus Interpres reddidit. *Plures igitur*, subdit Pearsonius, *nouit Irenaeus successores Polycarpi, qui ab obitu Polycarpi vsque ad illud tempus, quo ipse scripsit, in cathedra Smyrnensi sederant, & quorum auctoritas magnum doctrinae Catholicae contra haereticos patrocinium praebuit.*

Qui quidem erant, opinor, Papias, Camerius, aliique fortasse inter Camerium & ætatem, qua scripsit Irenæus. Hæc ad arctum quinquennii aut duodecennii spatium nulla verisimilitudine restringi possunt; sed ad triginta minimum extendi possunt & debent. At hoc ratiocinio vereor, vt quidquam moueatur, qui fragilitatem vitæ humanæ, perpetuum Doctorum Christianorum persequutionis metum, aliaque primarum Sedium exempla secum reputauerit, quæ omnia verisimillimum faciunt, intra duodecennium (nam cum Petiti quinquennio nihil mihi est negotii) vel potius sedecennium, Episcopos vno plures Polycarpo in Cathedra Smyrnensi successisse. His si iunxeris Presbyteros, quos sibi ipsi iungit Polycarpus initio epistolæ suæ, πολύκαρπ⊙, καὶ οἱ σὺν αὐτῷ πρεσβύτεροι, multo magis augebitur numerus τῶν δεδεγμένων τὸν πολύκαρπον. Quæ vero addit Pearsonius de viso ab Irenæo Polycarpo, antea satis discussimus, vt & ea, quæ *Capite XV.* de ætate Polycarpi LXXXVI. saltem annorum adfert. Hinc Valesium præcipue adgreditur, & quæ is de Characteribus temporis ad martyrium Polycarpi pertinentibus disputauerat, *summa cum cura & diligentia examinat*, eandemque nobis imponit, si veritatem in profundo puteo latentem eruere velimus. *Cap. XVI.* duplex proponit argumentum, alterum a Niceta, Herodis Irenarchæ patre, qui cum Niceta Smyrnæo sub Nerua florente & apud Philostratum memorato idem esse posfit, si quis suos calculos sequatur, si vulgares, minime. Sed bene est, quod ipse *huic haud insistendum* putat, quum nulla ad eundem Nicetam faciendum nos cogat necessitas; aut, si idem omnino sit, cum ipse Polycarpus ad A. C. 169. pertingere potuerit, tum Nicetæ quoque eandem felicitatem contigisse non est ἐκ ἀδυνάτων. Alterum argumentum petit a Proconsule in Actis memorato, quem *Statium Quadratum* fuisse Valesio concedit; is sub Antonino Pio An. C. 142. Consulatum gessit; *Consules autem ex iure ad quinquennium Proconsulatum sortiti sunt: non immerito igitur Pearsonius statuendum censet, Statium Quadratum Proconsulatum Asiæ gessisse An. Dom. CXLVII.* Hinc *Cap. XVII.* non solum corrigit παροράματα Petiti, Blondelli, Bucherii & Vsserii, qui *Titum Numidium Quadratum* An. C. 167. Consulem, sed diuersimode intelligunt; verum etiam Valesii, qui Statium Quadratum agnoscit quidem, sed ex Aristide probare conatur, eum demum anno 167. Proconsulatum Asiæ gessisse. At huic Pearsonius obiicit, *Proconsulatum in annum a Consulatu vigesimum quintum male differri: Quadratum apud Aristidem non appellari Statium, sed potius esse Titum Numidium: huius Proconsulatum a Valesio male in A. C. 167. collocari, infirmis saltem argumentis a peste non vno, sed pluribus annis grassante, & Imperatoris filiique eius litteris ad Aristidem*; quæ Pearsonius aliter exponit, hancque inde format conclusionem: *Verisimillimum igitur mihi videtur Seuerum XII. Marci Proconsulem Asiæ factum esse An. Dom. CLXXII cum*

cum fuisset secundum consul anno priori; Pollionem eum praecessisse in Consulatu (Proconsulatu) *anno Marci vndecimo, cum Consul fuisset anno Marci sexto: Quadratum praecessisse Pollionem in Proconsulatu anno Marci decimo, qui Consul fuerat (vt Valesius putauit) anno Marci septimo. Quadratus igitur Aristidis Anno Dom. CLXX. Proconsul Asiæ fuit; proinde L. Statius Quadratus ille non erat, qui Consul fuit ordinarius An. Dom. CXLII. annis prius duodetriginta; sed potius T. Numidius Quadratus, qui Consul ordinarius fuit An. Dom. CLXVII.*

XXII. Multum quidem laborauit Pearsonius pro sententia sua, sed eam nondum nobis persuasit. Incipiamus ab vltimo, tribus nempe Proconsulibus Aristidi memoratis. Nouissimus eorum est Seuerus, idem Pearsonii iudicio cum eo, qui anno Marci xi. Consul Romæ fuit. At ille *L. Septimius Seuerus* erat eques Romanus, affinis Seueri postea Imperatoris; noster autem Proconsul Phryx; diserte enim Aristides in quarta Orationum sacrarum, pag. 572. ἦν δὲ ἡγεμὼν τῆς Ἀσίας τότε, ἀνὴρ καὶ μάλα τῶν γνωρίμων Σέβηρος ἀπὸ τῆς ἄνωθεν Φρυγίας. Sed de Septimio illo Spartianus, notante Onuphrio, in Seuero Imperatore: *Postea studiorum causa Romam venit, latum clauum a Diuo Marco petiit, & accepit, fauente sibi Septimio Seuero affine suo, bis iam consulari.* Alium itaque Seuerum quæramus oportet, qui Proconsul Asiæ fuerit. Sed cum ea ætate plures Seueri fastis nomen dederint, quis ex iis sit intelligendus, dictu difficillimum puto. Sufficit, præcipuum Pearsonii arietem vno impetu prostrauisse, quo is nixus inficiabatur, Seuerum Aristidis anno Marci xi. Proconsulatu fungi potuisse. Ita enim scribit: *Non igitur anno X. Marci Seuerus Asiæ Proconsul fuit, sed neque XI. tunc enim ipse Consul iterum erat.* Verum hic Consul a Proconsule Asiæ diuersus fuit: nihil igitur obstat, quo minus Seuerus Aristidis anno Marci xi. Christi CLXXI. Proconsulatum Asiæ gesserit. De Pollione etiam controuersiam mouet Spanhemius de Præstantia & vsu Numismatum pag. 483. explicans nummum in Eurypyli honorem a Pergamenis percussum, in quo hæc legas; ΕΠΙ ΣΤΡΑ Γ. ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ, *sub Prætore Caio Pollione.* Addit Spanhemius: *Inde vero sicut ex aliis scripturæ indiciis, & Nummi ipsius intuitu ac elegantia, colligo, eundem circa Hadriani vel Antoninorum tempora percussum. Ea vero ætate Pollionem quendam Asiæ minori, in qua Pergamus, præfuisse, liquet mihi rursus ex Aristide, qui in sermonibus sacris* (IV. pag. 611. est hic ipse locus, quem nunc præ manibus habemus) *factum suum quoddam narrat,* ἐπὶ Πολλίωνος ἄρχοντος τῆς Ἀσίας, sub Pollione Præside Asiæ. *Id etiam pulchre firmat Nummus quidam Sabinæ, Hadriani Coniugis, ab eisdem Pergamenis percussus, cum nomine eiusdem Pollionis.* ΕΠΙ ΣΤΡΑ. ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ ΠΕΡΓΑ, sub Prætore Pollione Pergamenorum. *Quanquam ille Pollio,*

cuius Aristides meminit, sub M. Aurelio demum Asiæ Proconsulatum gessisse videatur. Caute postrema verba adiecit vir illustris, siquidem Polliones isti diuersissimi fuerunt. Quod non solum liquet ex diuersa ætate, cum Proconsulem sub Marco Aurelio vixisse in confesso sit, Prætor autem ad Hadriani ætatem cum nummis Sabinæ non minus ac Eurypylo dicatis referendus veniat; neque tantum ex diuerso nomine, cum Prætor *Caius*, Proconsul autem *L. Fusidius* appellatus fuerit, vti huius prænomina ex inscriptionibus nuper restituerunt Norisius & Pagius, ad A. C. 166. quo Consulatum gessit; sed omnium certissime ex diuersa dignitate, cum Prætor tantum vrbem Pergamum, Proconsul totam Asiam administrauerit. Id manifestum est ex plurimis Asiaticarum vrbium nummis sub variis Prætoribus cusis, quos æri insculptos dedit ac illustrauit Georgius Wheler in Itinerario Dalmatiæ &c. cuius Gallica editio Amstelodamensis negligentissime corruptissimeque impressa magnum Anglicæ videndæ desiderium in me excitauit. Vnico contenti erimus exemplo, sed maxime illustri. Whelerus num. 38. sistit nummum a Smyrnæis in honorem Tranquillinæ cusum, quæ sub virili forma templum in dextra gestans conspicitur, cuius rationem dat Whelerus pag. 229. Nos inscriptionem saltem considerabimus, duplici circulo absolutam: exterior est: CMΥΡΝΑΙΩΝ Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ, interior: ΡΟΥΦΙΝΟΥ СΟΦΙ. Neque alius est, cuius mentio fit num. 46. in numismate Seueri: ΕΠΙ СΤΡ. ΚΛ. ΡΟΥΦΙΝΟΥ CMΥΡΝΑΙΩΝ. *Sub Prætore Claudio Rufino Smyrnæorum.* Imo Whelerus Smyrnæ vidit ac pag. 232. 233. descripsit notabilem Inscriptionem, litteras Seueri & Caracallæ Imperatorum ad Smyrnæos continentem, quibus Claudio isti Rufino necessitas imponitur στρατηγίαν i. e. *præturam* patriæ suæ (nam Smyrna oriundus erat) accipiendi, non obstantibus studiis eius arteque Sophistica siue Oratoria, quibus deditos præcedentes Imperatores a muneribus publicis liberauerant. Quare optime Patinus in Numismatis Mauroceni pag. 128. 129. istam Rufini dignitatem de prætura vrbana accepit, pluresque eius nummos illustrauit. Sane ipse Spanhemius Dissertatione Sexta de Proconsulibus agens pag. 569. 570. obseruat, ad Smyrnam aliasue liberas Asiæ ciuitates regendas præter ordinarios Asiæ Proconsules, missos nonnunquam moderatores, eosque vt plurimum prætorios; idque exemplis illustrat: quanquam id officium, cui Rufinus Sophista admotus est, ordinarium mihi videtur. Sint ergo maneantque distincti L. Fusidius Pollio Consul primum Romanus, deinde Proconsul Asiæ, & C. Pollio Pergamenorum Prætor; quorum illius præter Aristidem meminisse quoque Eusebius lib. 1. Hist. Eccles. cap. xv. dicitur Spanhemio pag. 44. sed hunc Eusebii locum adhuc quæro, quoniam primus eius liber quatuordecim tantum capitibus constat, nec ad Pollionis ætatem extenditur. Nihilominus ex iis, quæ supra de Se-

uero

uero disputauimus, relinquitur, Pollionem anno Marci Aurelii x. Christi CLXX. Proconsulatum Asiæ gessisse.

XXIII. Nunc ad Quadratum venio, qui cum ex Aristidis testimonio Pollionem proxime antecesserit, tum nihil dubitare attinet, quin is A. C. CLXIX. Marci IX. Proconsul Asiæ fuerit. Iuuat tamen, omnes apud Aristidem characteres diligentius expendere. Norisius quidem in nouissimo opere de Anno & Epochis Syro Macedonum pag. 25. Valesium pariter impugnauit, hoc addito epiphonemate atque promisso: *nihil ex Aristide discimus, ex quo annus certus proconsulatus Quadrati indicetur, vt alias demonstrabo.* Sed quoniam id hactenus non præstitit Norisius, satius duco Antonium Pagium allegare, qui in Critica Baroniana Polycarpi martyrium in A. C. CLXIX. confert, & Valesii de Quadrato argutiis excerptis hanc An. 167. num. 5. subjicit Epicrisin: *Sed incertum, an Aristides loquatur de priori peste, quæ anno VII. M. Aurelii contigit, an vero de alia peste, quæ anno CLXXI. grassata est, de qua Eusebius in Chronico mentionem facit. Quod si de posteriori sermonem habeat, vt verosimile est, Aristides nostræ sententiæ manifeste fauet. Quare ex hoc Auctore nihil certi deduci potest.* De eadem peste loquitur ad A. 168. n. 3. eiusque initium refert ad annum Marci VII. allatisque Capitolini in Marco verbis (A. C. 170. quo Verus Cæsar mortuus est, Marcus autem in Germanos mouit, *pestilentiam adhuc institisse,*) subdit: *Duæ itaque pestes distinguendæ, seu verius eadem diuersis temporibus sæuiit, præsente sc. anno (168.) & anno CLXXI. vt videre est in Chronico Eusebii.* Non possum, quin adiungam Pearsonii epicrisin: *Sed hoc argumentum prorsus inualidum est; Nam illa pestis per multos annos grassata est; Romæ maxime inualuit XII. Marci, eodem Eusebio teste: in Oriente cœpit, & per Prouincias grassata est; quando circa Æsopum sæuiit, nescitur; Nullius igitur anni Character certus ex ista lue deduci potest.* Certioribus itaque characteribus opus habemus, quos idem Aristides suppeditat, prout quidem a Pearsonio explicantur, qui tamen haud omnia acu tetigit. Primo enim *tradit* Aristides, *Seuerum anno morbi decimo Proconsulem fuisse, ipsum vero ab ipso morbi sui initio multa de Vologeso somniasse, quod illi maxime tempori congruit, quo Lucius in Vologesum exercitum duxit, decennio fere ante Marci duodecimum.* Ita quidem Pearsonius: Pagius autem in Critica Baroniana belli Parthici tempus longe accuratius putauit, ostenditque, Lucium A. C. 161. Roma ad illud profectum esse: additis 10. annis emergit Christi 171. quo Seuerus Asiæ Proconsul fuit. Deinde scribit Aristides: ἡμέραις δὲ πολλαῖς ὕστερον ἐξ Ἰταλίας ἀφικνοῦνται ἐπιστολαί μοι παρὰ τῶν βασιλέων· τοῦ τε αὐτοκράτορος αὐτοῦ, καὶ τοῦ παιδός. *Post paucos dies venerunt ad me ex Italia literæ a Regibus, tum Imperatore ipso, tum eius filio. Quibus satis clare indicatur,* dicit Pearsonius, *duos tunc temporis tantum*

tum Reges Romam tenuisse, Augustum vnum, alterum Cæsarem. Deinde aduersus Valesium, qui hæc anno IX. Marci contigisse putauerat, ita concludit: *At anno nono Marci duo Augusti fuere: Lucius enim mortuus est anno Imperii nono exeunte, medio hyemis, i. e. mense - post cuius mortem aliquamdiu duo Cæsares fuere, Commodus & Verus; & post mortem Veri Marcus in Pannonia fuit, mansitque Sirmii anno Imperii XI. Non igitur anno X. Marci Seuerus Asiæ Proconsul fuit, sed neque XI. tunc enim ipse Consul iterum erat.* Iuuat hæc amplius expendere, vt verus Seueri Proconsulis annus eruatur. Lucii Imperatoris mors A. C. 169. Decembri exeunte accidit, cuius corpus Romam Marcus retulit, & aliquo tempore in vrbe mansit: deinde in secessu Prænestino agens Verum filium amisit, & multa peregit ad expeditionem Marcomannicam paullo post susceptam facientia, de quibus omnibus Pagius in Critica Baroniana An. 169. n. 5. 6. videndus, qui etiam An. 161. n. 7. titulum *Regis* Commodo ab Aristide tributum illustrat; & An. 170. num. 3. duo loca, alterum Melitonis, alterum Iulii Pollucis adfert, quæ Commodum illo anno Imperii consortem a Patre adscitum probant, multumque ad allata Aristidis verba intelligenda conducunt. Nos autem characteres apud Aristidem accuratius enarrabimus. Pag. 600. narrat, quomodo Seuerus Proconsul ipsum Æsepo redeuntem voluerit constituere pacis custodem; rediit autem Æsepo Aristides hyberno tempore, *οὕτω πάντα κατεῖχεν ἡ χιὼν καὶ ἔδαφος, καὶ δένδρα, καὶ κρῆνας* &c. hinc describit prolixe, quid Seuerus secum egerit; quod deinde *diebus non multis interiectis* sibi litteræ venerint, partim ex Italia a Regibus, de quibus antea diximus; partim ab Heliodoro Ægypti præfecto: quod eas ad Seuerum miserit, suis additis, quibus dignitatem istam declinabat; quod nihilominus *μετὰ ταῦτα* Seuerus ipsum Ephesi publice imperii consortem proclamarit; quod noster interim anxius varieque exagitatus Pergamum redierit, hincq; Smyrnam profectus sit: *γιγνόμεθα ἐν τῇ Σμύρνῃ, Διονυσίοις. καὶ παρῆν ὁ Σεβῆρος κατὰ τὴν ἑορτήν. Smyrnam venimus Dionysiis, & propter festum aderat Seuerus.* Ex his omnibus satis liquet, circa finem anni ista a Seuero gesta esse. Nullum vero conuenientiorem facile reperimus, quam Christi CLXXI. Marci XI. quem ea saltem de caussa Pearsonius exclusit, quod putarit, Seuerum illo Consulem processisse; at alium ab hoc Consule Proconsulem fuisse antea vidimus, ibidemque monuimus, Seueri Proconsulatum commodissime in hunc annum referri. Hinc etiam patet, pestem sub Proconsulatu Pollionis A. C. CLXX. in Asia grassatam: Quadrati vero, vtpote proximi illius antecessoris, Proconsulatum in A. C. CLXIX. optime quadrare. Itaque sub hoc T. Numidio Quadrato Polycarpus noster martyrium subiit.

XXIV. Neque

XXIV. Neque enim Pearsonius mea quidem opinione satis firmiter Statium Quadratum substituit. Certe cum videret, non tantum Proconsulis prænomen in dubium vocari, aliis Statium, aliis Titum præferentibus; sed etiam Codices Græcos variare; & in Codice Audomarensi apud Bollandum *Tatium* legi, vt adeo ne Latini quidem Codices omnes consentiant; ipsi incubuisset, ex alio quodam veteri monumento, quam epistola Smyrnensi, probatum dare, Statium Quadratum, qui A. C. CXLII. Romæ Consul fuit, quinquennio post Asiæ Proconsulem factum esse. Argumenta saltem, quibus id nobis persuadere vult, lubrica valde atque incerta sunt. Non enim sufficit, nomen alicuius in fastis legi; cum neque omnes Consules Proconsulatum gesserint, neque omnes Proconsules Consulatum Romæ. Prius extra controuersiam positum est: posterius forte dubium alicui videri posset, nisi Onuphrius fateretur, imperium consulare priuatis etiam extra ordinem mandatum, qui pro Consule in prouinciis, quo mittebantur, rem gesserunt. Idque in ipsis quoque Asiæ Proconsulibus vsu venit. Iacobus Vilerius in Dissertatione de Asia Lydiana siue Proconsulari pag. 41. 42. varios ex vetustis monumentis eruit; eaque ad marginem citat. Nos solis verbis contenti erimus: *Nam illius Filii* (Titi Vespasiani) *dominatu Arrium Antoninum Asiæ Proconsulem fuisse legimus; & Peregrinum, imperante Nerua, sub quo Timotheus Ephesi passus est. Antoninus Pius, Serenius Grannianus & Minucius Fundanus eodem defuncti sunt munere sub Adriano: & M. Aurelii tempore Tatius Quadratus, sub quo Polycarpus Smyrnæ martyrio coronatus est; vt Pionius post ibidem quoque sub Proclo Quintiano. Alterius quoque Arrii Antonini Proconsulatus sub Commodo Lampridius meminit.* Ex quibus non nisi Arrium Antoninum sub Vespasianis viuentem, tum Antoninum postea Imperatorem, in fastis reperies; reliquos omnes frustra quæres. Nullus enim ibi Tatius Quadratus legitur, nullus ex cæteris Asiæ Proconsulibus ab Vsserio nominatis. Sic quoq; inanem insumet laborem, qui in fastis euoluit *Seruilium Paullum* a Melitone in libro de Paschate apud Eusebium lib. IV. Cap. 26. his verbis memoratum: ἐπὶ Σεϐιλίου Παύλου ἀνθυπάτου τῆς Ἀσίας, ᾧ Σάγαρις καιρῷ ἐμαρτύρησεν, ἐγένετο ζήτησις πολλὴ &c. *Seruilio Paullo Asiæ Proconsule, quo tempore Sagaris martyrium perpessus est, magna controuersia Laodiceæ excita est de solemnitate Paschali, quæ tempestiue in illos dies inciderat. Quibus etiam diebus hæc a nobis perscripta sunt.* Sicut autem aliquoties Romæ Consules fuerunt, eiusdem quidem nominis, sed diuersæ ætatis; ita in Proconsulibus definiendis magna inde oritur difficultas. Iacobus Sponius in Itinerario describit inscriptionem Smyrnensem, in qua *Marcus Attilius Bradua Proconsul* memoratur, sed quoniam duo illius nominis Consules Romæ fuerunt, A.C. 108. & 185. dubius hæret, vter ibi intelligatur. Idem dubium oritur de *Catilio Seuero*

Proconsule in Græca Thyatiræ hodienum residua ac in Wheleri Itinerario p. 214. 215. expressa Inscriptione: quum duo etiam huius nominis Consules in fastis legantur; alter A. C. 120. quem Onuphrius proauum maternum Marci Imp. bis Consulem & præfectum vrbi fuisse prodit: alter A. C. 235. cuius in Alexandri vita Lampridius meminit, docente Onuphrio. Similis fere est ratio Quadrati in Actis Polycarpi. Prænomen eius in dubium vocatur. Tres Quadrati in Consulum Romanorum numero sub Imperatoribus comparent. Primus *Caius Antius Aulus Iulius Quadratus* tempore Domitiani & Traiani bis Consulatum, Asiæ Proconsulatum, aliasque maximas dignitates gessit, statuamque Pergami commeruit, cuius inscriptio in Sponii Whelerique Itinerariis occurrit. Alter est Statius Quadratus, qui sub Antonino Pio Consul Romæ fuit. Tertius est Titus Numidius Quadratus, cuius Consulatum A. C. CLXVII. nemo negat, Proconsulatum vero Asiæ Aristides satis confirmat. Solus itaque Statius Quadratus est, cuius Proconsulatus in Asia ex vetustis monumentis indubie probari nequit. Apud Reinesium quidem pag 243. CCXC. legitur inscriptio Græca, quam Diis posuit CTATIOC ΚΟΔΡΑΤΟC ΚΡΑΤΙCΤΟC ΝΕΩΚΟΡΟC ex magnis periculis sæpe seruatus: neque dubium apud me est, quin Statius noster eam posuerit; nulla tamen ibi Proconsulatus occurrit mentio. Pearsonius quidem ex veteri iure subsidium quærit, institutum D. Augusti in mente habens, quo cauebatur, *μηδένα πρὸ πέντε ἐτῶν μετὰ τὸ ἐν τῇ πόλει ἄρξαι κληροῦσθαι, ne quis ante quinquennium a Magistratu in Vrbe gesto elapsum, munus aliquod sortiretur.* Id autem ipse agnoscit in Proconsulibus apud Aristidem non obseruatum esse, dum Seuerum proximo anno; Pollionem quinto; Quadratum tertio post Consulatum anno Asiæ Proconsules factos esse contendit. Ex eodem Aristide colligitur, non esse vniuersalia Norisii adserta, partim in epistola Consulari pag. 69. *Sub Cæsaribus Africam & Asiam decimo anno a gesto consulatu sortiebantur:* partim Differt. II. de Epochis Syro-Macedonum pag. 112. 113. *viri Consulares iuxta ordinem gesti in vrbe Consulatus Asiam & Africam, quarum prouinciarum administrationem Augustus populo Romano permiserat, sortiebantur.* Cum itaque Proconsulatus Statii Quadrati incertus sit, nemo nobis vitio vertet, quod tamdiu Titum Quadratum in Actis Polycarpi intelligimus, donec Pearsonii sequaces, Dodvvellus & Cauius, clarissimi viri, certiora protulerint, forte ex Malela suo, vnde Chronicon Alexandrinum corrigi posse Ioannes Gregorius, cuius illorum, Notis selectissimis in aliquot Scripturæ loca aliquoties ostendit. Cæterum iidem fortasse Græculi, qui nouam nobis fabulam cuderunt de vita Polycarpi, diemque martyrii corruperunt, Proconsulis quoque prænomen deprauarunt, idque sola initiali littera T. signatum, vnus *Tatium* indicare credidit, alter magis corrupte per *Statium*, tertius corruptissime

fime per *Stratium* expresſit: ex Latinis autem Interpretibus quod quisque in Codice ſuo Græco reperit, id verſioni inſeruit. Auctor Chronici Alexandrini, fatente Pearſonio, correctius Actorum exemplar quoad diem martyrii ſequutus eſt, quod etiam in nomine Proconſulis recte ſe habuiſſe veritati eſt conſentaneum, vnde tamen vel ipſe auctor, vel ſaltem librarii *Tatium* formarunt.

XXV. Conſtituto igitur Proconſule ad diem martyrii Polycarpi accedimus, cui Pearſonius *Caput XVIII.* impendit, idque his verbis inchoat: *Denique illi ipſi Anno Domini CXLVII. optime congruit diei, quo paſſus eſt S. Polycarpus, in ipſis eius Actis deſcriptio.* At eosdem characteres An. Domini CLXIX. optime etiam congruere deprehendiſſet Pearſonius, ſi Vſſerio potius quam nouæ ſuæ opinioni adhærere voluiſſet. Res clara erit, triplici charactere conſiderato, quo dies ille in Actis inſignitur. Primus eſt σάββατον μέγα, *Sabbatum magnum*, quo nomine neque apud priſcos Chriſtianos, neque apud veteres hodiernosque Iudæos aliud, quam quod diem Paſchatis proxime præcedebat, veniſſe, facile largior Pearſonio; probans etiam quæ ſequuntur eiusdem verba: *At cum Epiſtola Smyrnenſium ſcripta eſt, illi cum Iudæis Paſcha celebrabant, vt notiſſimum eſt. Illud igitur Sabbatum hic intelligendum, quod proxime præceſſit Paſcha Iudaicum, quod feſtum Paſchale tunc cum Iudæis obſeruabat Eccleſia Smyrnenſis.* Præterea amplector, quæ Pearſonius diſputat de die anni Iuliani, in quem Sabbatum illud Antepaſchale tunc incidit, nempe πρὸ ἑπλὰ καλανδῶν Ἀπριλίων. *Septimus autem Calendas Apriles eſt viceſimus ſextus dies Martii. Et cum viceſimus ſextus Martii dies Sabbatum fuit, neceſſe eſt, vt viceſimus ſeptimus fuerit dies Dominicus, adeoque litera Dominicalis eius anni B. Quod magnam nobis lucem in anno indagando prafert.* Porro cum Pearſonio ſtatuo, neque 7. *Cal. Maii* recte legi in vulgatis Codicibus, neque 7. *Cal. Martii* a Valeſio recte reponi. *Sed ſine dubio*, inquit optime Pearſonius, *Chronici Alexandrini Auctor ſua habuit ex correctiori Actorum Codice: cum neque vulgati Codicis Græca lectio, neque Valeſii emendatio admitti vllo modo poſſit. Nam 7. Cal. Maii eſſet XXV. Aprilis: 7. autem Cal. Martii eſſet XXIII. Februarii. At Sabbatum Magnum, quod Paſcha Iudaicum proxime præcedit, nunquam tam mature potuit contingere, vt in XXIII. Februarii incideret, nunquam tam ſero, vt cum XXV. Aprilis concurreret.* Valeſii autem correctio, Pearſonio iudice, ex manifeſto errore orta eſt, quo is fingit, in veteri Interpretatione *Martium* legi: quum tamen in Latinis Codicibus a Bollando pariter atque Vſſerio adhibitis *Maius* legatur, perinde vt in Græcis, quibus idem Vſſerius vſus eſt. Vnde aliquoties optaui ſcire, quid Græcus Codex Viennenſis a Lambecio memoratus habeat; ſed voti hactenus compos fieri non potui. Vtcunque ſit, *tutiſſime* cum Pearſonio *lectioni Faſtorum Siculorum acquieſcimus, & Polycarpum paſſum*

sum esse die 7. Cal. Apriles, h. e. XXVI. Martii, affirmamus. Tertium characterem *μηνὸς Ξανθικοῦ δευτέρᾳ ἱσταμένου, die secundo Mensis Xanthici* eiusdem ductu explicamus. *Xanthicus Mensis tunc incepit die Martii vicesimo quinto: secundus ergo Xanthici dies fuit Martii vicesimus sextus: qui eo anno erat Magnum Sabbathum; quo passus est S. Polycarpus.* Dehinc Valesium refutat, contendentem, secundum Xanthici diem non in septimum Cal. Apriles, sed in 7. Cal. Martii, Februarium 23. incidisse: at Pearsonius prolixe demonstrat, tam eos, qui nomina mensium Macedonicorum vsurpabant, mensibus Iulianis inæqualium, Xanthici initium non Februarii, sed Martii Iuliani diebus postremis alligasse: quam eos, qui menses Macedonicos Iulianis postea æquabant, Xanthicum non Martio, sed Aprili accommodasse. In his demonstrationibus libenter acquiesco, vnicum eius *παρόραμα* notans, quo initium Xanthici ante æquationem cum VII. Cal. Aprilis iungit, octauo potius iungendum, sicut ipse in explicatione verborum epistolæ Smyrnensis fecerat: nam si secundus Xanthici est VII. Cal. Aprilis, quod Smyrnenses dicunt; vtique primus est VIII. Calendarum; quod etiam agnouit & ex Cyrillo Hierosolymitano confirmauit P. Wastelius in Vindiciis Ioannis Hierosol. Lib. II. pag. 335. Cæterum ea omnia doctissimum Norisium non expendisse liquet, quando Differt. I. de Anno & Epochis Syro-Macedonum Cap. II. defendit vulgarem sententiam de 23. Februarii ac Vsserianam reiicit, sed multa etiam in Valesio reprehendit, magnique Sabbati characterem plane seponit, quod sane pro lubitu facere non licet, quanquam Polycarpum A. C. 166. die Sabbati passum haud diffitetur: cui sententiæ simul contrariantur, quæcunque de T. Quadrati Proconsulatu antea docuimus.

XXVI. Cum vero Valesius maxime innititur Actis Pionii, octoginta circiter annis post Polycarpum martyrio defuncti, ex quibus constet, Smyrnæos Natalem B. Polycarpi celebrasse VII. Cal. Martias; tum Pearsonius *Cap. XIX.* de fide Actorum, ipsaque Pionii sub Decio passione controuersiam mouet, contenditque, Pionium eodem, quo Polycarpus, tempore, martyrium consummasse, Actaque eius vera ac sincera amplius haud superesse, & ea, quæ Eusebius vidit, ante Metaphrasten periisse. Quorum hoc licet minime reiiciendum putarim, quum iidem Græculi, qui acta Polycarpi deprauarunt, a Pionianis quoque non abstinuisse videantur; de isto tamen ampliandum censeo, maloque interea cum Pagio ad A. C. 167. num 5. Valesio pio Polycarpo inde argumentanti respondere: *At infirma hæc ratio; Sanctos enim alius postea diebus, quam quibus passi sunt, cultos fuisse innumera exempla demonstrant.* Si cui tamen hæc in Smyrnensibus videntur incredibilia, quoniam ipsi in epistola sua dicunt, se τὴν τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον celebraturos; is me non impediente ad prius

prius dilabatur, statuatque, recentiores Græculos vt diem martyrii Polycarpiani ex Martio in Februarium retraxerunt, ita in Actis Pionii, vbi eiusdem fit mentio, idem perpetrasse. Caussam erroris, iudice Vsserio in Diss. de Maced. anno Solari C. III. mensis Xanthicus attulit, quem more Macedonum mense Iuliano Februario inceperunt, quum tamen Smyrnenses Syro-Macedonum consuetudinem sequuti Xanthicum mense Martio labente auspicarentur: nisi potius Smyrnenses ipsi successu temporis mutationem istam instituerint, vt diem quidem septimũ Kalendarum, non autem mensem retinerent, videlicet ad memoriam Polycarpi in Februario meliori otio recolendam, quæ mense Martio propter incidens sæpe in septimũ Kalendarum Sabbatum magnum impediretur; id enim a priscis Christianis recordatione passionis & sepulturæ Christi, Baptismo Catechumenorũ & præparatione ad imminens Pascha totum insumebatur. Atq; in hoc mea quidem opinione tutissime acquiescemus, præsertim quando Ecclesia Latina simili ratione diem Passionis Polycarpi in 26. Ianuarii collocasse videtur. Veteres enim Latini per totam Quadragesimam natales Martyrum non celebrabant. Hinc in antiquissimo Kalendario Carthaginensi, (quod sexto iamtum sæculo in illa Ecclesia receptum, & a Mabillonio Tomo III. Veterum Analectorum editum fuit) *nullum festum per totum Martium mensem, id est, per totam Quadragesimam; sed annus a XII. Kal. Maii incipit, nempe post Pascha, desinit in XIII. Kalend. Martii.* Plura hanc in rem disquirit Ioan. Morinus Lib. VII. de Sacramento Pœnitentiæ Cap. XIII. num. 3. 4. docetque inprimis ex Vicecomite, in ecclesia Mediolanensi, quam prisci ritus tenacissimam nouimus, nullas hactenus Sanctorum Missas Quadragesimali tempore celebratas. Quamobrem ita mea fert coniectura, antiquos Latinorum, cum nec VII. Cal. April. nec VII. Cal. Martii ob Quadragesimam Polycarpi natalem celebrare possent, in VII. Cal. Februarii eum collocasse, vt diligentius meliusque tanti martyris merita expenderent. Hinc nata forsan diuersitas inter Menologia Ecclesiæ Græcæ & Latinæ, quæ alioquin imperscrutabilis est. Ex eodem fonte fluxisse videtur alia mutatio, quæ in MStos epistolæ Smyrnensis Codices irrepsit, & VII. Calendas Maias exhibet. Postquam enim Concilium Laodicenum Can. 51. iussit, *in Quadragesima Natales Martyrum haud peragi, sed eorum commemorationes fieri in Sabbatis Dominicis;* videntur nonnulli priuata saltem auctoritate Polycarpi martyrium in VII. Calend. Maii protulisse: nam in tabulis Ecclesiæ publicis nullum huiusce mutationis vestigium occurrit. Vti autem has coniecturas nemini obtrudo, ita meliora docenti cedam lubentissime.

XXVII. Venio nunc ad *Cap. XX.* Pearsonii, quo omnem argumentorum suorum vim congessit. Arguit primo Valesium & Calusium, Polycarpi passionem in An. Chr. 167. statuentes, quo tamen littera Dominicalis fue-

rit E. proindeque dies VII. Cal. April. ne quidem in Sabbatum seu feriam septimam inciderit, tantum abest, vt Sabbati Magni Charactere potuerit insigniri. Dehinc Bucherium Annum 169. assignantem ex sua ipsius periodo confutat: *Periodus enim ab ipso confecta exhibet An. Dom. CLXIX. primum diem mensis Nisan duodecimum Martii; decimus quartus igitur dies Nisan, quo Pascha cum Iudæis celebrabant Smyrnenses, erat Martii vigesimus quintus, qui eo anno fuit feria sexta; vnde sequitur, Sabbatum Magnum eodem anno secundum Periodum Bucherianam fuisse diem Martii decimum nonum. Optimus Vsserius, qui anno assignato ob literam Dominicalem Bucherium sequutus est, de Tabularum eius fide dubitat (quod ipsi necessarium erat) nullum autem alium initii Nisan diem assignat, quod ad rem ipsam conficiendam prorsus necessarium fuit.* At nimis properanter hæc determinauit Pearsonius, neque Vsserii Bucheriiue mentem satis penetrauit. Primo enim Vsserius ex propria sententia (quam nuper etiam Pagius repetiit suoque calculo comprobauit) diem determinat: *Et quidem anno æræ nostræ Christianæ CLXIX. Cyclo Solis X. Dominicali litera B. existente, terminus Paschalis Alexandrinus fuit Martii die XXIX. Calippicus Martii XXX. vel XXXI. quo & iuxta hodiernum Iudæorum calculum Pascha fuisset celebrandum. Sabbatum quod præcessit Lunam hanc XIV. (qua Polycarpus cum Asianis suis Pascha agere erat solitus) in Martii diem XXVI. incurrit, hoc est in VII. Kalendas Apriles, quo passum fuisse Polycarpum, Constantinopolitanum iam nos docuit Chronicon.* Vbi sane Vsserius haud reticet primum diem Nisan, sed dum Lunam XIV. ex Iudæorum quoque consensu cum XXX. vel XXXI. Martii iungit, sane subinnuit, Neomeniam in XVII. vel XVIII. Martii diem feria quinta vel sexta incidisse. Ad hæc nihil Pearsonius. Quare non dubito, Vsserio subscribere, tam quoad annum, quam diem passionis Polycarpi. Idem deinceps Bucherium variis argumentis confutat, quod per *Sabbatum magnum* ipsam primam Azymorum siue Paschatis diem intellexerit. Hinc patet, Pearsonium minus recte Bucherii mentem cepisse, dum eum putat de Sabbato Paschatis festum proxime præcedente loqui, quod ne ipse quidem Bucherius negasset, eo anno die 19. Martii fuisse, quo prima Azymorum ex eius sententia in feriam septimam, mensis diem 26. cadebat.

XXVIII. Porro tribus argumentis nobis persuadere conatur Pearsonius, annum Christi CXLVII. eligendum esse. Primum desumit a periodo Bucheriana, *in qua eo anno primus dies Nisan est Martii decimus sextus, decimus quartus Nisan Martii vicesimus nonus, feria tertia: ac proinde Sabbatum Magnum eum diem proxime præcedens vicesimus sextus Martii, VII. Calendas Apriles, vt Acta referunt.* Sed hæc nobis nihil obstant, qui de Tabularum Bucherianarum fide non minus ac Vsserius dubitamus. Secundo argumento phasin Lunæ

næ computat, qua A. C. 147. *primus dies Nisan erat Martii vicesimus, decimus quartus Nisan siue Pascha Iudaicum fuit secundus dies Aprilis, quem cum Iudæis celebrabant Smyrnenses feria septima; proinde Sabbatum magnum illud Pascha Iudaicum proxime præcedens fuit vicesimus sextus dies Martii, VII. Cal. Apriles, vt Acta referunt.* Largiemur hoc Pearsonio, dummodo is nobis etiam largiatur, Phasin Lunæ A. C. 169. Iudæos Smyrnensesque die XVII. vel XVIII. Martii obseruasse, adeoque Pascha celebrasse die XXX. vel XXXI. eiusdem mensis. Hoc autem concesso non poterit negare, Sabbatum Magnum illo anno 169. fuisse XXVI. Martii, VII. Cal. Apriles, vt Acta referunt. Pergit Pearsonius: *Et hac supputatio inde confirmatur, quod eodem anno CXLVII. tertius dies Aprilis fuit Pascha ἑορτάσιμον in Occidente celebratum. Nam eo anno Cyclus Lunæ fuit 15. Hic aureus numerus respondet in Calendario Iuliano, diei Martii 19. Ille igitur decimus nonus Martii fuit eo anno Nouilunium Paschale; eius enim quarta decima, Martii 21. seu quodcunque aliud Æquinoctium ea ætate concipias, sequitur & incidit in Aprilis secundum. Litera Dominicalis eodem anno fuit B. qua ad Aprilis tertium apponitur. Ergo tertia Aprilis fuit Dominica Paschalis, quam celebrabant Romani.* Largiemur & hoc, nostramque sententiam eodem plane modo confirmatam dabimus: Anno Christi CLXIX. tertius dies Aprilis fuit Pascha ἑορτάσιμον in Occidente celebratum. Nam eo anno Cyclus Lunæ fuit 18. quem & Caluisius & Pagius signant. Hic aureus numerus respondet in Calendario Iuliano, diei Martii 16. Ille igitur decimus sextus Martii fuit eo anno Nouilunium Paschale; eius enim quarta decima, Martii 21. seu quodcunque aliud Æquinoctium ea ætate concipias, sequitur & incidit in Martii trigesimum. Litera Dominicalis eodem anno fuit B. quæ ad Aprilis tertium apponitur. Ergo tertia Aprilis fuit Dominica Paschalis, quam celebrabant Romani, Pagiusque solerter annotauit.

XXIX. Posthæc fatetur quidem Pearsonius, characteres diei omnes in Actis Polycarpianis etiam optime conuenire An. Dom. CLVIII. sed Quadrati Proconsulatum, & Polycarpi successores ætatemque ab Irenæo memoratam in eum non quadrare. Tandem *recapitulationem* & conclusionem his verbis instituit: *Quare cum characteres diei & anni optime conueniant anno Domini CXLVII. cumque annus ille apprime congruat Proconsulatui Statii Quadrati, qui Consul ordinarius fuerat An. Dom. CXLII. atque etiam cum temporis illius spatio amice concordet, quod tum ex Successoribus Polycarpi in Episcopatu Smyrnensi, tum ex prima sua ætate cum Polycarpi extrema senectute, satis manifeste indicat Irenæus; cumque anni illi, qui vel Chronologis vetustioribus, vel a viris doctis huius Sæculi tam illustri Martyrio hactenus assignati sunt, nimirum quantum ab his characteribus, quos Acta præferunt, & obseruationibus ex Historia*

ſtoria depromptis, diſcrepent atque diſſentiant; aſſerere non dubito, S. Polycarpum ipſo An. Dom. CXLVII. Martyrio eſſe coronatum. Enimuero quia hæc ſententia nullis veterum documentis nititur, eorumque communi fere conſenſui aduerſatur, quo illi Polycarpum ſub Marco Aurelio, non ſub Antonino Pio paſſum tradunt; quia Statii Quadrati Proconſulatus admodum dubius eſt; quia Pearſonius ipſe fatetur, non ſufficere congruentiam characterum diei in aliquo anno; quia denique traditiones Irenæi de Polycarpi ſucceſſoribus & ſenectute non minus in A. C. 169. quadrant; certisſime perſuaſum habeo, ſententiam Vſerii poſthac perſtituram, eidemque concluſionem Pearſonii potiori iure accommodari poſſe: *Quare cum characteres diei & anni optime conueniant anno Domini CLXIX. cumque annus ille apprime congruat Proconſulatui Titi Quadrati ab Ariſtide memorati, qui Conſul ordinarius fuerat An. Dom. CLXVII. atque etiam cum temporis illius ſpatio amice concordet, quod Irenaus indicat; cumque anni illi, qui vel ab aliis, vel nouisſime a Pearſonio asſignati ſunt, nimium quantum ab his characteribus & obſeruationibus diſcrepent; aſſerere non dubito, S. Polycarpum ipſo An. Dom. CLXIX. martyrio eſſe coronatum.*

XXX. His ſtabilitis de aliorum ſententiis facile iudicari poteſt, e quibus vnicum Stephanum le Moyne ſeligemus. Primo aliquot coniecturas proponit, qui factum ſit, vt Socrates Polycarpum *ſub Gordiano* paſſum ſcripſerit; quas in medio relinquimus. Deinde Petitum, Polycarpi Martyrium in A. C. 175. referentem, ſibi ſumit confutandum, cui monſtrat *fraudi fuiſſe varios Quadratos, & diuerſam nominis Quadrati acceptionem.* Sed ipſe Moynius mira confuſione Quadratos iſtos recenſet. Mitto tres priores, vtpote Chriſtianos & quartum, Ciceronis cupidisſimum, adeoque ante Chriſtum natum viuentem; quorum nullus hic intelligi poteſt. Mitto etiam Satellium Quadratum Senecæ memoratum. Mirari ſaltem ſubit, quomodo Moynius ex tribus Quadratis, de quibus etiam a nobis ſupra actum eſt, quatuor nobis fingat, iisdemque omnibus Numidii nomen tribuat. Diſtinguit T. Numidium Quadratum, *Syriæ præſidem*, quem Numidiæ Quadratillæ fratrem atque a Plinio memoratum putat, a T. Numidio Quadrato, *prioris forſan filio, Conſule ſub Traiano cum Veſpronio.* At nullus ſub Traiano Conſul Veſpronii nomine venit. Quadratus autem A. C. 105. Conſul Collegam habuit T. Iulium Candidum, neque Numidius, ſed Caius Antius Iulius vocatus eſt, & iam antea ſub Domitiano Conſul ſuffectus fuerat A. C. 93. Neque alius ab eo Syriæ præſes fuit, quum eundem Inſcriptio ſupra allegata, ad quam Pagius etiam A. C. 105. prouocat, diſerte inter alias dignitates appellet ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ ΚΑΙ ΑΝΤΙΣΤΡΑΤΗΓΟΝ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΝΕΡΟΥΑΣ ΤΡΑΙΑΝΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΥ ΔΑΚΙΚΟΥ

ΕΠΑΡ-

ΕΠΑΡΧΙΑΣ ΣΥΡΙΑΣ, h. e. *Legatum propratore Imp. Nerua Traiani Cæsaris Augusti, Germanici, Dacici, in Prouinciam Syria.* Sicuti autem non dubito, quin nummus Antiochenus ΕΠΙ ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ a Spanhemio pag. 567. productus ad hunc nostrum pariter pertineat; ita ante A. C. 113. quo Traianus *Parthici* cognomen accepit, eum Syriæ præsidem fuisse, ipsamque Pergami statuam erectam oportet, quippe in qua Traianus ita non cognominatur. An autem hic noster Numidiæ Quadratillæ a Plinio lib. VII. Epistola XXIV. laudatæ, frater fuerit, neque negare, neque affirmare ausim: de nepote autem huius fœminæ aliqua dicam, quem Plinius ibi multis commendat, tanquam sibi familiarissimum, & egregium Oratorem: cui etiam inscriptæ sunt duæ ipsius epistolæ, vigesima nona libri VI. & decima tertia libri IX. In priori Plinius Quadrato egregias Oratoriæ leges præscribit: in posteriori *totum ordinem* de Heluidii vltione illi pandit, *cui per ætatem non interfuerit.* Si quis characteres hominesque in hac epistola memoratos cum fastis saltem Onuphrii contulerit, controuersiam illam Anno Christi 97. peractam inueniet. Hoc itaque anno puer adhuc fuit Quadratus, quem deinde Plinius circa An. Chr. 119. defunctus nouerat *intra quartum & vicesimum annum maritum, &, si DEus annuisset, patrem*, auia adhuc superstite, quæ fere octogenaria decessit, haud dubie, quin sub Traiano. Non alium, cui hæc competant, facile reperias ea ætate, quam Statium Quadratum, qui sub Antonino Pio A. C. 142. Consul fuit, & prius perperam *Numidius* nuncupatur a Moynio, deinde tamen verum *Statii* nomen repetente. Cum concesseris, Statiũ a Plinio intelligi, simul dabis, circa A. C. 90. natum esse. Ergo A. C. 142 iam fuerit quinquagenario maior. Vnde Proconsulatus eius in Asia magis dubius redditur, cum vix credibile sit, virum sexagenarium muneris saltẽ annui caussa tam longinquum iter suscepisse. Moynius tamen Valesio subscribit, putatque, *L. Statium diu post Consulatum abdicatum, & varia in commodum Reipublicæ gesta, Proconsulem in Asiam missum fuisse, & illam administrasse anno 167.* Haberemus ergo senem octogenarium, ad eiusmodi functionem multo minus aptum; ne repetam, quæ supra disputata sunt. Aristides saltem non agit de Statio, sed Tito Numidio Quadrato, eiusque Proconsulatum in A. C. 169. cadere pluribus antea probauimus. Moynius instat: *Fuerunt ergo duo Quadrati, Pater nimirum & Filius, vno & eodem tempore supremos in Republica magistratus exercentes, Consul T. Numidius Quadratus, cum L. Aurel. Vero, & illius Pater vel Patruus, L. Statius Quadratus, Proconsul Asiæ.* Forte alicui hæc legenti in mentem venerit, non posse Statium a Plinio intelligi, siquidem Numidius eiusdem filius fuerit, quoniam Plinius Quadratum suum testatur haud factum esse patrem. Sed responsio non est difficilis, post auiæ mortem fortassis Quadratum feliciorem in liberorum procreatione fuisse: ne dicam, Moynium in in-

certo hærere, an Statium patrem patruumue Numidii faciat. Interim vterque præclarus Orator fuit, teste Aristide de Numidio diserte, & Plinio de Statio ex coniectura nostra, quam ex Valesio nunc confirmare lubet. Is enim in Annotationibus Eusebianis de Statio scribit: *Quare non dubito, quin idem sit cum Quadrato Consule, quem Philostratus Vari Sophistæ magistrum fuisse dicit, qui proposito argumento ex tempore declamare solitus esset, ac Fauorinum Sophistam æmularetur.* Equidem Pearsonius Cap. XVII. mauult, Numidium a Philostrato intelligi: *Varus enim ille Philostrati Pergæus, iuuenis mortuus est; audiuit autem Quadratum iam Consulem, & Alexandro iunior fuit, qui erat Marco ab Epistolis in bello Marcomannico, quod susceptum est post Consulatum Numidii Quadrati.* Sed nimis arcte breuiterque spatium istud circumscribit Pearsonius, & cum Quadratus Consul Fauorini Sophistæ æmulus, hic autem Adriano Imperatori familiarissimus extiterit; tum Valesii opinio maiorem fidem apud nos meretur. Vtcunque sit, Numidium saltem A. C. 169. Proconsulem Asiæ fuisse certissimum manet, quod ad scopum nostrum sufficit.

XXXI. Restant coniecturæ de magno Sabbato, quas de nouo proponit Moynius. Cum enim d. 23. Februarii cum Valesio elegerit, & in coniecturis eruditorum variis acquiescere non potuerit, duplicem aliam excogitauit, quarum altera *existimat, vltimum Sabbatum anni esse intelligendum, quod cadebat etiam circa exeuntem mensem Februarium, ac quod Iudæi tanquam Vltimam anni festiuitatem, magno cultu celebrabant. Nam sicut Festorum solenniorum, prima ac vltima dies, vocabantur magna, & ימים טובים. Sic etiam vltima anni solennitas, iuxta ac prima, vocabatur שבת רבא, quia anno Ecclesiastico ac Festorum, finem imponebat, quod Sabbatum isto anno forsan occurrebat 7. Kalend. Martii. Verum si liberius adhuc crisi liceat indulgere, pronus essem ad statuendum, Sabbatum Magnum fuisse primum Sabbatum Nisan, quod cadebat in Diem primam Martii, ac quod incboabat annum Ecclesiasticum. Nam erant quatuor annorum diuersorum initia. Anni Arborum, vndecimo anni Nouilunio. Anni pecorum decimandorum, Nouilunio Ælul siue Augusti. Anni Regum ac annorum, Nouilunio Tisri seu Septembris. Anni Festorum, Nouilunio Nisan seu Martii. Erat vero maxima solennitas primi istius Sabbati, quod magna cum celebritate solebant agitare. Et vocabatur ראש השנה caput anni ac inter maiora festa semper recensebatur, & inter ימים טובים, & quod reuera incidebat in Kal. Mart. Iudæorum. Vnde existimarem, mendū irrepsisse in Epistolam Smyrnensem, in qua aliquando scriptum fuerat, κτα (κατὰ) Καλ. Μαρτ. Vnde factum postea ἑπ̀τὰ Καλ. Μαρτ. Septimo Kal. Mart. cum prius scriptū fuisset circa Cal. Mart. s. ipsis Kal. Mart. nimirum Sabbato magno, in שבת רבא, & שבת ראש השנה,*

quod

quod erat nobilissimum, & omnium festiuitatum fere maxima. Hinc duas subiungit coniecturas, quod hoc Sabbatum sit δευτερόπρωτον Lucæ VI. Sed nos de iis nunc non sumus solliciti, ea tantum examinaturi, quæ adduximus, & diffusam non minus eruditionem, miramque coniectandi libertatem sapiunt. Inprimis sibi etiam dicta putare debuisset Moynius, quæ aduersus Liueleium, per *Sabbatum magnum* festum Purim intelligentem, monuit Vsserius Cap. III. de Macedonum & Asianorum anno Solari: *Illud maxime huic sententiæ efficit, quod non a Iudæis Martyrii huius Acta descripta habeamus, sed ab hominibus Christianis, quibus cum festo Purim* (Neomenia Nisan, aut vltimo anni Sabbato) *nihil erat commercii, quique aliud nullum magnum agnoscebant Sabbatum, quam quod Pascha proxime antecedebat.* Certe nunquam ostendet Moynius, Smyrnenses cum Iudæis annum Ecclesiasticum mense Nisan inchoasse. Præterquam enim, quod præcepti Paullini admodum negligentes fuissent, Coloss. II. 16. aliam prorsus anni formam aliaque mensium nomina habuerunt, ac propterea in epistola sua non mensem Nisan, sed Xanthicum nominarunt: neque vltimum anni Iudaici Sabbatum solennius celebrarunt, qui iuxta cum cæteris Christianis non Sabbati, sed Domini Solisque diem solenniori cultu prosequuti sunt. Deinde Moynio incubuisset onus probandi, partim ex Iudæis, Vltimum anni Sabbatum primumque diem Nisan שבת רבא ab illis appellatum: partim ex principiis Astronomicis & Chronologicis, Anno Christi CLXVII. (quo Polycarpi martyrium figit) siue vltimum anni Iudæorum Ecclesiastici Sabbatum, in 23. Februarii diem, siue Neomeniam Nisan in diem 1. Martii cecidisse. Neutrum præstitit, imo posterius præstare nunquam poterit. Nam eo anno littera Dominicalis fuit E. proinde 23. Februarii fuit dies solis siue Dominica, & quamuis primus Martii Iuliani dies Sabbatum siue feria septima fuerit, nunquam tamen Iudæi primum Nisan cum primo Martii Iuliani die copularunt, sed *Paschalem Neomeniam seu Nisan primum mensem, ab quinta Martii Iuliani die antiquitus aduocarunt, & tertia Aprilis inclusiue terminarunt*, ostendente Bucherio de Paschali Iudæorum Cyclo Cap. III. cuius tabulas si in consilium adhibere placet, deprehendemus, A. C. 167. primum Nisan in 3. Aprilem incidisse: quo posito, omnes Moynii argutiæ in nihilum abeunt, quæ longe minus in vero passionis Polycarpi anno, Christi CLXIX. locum inueniunt, quippe quo dies 23. Februarii fuit feria quarta, primus Martii feria tertia Neomenia Nisan 17. vel 18. Martii, feria 5. vel 6. fuit. Quamobrem dura nimis est emendatio epistolæ Smyrnæorum, in qua Moynius dupliciter peccat, partim solus, κατὰ Καλ. pro ἑπτὰ Καλ. substituens, partim cum Valesio Μαρτίων legens, pro Ἀπριλλίων; ne dicam, secundam Xanthici diem cum prima Martii nunquam sociari

posse.

posse. Hinc ergo concludimus, Polycarpum nostrum Anni Christi CLXIX. die secundo Xanthici, septimo Calendarum Aprilium, Sabbato Magno, Proconsule Asiæ Tito Numidio Quadrato, martyrium subisse.

XXXII. Sed recreare animo Lector, Teque calculis relictis refice iucundis variorum Smyrnæ ante paucos annos peregrinantium relationibus de rebus ad Polycarpum nostrum pertinentibus. Primus sit infelix ille Ioan. Baptista Tauernier, quem nimia peregrinandi cupido ante aliquot annos in extremam miseriam coniecit. Is Lib. 1. Itinerarii Persici Cap. 7. Smyrnam describens Amphitheatrum templumque Polycarpi commemorat. Verba ex versione Germanica dabimus, quia Gallica editio ad manus non est: Es werden annoch die Mauren eines großen Schlosses/ und darunter ein zerstörtes Amphitheatrum, allda S. Polycarpus, wie man dafür hält/ den Löwen fürgeworffen worden/ gesehen. (Memoria lapsus est bonus Tabernarius, Ignatium cum Polycarpo confundens: non enim hic, sed ille, nec Smyrnæ, sed Romæ, a Leonibus discerptus fuit.) Diß Amphitheatrum ware nicht auff Form der andern / die gewöhnlich rund seynd / sondern nur ein halber Circkel / und gegen der See offen gelassen. Die Türcken haben solches bey nahe gantz niedergerissen / und der Steine zu Erbauung einer Vestung zwo Meil von der Stadt/ an dem Meerbusen/ und einem Ort/ da der Paß enge/ und die Schiffe im einfahren ihren Gruß ablegen / auch im hinaußfahren Bescheid geben müssen/ sich bedienet. Um der Mühe/ Stein so weit abzuhoh'en/ überhoben zu seyn/ giengen sie zu Rath/ ob sie deren von der Christen und Jüden Gräber / so nahebey dem Gestad seynd/ sich gebrauchen wolten: aber sie nahmen derselben nur wenig / es sey darum/ daß sie diese Völcker nicht beleidigen wolten/ oder/ daß sie die Steine nicht so dienlich / als die vom Amphitheatro befunden Et paullo post: Ziemlich nahe bey dem Amphitheatro siehet man auch etliche überbliebene Stücke einer Kirchen/ derer beyde Seiten als eine Capellen durch kleine Mauren / die noch stehen/ abgetheilt scheinen: Aber die Leute des Landes zweifeln / ob solches die zerstörte Kirche S. Polycarpi, Bischoffen zu Smyren / oder eines alten Tempels Iani Rest sey. His lucem præbet, sibique vicissim fœneratur Thomas Smith in Septem Asiæ Ecclesiarum Notitia, quam ex Oriente redux adornauit, pag. 164. 165. 166. *Ad latera alterius portæ arcis* (Smyrnensis) *quæ ad Orientem est, adhuc visuntur duæ aquilæ, Romanorum insignia, largiuscule & belle quidem delineatæ. Hinc inter descendendum amplum Amphitheatrum ad Nompeliotem, quo Polycarpus martyrio coronatus erat, intrauimus, grandibus saxis a Turcis ad ornandas ædes illinc sublatis. In cuius lateribus duæ*

cauer-

cauernæ, quibus claudebantur leones, sibi inuicem opponuntur. Sepulcrum S. Polycarpi, *quod in latere montis versus Euroaustrum adhuc conseruatur, Græci die festo ipsius memoriæ consecrato, pro more, qui apud ipsos obtinet, solenniter inuisunt: Situm est in quadam ædicula, Ecclesiæ forte sacello, alii, per quam illic transeundum est, contigua. In hoc monumento instaurando, si ab impressionibus aeriis, si a Turcis, si a Christianis Occidentalibus, qui fragmenta marmoris quasi tot reliquias exinde tollunt, lædatur, temereturque, laudabilis illorum collocatur opera; olla fictili quoque illic apposita, in quam quisque fere vel ex curiositate, vel præ veneratione, quæ erga τὸν μεγαλομάρτυρα, pro Christo inuicta animi præsentia mori sustinentem, fertur, illic ductus, pauculos asprος conicit, vt in omne æuum perennet.* Nouissime Georgius Whelerus in Itinerario pag. 235. post recensitas Ecclesiæ Smyrnensis laudes in Apocalypsi: *Cette Eglise ne manqua pas aussi en ce tems-là de fournir une armée de Martyrs, dont S. Polycarpe leur Pasteur, comme leur Lieutenant General, fut martyrisé dans le Theatre ou dans le Cirque, étant exposé aux betes sauvages. On y voit encore les restes de son Tombeau sur la montagne preche le côté du Nord du Cirque, & on le visite par grande deuotion, mais sa veritable gloire est dans le Ciel.* Mirarer, Whelerum quoque Polycarpum bestiis expositum dixisse, nisi crederem, illi Tabernarioque impositum fuisse speluncas Leonum penes Amphitheatrum a Smithio memoratas: aut qui Smyrnenses antiqnitates illis monstrarunt, deceptos martyrio Germanici ante Polycarpianum in epistola Smyrnæorum memorati, bestiisque proiecti: quodque Proconsul ipsi Polycarpo bestias minatus sit.

XXXIII. Enimuero Polycarpus noster in Smyrnensi Amphitheatro, non, vt Ignatius Romæ, Leonum dentibus comminutus, sed primum rogo impositus, igne autem corpus eius non adurente, mireque ambiente, gladio confossus est, Smyrnæis ipsis in epistola sua disertissime testantibus: πέρας ἂν ἰδόντες οἱ ἄνομοι, μὴ δυνάμενον αὐτῦ τὸ σῶμα ὑπὸ τῦ πυρὸς δαπανηθῆναι, ἐκέλευσαν προσελθόντα αὐτῷ κομφέκτορα παραβῦσαι ξιφίδιον. Καὶ τῦτο ποιήσαντος, ἐξῆλθε περιστερὰ καὶ πλῆθος αἵματος, ὥς τε κατασβέσαι τὸ πῦρ. Vetus Interpres paraphrasin potius quam versionem dedit: *Cum hoc itaque peccatoribus fuisset ostensum, vt intelligerent, eum non posse comburi: præceperunt congestorem ignis accingi, gladiunculum sancto corpori inicere, illis etiam sancto probato. Cumque hoc ita fuisset effectum, ecce subito fluente sanguinis copia, columba processit de corpore; statim sopitum cruore cessit incendium.* Mira tamen heic inter Codices Græcos Latinosque Epistolæ Smyrnensis, & Excerpta Eusebiana occurrit differentia. Nam Eusebius plane omittit columbam, & pude scribit: ἐξῆλθε πλῆθος αἵματος, ὥστε κατασβέσαι τὸ πῦρ, *tanta vis*

 san-

sanguinis effluxit, vt ignis prorsus extingueretur. Valesius in notis tacet; Vsserius tantum obseruat, *de columba hac altum esse apud Eusebium & Rufinum silentium*; Bollandus scribit: *Non meminere columbæ Eusebius & Rufinus: meminere MSS. Latina & Græcum.* Solus Stephanus le Moyne hoc discrimen maiori sollicitudine excussit. Nam vt sententiam suam magis confirmaret, qua Lucianum in Peregrino suo Polycarpi martyrio potissimum illusisse opinatur, id quoque vrget, quod Lucianus ex rogo Peregrini vulturem euolasse finxerit, ideo forsan, quia columba in rogo Polycarpi apparuisse legebatur, *sanctissimæ, simplicissimæ, castissimæ vitæ Martyris indicium luculentissimum.* Equidem haud dissimulat Moynius, semper sibi valde suspectam fuisse istam Lectionem, neque varias omittit criticas coniecturas, secundum quas vel πλευρᾶ, vel πνεῦμα, vel παραχρῆμα, vel ἐπ' ἀριστερᾶ lectum olim fuerit. Addit tamen: *Si Codicibus recentioribus standum sit, & vox περιστερὰ seruanda, & Martyrium Polycarpi isto nouo prodigio ornandum & decorandum, nullus dubito, quin Lucianus hoc videre voluerit, fictione vulturis subito exeuntis ex rogo Peregrini. Quasi voluisset innuere miraculum idem fuisse, & in morte Polycarpi, & in morte Peregrini sui, eadem leuitate & vanitate ista disseminari, fatua plebeculæ δεισιδαιμονεστέρας prandia ac irritamenta, nec Christianos difficiliores debere se præstare, quoad vulturem vnius probandum & laudandum, quam ad alterius columbam memorandam & deprædicandam.* Iudicio Lectoris hæc submissa sunto. Non video, quomodo saluari possint, nisi forte iam ante Eusebii tempora duplices Smyrnensis epistolæ exstiterint Codices: alii columbam memorantes, quos Lucianus viderit, sequanturque tam Græcum ab Vsserio expressum MStum, quam Latinus Paraphrasta; alii columbam omittentes, & forsan propter ipsam Luciani criminationem truncati, cuiusmodi ad manus fuerint Eusebio & Menæorum Græcorum auctoribus. Vtcunque sit, facile concesserim Moynio, Lucianum in descriptione Peregrini multa ad Polycarpi ludibrium adiecisse; quemadmodum Peregrinus ipse Ignatium epistolis legatisque ad nobilissimas ciuitates missis imitari voluit, si vera est Pearsonii coniectura P. I. Vindiciarum Ignatii Cap. II. Vtrum vero Themistius Oratione XII. Iouianum Imperatorem cum Empedocle quodam iuniore conferens Peregrinum intellexerit, quod Petro Petito placuit, an Polycarpum, quod Moynius magno studio nobis persuadere conatur, haud determino, satius habens, nouum Polycarpi imitatorem, Ioannem Hussum, commendasse, quem adolescentem adhuc Martyrum, præsertim Polycarpi, vitas legentem, idem ignis supplicium sibi præsagisse refert Nigrinus in eius vita.

XXXIV. Restat vt de ætate Polycarpi nostri aliquid addamus. Cum enim supra ab illorum sententia discesserim, qui sex & octoginta tantum

tum

tum annos vitæ ipsi adsignant, merito ex me Lectores quærent, quot ego tribuam. Ex Smyrnæorum epistola liquet, eum senio prorsus confectum fuisse. *Primo* enim eos narrant, qui ipsum prehendere iussi erant, ὡς καὶ θαῦμα δοκεῖν ὁρᾶν τοὺς πάλαι τὸν ἄνδρας ἀγνῶτας, ἐπαναβλέποντας τὴν τῆς ἡλικίας αὐτοῦ παλαιῶ, καὶ τὸ σεμνὸν καὶ εὐσταθὲς τοῦ προσώπου. Καὶ εἰ τοσαύτη σπουδὴ ὑπὲρ τοῦ τοιοῦτον συλληφθῆναι πρεσβύτην. Valesius vertit: *Adeo vt illi qui Polycarpum nequaquam nouerant, miraculum quoddam sibi cernere viderentur, prouectam illius ætatem, & grauitatem constantiamque animi contemplantes: mirarenturque tantum studii adhiberi, ut eiusmodi senex comprehenderetur.* Ita apud Eusebium; sed in editione Vsseriana pauciora verba sunt: Θαυμαζόντων δὲ τῶν παρόντων τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ καὶ τὸ εὐσταθὲς, ὅτι ἔλεγον. ἡ (potius τί, vt emendat Vsserius) τοσαύτη σπουδὴ, ἡ τοῦ συλληφθῆναι τοιοῦτον πρεσβύτην ἄνδρα ἦν; sensum tamen Vetus Interpres minime, Valesius optime adsequutus est: Quærunt enim, quid opus sit tanto molimine ad tale silicernium capiendum, quod nemini vel vsui vel noxæ amplius esse queat? *Deinde* ὄνῳ καθίσαντες αὐτὸν, *asino cum imponentes*, tanquam ætate & viribus grauem, *in ciuitatem deduxerunt*. *Tertio* verba Polycarpi, *sex & octoginta annos ei ministrani*, de annis muneris Ecclesiastici intellecta, senem plane capularem indicant. *Quarto* huc etiam facit clamor Ethnicorum & Iudæorum; οὗτός ἐστιν ὁ τῆς Ἀσίας διδάσκαλος, ὁ πατὴρ τῶν χριστιανῶν: *Hic est Doctor Asiæ, & pater Christianorum*; tanquam qui nullum nouerint Polycarpo seniorem tam inter Clericos, quam Laicos Christianos. Idem *quinto* confirmat nos fidelium paullo post memoratus, Polycarpum vestimentis exeuntium & induentium, quanquam id etiam ante eius senectutem consueuerant: ἐν παντὶ γὰρ ἀγαθῆς ἕνεκεν πολιτείας καὶ πρὸ τῆς πολιᾶς ἐκεκόσμητο. Hinc merito Vsserius præfatione in Acta Polycarpi verba Irenæi eodem sensu, quo nos antea, interpretatus est, pluraque notatu digna adiecit: *Et certe ad summam senectutem Polycarpum peruenisse, illa Irenæi declarant:* Ἐπιπολὺ γὰρ παρέμεινε, καὶ πάνυ γηραλέος, ἐνδόξως καὶ ἐπιφανέστατα μαρτυρήσας, ἐξῆλθε τοῦ βίου. Perdiu enim vixit, natuque admodum grandis, gloriosissime & nobilissime martyrium subiens, exiuit de hac vita. *Quem tamen illis maiorem natu fuisse non opus est vt dicamus, quos a Christo sanatos, & a mortuis excitatos ad sua vsque tempora vixisse, in Apologia Hadriano oblata Quadratus; neque etiam Symeoni Fratri Domini dicto æqualem, quem annos CXX. natum cruci fuisse affixum, in Historia sua narrat Hegesippus.* At non multo pauciores, quam Simeon, annos expleuerit Polycarpus, necesse est, qui paullo A. C. 52. epistolas scribente Christum per ætatem nosse poterat, gentilibus tamen tenebris adhuc tenebatur; qui non tantum a Ioanne, sed aliis etiam

etiam Apostolis institutus & ordinatus est; qui 86. annos Smyrnensem Episcopatum administrauit; qui denique A. C. 169. martyrio consummatus est. Vsserius notatione 34. in Acta Polycarpi alias quidem rationes de annis Episcopatus eius amplectitur, sed optime addit: *Quod si cuiquam minus credibile videatur, reuocandus illi in memoriam est ex posterioribus seculis, Remigius Rhemensis vrbis Episcopus;* qui, vt ferunt, septuaginta aut eo amplius in episcopatu annos expleuit: *vt apud Gregorium Turonensem, de gloria Confessorum cap. 79. legimus, quatuor nimirum supra septuaginta: si, vt Chronicon habet Sigeberti, anno CCCCLXXI. creatus Episcopus, anno demum D XLV. ex vita hac excesserit.* An igitur cuiquam absurdum videbitur, Polycarpo, Apostolorum discipulo diutissime omnium superstiti, vitam a Deo tamdiu Ecclesiæ bono prorogatam, vt 86. annis ministerium obiuerit?

XXXV. Nunc Reliquias Polycarpi tam veras, quam fictas contemplemur. Parum absum, quin inter falsas reiiciam, quas Bollandus num. 34. 35. refert in aliquibus locis asseruari; nempe Parisiis in parochiali Ecclesia S. Ioannis in Grauia ossa quædam; in insula Melite Caput; Romæ nescio quæ Polycarpi pignora sub Leone Isaurico Iconomacho a duabus Sanctimonialibus illuc translata. Nemo enim ignorat, quanta fraude olim hodieque eiusmodi Sanctorum reliquiæ venditatæ sint. Optima sane sententia est, quam Ecclesia Smyrnensis in epistola sua promit, & inter duo lipsanolatrarum lipsanomachorumque extrema medium tenet; Iudæos enim stultos appellant, qui apud Proconsulem intercesserint, ne Polycarpi corpus Christianis traderetur, relicto forte crucifixo deinceps adorandi: ἀγνοοῦντες, ὅτι οὔτε τὸν Χριστὸν ποτὲ καταλιπεῖν δυνησόμεθα, τὸν ὑπὲρ τῆς τοῦ παντὸς κόσμου τῶν σωζομένων σωτηρίας παθόντα, οὔτε ἕτερόν τινα σέβειν. τοῦτον μὲν γὰρ υἱὸν ὄντα τοῦ Θεοῦ, προσκυνοῦμεν, τοὺς δὲ μάρτυρας, ὡς μαθητὰς τοῦ Κυρίου καὶ μιμητὰς, ἀγαπῶμεν ἀξίως, ἕνεκα εὐνοίας ἀνυπερβλήτου τῆς εἰς τὸν ἴδιον βασιλέα καὶ διδάσκαλον· ὧν γένοιτο καὶ ἡμᾶς συγκοινωνούς τε καὶ συμμαθητὰς γενέσθαι· *qui ignorarent, nos nec Christum vnquam posse relinquere, qui pro salute omnium, quotquot ex genere humano salui futuri sunt, mortem pertulerit, nec alium quenquam colere. Illum enim vtpote filium Dei adoramus: Martyres vero tanquam discipulos & imitatores Domini, merito amore prosequimur, ob eximiam ipsorum beneuolentiam, quam erga Regem & Magistrum suum declararunt. Quorum nos quoque consortes ac condiscipulos fieri omnibus modis optamus.* Clarissima hæc de vero Martyrum honore confessio aliam expressit Ludouico du Pin, Tomo 1. Nouæ suæ Bibliothecæ pag. 51. de *Catholicorum quorundam superstitione*; cuius verba cum auctores Bibliothecæ Vniuersalis Amstelodami Gallice editæ haud indigna putauerint, quæ To. III. pag. 59. integra darent,

po-

postremaque litteris vncialibus describerent, tum hoc etiam loco legi operæ pretium puto. *Voilà les sentimens de l'ancienne Eglise touchant le respect dû aux Martyrs, & à leurs Reliques, expliquez d'une maniere bien nette, & bien precise, également éloignée du mépris qu'en font les Heretiques de nostre tems, & de la superstition de quelques Catholiques.* Frustra ergo sunt Bellarminus, Petauius & in ipsa hodie Sorbona Alexander, vt alios taceam, quando istas Catholicorum suorum superstitiones ex epistola Smyrnensi defendere satagunt. Ad eundem scopum collimat Supplementum illius epistolæ, quod ex Codice Græco *peruetusto, eleganti & optimæ notæ*, mensem Menologii Græci Februarium continente, descripsit Petrus Lambecius Lib. VIII. Commentariorum de Bibliotheca Cæsarea pag. 88. & quanquam ab ipsa Smyrnæorum manu haud profectum sit, cum in nullo alio Græco Latinoue Codice hactenus reperiatur, ne quid tamen desiderari possit, hisce adiungendum duxi, quum ex eo saltem pateat, priscam Ecclesiam Græcam, quo tempore Menologia conficiebantur, eandem cum Smyrnensibus fidem de vero Martyrum honore tenuisse Τοιαῦτα τὰ κατὰ τὸν μακάριον Πολύκαρπον. ὅς, σὺν τοῖς ἀπὸ Φιλαδελφίας, δωδέκατος ἐν Σμύρνῃ μαρτυρήσας, μόνος ὑπὸ πάντων μνημονεύεται, ὥστε καὶ ὑπὸ τῶν ἐθνῶν ἐν παντὶ τόπῳ λαλεῖσθαι. οὐ μόνον γὰρ διδάσκαλος γενόμενος ἐπίσημος, ἀλλὰ καὶ μάρτυς τίμιος, καὶ ἐξοχώτατος. οὗ τὸ μαρτύριον πάντες ἐπιθυμοῦσιν μιμεῖσθαι, κατὰ εὐαγγέλιον Χριστοῦ γενόμενον. διὰ τῆς ὑπομονῆς καταγωνισάμενος τὸν ἄδικον Ἄρχοντα, καὶ οὕτως τὸν τῆς ἀφθαρσίας στέφανον ἀπολαβὼν σὺν τοῖς Ἀποστόλοις καὶ μάρτυσι, καὶ πᾶσιν δικαίοις ἀγαλλιώμενος, δοξάζει τὸν Θεὸν καὶ Πατέρα, καὶ εὐλογεῖ τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν, τὸν κηδεμόνα καὶ σωτῆρα τῶν ψυχῶν ἡμῶν, καὶ κυβερνήτην τῶν σωμάτων ἡμῶν, καὶ ποιμένα τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην καθολικῆς ἐκκλησίας· καὶ τὸ πανάγιον καὶ ζωοποιὸν πνεῦμα. Ὅθεν καὶ ἡμεῖς ἅπαντες τὸν μὲν Χριστὸν προσκυνοῦμεν, ὡς Υἱὸν ἀληθινὸν ὄντα τοῦ Θεοῦ. τοὺς δὲ μάρτυρας, ὡς μιμητὰς καὶ μαθητὰς τοῦ Κυρίου, ἀγαπῶμεν ἀξίως· ὧν γένοιτο καὶ ἡμᾶς πάντας συγκοινωνοὺς αὐτῶν γενέσθαι, καὶ ἐπιτυχεῖν τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν σὺν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν. ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν. Sunt hæc intellectu facillima, nec latina versione indigent. Melius tamen mea opinione fecisset Lambecius, si lectiones Codicis sui in nomine Proconsulis, die Martyrii, & similibus controuersis capitibus indicasset.

XXXVI. Nos ad scriptas Polycarpi reliquias progredimur, indagaturi, an veriores sint, quæ olim hodieque sub tanto nomine circumferuntur. Equidem varias ab eo epistolas exaratas Irenæus in epistola ad Florinum diserte testatur: Καὶ ἐκ τῶν ἐπιστολῶν δὲ αὐτοῦ ὧν ἐπέστειλεν ἤτοι ταῖς γειτνιώσαις ἐκκλησίαις ἐπιστηρίζων αὐτάς, ἢ τῶν ἀδελφῶν τισὶ νουθετῶν αὐτοὺς καὶ προ-

τρεπόμενος, δύναται φανερωθῆναι. *Sed & ex epistolis illius id liquido comprobari potest, quas ille partim ad vicinas Ecclesias, vt eas confirmaret, partim ad quosdam ex fratribus misit, admonens illos atque exhortans.* Tanta monumenta non exstare merito dolet Io. Gerhardus in Patrologia p. 67. sed plura commemorat Vsserius Prolegom. Ignat. Cap. 1. *ex vita Polycarpi, (quæ Græce MSta in Bibliotheca Regis Gallorum exstat, & Pionii nomine a Petro Halloixio citatur) in qua multos ille tractatus, & Homilias, & Epistolas scripsisse dicitur.* Nullius tamen momenti hunc Pionium esse supra vidimus. Maius forte negotium facessit Hieronymus, epist. 28. ad Lucinium Bæticum scripta: *Porro Iosephi libros, & SS. Papiæ & Polycarpi volumina, falsus ad te rumor pertulit, a me esse translata. Quia nec otii mei, nec viriū est, tantas res eademin alteram linguam exprimere venustate.* Hæc Bollandus n. 15. intelligit, *de explicationibus Scripturarum;* Sed frustra: cum neq; Iosephus, neq; Papias Scripturam interpretati sint & Papias quinq; libris relictis dubium prorsus faciat, an quidquā præter epistolas Polycarpi intellexerit Hieronymus; quem eodem modo accipio aduersus Heluidium disputantem: *Nunquid non possum tibi totam veterum scriptorum seriem commouere, Ignatium, Polycarpum, Irenæum, Iustinum Martyrem, multosque alios Apostolicos & eloquentes viros, qui aduersus Hebionem & Theodotum Byzantinum (& Valentinum) hæc eadem sentientes plena sapientiæ volumina conscripserunt? quæ si legisses aliquando, plus saperes.* Sane cum Hieronymus hæc aduersus Heluidium scripserit diu ante Catalogum, obseruante Pearsonio P. II. Vindic. Ignat. Cap. II. tum in Catalogo alia Polycarpi scripta non commemorat, quam epistolam ad Philippenses. Scio, Halloixium in vita Polycarpi cap. 16. dicere: *Fertur & integrum librum de obitu S. Ioannis Euangelistæ, magistri sui, composuisse, qui hodieque exstat manuscriptus in Bibliotheca Abbatiæ S. Floræ in Gallia Cisalpina. E quo libro nonnulla producit Franciscus Humblot in concione de S. Ioanne Euangelista, sub finem. Quod si vere is liber huius S. Polycarpi est, quæ hæc inuidia, Deus Bone, thesaurum tantum in occulto detinere, & vsum fructum publico inuidere?* Sed placet mihi Vsserii iudicium, Cauio etiam probatum, *qui valde veretur, ne Bibliotheca illa pro thesauro carbones, pro germano Polycarpo commentitium Prochorum, vel eius generis histrionem quempiam alium, quærentibus sit ostensura.* Merito quoque *valde suspectum est* Labbeo, quod Honorius Augustodunensis cap. XIIX. libelli primi de Luminaribus Ecclesiæ, secundum Miræi editionem, adserit, Polycarpum scripsisse quædam *de die Paschæ.* Etenim Honorius libro suo *Hieronymianum scriptorum Catalogum, in Epitomen a se redactum, inseruit,* obseruante Vsserio Prolegom. Ignat. Cap. II. sed *nimium breuitatis studium, aut incogitantia Epitomatoris multos contraxit næuos,* quemadmodum ipse Labbeus animad-

nimaduertit To. I. pag. 474. & hoc ipso pluribusque exemplis demonstrauit Pearsonius procem. cap. VI. Pari ἀβλεψίᾳ laborauit anonymus libelli Synodici auctor, cuius ineptias passim alias reprehendunt Valesius aliique eruditi, dum concilium nobis dat, in quo Anicetus cum Polycarpo & aliis X. Episcopis quartadecimanos damnarit. Vid. Ottius An. CLXVII. n. II.

XXXVII. Neque in hoc subsistit fraus τῶν ὑποβολέων; amplius progressa est, & in germano etiam scriptionis Polycarpianæ genere sese exeruit. Certe Epistola πρὸς τὸν μέγαν Διονύσιον τὸν Ἀρεοπαγίτην, quam Polycarpo Suidas tribuit, Cauio in Historia litteraria *spuria videtur*; Vsserius autem ex eo fundamento nata, quod in Epistola ad Polycarpum Dionysio adscripta legitur, Σὺ δέ φῃς λοιδορεῖσθαι μοι τὸν σοφιστὴν Ἀπολλοφάνη. Quæ sane coniectura melior est altera Sam. Maresii apud Ottium An. 169. num. 6. scribentis: *Suidas commemorat aliam eius epistolam ad Dionysium, sed eius apud veteres nulla occurrit mentio, vt putem Suidæ id imposuisse, quod inter Pseudo-Dionysii epistolas vna fertur scripta ad Polycarpum.* Certe in vulgus notum est, quo loco habenda sint scripta sub Dionysii Areopagitæ nomine edita, ipsamque ad Polycarpum epistolam reiicit Petrus Daniel Huetius Demonst. Euang. Propos. III. num. 9. Unde facile adparet, non posse nos accedere celeberrimo Viro, alicubi scribenti: *Suidas sua adhuc ætate dicit exstitisse Polycarpi epistolam ad Dionysium Areopagitam; quam etiam hodie desideramus.* Moynius de hac epistola plura congessit, atque cum ea inscripta dicitur *Dionysio Areopagitæ, Athenarum Episcopo*; tum is κατ' ἄνθρωπον disputat: *Mirum vero, isto tempore*, (sub Domitiano, quo passus est Dionysius) *Polycarpum ad Dionysium scripsisse, cum nondum esset Polycarpus Episcopus, vel si Episcopus iam erat ordinatus, ad Dionysium Athenarum Episcopum scripsisse, in Galliam iam profectum, & Parisiensium tunc Episcopum & Antistitem.* At dignum patella operculum pridem fuit repertum, aliaque ad Athenienses Epistola Polycarpo tributa, de qua Vsserius hæc habet: *Ad Athenienses scripsisse eum Epistolam, in qua Areopagitæ mentionem fecerit, confirmat Ioannes Scythopolitanus in Græcorum Scholiorum & Ioannes Erigena in Latinæ interpretationis Dionysii præfatione: sed ad ipsum Areopagitam quicquam ab eo scriptum exstitisse, neuter indicat.* Non disputo nunc de Ioannis Erigenæ siue Scoti natalibus, scriptis, aut doctrina, quæ post Iacobum Thomasium in Schediasmate Historico n. 52. & alios plurimos nouissime persequitur editor librorum Erigenæ de Diuisione naturæ, in Actis Eruditorum Lipsiensibus, mense Maio anni 1683. commemoratus: quum apud omnes certum sit, eum Pseudo-Areopagitæ Hierarchiam Caroli Calui iussu in Latinam linguam transtulisse, idque pluribus

monumentis confirmauerit Vsserius in Epistolarum Hibernicarum Sylloge n. xxii. xxiii. & xxiv. ipsam simul Ioannis ad Carolum præfationem exhibens, in qua iis, qui *Dionysii Areopagitæ Athenienſium Episcopi a Paullo constituti* mentionem fecerunt, *beatum quoque Polycarpum, in Epistola ad Ecclesiam Athenarum* accenset. Ioannes vero Scythopolitanus circa confinia quinti sextique sæculi vixit, & Scholia in Dionysii Areopagitæ opera scripsit, vti volunt Pearsonius P. i. Vindic. Ignat. cap. x. & Alexander Synops. Sæc. i. c. xi. Artic. 13. Anastasii inprimis Bibliothecarii auctoritate moti, cuius epistolam in citata Sylloge exhibens Vsserius hoc adiecit Scholion: *Ex hac autem Epistola intelligimus, Græca in Dionysium, quæ Maximo tribuuntur Scholia, non illius esse omnia, sed Ioannis Sycopolitani* (legendum *Scythopolitani*, commonente Pearsonio,) *episcopi* παρενθέσεις *habere admixtas. Vnde & prologo in Græca editione Morelliana titulum hunc præfixum videmus:* πρόλογος τοῦ ἁγίου Μαξίμου ἢ κατά τινας τοῦ Συκοπολίτου. *Prologus Maximi, vel secundum quosdam, Sycopolitani.* Quod obseruare debuisset Valesius, quando Annot. Euseb. pag. 45. scribit: *Porro hunc Eusebii locum in mente habuit Maximus, cuum ait in Prologo Commentariorum in Dionysium Areopagitam:* μνημονεύει δὲ τοῦ Ἀρεοπαγίτου καὶ διονύσιος ἀρχαῖος Κορινθίων ἐπίσκοπος, καὶ πολύκαρπος ἐν τῇ πρὸς ἀθηναίους ἐπιστολῇ. *Vbi delenda puto hæc verba* καὶ Πολύκαρπος. Existimat nimirum Valesius, quia Polycarpi ad Athenienses epistola antiquis fuerit ignota, & Maximus, siue potius Ioannes Scythopolitanus respexerit ad Eusebium, tam lib. iii. c. 4. quam clarius l. iv. cap. 13. testantem, Dionysium Corinthium in epistola ad Athenienses ea de Dionysio Areopagita enarrasse, expungendum plane esse Polycarpi nomen. Verum hoc non concedet V. C. Petrus Lambecius, qui Lib. iii. Commentar. de Biblioth. Vindobon. pag. 71. repræsentat Scholion duobus Hierarchicorum Codicibus Græcis adscriptum: Τοῦ δὲ μακαρίου Διονυσίου τοῦ Ἀρεοπαγίτου μέμνηται Λουκᾶς ὁ Ἐυαγγελιστὴς ἐν ταῖς πράξεσι τῶν Ἀποστόλων, καὶ Διονύσιος Ἐπίσκοπος Κορινθίων αὐτὴρ ἀρχαῖος, καὶ ὁ μακάριος Πολύκαρπος ἐν τῇ πρὸς τὴν ἐκκλησίαν Ἀθηνῶν ἐπιστολῇ, Ἐυσέβιος ὁ παμφίλου ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ ἱστορίᾳ. Additque in margine: *Notabilis locus de S. Polycarpi Epistola ad Ecclesiam Athenienſem, & de S. Dionysii Areopagitæ in ea mentione. S. enim Hieronymus cap. 17. de Script. Ecclesi. vbi de S. Polycarpo agit, vnius tantum meminit Epistolæ ad Philippenses, quæ etiam nunc exstat. Suidas tamen in voce* Πολύκαρπος *expresse testatur, S. Polycarpum non tantum scripsisse Epistolam ad Philippenses, verum etiam ad S. Dionysium Areopagitam, &* πρὸς ἄλλας ἐκκλησίας *siue ad alias Ecclesias. Inter illas igitur Ecclesias sine dubio etiam fuit Ecclesia Athenienſis; nec dubito, quin S. Polycarpus Epistolam suam ad Ecclesiam Athenienſem scripserit post discessum*

S. Dio-

S. Dionysii in Gallias, nempe vel solatii caussa ob eius absentiam, vel adhortationis caussa, ne a praeceptis & dogmatibus eius deficerent. Poterat Lambecius pro sua sententia adferre quoque Irenaeum supra citatum, qui Suidae verba confirmat, & Ioannem Scythopolitanum ac Erigenam. Sed enim vereor, vt cuiquam suam persuaserit sententiam. Valesii sane emendatio multo est verosimilior, & ex ipso Lambecii Scholio confirmatur. Etenim auctor eius non minus ac Scythopolita & Erigena, scriptores Dionysium commemorantes recensens, confestim subiicit librum, vbi id faciant, quod ex Lucae ac Eusebii mentione constat. Quum igitur Dionysius Corinthius ad Athenienses Epistolam scripserit, quis non videt, ita rescribendum esse: Καὶ Διονύσιος Ἐπίσκοπος Κορίνθου ἀνὴρ ἀρχαῖος ἐν τῇ πρὸς τὴν ἐκκλησίαν Ἀθηνῶν ἐπιστολῇ, omissis, quae de Polycarpo inserta sunt? aut si omnino ea recte se habere pertinacius quis contendat, is exponere tenetur, cur non in pluratiuo numero dictum sit, ἐν ταῖς πρὸς τὴν ἐκκλησίαν Ἀθηνῶν ἐπιστολαῖς, quum alias Polycarpus & Dionysius Corinthius simul & vnam ad Athenienses scripsissent epistolam, quod nemini vnquam in mentem venit. Nec licet ad numeri enallagen confugere, quam ratio differendi ab auctore Scholii obseruata non admittit. Obiter addo, auctorem Scholii a nobis adducti adeo cum Ioanne Erigena conuenire, vt necesse sit, alterum ex altero exscripsisse. Quae vero addit Lambecius de Dionysii Areopagitae in Gallias discessu, miror tanto viro excidisse, quem non latebat, Sirmondum aliosque clarissime demonstrare, Dionysium Galliarum Doctorem ab Areopagita longe fuisse diuersum. Frustra ad Baronium An. 169. n. 18. prouocat. Facile enim concedunt omnes eruditi, haud dubium esse, quin inter Polycarpum & Dionysium Areopagitam intercesserit magna animorum coniunctio, nec improbabile foret, si veterum scriptorum accederet testimonium, inter eosdem viguisse literarum consuetudinem. Sed eandem fuisse continuatam post Dionysii in Gallias abitum, suaue Baronii somnium est, ob fabulosum, cui innititur fundamentum, ab omni veritate alienum, pridemque reiectum a Ioanne Launoio in Dissertatione, qua locum Sulpitii Seueri de prima Galliae martyrum epocha vindicauit, num. 30. pag. 167. his verbis: *sed in eam suspicionem adductus est ab Hilduino, cui nimis se credulum praebuit. Hilduini porro commenta nos hic & alibi displosimus, per auctores eo antiquiores, rei gestae viciniores, eruditiores, cordatiores, ab affectibus liberiores.*

XXXVIII. Haec olim Polycarpo attributa sunt. Hodie vero nihil sub eius nomine exstat, quam Epistola ad Philippenses, & quinque Fragmenta ex Libro Responsionum excerpta. Illa maximae quondam apud Christianos auctoritatis fuit, non solum durantibus persequutionibus, vnde ab

ab Irenæo atque Eusebio egregiis elogiis afficitur; sed etiam pace a Constantino reddita, qua fieri cœpisse puto, quod Hieronymus in Catalogo refert sua adhuc ætate consueuisse, vt ea *in conuentu Asiæ legeretur.* Quod Moynius quidem de conuentibus Christianorum Sacris, Synodisque Ecclesiasticis intelligit: mihi autem Hieronymus indigitare videtur illud Asiæ concilium, quod in scriptoribus nummisque antiquis κοινὸν Ἀσίας appellatur, & ex XIII. Ciuitatibus constabat, de quo Henricus Valesius in Annot. Euseb. pag. *66. 67.* Ezech. Spanhemius Dissert. VIII. de Præstantia & Vsu Numismatum pag. *692.* Pagius in Critica Baroniana An. 162. num. *6.* aliique agunt. Sicut enim eiusmodi Concilia sub Ethnicis Imperatoribus erant *variarum persecutionum aduersus Christianos seminarium*, adnotante Pagio: ita sub Christianis in seminarium Christianæ religionis versa videntur. Sed post Hieronymi ætatem vix reperitur, quiiftam epistolam legerit vel allegarit, præter Photium in Bibliotheca. Ipse autem Polycarpus eam scripsit post Ignatii martyrium A. C. 107. exeunte vel 108. ineunte, prout communis Blondelli, Dallæi, Labbei, Cotiique fert opinio, cui nuper etiam accessit Dodvvellus Dissertatione Cyprianica XI. num. 13. & 27. At cum patronus eius, Loydius, Ignatii martyrium in A. C. 116. retulerit, non dubito, quin octo annis recentiorem facturus posthac sit Polycarpi epistolam. Præterea Vsserius ad calcem Annotationum in epistolam Polycarpi docet, eam *scriptam fuisse eodem tempore, quo a Syria ad martyrium Romam abductus est Ignatius*, cum in ea hæc verba hodienum Latine legantur, & a Photio olim Græce lecta sint: *De ipso Ignatio*, & de his, *qui cum eo sunt, quod certius agnoueritis, significate.* Περίοδον Ignatii ad martyrium ducti vidimus num. V. præcedentis Exercitationis: facileque concludimus, postquam Troade abductus est & in Italiam venit, hanc epistolam a Polycarpo scriptam esse. Troade enim Ignatius scripsit ad Polycarpum & Smyrnenses, vt ex fine epistolarum eius liquet. Vtinam vero Polycarpiana hodie exstaret ἀπαρεγχείρητος! quam ex antiqua Latina versione primus edidit Iacobus Faber Stapulensis cum Epistolis Ignatii ab eodem auctore in Latinum sermonem translatis an. 1494. quæ deinde sæpius Parisiis, Argentorati, & Basileæ recusa est. Sed antiquitatum studiosi Græcum exemplar in lucem publicam proferri exoptarunt, quod reperit tandem Franciscus Torrensis siue Turrianus, laudatus a Cæsare Baronio Not. in Martyrol. Roman. die 26. Ian. quem spes de hoc fœtu edendo ibi concepta minime fefellit. Etenim Iacobus Sirmondus, homo vindicandis ab interitu bonis scriptoribus natus, Græcum istud Turriani apographum descripsit, & postea Petro Halloixio Iesuitæ Duacensi tradidit, a quo tandem publicatum est Tomo I. Scriptorum Ecclesiæ Orientalis Duaci 1633. Præterea Salmasium sibi spem fecisse

poti-

potiundi Græci Codicis narrat Andr. Riuetus Crit. Sacri lib. II. cap. III. inscitiæ incuriæque postulatus a Labbeo, *quod nunc Latine tantum epistolam circumferri scripserit*, Halloixianæ oblitus editionis; idque magis miror non emendasse Riuetum in postrema Critici Sacri recognitione an. 1660. emissa, quum Iacobus Vsserius Oxoniæ an. 1644. Ignatianis Polycarpi epistolam Græce & Latine præfixerit, ac cum Halloixiana contulerit *exemplar, quod ex Andreæ Schotti apographo traductum Isaaco Vossio communicarat Cl. Salmasius*, ceu initio Annotationum exserte profitetur. Sed Græcum Codicem vtrumque in fine mancum fuisse editionis Vsserianæ inspectio docet: defectus suppleuisse Cotelerium, colligo ex verbis Natalis Alexandri Synops. Sæc. I. cap. XI. Artic. XII. *Fertur sub Polycarpi nomine Epistola ad Philippenses, quam Ioannes Baptista Cotelerius integram exhibet inter opera Sanctorum Patrum, qui temporibus Apostolicis floruerunt.* Hæc Lectorem monuisse visum est operæ pretium, quanquam nec Halloixius nec Cotelerius mihi ad manus fuerunt, vnde etiam diiudicare nequeo, num vere de Vsserio dixerit Labbeus, cum *ex Halloixio maximam partem sublegisse, quæ de Polycarpo postea retulit.* Præterea Maderi editionem Helmstadii anno 1653. adornatam, vt prolixius de ea disserere possim, quæ Stephano le Moyne consilium suppeditauit, *Varia Sacra* an. 1685. luci publicæ exponendi. Nam initio prolegomenorum prolixe narrat, quomodo Ecclesiastes quidam Batauus, Rullæus nomine, Hispania & Italia peragrata, mire sibi gratulatus sit de allata ex Bibliotheca Florentina Polycarpi epistola integra, & hactenus editis plusquam media parte auctiori; quomodo Rullæo morte intercepto Moynius nullis precibus pepercerit, donec Codicem a fratre eius nancisceretur, sed statim animaduerterit, omne illud supplementum ex Barnabæ epistola depromtum, quam bonus Rullæus pro locupletissimo Polycarpi fragmento descripserat, ac securus iactauerat. Quanquam autem se aliosq; eruditos adeo deceptos maxime doluerit, noluit tamen Rullæi laborem suaque promissa perdita: hinc nata est hæc editio, variæque simul coniecturæ, quo pacto duæ illæ epistolæ in vnam coaluerint, quas examinare nostri omnino instituti esse puto. Primo in Dissertatione Analectica de Polycarpo obseruat, Turrianum eodem modo deceptum fuisse, ex cuius apographo acceperit Sirmondus, qui tamen obseruarit, maiorem partem esse S. Barnabæ, Halloixio adnotante, & per Cresolium Romæ alios Codices inquirente, qui rescripserit, *consulta ab se, & inspecta fuisse exemplaria MSS. tum Bibliothecæ Vaticanæ, tum etiam Ducis Altemps (quæ antea fuerat Cardinalis Columnæ) atque in vtrisque idem se obseruasse. quod in P. Turriani Apographo. Ex quo apparet, in illis exemplaribus vitium hoc primitus fuisse. Codicem enim Columnaeum antiquissimum esse affirmant.* His patho-

pathetice subiicit Moynius: *Quod certe satis mirari non possunt eruditi, cuius rei vix alterum apud veteres occurrat vel vnicum exemplum. Quod in Codice quodam irrepserit error iste, res est non adeo mira, & grauia vitia solent aliquando Codices, incuria descriptorum, inuadere & occupare. Sed quod omnes incesserit istud mendū, & quod omnes, Turrianum, Altempsi inum, Columnaeum, Medicaum, Salmasianū, alios, quicunq; inueniri potuerunt, nullo prorsus excepto, fœdauerit & interpolauerit erratum istud ingens, certe hoc superat omnes errorū communes & vulgares grassationes; ac casu hoc factum, vix possum adduci vt credā, sed ratione quadam, & certo consilio, nimirum, quia istam Barnabæ Epistolam, vel omnes Polycarpi Epistolæ Appendicem ac accessionem maximam existimarent: vel quod istam, quæ Barnabæ tribuitur, Epistolam, ad Polycarpum ipsum pertinere, ac illius genuinum auctorem ac parentem esse apud se reputarent.* Fateor, magnam hæc speciem præ se ferre; sed si accuratius examinentur, vix vnicum Codicem reperiemus ea interpolatione scatentem, vnde in reliquos illa manarit. Etenim ex Turriano descripti sunt Sirmondianus & Schottanus; ex alterutro Salmasianus: Nam Gerardus Ioannes Vossius epistola 310. a Sirmondo, Vsserius a Schotto Salmasium id accepisse refert. Turrianus autem Codex nihil aliud quam apographum recens fuit, ex vetustiori descriptū, quod siue in Vaticana, siue in Medicea Bibliotheca exstiterit, mihi perinde est: prius tamen magis verosimile, cum in vulgus notum sit, quantos sumtus librariis ex Vaticana varios libros describentibus impenderit primus Mediceæ institutor. Neque Vaticanum ætate admodum præstare dixeris, sed potius ex Columnæo descriptum, innuente forsan Halloixio, dum scribit: *Ex quo apparet, in illis exemplaribus* (Vaticano & Columnæo) *vitium hoc primitus fuisse. Codicem enim Columnæum antiquissimum esse affirmant.* Male autem Moynius Altempsianum a Columnæo distinguit, quum diserte Halloixius verbis ab eo citatis testetur, *Bibliothecam Ducis Altemps antea fuisse Cardinalis Columnæ.* Solus igitur Columnæus liber fons & origo omnis erroris est, cuius scriptor præ manibus habuit epistolas Polycarpi & Barnabæ vno volumine compactas, sed in medio aliquot paginis carentes, priorem fine, posteriorem initio mutilam; putauit igitur, vnius esse auctoris opus, adeoque vno tenore descripsit. Vel si mutilus non fuerit Codex, quem ille præ oculis habuit, saltem male philyrisque confusis fuit compactus, cuiusmodi reperi Codicem Græcum MS. Homiliarum Basilii Magni, cuius ordinem si librarius in apographis sequeretur, non posset non eas confusissimas nobis exhibere. Sed de hoc alibi plura. Nunc sufficit, ὁμόψηφον præcipua ex parte adducere Isaacum Vossium, Notis in Epistolam Barnabæ p. 310. ad verba: τὸν λαὸν, τὸν κενὸν &c. quæ in editione Moynii p. 10. immediate cum Polycarpianis coniunguntur: *Hactenus omnia*

in Graeco desunt. Quod ideo factum est, quoniam in Autographo illo, unde exemplaria quae exstant, profluxere, unum & alterum forsan folium defuit. Ita ut hoc modo principium huius, & finis epistolae Polycarpi ad Philippenses, perierint, quae semper in veteribus libris coniunguntur. Idem vero nobiscum statuit Pearsonius P. I. Vindiciarum Ignatii Cap. IX. Vt enim ostenderet, in oratione Chrysostomi, *quod unus sit V. & N. Testamenti legislator*, similem ob paginarum aliquot defectum accidisse confusionem, obseruat, *id veteribus MSS. perquam familiare esse. Vbi enim librarius incidit in Codicem, ex quo una vel plures paginae forte excisae sunt, aut non animaduertens, aut nihil curans, omnia eodem tenore solet describere: idque non in eodem opere tantummodo, sed etiam in diuersis eodem volumine comprehensis saepe factum est, vbi finis vnius, initium autem alterius ab exemplari describendo prius excisum est. Hoc in Epistolis Polycarpi & Barnabae Viri docti iampridem deprehenderunt: hoc ipse in MSS. Thomae Magistri, & Theodori Poenitentialis obseruaui, qui apud nostros Cantabrigienses asseruantur.* Hinc est, quod Sirmondus, Grotius, Salmasius, aliiq; in his rebus versati semper ea, quae Polycarpi sunt, distinxerunt ab iis, quae ad epistolam Barnabae pertinebant. Grotii tantū verba dabimus ex epistola 964. ad Ger. Io. Vossium: *Polycarpi epistolae Graecae non puto plus habere Sirmondum, quam habeat Salmasius. Vltima sunt,* ἀλλὰ τὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἀποθανόντα καὶ δι' ἡμᾶς ὑπο... *desunt caetera. Ex Graecia, quin id damnum sarcire posset, si quis allaboret, non dubito.* Quae Vossio tantopere placuerunt, vt epist. 336. ad Constantinum l'Empereur integra inseruerit. Neque mihi dubium est, quin ex Graecia haberi queat separatum Polycarpianae epistolae exemplum, ab additamento isto liberum, quale non solum habuit vetus interpres Latinus; sed Eusebius etiam Photiusque, dum referunt, in ea mentionem fieri epistolarum Ignatii & sollicitudinis Polycarpi de statu ipsius: quorum neutrum in Codice Columnaeo eiusque apographis supra memoratis occurrit.

XXXIX. Quanquam autem ex his luculentissime patet, non certo consilio, sed casu librariique errore confusionem illam accidisse; videamus tamen, quomodo Moynius in Exercitatiuncula de Barnaba sententiam suam incrustarit. Postquam variis argumentis probauit, epistolam Barnabae tributam ipsius non esse, a Polycarpo eam adornatam putat: *Non leui ergo suspicione adducor, vt existimem, saluo tamen meliori iudicio, istam Epistolam tribui posse ipsi B. Polycarpo. Nam ante Polycarpum non videtur extitisse. Nunquam sola occurrit, nunquam aliis Epistolis vel operibus adnectitur, sed semper Polycarpi epistolae sociata legitur. Hinc est, quod postrema verba Epistolae Polycarpi ab incautis Lectoribus habeantur pro capite Epistolae, quae sub nomine Barnabae circumfertur, adeo arctus erat nexus istarum Epistolarum. Et cum Polycarpus varias exarauerit Epistolas,*

vt supra dicebamus, non video vllum periculum, quo illi & Epistolam Barnabæ tribuere prohibeamur. Præcipue cum series continua & perpetua Epistolarum hoc suadeat, cum tempus omnino quadret, cum in illa nihil occurrat, quare Polycarpo debeat abiudicari, & argumentum Epistolæ, nimirum Iudæorum informatio, congruat tempori, zelo, industriæ Polycarpi, & loco, vbi per 86. annos vixit & docuit Beatus ille Martyr, Smyrnæ nimirum, Ephesi, Antiochiæ, & in tota Asia minori, vbi numerosissima Iudæorum copia. Verum enimuero præcipuum Moynii fundamentum, a coniunctione duarum istarum epistolarum perpetua nullum est. Nam sicut Polycarpi epistola sociata quoque reperitur epistolis Clementis ad Corinthios, cuiusmodi Codicem Photius habuit; ac epistolis Ignatii, quod Vsserius Pearsoniusque probatum dederunt; nemo tamen inde concluserit, vel Clementem Polycarpianæ, vel Polycarpum Ignatianarum esse auctorem: ita etiam Barnabæ epistola seorsim memoratur a Clemente Alexandrino, Origene, Eusebio, Hieronymo, aliis, quorum nemo eam cum Polycarpiana confudit, manifesto indicio, seorsim scriptam omnes habuisse. Doleo, Vsserii editionem epistolæ Barnabæ incendio periisse, qui hanc controuersiam omnium optime determinasset: neque ad manus mihi est Oxoniensis an. 1685. Cauio memorata, *in qua editione, quæcunque in Græco textu desunt, ab antiquo Interprete Latine exhibita, quæcunque etiam in Interprete desiderantur, ex Græco suppleta, minio obducuntur.* Christophorus Sandius in Tractatu de Scriptoribus Eccles. pag. 6. scribit: *Illud autem monendum, in MS. Alexandrino Londini asseruato, & Barnabæ & Clementis epistolas ad Corinthios: & in MS. quod Beza vocat vetustissimum Claromontanum, & cuius scriptionem Morinus probat præcedere ætatem Hieronymi, Librum Pastoris, Epistolam Barnabæ, & aliquot alios libros diuinis S. Scripturæ libris accenseri: teste Morino de Hebræi Græcique textus sinceritate, lib. 1. Exerc. 2. cap. 4. num. 1. 2.* Haberemus igitur binos vetustissimos Codices, in quibus Barnabæ epistola seorsim a Polycarpiana scripta fuit: & quanquam de Alexandrino falsus sit Sandius, cum in fine Catalogi primo venerandi istius Codicis tomo præfixi & a Beueregio Lib. II. Codicis Canonum Ecclesiæ primitiuæ vindicati Cap. IX. pag. 289. pro *egregio antiquorum Bibliorum Specimine* exhibiti, nulla Barnabæ, sed epistolarum tantum Clementis Psalmorumque Salomonis mentio fiat; ex Morino tamen veriora tradit, quippe qui dicit, in vetustissimo illo Codice Claromontano haberi *Catalogum versuum, quos vnusquisque liber Scripturæ continet, & inter eos recenseri librum Pastoris, Epistolam Barnabæ & aliquot alios.* Vnde concluditur, in altera Codicis Claromontani parte hodie deperdita Apocalypsi subiunctum fuisse Hermæ Pastorem, Barnabæ epistolam & alios libros. Peculiarem quoque huius epistolæ Codicem habuit vetus Interpres, a Menardo & Vossio editus. Non igitur fraudi nobis esse debet librarii error, quem probantes eadem faci-

facilitate admittere coguntur, Polycarpum etiam auctorem esse fictitiarum Reuelationum Methodii, siquidem in Codice quodam Romano multa epistolæ Barnabæ inde sunt adiecta. Rem omnem enarrabo verbis Colomesii in Paralipomenis ad Cauii Chartophylacem pag. 2. *Ipsa Barnabæ epistola fuit itidem interpolata ex Chronico sub Methodii nomine, quod inter Grynæi Orthodoxographa occurrit. Confer cum hoc Chronico, quæ in fine Notarum ad Epistolam Barnabæ habet Cl. Is. Vossius, & paria nobiscum senties.* Vossii verba sunt: *Quemadmodum Ignatius suos habuit interpolatores, qui illum corruperint; ita neque defuit, qui idipsum quoque in Barnaba sibi licere credidit. In altero enim Romano codice hæc sequebantur.* καὶ πότε ταῦτα τῶν ἡρώων ἐτύγχανε, τῶν τέκνων τοῦ Σὴμ, καὶ αὐτὸς πρῶτος ἐβασίλευσεν ἐπὶ τῆς γῆς. - - κατὰ τὴν προσηγορίαν αὐτοῦ. *Sed hæc satis ad gustum. Plures enim paginas nugis istis impleuerat impudentissimus iste nebulo.* Bene autem Colomesius animaduertit, ea desumta esse ex Methodii Chronico, seu potius Reuelationibus, quæ in Orthodoxographis exstant, quarumque capitulum sextum pag. 102. (a verbis: *& ipse primus regnauit super terram*, vsque: *iuxta nominis illius nuncupationem*,) si quis cum fragmento Græco apud Vossium contenderit, rei euidentia motus fatebitur, simili errore librarii confusum esse Barnabam cum Methodio, quo Polycarpus cum Barnaba, & si tot apographa ex codice illo Romano sumta essent, in omnia pariter illum fore diffusum. Prostrato itaque palmario Moynii argumento, reliqua sponte concidunt, quibus etiam Ignatius pro auctore epistolæ Barnabæ venditari posset, cum tempus omnino quadret, nec quidquam in illa occurrat, quare Ignatio abiudicetur, & argumentum epistolæ, nempe Iudæorum informatio, congruat Zelo Ignatii, & loco, nempe Antiochiæ, vbi non minus quam Smyrnæ plurimos Iudæos vixisse fatetur Moynius. At vix credo, quenquam his argumentis motum iri, vt Ignatio illam tribuat epistolam, licet etiam Hieronymi accederet auctoritas, apophthegma quoddam Ignatio adscribentis, quod in Barnabæ epistola legitur. Ergo non minus frustra pro Polycarpo laborauit Moynius, qui tandem fatetur, se hæc tantum hæsitanter exponere, nihilque determinare. Subiiciam Cauii epicrisin Histor. litter. pag. 12. missis nunc argumentis, quibus is Barnabæ ipsi hanc epistolam asserere nititur. *Denique quod B. Polycarpo hanc epistolam tribuendam censet vir doctiss. noua quidem est, sed infirma plane coniectura. Epistola Barnabæ auctorem ortu Hebræum, nec leui religionis suæ scientia imbutum luculenter prodit, ac proinde Barnabæ Leuitæ optime congruit; & quidem tum materia, tum stylo scribendique genere tantum ab illa Polycarpi distat,* ὅσον οὐρανός ἐστ᾽ ἀπὸ γαίης. *Nec aliud opinionis suæ fundamentum habet, quam quod in plerisque Codd. MSS. Epistola Polycarpiana absque vllo auctoris nomine adiungatur. Vnde deserta tan-*

V 2 dem

dem propria coniectura, se hoc tantum hæsitanter exponere fatetur, nec coniecturam suam vt κυρίαν δόξαν admittendam iubet.

XL. An vero hodie exstans epistola Polycarpi eadem sit cum ea, quam Irenæus, Eusebius, Hieronymus & Photius laudarunt, dubitant Centuriatores Magdeburgenses Cent. II. cap. x. pag. 173. quos sequuntur post celebrem epitomatorem, Lucam Osiandrum, Centuria II. pag. 7. B. Dannhauerus Christeid. pag. 274. 909. D. Augustus Varenius Sæc. I. pag. 33. 34. & D. Bebelius Sæc. I. pag. 5. 6. eorumque *iudicium solum in sua quoque Critica subiunxisse, satis habuit noster Riuetus*, laudante Ioan. Hoornbeckio Lib. I. Miscellan. pag. 70. cui proinde immerito maledicendo insultat Labbeus, quod *insulsissimum Centuriatorum Magdeburgensium de Polycarpi epistola iudicium descripsit, nec refutauit, vt ab omni veritatis vmbra alienissimum.* Reperiuntur sane inter Latinæ quoque fidei addictos viri eruditi, tantum non idem sentientes, vti colligere est ex obseruatione Schelstratii Antiq. Illust. P. II. Diss. III. c. IV. num. 299. *Addit tamen Photius, quod a Philippensibus petierit certior vicissim fieri de S. Ignatio, si quid forte de eo inaudierint. Illud autem non reperitur in epistola S. Polycarpi Smyrnensis Episcopi, vt appareat & huic epistola aliquid deesse, nec integram ad manus nostras deuenisse, vt non obscure admittere videtur Petrus Halloix.* Similis fere est censura Christoph. Sandii Tract. de Veteribus scriptoribus ecclesiasticis pag. 22. *Hieronymus Polycarpi epistolam valde vtilem dicit, & Eusebius instructissimam, vt ex ea fidei characterem ac veritatis doctrinam cognoscere queant ii, qui salutis sua rationem habent. At quanquam istam vtilitatem in ea, quam nunc habemus, epistola non video, nihil tamen est, cur improbetur.* Apertius Albertinus de Eucharistia p. 284. epistolam Polycarpi ad Philippenses allegans addit: *si tamen genuina est & sincera prorsus.* Quibus omnibus accedere videntur illi, qui fato singulari Deique prouidentia factum esse volunt, vt *ex primo sæculo nihil scriptorum præter Apostolica & Canonica integre & sine suspicione falsi vel certe interpolationis argumentis ad nos peruenerit*, animaduertente Georg. Calixto Appar. Theol. pag. 112. & accedente Gebh. Theod. Meiero Introduct. in Theol. Moralem cap. IX. num. I. qui proinde Studioso moralis disciplinæ nihil ex Polycarpi epistola præscribit, sed a Iustino Martyre initium facit, quod Calixtum etiam in aliis scriptis fecisse memini. Præterea Conr. Horneius P. I. Disputationum Theolog. Disp. II. num. 189. de Ignatianis ac Polycarpiana epistola idem fert iudicium, aitque *eas exstare quidem, sed dubia fere & suspectæ esse fidei.* Vnde facile colligas, an satis caussæ habuerit Herm. Conringius, vt ab his secessum faceret, ac in Epistola ad Maderum de Clementis & Polycarpi litteris disserens acerbius perstringeret iudicium Magdeburgensium, nec permitteret *suspicari, alias esse illas nostras ab iis, quas tanto in pretio prisca Ecclesia habuit.*

XLI. At

XLI. At certe post Editores supra nominatos, nec inter Reformatos, nec inter Pontificios desunt, qui idem cum Conringio sentiant, & Polycarpi hodie exstantem eandem cum antiqua esse contendant. In his eminent Dion. Petauius Tom. II. Dogm. Theol. P. II. de Hierarch. Eccles. Lib. II. c. IIX. num. 2. Aub. Miraeus Schol. in Catalog. Hieron. cap. XVII. Andr. Schottus Schol. in Photii Biblioth. Petrus Lambecius loco citato: Fratres Walenburgici Tom. I. Operum Tract. V. cap. XII. num. 7. pag. 740. Ioan. Cabassutius Notit. Eccles. pag. 23. Nat. Alexander Synops. Saec. I. C. XI. Artic. XII. ac Ludouicus Ellies du Pin To. I. Nouae Bibliothecae pag. 51. Reformati tum Episcopales ac Hierarchici, tum Presbyteriani seu Puritani in adprobanda hac Epistola conueniunt. Ex illis nunc ad manus sunt Henr. Hammondus Dissert. IV. aduersus Blondellum cap. XXII. Ioannes Pearsonius P. I. Vindic. Ignat. cap. V. & Guil. Beueregius tam in praefatione num. IIX. quam in ipso Opere, quo Codicem Canonum Ecclesiae primitiuae vindicauit & illustrauit. Ex his attulisse sufficiat Dauid Blondellum Apol. pro sent. Hieron. pag. 14. Ioan. Dallaeum de scriptis Ignat. cap. 26. & 30. ac Lib. I. de Religiosi Cultus obiecto cap. V. lib. III. Cap. 8. & 18. Sam. Maresium in MS. apud Ottium Exam. Annal. Baron. P. II. p. 210. Alex. Morum Not. in quaedam loca Noui foederis in Matth. V, 2. Frid. Spanhemium Introduct. in Hist. Eccles. Saec. II. cap. X. Dallaeus quidem videri posset in negantem propendere sententiam, quando cap. XXXII. de Scriptis Ignat. Polycarpi de Ignatii epistolis testimonium conatur euertere: Sed quum scrupulos omnes ab eo iniectos Pearsonius citato capite & Alexander Dissert. XXII. excusserint, superuacaneum puto illis amplius immorari, quum Dallaeus diserte fateatur, *his* (de Ignatii epistolis verbis, quae tamen Pearsonius Polycarpiana esse clarissime ostendit) *exceptis, nihil in epistola occurrere, quod vel quenquam offendere, vel Polycarpo indignum censeri debeat.* Neque tamen me latet, quid pro Dallaeo aduersus Pearsonium protulerit Larroquanus in Obseruationibus num. XIII. in duobus praecipue capitibus, partim de Stichometria Nicephori, qui Polycarpi epistolam apocryphis accenseat; partim de vltimis Epistolae Polycarpianae verbis, quae praecedentibus de Ignatio plane contradicant, & aliena manu assuta sint. Sed ex aduerso scio Moynium ostendisse, Nicephorum epistolam Polycarpi minime notare; & quanquam illi etiam particula de Ignatii epistolis vi quadam ac ex abrupto inserta videtur, quo minus tamen id amplectar, facit Photius, cui genuinum epistolae Polycarpi exemplar ad manus fuisse neminem hactenus audiui dubitantem.

XLII. Quanquam autem mihi hactenus non licuit esse tam felici, vt Cotelerianum opus oculis vsurpare potuerim, nihil tamen prohibet, quo minus de Halloixii & Vsserii editionibus sententiam proferam. Equidem non iuerim

inficias, has meliores esse cæteris, non tantum ea de caussa, quod Græcum textum maximam partem exhibent, sed emendatius etiam Veterem interpretationem continent. Nam quæ B. Dorscheus in Collegio Didascalico MS. apud Matth. Zimmermann. Analect. Miscell. Mense VI. cap. I. aduersus hanc epistolam obiicit: *Sane nisi in ea vitium Typographicum est (habetur autem & in Orthodoxographia Heroldi, & in monumentis SS. Patrum Grynæi & in editione Epistolarum Ignatii Ioachimi Perionii Coloniæ 1557. vniformiter) epistola e diametro contradicit S. Ioanni Epist. I. cap. 4. v. 3. dicit enim, Omnis qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse, ille est Anti-Christus, quod de S. Polycarpo S. Ioann. discipulo existimandum non est.* Hæc certe ex Vsseriana editione pag. 20. facile emendantur, vbi & Græcus & Latinus textus Ioanni plane respondent: πᾶς γὰρ, ὃς ἂν μὴ ὁμολογῇ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθέναι, ἀντίχριστός ἐστι. *Omnis enim, qui non confitetur, Iesum Christum in carne venisse, hic Antichristus est.* Nolim vero adserere, epistolam forma rationeque hodierna esse a Polycarpi manu profectam. Præterquam enim quod mancum sit exemplar Græcum & in fine desint haud pauca, quæ ex Latina solum versione exhibuit Vsserius: certe doctorum virorum obseruationes antea productæ omnino requirunt, vt addita sint nonnulla Polycarpi grauitatem non spirantia, alia vero detracta, quæ in germana Veteres legerant. Nec prætereunda est differentia inter Halloixii & Vsserii editiones ab ipso Vsserio in fine Annotationum enarrata: *In Halloixii editione verba ista sunt omissa: Et de ipso Ignatio, & de his, qui cum eo sunt, quod certius agnoueritis, significate.* Hinc est, quod notat Schelstratius, integritatem hodiernis codicibus deesse. At exhibet illa verba Vsserius, an ex fide Veterum MStorum, non addit, ac proinde Schelstratii obseruationem in medio relinquimus. Sunt sane ista verba, quæ maximopere vrgent Dallæus & Larroquanus, iisque cum Halloixio demtis omnis cessat contradictio: ac parum abest, quin Halloixio subscribam, nisi Photii me retraheret Codex, in quo illa lecta fuerunt, vti ad finem præcedentis numeri annotaui.

XLIII. Quæ omnia, dum accuratius pensito, admodum verosimile mihi fit, ab eodem maleferiato homine, qui Ignatii deprauauit epistolas, Polycarpianam quoque interpolatam esse. Id ex ea liquet ratione, quoniam Polycarpi Epistola præmitti solebat Syllogæ septem Ignatianarum, quas simul cum sua Philippensibus transmiserat, vti probauit Vsserius Prolegom. cap. II. qui & antiquam illam consuetudinem sequutus Polycarpianam præmisit Ignatianis in editione Oxoniensi; in eo tamen allucinatus, quod Ignatii ad Polycarpum epistolam in iis locum habuisse negauit, commonstrante Pearsonio Procem. cap. VI. At genuinas Ignatii Epistolas olim interpolatas fuisse, adeo clare aperteque demon-

monſtrauit Vſſerius, vt neminem refragari poſſe exiſtimem: nullusque hodie eruditorum reperiatur, qui aliter ſentiat. Idem proinde fatum Polycarpianæ contigiſſe ex antiqua illa compactione probabiliter colligitur & poſtea latius probabitur. Præterea vetus interpres vulgatus, qui a Fabro Stapulenſi editus Ignatianas epiſtolas in Latinam linguam conuertit, Polycarpianam quoque vtpote iis adiunctam tranſtulit. Atenimuero is minime Ignatii germanas, ſed interpolatas nobis dedit, vti cum aliis eruditis fatetur Pearſonius. Quis ergo non videt, interpolatam quoque Polycarpi Epiſtolam in Codice eius exſtitiſſe? & hinc eſt, quod inter exemplar Græcum hodie impreſſum illamque Verſionem tanta reperitur conformitas.

XLIV. Quæ omnia clarius comprehendet Lector, ſi probe conſiderauerit Pearſonii P. I. cap. IV. obſeruationes. Etenim ſingularis vir eruditionis accurate oſtendit, quemadmodum olim exſtiterint plures διδαχαὶ ſiue διδασκαλίαι quaſi ab Apoſtolis profectæ, & vel ab ipſis ſcriptæ, vel certe viris Apoſtolicis dictatæ, ſed ab hæreticis aut maleferiatis hominibus, ſacris oraculis minime contentis, conditæ: Nec dubitat, *quin & talem* διδαχὴν *etiam S. Polycarpo attribuerint*, eamque in ςιχομετρίᾳ Nicephori nomine vulgo venditata Apocryphis accenſeri putat cap. V. Non fefellit eum coniectura. Produxit enim eiusmodi indiculum Cotelerius, in quo diſerte διδαχὴ illa Polycarpi inter Apocrypha numeratur, teſte Alexandro Sæc. I. Diſſert. XXII. cuius verba antequam adſcribam, illam Stichometriæ particulam, prout a Scaligero cum Chronico Euſebiano edita eſt, proferam: Διδαχὴ ἀποςόλων ςίχων σ. κλήμεντος λβ ςίχων βχ. Ἰγνατίου, πολυκάρπου, ποιμένες καὶ Ερμᾶ. *Certe nemo non videt* (inquit Alexander) *ibi nomen doctrinæ ſubintelligendum eſſe, vt ſit ſenſus, Doctrina Apoſtolorum, Doctrina Clementis, Doctrina Ignatii ſunt Noui Teſtamenti apocrypha. Denique quod ibi ſubauditur, diſerte exprimitur in illo indiculo M S. quem Anaſtaſii quæſtionibus ſubiunctum citat Vſſerius, de Ignatii Epiſt. cap. I. & in indiculo iisdem quæſtionibus adiuncto in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi, quem refert doctiſſimus Cotelerius ad lib. I. Conſt. Apoſtolicar.* Ignatii Doctrina, & Polycarpi Doctrina, *inter apocrypha recenſetur.*

XLV. Sed, inquies, quid cum iſta Polycarpi διδασκαλίᾳ ſiue διδαχῇ nobis eſt negotii, qui de Epiſtola eius quærimus? Itaque amplius attende Pearſonio, præclare docenti, *Διδασκαλίαν Ignatii Conſtitutionibus (Apoſtolicis) fuiſſe interſperſam, eamque Διδασκαλίαν fuiſſe ad interpolatas Ignatii Epiſtolas conformatam, vel potius Interpolatorem Ignatii e Didaſcalia eiusdem ſuas primum lacinias Epiſtolis intexuiſſe:* quorum poſterius & veritati magis conſonum eſt, & Pearſonio probatur in Præfatione ad Lectorem Vindiciis præmiſſa.

Quod

Quod si igitur sceleratum facinus in Ignatii epistolis commisit interpolator, quidni idem in Polycarpiana iis connexa patrauerit, addendo nimirum, quæ scenæ suæ inseruire videbantur, vel ex διδασκαλία Polycarpo adscripta, vel saltem ex libro, qui hodienum sub titulo Constitutionum Apostolicarum circumfertur, & ex omnibus illis διδασκαλίαις Pearsonio aliisque eruditis conflatus videtur, eaque ratione tam Ignatium quam Polycarpum alienis deprauatum coloribus nobis tradiderit? Certe duo illa argumenta, e quibus opinionem suam confirmat Pearsonius, a nobis quoque adhiberi posse videntur. Nam gemella in Polycarpiana epistola legimus: ὑποτασσομένους τοῖς πρεσβυτέροις καὶ Διακόνοις, ὡς Θεῷ καὶ Χριστῷ. Etenim hæc cum præcedentibus ac sequentibus neutiquam cohærent; præcedunt enim præcepta iuuenibus data, sequuntur alia virginibus tenenda. Ac forte ex subiuncta Presbyterorum mentione occasionem arripuit interpolator solennem suam opinionem de ministris Ecclesiæ, vt Deo & Christo honorandis, infarciendi: neque tamen effugere potuit corruptionis indicium, quando loco parum conuenienti eam inseruit. Præterea si sapit interpolatorem prolixus in Ignatianis locus, *qui viduis eadem præcepta dat, & exempla proponit, quæ in Constitutionibus L. 3. cap. 6. 7. occurrunt*, vti censet Pearsonius, eiusdem farinæ merito censebitur admonitio ad viduas, Polycarpi epistolæ inserta, quæ Constitutionibus istis adeo conuenit, vt Turrianus & Bouius illarum antiquitatem inde probare conati sint: quibus Annotat. 3. responsurus Vsserius, *multo censet vero similius, & Pseudo-Clementem in Constitutionibus illis, & Pseud-Ignatium in epistola ad Tarsenses ex Polycarpo hoc ipsum fuisse mutuatum.* Sed liceat nobis adplicare Pearsonii responsionem: *Turriani quidem atque Bouii sententia merito explosa est. Vsserius autem id quod voluit probasse non videtur, quamuis veritatem pene attigerit.* Sane Vsserius ipse, quando in Prolegomenis Ignatianis eundem fuisse Clementis & Ignatii interpolatorem probare intendit, cap. XI. eiusmodi instituit collationem, quæ si ibi valorem pondusque obtinet, non potest non pro nobis etiam facere. Animaduertit enim in Constitutionibus pariter ac additionibus Ignatianarum a tribus proprietatibus hæreticos describi, quod *crucem erubescant, passionem subsannent, resurrectionem pro fabula traducant.* Quibus plane conformia in Polycarpiana deprehendimus: καὶ ὃς ἂν μὴ ὁμολογῇ τὸ μαρτύριον τοῦ σταυροῦ, ἐκ τοῦ Διαβόλου ἐστί. Καὶ ὃς ἂν μεθοτεύῃ τὰ λόγια τοῦ Κυρίου πρὸς τὰς ἐπιθυμίας, καὶ λέγῃ μήτε ἀνάστασιν, μήτε κρίσιν εἶναι, οὗτος πρωτότοκός ἐστι τοῦ Σατανᾶ. Vltima verba innuunt morem illius interpolatoris ab Vsserio pariter ac Pearsonio notatum, vt quantum posset, sese adcommodaret ad genium & scripta illorum, sub quorum nominibus figmenta sua proferebat. Nouerat enim ex Irenæo, Polycarpum Marcioni obuiam facto dixisse: Ἐπιγινώσκω σε τὸν πρωτότοκον τοῦ Σατανᾶ.

XLVI. Vt

XLVI. Vt autem propius cognoſcatur, qualis fuerit ille interpolator, Vſſerius in Prolegomenis Ignatianis facit, clare demonſtrans, non modo hominem impudentem & nulla religione veterum ſcripta tractantem, ſed hæreticum quoque fuiſſe, ſextoque ſæculo infeliciter prodiiſſe. Vt adeo, ſi hæreſin ſapiat illa Chriſti a Deo diſtinctio, quam adduxit Sandius, non Polycarpo ſed interpolatori ea ſit tribuenda. Sub hac enim loquendi formula Ignatianarum & Conſtitutionum interpolatorem non minus ac cæteros Arianos venenum ſuum occultaſſe viri docti obſeruarunt. Polycarpus vero ipſe orthodoxam de Trinitate fidem tenuit, & in vltima confeſſione declarauit, vt ex Smyrnæorum Epiſtola commonuit Summus Calouius noſter in Confeſſ. Martyrum Cap. I. Sect. IV. ac pluribus aduerſus ipſum Sandium euicerunt le Moyne To. II. Variorum Sacrorum pag. 137. & Georg. Bullus in Defenſione fidei Nicænæ Sect. II. Cap. III. Neque prætereundum eſt, Vſſerio Conſtitutionum ac Ignatianarum eundem fuiſſe interpolatorem edocenti adſtipulari Ioan. Dallæum de Script. Ignat. cap. II. & Gisb. Voetium To. I. Diſput. Select. pag. 896. & Samuelem Gardinerum in Hypotypoſi aduerſus Sandium p. 157. Guilielmum vero Beueregium Vindic. Can. Apoſt. lib. II. c. IX. n. 9. exiſtimare, cum Canones quoque Apoſtolicos interpolaſſe. Deprehendimus igitur hæreticum maleferiatum, qui germanas Ignatii ac Polycarpi epiſtolas in vnum volumen coniungi ſolitas ex aliis ſuppoſititiis ſcriptis ſuoque ingenio interpolauit, Canones a viris Apoſtolicis ſecundo tertioque ſæculo ad diſciplinam Eccleſiaſticam conſeruandam ſancitos nefario auſu corrupit, & denique ex variis ſub Apoſtolorum aliorumque nominibus confictis didaſcaliis antiquum Conſtitutionum opus pro lubitu auxit, immutauit, ſuæque ætatis ritibus ac inſtitutis adcommodauit.

XLVII. Ex quibus omnibus aperte conſtat, eandem ſortem cum Ignatianis Polycarpi epiſtolam expertam eſſe, ac proinde idem de hac iudicium ferendum, quod de illis, prout ante Codicem Mediceum ab Iſaaco Voſſio publicatum circumferebantur, ſumi in his literis viri paſſim ſcriptis ſuis inſeruerunt. Prout igitur in Ignatianis nihil pro vera Ignatii ſententia accipi poteſt, niſi a ſcriptoribus ſexto ſæculo antiquioribus ei tributum ſit, quod alibi obſeruaui: ita & Polycarpo ſine eorundem ſcriptorum auctoritate ex hac epiſtola quidquam adſcribendum eſſe merito dubitaueris. Non equidem eo inficias, multa ineſſe Polycarpo digna: ſed hoc χειτήριον, vbi alia interpolationis argumenta conſpiciuntur, nullius plane ponderis eſſe & ex Ignatianis Conſtitutionibusq; Apoſtolicis patet, in quibus multa haberi Apoſtolis & Ignatio digna nemo poterit negare; & pluribus exemplis confirmauit Theophilus Raynaudus de bonis & malis libris Partit. I. Erotem. X. Quamobrem *optandum foret, vetuſtiſſima exemplaria bona fide inquiri, & emendatio-*

datiorem sic forte editionem curari, prout merito censet D. Varenius. Quum autem in Germania eiusmodi exemplar delitescere falso sibi Halloixius persuaserit, iudice Vsserio; ab aliis nationibus, Græcis præsertim, integriora exspectanda erunt: quæ tamen dubito puriora ac meliora fore codice Ignatianarum Mediceo, de quo alicubi conqueritur summus vir. Isaacus Vossius, *tam inueterata in his epistolis esse vulnera, vt tempus quo inflicta sint, propius Ignatii quam nostrum accedat sæculum.*

XLVIII. Ad hanc meam opinionem admittere noluit Vir in hoc antiquitatis genere versatissimus, quem qui Bibliothecam Ecclesiasticam ambulantem dixerit, æquissime iudicabit. Is de Hæresiarchis æui Apostolici disserens, aduersus Docetas producit verba Polycarpi in epistola ad Philippenses: πᾶς ὃς ἂν μὴ ὁμολογῇ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθέναι, ἀντίχριστός ἐστιν. statimque subiicit: *Scio nonnullis videri, quod hæc epistola Polycarpo supposita fuerit, aliis, quod saltem non pura & sincera ad manus nostras peruenerit, & Virum quendam doctissimum opinari, quod idem impostor, qui Ignatianas epistolas interpolauit, Polycarpianam quoque interpolauerit, adeoque Polycarpi epistola eiusdem generis sit cum Ignatianis, quales ante Vossianam & Vsserianam editionem prodierunt. Verum neque Polycarpo epistolam hanc suppositam putem, nec ab eodem impostore interpolatam, qui Ignatianis epistolis adulterinas manus intulit. Nam illum Ignatii interpolatorem malæferiatum hæreticum fuisse Vsserius probauit. At in Polycarpi epistola nullum manifestum errorem deprehendi, illi etiam agnoscunt, qui spuriam esse censent. Præterea interpolator Ignatii episcopali potestati nimiũ tribuit. At in hac epistola Episcopi a Presbyteris non distinguuntur, vnde etiam nonnulli e Presbyterianis, qui ne sinceriores quidem Ignatii epistolas, nedum interpolatas recipiunt, Polycarpi epistolam vt genuinam amplectuntur: vt ex Blondelli apologia pro sententia Hieronymi constat. Denique Ignatianas epistolas a malæferiato quodam hæretico interpolatas fuisse, ex diuersis Ignatianarum epistolarum exemplaribus ad oculum demonstrari potest. At in epistola Polycarpianæ exemplaribus tanta varietas non occurrit. Quamuis itaq; asserere nolim, omni ex parte genuinam ad nos Polycarpi epistolam venisse, malim tamen eam cum sincerioribus Ignatii epistolis, quam cum interpolatis comparare. Quantum autem ad verba, quæ ex Polycarpi epistola adduximus, attinet, ea a Polycarpi manu profecta & ex ipsa Ioannis epistola deprompta minime dubito.* Malo hæc omnia Lectorum arbitrio relinquere, quam cum Viro amicissimo contentionis serram reciprocare. Videbunt illi, me ex concessis aduersus Vsserium Pearsoniumque disputare, neque horum argumenta consistere, nisi & meæ inde formatæ conclusiones valeant. Certe malæferiatus Ignatianarum interpolator non omnes Ignatii epistolas veneno Ariano tinxit, adeo vt Vsserius Cap. xv. Arianismi vestigia studiose inquirens, nihil ex lit-

litteris ad Ephesios, Trallianos Romanosque proferre potuerit, quas tamen non minus ac reliquas interpolatas fuisse certissime constat. Forte pessimus homo consulto epistolam Polycarpi veneno Ariano haud infecit, quod ea Ignatianis præmitteretur, ne primo statim aditu fraus eius patesceret. Haud tamen abstinuit ab aliis suis *κυρίαις δόξαις* infarciendis. Sicut enim in epistola Ignatii ad Ephesios his verbis: *σπουδάσωμεν οὖν μὴ ἀντιτάσσεσθαι τῷ ἐπισκόπῳ, ἵνα ὦμεν Θεῷ ὑποτασσόμενοι*, (prout in Mediceo Codice leguntur) minime acquieuit, sed Presbyteros etiam Diaconosque addidit: *σπουδάσατε, ἀγαπητοὶ, ὑποταγῆναι τῷ ἐπισκόπῳ, καὶ τοῖς πρεσβυτέροις, καὶ τοῖς διακόνοις*. ita similem sententiam loco minus conuenienti epistolæ Polycarpi alleuit, prout antea vidimus. Denique cum ex vnico libro Columnæo reliqua per Europam dispersa apographa desumta esse, mea ferat opinio, saltem ex vno in reliquos omnes vitium dimanarit; tum vltimam obiectionem me non tangere patet. Vedelium quoque constat, Ignatianas interpolatas defecisse, variisque rationibus probasse, antequam Mediceus Codex reperiretur, Vossiique & Vsserii editiones prodirent. Ad eundem modum, allato forte ex Græcia vel aliunde integro Polycarpianæ epistolæ Codice, suo tempore palam fiet, vter nostrum probabiliorem fouerit sententiam.

XLIX. Quinque fragmenta ex veteri catena MS. super Euangelia, in qua velut a Victore Capuano laudata referebantur, exscripsit Feuardentius in Adnotat. ad Irenæi Lib. III. cap. 3. existimans, ea ex variis Polycarpi epistolis depromta esse; subscribente Bullo mox citato pag. 91. quod tamen Alexander *non vult pertinaciter adserere: citantur namque ex Responsionibus capitulorum illius. Quas Responsiones, an in Epistolis, an seorsim ab illis scripserit sanctissimus Episcopus & Martyr, plane nescimus.* Eadem capiti XIIX. vitæ Polycarpi inseruit Halloixius, & post Smyrnæorum epistolam exhibuit Vsserius, adprobans *Halloixii monitum, nonnulla forte assuta esse, atque illud imprimis, quod secundo fragmento adiacet:* Legitur & in dolio feruentis olei, pro nomine Christi, beatus Ioannes fuisse demersus. *Neque enim Polycarpus qui omnia B. Ioannis acta, tanquam eius discipulus, vel videbat ipse, vel ex eo audiebat, vel ex comitibus addiscebat, scripsisset*, Legitur, *quasi id non aliunde quam ex Libris sciret &c.* Equidem ex Polycarpi de illa Ioannis passione testimonio non modo variantes aliorum Patrum narrationes ab Huetio Notis in Origenem p. 72. collectæ facile diiudicari possent, sed rei veritas quoque confirmari aduersus Frider. Spanhemium, qui in Dissertationum Historicarum Quaternione Dissert. I. num. 31. eam in dubium vocat, quod *nihil tantæ rei meminerunt vel Papias, vel POLYCARPVS, vel Irenæus, vel Polycrates, vel Clemens Alex.*

 qui

qui de Ioanne multa & singularia quandoque. Vtcunque autem sese hæc habeant, displicet quoq; Vsserio ἀκυρολογία *illa in postremo fragmento, qua Seruator noster Crucis vexillum conscendisse dicitur. Nam gestari quidem vexillū crucis non semel audiuimus; sed conscensum a Christo fuisse vexillum illud, nullibi adhuc inuenimus.* Quamobrem merito queritur illustris Huetius, de Claris Interpretibus pag. 241. *non superesse Responsionum Polycarpi Librum, vnde quinque illa fragmenta, quæ a Feuardentio edita sunt, Latine reposuit Victor Capuanus:* constat enim, parum omnino tribuendum esse eiusmodi Latinis versionibus in Græcorum codicum defectu. Cauius in Historia litteraria scribit: *Verum an genuina sint, non sine ratione dubitare licet.* Sic & Lud. du Pin: *Mais il y a bien de l'apparence, que ce sont des choses supposées.* Mihi videntur ea fragmenta deprompta esse ex διδασκαλία Polycarpiana, de qua supra disputauimus. Certe Victor Capuanus in Critica Ecclesiastica parum fuit versatus, & Tatiano adscripsit Harmoniam, quæ Ammonium Alexandrinum agnoscebat auctorem, vti pridem eruditi monuerunt. Neque tamen adeo repugnabo, si quis alium librum Polycarpo olim tributum cum Huetio adsignauerit: dummodo obseruet, Irenæo, γνησίῳ Polycarpi discipulo, nihil præter epistolas cognitum fuisse. Si enim Polycarpus varios præterea tractatus & homilias reliquisset, prout ex Biographo eius commemorant Vsserius & Halloixius, ea neutiquam omisisset Irenæus, dum Florinum a recto fidei tramite aberrantem ad epistolas Polycarpi remittit, vt exinde puram hauriat doctrinam. Fateor, fragmenta illa non abhorrere a genio scriptorum ætatis Apostolicæ & Polycarpianæ, quem depingunt Ioan. Launoius Dissert. de Dionys. ac Pearsonius P. III. cap. I. & ante illos Eusebius Cæsareensis lib. I. Προπαρασκ. Εὐαγγελ. cap. III. indeque motum crediderim Calouium, vt in Confessione Martyrum ex illis quoque fragmentis fidem Polycarpi rectam de Trinitate eliceret, quem Bullus sequutus est. Moynius autem νοθείαν illorum pariter agnoscit, sed modum argumentandi alium tenet: *Nam cum quod temporibus Polycarpi magis ad mores informandos, quam ad Sacram Scripturam illustrandam, studia sua converterent fideles, vt patet exemplo Clementis, Ignatii, aliorum primi & secundi sæculi scriptorum; certe fragmenta ista non omnino redolent animum & tempora Polycarpi, nec spirant simplicitatem, & certam asseuerandi & dicendi libertatem, quæ in Epistola Polycarpi vbique spirare videtur. Denique Victor iste Capuanus est Auctor sexti exeuntis sæculi, & mirum, Responsiones istas ab alio, Victore, antiquiore nullo fuisse memoratas. Et Capuanus Victor non erat scriptor adeo accuratus, vtpote qui præfationem ediderit in Harmoniam Euangelicam, quam credidit esse Tatiani, cum esset Ammonii, errore certe in viro diligenti vix ferendo & condonando. Postremo compilatores catenarum sunt obnoxii variis erroribus, & nulli fere labores magis mendis*

&

& erratis scatent, quàm qui nomine catenarum solent vbique circumferri. Putat igitur, responsiones illas *tribuendas Auctori Responsionum ad Orthodoxos*, Iustino Martyri suppositarum, tandem vero coniicit, *Victorem Capuanum forsan deceptum fuisse Codicis Titulo, vel in eius Catenam mendum forsan irrepsisse, vel occasionem praebuisse aliis, Polycarpo Smyrnensi tribuendi, quae forsan Polycarpo Presbytero Romano, vel alteri, omnino erant adscribenda.* Ita solita coniectandi libertate procedit Moynius, nec habet, vbi pedem firmiter figat. Sed plura persequi tum magnitudo Dissertationis prohibet, tum festinatio, vt missis παρέργοις ad ἔργα redeam. Tu vale, Lector, & si quae properanti exciderint, ignosce.

EXERCITATIO QVINTA
DE
IVSTINO MARTYRE, ATHENAGORA, THEOPHILO ANTIOCHENO, TATIANO ET SOZOMENO,

prout

primo *Delitiarum litterariarum* Capiti

Anno CIↃ IↃC LXXXVI. destinata fuit.

I.

QVae hoc ineunte saeculo Parisiensium librariorum gloria erat, vt Scriptores Ecclesiasticos emendatius pleniusque typis excudi curarent; eam nunc optimo iure Nostrates sibi vendicant, quando nouas elegantissimasque nobis dant Patrum editiones. Primum inter illos locum sibi fere postulat *Iustinus Martyr*, si verum est Georgii Calixti de Coniugio Clericorum pag. 145. aliorumque eruditorum elogium, quod is *omnium, quorum post Apostolos scripta genuina ad nos peruenerunt, antiquissimus* sit. Cuius scripta, quum Wittebergae An. CIↃ IↃC XXCV. Graece & Latine prelo iterum subiicerentur, accuratius euoluere, neque solum Critice, sed & Theologice expendere, measque cogitationes sub Theologi alicuius praesidio pro more in Academiis recepto publicae disceptationi sistere decreueram. Sed mutaui consilium, postquam ex Academia euocatus fui, nouaque ista editione tanquam Coloniae excusa prodeunte, ea tantum, quae ad vitam & scripta Martyris pertinent, inter delicias me-

 asre-

as reputare volui, doctrinæ autem censuram aliorum curis relinquere. Effigies Iustini prima statim pagina exprimitur, siquidem magnorum virorum imagines haud exiguam vim habent ad posterorum animos excitandos. Eandem Theophilus Spizelius exhibet illustratq; in veteri Academia Iesu Christi. Pallio Philosophico amictus comparet Iustinus, de quo egregie disputant Claudius Salmasius Commentar. in Tertullianum de Pallio pag. 75. & Octauianus Ferrarius in illustri Opere de re vestiaria. Noua nostra editio dicitur adornata *iuxta Parisinam anni* CIↃ IↃC XXXVI. quam Philippus Labbeus tomo I. Dissertationis Historicæ de Scriptoribus Ecclesiasticis *omnium perfectissimam arbitratur*.

II. Præmittuntur *de S. Iustino Veterum Elogia* & Photii Bibliotheca Codice CXXV. Eusebii Historia Ecclesiastica Lib. IV. cap. XI. Hieronymi Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, Epiphanii Hæresi Tatianorum, Eusebii Chronico, & Anastasii Bibliothecarii Historia Ecclesiastica: Tum additur locus Paulli Orosii lib. VII. cap. 15. ad Marci Epistolam de Christianis pertinens, quæ Apologiæ Iustini solet adiungi. Denique ob similitudinem argumenti Plinii & Traiani de Christianis amœbææ epistolæ & Eusebii de iis locus adscribuntur. Cæterum quod Iustini Martyris vitam attinet, pleraque capita ab ipso in scriptis suis, præsertim Apologiis & Dialogo cum Tryphone videmus adnotata, quæ in Indice nouæ huius editionis v. *Iustinus* studiose congesta reperient diligentes Lectores. Ex recentioribus eandem fusius persequutus est suæque versioni præmisit Ioachimus Perionius; & Petrus Halloixius Duaci an. CIↃ IↃC XXII. *Vitam & documenta S. Iustini Philosophi & Martyris, una cum censura & notis* publicauit. Nos ex Photio vitæ eius catastrophen succincte referemus, addita Andreæ Schotti versione. Οὗτος, υἱὸς μὲν ἔφυ. Πρίσκου Βακχείου· πατρίδα δὲ εἶχε Νεάπολιν, τὴν ὑπὸ τὴν ἐπαρχίαν τελοῦσαν παλαιστίνης. ἐν ῥώμῃ δὲ τὰς διατριβὰς εἶχε, φιλοσοφῶν καὶ τοῖς λόγοις καὶ τῷ βίῳ, καὶ τῷ σχήματι. διάπυρος δὲ τῆς εὐσεβείας ὢν ἐραστὴς, ἔσχε Κρίσκην ἕνα τινὰ τῶν καλουμένων κυνικῶν ἀντιπολιτευόμενον αὐτῷ, καὶ τῷ βίῳ καὶ τῇ θρησκείᾳ. ὑφ' οὗ καὶ συσκευασθεὶς, ἀξίως τῆς ὅλης τοῦ βίου προαιρέσεως, καὶ τὴν ἐπιβουλὴν συνέθηκε. μαρτυρίου γὰρ ταύτην ὑπόθεσιν ἐνστησάμενος, λαμπρῶς καὶ χαίρων τὸν ὑπὲρ χριστοῦ θάνατον ἀνεδέξατο. *Fuit ipse Prisci Bacchii filius: patriamque habuit Neapolim, Palæstina prouinciæ. Romæ autem commoratus, sermonibus ibidem ac vita, pariter vt habitu Philosophum egit. Itaque ferventi cum esset pietatis amore ac studio incensus, Crescentem quendam ex iis qui Cynici vocitantur, aduersarium habuit, cum ipsi, tum vitæ cultuique, ac religioni eius obnitentem: a quo tandem insidiose accusatus, ita vt toto vitæ ipsius instituto dignum erat, insidias istas pertulit. Martyrii namque hac ansa captata, splendide lætoque animo pro Christo mortem oppetiit.*

III. Pa-

III. Patriam Iustino Neapolim, Samariticam vrbem, tribuit Photius, Patrem Priscum Bacchium vocat. Notabile est Iustini ipsius testimonium, initio secundæ Apologiæ, quam reuera primam esse infra ostendemus: Ἰουστῖνος Πρίσκου, τοῦ Βακχείου, τῶν ἀπὸ Φλαουΐας νέας πόλεως τῆς Συρίας τῆς παλαιστίνης. Quæ ita vertit Ioannes Langus: *Iustinus Prisci Bacchii filius, Flauia (quæ noua ciuitas est Syriæ Palæstinæ) ortus.* Ezechiel Spanhemius Dissertatione IX. de Præstantia & Vsu Numismatum pag. 769. 770. melius transfert: *Flauia Neapoli Syriæ Palæstinæ ortus*; notatque Langum, quod *male expresserit*, & *ignorasse videatur.* Neapolim *fuisse vrbem in eo tractu; quanquam cum aliunde notam tum inter nobiliores Palæstinæ ciuitates iuxta Cæsaream, Gazam, Ascalonem, ab Ammiano (Lib. XIV.) relatam; nec attenderit ad consuetum Græcorum morem, composita vrbium nomina in primitiua resoluendi, vt* Ἀβώνου τεῖχος, Ἀδριανοῦ θήρας, πομπηΐου πόλις, Κωνσταντίνου πόλις, *& frequenter in iis, quæ* Neapoles *vocabantur*, Νέας τῆς πόλεως. Operæ pretium est, euoluere Spanhemium, qui amplius ex nummo Titi ΦΛΑΟΥΙ ΝΕΑΠΟΛΙ ΣΑΜΑΡΕΙΑΙ inscripto & Iustinum Martyrem illustrat, & Epiphanium, de Iustino scribentem, ἀπὸ Σαμαρειτῶν εἰς χριστὸν πεπιστευκώς. Inde etiam colligere est, immerito vapulare Epiphanium a Iosepho Scaligero in Animaduersionibus Eusebianis pag. 119. quem aliquoties alucinatum ibi esse docet Spanhemius pag. 770. 771. Addamus Henricum Valesium in Adnotationibus Eusebianis pag. 66. *Flauia dicta est Neapolis ciuitas Palæstinæ, eo quod colonia esset a Flauio Vespasiano deducta. Antea Sichem dicebatur.* Eandem Iustini patriam expressit Methodius, proximi æui scriptor, in Libro de resurrectione pag. 324. editionis Cambefisianæ citans Ἰουστῖνον νεαπολίτην.

IV. Patrem Iustini Priscum Bacchium diserte dicit Hieronymus in Catalogo, eiusque Interpres Græcus Sophronius, ἐκ πατρὸς Πρίσκου τοῦ Βακχείου, illamque sententiam non Latini tantum Iustini & Eusebii interpretes, sed & cæteri eruditi plerique omnes hactenus tenuerunt. Reluctatur tamen Henricus Valesius in Adnotationibus Eusebianis pag. 66. *Verum Bacchius auus fuit Iustini. Itaque addit Iustinus* τῶν ἀπὸ τῆς Φλαβίας, *quod non nisi de pluribus dici potest, de patre nimirum & auo.* Itaque Iustini *pater Priscus, auus autem Bacchius* erat, docente etiam Labbeo pag. 664. qui ibidem Valesianas obseruationes in Eusebium exspectat, sed & in Appendice p. 831. nonnulla ex iis, quoniam interea vulgatæ erant, delibans hanc obseruationem omittit. Eandem vero cum Valesio sententiam tenet Martinus Hankius, Parte I. de Scriptoribus Byzantinis P. I. Cap. VI. num. 4. pag. 164. apud quem tamen nescio quo lapsu pro *Bacchio* Brachius scribitur.

V. Quo-

V. Quomodo autem vitam suam transegerit Iustinus, ex Dialogo eius cum Tryphone aliisque scriptis notissimum est. Fuit enim primum Philosophus ethnicus, omnesque Græcorum sectas amore veræ Philosophiæ perreptauit, in quarum nulla conscientiæ tranquillitatem reperiens martyrum constantia senisque cuiusdam admonitionibus motus Christianæ religioni sese addixit, & suo ipsius testimonio ταύτην μόνην εὕρισκε φιλοσοφίαν ἀσφαλῆ τε καὶ σύμφορον, *banc solam comperit esse certam atque vtilem Philosophiam.* Exemplum Iustini omnibus litteratis imitandum merito proposuit piissimus Spizelius tam in Felice litterato pag. 1006. quam in Infelice litterato pag. 307. In hoc itaque stadio ab anno 133. vti computat Guil. Caue Chartophyl. Eccles. pag. 11. decurrens Iustinus & Christianorum dogmatum defensionem suscipiens iram Philosophorum gentilium in se concitauit, eorumque calumniis appetitus martyrium subiit. Quando autem hoc factum sit, inter eruditos nondum conuenit. Hinc Antonius Pagi in Dissertatione Hypatica P. II. cap. III. num. 9. pag. 116. *Incertum an Iustinus sub Antonino, vel sub Marco Martyrium passus fuerit.* Incertitudinis huius ratio ex diuersitate veterum scriptorum, & ὁμωνυμίᾳ Imperatorum oritur.

VI. Etenim ex antiquis auctoribus Epiphanius Hæresi XLVI. scribit: τὸ τέλος ὑπὲρ Χριστοῦ μαρτυρήσας, τελείου στεφάνου καταξιοῦται, ἐπὶ τῆς Ῥωμαίων, ἐπὶ Ῥουστικοῦ ἡγεμόνος καὶ Ἀδριανοῦ βασιλέως, ἐτῶν τριάκοντα ὑπάρχων, ἐν καθεστώσῃ ἡλικίᾳ. *tandem martyrii pro Christo perfectam coronam meritus est in territorio Romano, Rustico præside, Adriano Imperatore, annum agens XXX. in constanti ætatis gradu.* Dionysius Petauius in Animaduersionibus pag. 81. reprehendit Epiphanium, quod sub Adriano Iustinum interfectum dixerit, quem vitam amplius produxisse, & imperante demum Marco Aurelio obiisse contendit. Ac errorem quidem Epiphanii notauit etiam Augustus Varenius in Rationatio Scriptorum Ecclesiasticorum Sæculi secundi pag. 20. *Sub Adriano coronatum statuere, Anachronismus ingens est, quem ostendunt Apologetici inscripti Imperatoribus Adriano posterioribus.* Videtur error Epiphanii inde ortus, quod Adriani cognomen ex adoptione sortitus sit Antoninus Pius more apud Romanos recepto, quo adoptantis nomina recipiebant, qui adoptabantur, vti post Latinum Latinium, Carolum Patinum, Ezechielem Spanhemium, similesque antiquarios nouissime obseruat Henricus Norisius in Epistola Consulari pag. 44.

VII. Itaque Eusebius lib. IV. cap. XVI. & XVII. Iustini Martyrium in Marci Aurelii Antonini & Lucii Veri persequutione contigisse ait: cuius sententiam defendit Petauius, eumque more suo sequutus Natalis Alexander Synopsi Sæc. II. pag. 3. & 53. nec abludunt Aubertus Miræus in Bibliotheca Eccle-

clesiastica pag. 11. & David Blondellus in Apologia pro sententia Hieronymi de Episcopis & Presbyteris pag. 21. Sed dicam Eusebio scribit Valesius pag. 77. *Ceterum ex his quæ dixi colligi potest, Iustinum sub Antonino Pio, non autem sub Marco fecisse martyrium. Nullam enim aliam caussam habuit Eusebius, cur Iustini martyrium in tempore M. Aurelii conferret, nisi quod secundum Apologeticum Marco dedicauit. Atqui certissimis argumentis ostendi, Apologeticum illum Pio nuncupatum fuisse. Ruit ergo funditus Eusebii ratio atque sententia. Quid quod Eusebius ipse in Chronico, eumque secutus Georgius Syncellus, Iustini martyrium temporibus Antonini Pii videtur adscribere. Atque ita diserte ponit Michael Glycas in Annalibus.* Non obscure opinioni Valesianæ subscribit Ioannes Fellus, Episcopus nuper Oxoniensis, in præfatione editionis Athenagoræ, quam ante quadriennium Oxonii fieri curauit, dum negat verum esse posse de scripto aliquo a Iustino exarato, quod illud Marco Antonino Vero & Lucio Aurelio Commodo porrectum sit: *Satis enim constare Principes istos post martyrium Iustini Imperio potitos.*

VIII. Multo maior est difficultas in anno martyrii Iustini inueniendo, quæ tanta visa est Caspari Heunischio in Ætatibus Patrum pag. 279. 280. vt expresse pronuntiet: *Quo præcise anno contigerit martyrium Iustini, nemo, credo, dicere potest.* Et paullo post: *Quia non habemus certa indicia aut testimonia temeritatis notam haud effugere nos posse existimamus, si certo alicui anno affigeremus.* Curiosiores alii fuerunt, nec religioni sibi duxerunt, annum martyrii Iustini adsignare. Nam A. C. 150. Antonius Possevinus, 164. Baronius, 165. Iac. Tirinus, 170. Lucas Osiander nominarunt. Sed cæteri plerique omnes Anno Christi CLXIII. sub Consulatu Æliani & Pastoris Iustinum passum esse dicunt, vt videre est apud Sethum Caluisium in Opere Chronologico, Dionysium Petauium in Chronico, quod Librum XIII. de Doctrina Temporum constituit, Ioan. Dallæum lib. II. de Confirmatione cap. II. pag. 116. Ioan. Hoornbeckium Lib. II. de Conuersione Indorum cap. I. pag. 78. Stephanum Curcellæum Lib. II. Institutionum cap. XXI. pag. 79. Emanuelem a Schelstrate in Serie Chronologica Romanorum Pontificum Antiquitati Ecclesiæ illustratæ præmissa col. 47. & alios plurimos: inter quos non omiserim Labbeum pag. 665. de Iustino scribentem: *Pro Christi fide mortem oppetiit anno 163. vel Kalendis Iunii ex Menologio Græcorum, vel 13. Aprilis ex Romani Martyrologii tabulis sub Rustico præside, Marco Aurelio Antonino Philosopho & Lucio Vero Fratribus Augustis imperantibus. Nec desunt tamen viri pereruditi, qui martyrium fecisse velint sub Antonino Pio, qui recessit anno Christianæ æræ 161. Quam in rem expectamus indies doctissimas obseruationes V. C. Henrici Valesii Parisini IC. ad Historiam Ecclesiasticam Eusebii.* Porro Labbeus in Appendice pag. 831. 832. Valesii argumenta

describit, & quanquam diserte nec approbat, nec improbat, anceps tamen dubiusque postea hæsit in Abaco Chronologico, qui alteri tomo innexus est: *S. Iustinus, Philosophus, pro Christo sanguinem fudit die 13. Aprilis anno 161. vel 163. Alii sub Pio aliquot ante annis martyrium fecisse contendunt.* Labbeum imitatus est Petrus Lambecius, quando libro VII. Commentariorum de Bibliotheca Vindobonensi pag. 19. & 106. Iustinum obiisse vult *anno 161. vel 163.*

IX. Quid in tanta varietate statuendum sit, prudentiæ Lectoris relinquo diiudicandum. Mihi certe vti perspectum est, eruditis nonnullis haud probari Valesii pugnam aduersus Eusebium, qua is Apologiam secundam Iustini non Marco Aurelio & Lucio Vero, sed Antonino Pio oblatam contendit, quod suo loco examinabimus: ita parum absum, quin iis accedam, qui A.C. 163. coronam martyrii Iustinum accepisse arbitrantur. Mouet me præcipue Iunii Rustici præfectura, quo præside Iustinum securi percussum fuisse ex Epiphanio aliisque constar. Rusticus autem illo anno Vrbi Præfectus fuit. Iucunda lectu sunt, quæ eam in rem disquisiuerunt in Epistolis amœbæis Thomas Reinesius & Christophorus Adamus Rupertus, epist. XXXIV. pag. 216. XXXV. pag. 247. & XLIX. pag. 419. 420. 421. 422. Nunc satis est quædam Reinesii verba attulisse ex pag. 247. *Quintus* (Iunius Rusticus) *prænomine vir vnus, & bis Cos. & Pr. Vrbi. Primum autem gessit cum Tertullo ordinario, suffectus A. V. 910. secundum ordinarius cum Aquilino, ann. Vrbis 914. & sequente præfecturam Vrbi, consulatu Æliani & Pastoris; sub quo martyrium B. Iustini referunt annalistæ: ita omnes salebras, in quas incidere alii, deuito.* Incidit ille consulatus Æliani & Pastoris in A. C. 163. vt præstantissimi Chronologi computant, interque eos merito suo numerandus Antonius Pagi in Dissertatione Hypatica P. II. cap. XII. num. 2. pag. 215. qui insuper obseruat, quinta quinquennalia Cæsarei Imperii Marci Aurelii eo anno celebrata fuisse, cuiusmodi solennium effectus & index fit Christianorum persequutio, quam hoc anno ponat Chronicon Alexandrinum. Idem Pagius dum pag. 115. & 116. bis promisit, se alibi pluribus de Iustini martyrio acturum, non potest non singulare desiderium in nobis accendere, vt scriptum illud efflagitemus, quo certum tandem tempus obitus tanti martyris cognoscamus.

X. Interea de scriptis eius solliciti erimus, εἰς προτροπὴν τῆς μετὰ σπουδῆς τοὺς φιλομαθεῖς καὶ τοὺς τούτου περιέπειν λόγους, *vt discendi studiosi ad libros eius accurate peruoluendos incitentur*, quem in finem Eusebius opera Iustini se recensuisse fatetur Lib. IV. ad calcem capitis XIIX. Ac vario quidem modo diuersisque linguis prodierunt Iustini opera hoc & superiori sæculo, vt videre est apud Gesnerum Frisiumque in Bibliotheca, Olearium in Abaco, Sandium in tractatu de Scriptoribus Ecclesiasticis Nucleo Historiæ Arianæ præmisso, qui Græcas

Græcas potisſimum atque Latinas recenſent. Nos misſis verſionibus Latinis eas tantummodo enarrabimus, quæ Iuſtinum natiuo idiomate loquentem introducunt. Robertus Stephanus Opera Iuſtini, quæcunque reperire poterat, elegantisſimo charactere, vt ſunt eius viri omnia, Græce impresſit Pariſiis an. CIↃ IↃLI. cuius filius Henricus an. CIↃ IↃ XCII. duas Iuſtini orationes addidit: quas Fridericus Sylburgius cum cæteris coniunxit & Græce ac Latine cum Ioan. Langii verſione Notisque ſuis ex Commeliniana officina an. CIↃ IↃ XCIII. emiſit. Poſtea Federicus Morellus, de Græcis Patribus non minus ac Sylburgius benemeritus, curam Iuſtinianorum Operum ſuſcepit, eaque Lutetiæ Pariſiorum edidit an. CIↃ IↃCXV. Dehinc Pariſiis ea iterum prodierunt an. CIↃ IↃCXXXIIX. quæ editio præcedenti plane conformis eſt: & ex ea Wittenbergenſis nouisſima expresſa eſt, vt ſupra vidimus.

XI. Qui Iuſtini Opera in Latinum ſermonem transtulerunt, varii fuere. Alii quasdam tantum particulas interpretati ſunt, quos infra ſuo loco recenſebimus. Alii plerisque ac præcipuis conuertendis operam nauarunt, Ioachimus Perionius, Ioannes Langus, & Sigismundus Gelenius. Perionianam verſionem caſtigauit Iacobus Billius Lib. II. Sacrarum obſeruationum cap. VI. quod exſcripſit Antonius Posſeuinus in Apparatu Sacro Tom. I. pag. 997. 998. idemque pag. 999. & 1000. tale de Lango Gelenioque fert iudicium, quale ab homine Pontificio in Proteſtantium ſcriptis cenſendis exſpectari poterat. Fuit enim Langus neutiquam Pontificiæ religioni addictus, vti quidem Philippus Mornæus & Rodolphus Hoſpinianus lib. III. de Monachis cap. III. pag. 53. opinantur, recteque eo nomine perſtringuntur a Cardinale Perronio & Frontone Ducæo in Epiſtola ad Tengnagelium apud Lambecium Lib. I. Commentariorum p. 162. Cæterum non pœnitebit contuliſſe, quæ Sylburgius in Præfatione ad Lectorem de iisdem verſionibus diſſerit, vbi Langianam *vt ſuperioribus recentiorem, ita etiam eisdem accuratiorem* vocat. Neque omiſerim Petri Danielis Huetii de Lango iudicium, de Claris Interpretibus pag. 275. *Rarum quoque fidem, cum pari eloquentia & nitore obtinuit Ioannes Langus:* cui e diametro repugnat gloſſema, quod editioni Iuſtini Morellianæ (quæ in Bibliothecam PRINCIPIS ex Gerhardina deuenit) prima ſtatim pagina, manu mihi ignota, nam neutrius Gerhardi eſt, adſcriptum legi: *Eſt verſio pesſima: & ipſe textus etiam naeuos habet in locis non paucis.*

XII. Sylburgius ſcripta Iuſtini in tres partes diuiſit, & *primo tomo* ea poſuit, quæ ſunt ad Græcos ſeu Gentiles, primum omnes in genere, deinde ad ſummum magiſtratum, tertio ad Philoſophos. *Secundo tomo* dedit illuſtrem illam Diſputationem in clarisſima Aſiæ vrbe Epheſo cum Iudaicæ Synagogæ

principe Tryphone toto biduo pro Christianæ religionis veritate continuatam. In *tertium tomum* ea retulit, quæ proprie ad Christianos sunt conscripta: & in calcem duas Parænescs ad priuatos, reiecimus. Nos retento ordine Sylburgiano epicrisin scriptorum Iustini instituemus, & in cuiusque γνησιότητα inquiremus.

XIII. Primum locum tenent duæ orationes ad Græcos, siue Gentiles, quarum vna a Pico Mirandulano in Latinum sermonem conuersa & Basileæ an. CIƆ IƆ XXVIII. edita est, ac eo nomine laudata a Ioanne Baptista Egnatio, Præfatione in Apologeticum Tertulliani ex Manutii editione. Postea Græce etiam prodiit Parisiis apud Guillardum, & in Chronicon Historiæ Ecclesiasticæ ex variis Græcis scriptoribus Germanico idiomate donatis concinnatum a Caspare Hedione inserta & Germanice translata, Argentorati an. CIƆ IƆ XXX. Altera vero primum ab Henrico Stephano Græce & Latine Parisiis publicata est an. CIƆ IƆ XCII. Prior λόγου παραινετικοῦ, *siue Paraneseos ad Græcos*, posterior *Orationis ad Græcos* nomine insignitur. Natalis Alexander Synopsi Sæc. II. cap. IV. Artic. II. p. 54. non dubitat, vtramque inter genuina Iustini Opera recensere: *Cohortatio duplex ad Græcos, quam nomine voluminum, seu librorum contra Gentiles, Eusebius & S. Hieronymus significarunt.* Quod tamen non admittit facile Sylburgius: *Sed cum in nostris duabus, a quibus nos editionis fecimus initium, neque de dæmonibus exstet disputatio, neque ἐλέγχου titulus visatur, dubium est, titulorumne sit facta mutatio, an alias quaspiam ad Græcos apologias Eusebius & Hieronymus intellexerint. Addit enim Eusebius Ecclesiastica historia libro 4.* πλεῖστα καὶ ἕτερα φέρεται παρὰ πολλοῖς ἀδελφοῖς τῶν Ἰουστίνου πόνων. Nimirum, Eusebius & Hieronymus, eosque sequuti Photius ac Honorius Augustodunensis, quatuor aduersus gentiles scripta Iustino tribuunt, quorum duo priora Apologias esse, quæ hodienum exstant, omnes consentiunt, sed de posterioribus dubitant nonnulli cum Sylburgio, qui recte mea opinione coniecit, titulos esse mutatos. Videor enim in Photio cod. CC XXXII. vbi is Stephani Gobari Tritheitæ opus recenset, fundamentum huius coniecturæ non infirmum reperisse. Locum integrum dabo, quem ait Photius comprehendi cap. 37. operis Stephani, quo is contrarias variorum Patrum sententias collegit: Ὅτι πᾶν γεννητὸν, φθαρτόν ἐστι καὶ θνητὸν, βουλήσει δὲ θεοῦ διαμένει ἄλυτον καὶ ἄφθαρτον. καὶ ἐκ τοῦ ἐναντίου, ὅτι τὸ φύσει φθαρτὸν, οὐ δύναται ἄφθαρτον εἶναι βουλήσει θεοῦ. ἐναντία γὰρ δοξάζει ἑαυτῷ ὁ τοῦτο λέγων, καὶ ἀδύνατα χαρίζεται τῷ δημιουργῷ. ταύτης δὲ τῆς δόξης χρῆσιν μὲν παρέθηκεν ἐκ τοῦ μάρτυρος Ἰουστίνου. τῷ δὲ πρὸς τὴν ἑλληνικὴν μὲν δόξαν συνενήνεκτο μάχῃ, καὶ τοῦ πλάτωνος ἔλεγχος κατασκευάζετο, εἰρηκότος· ἐπείπερ ἐγένεσθε, ἀθάνατοι μὲν οὐκ ἐστὲ, οὐδὲ ἄλυτοι πάμπαν· οὔτε γε μὴν λυθήσεσθε οὐδὲ τεύξεσθε θανάτου μοίρης, τῆς ἐμῆς βουλήσε-

λήσεως ἰσχυροτέρου θεσμοῦ λαχόντες. καὶ ὁ μὲν μάρτυς, τὸ πλατωνικὸν διελέγχων σόφισμα, ἐπιδείκνυσι τὸν Πλάτωνα τόν τε δημιουργὸν εἰσάγοντα, τἀναντία λέγοντα ἑαυτῷ, καὶ εἱρμὸν ἀκολουθίας οὐδένα τοῖς εἰρημένοις ἁρμόζοντα. ἢ γὰρ ἀνάγκη πᾶσα τὸ γενητὸν φθαρτὸν εἶναι, κατὰ τὸν πρότερον ὅρον. ἢ ψευδέσθαι λέγοντα, πᾶν τὸ γινόμενον φθαρτὸν εἶναι. ὁ δὲ γόβαρος τὸν ἑλληνικὸν ἔλεγχον εἰς ἀνατροπὴν ἐκβιάζεται χρῆσθαι τοῦ φρονήματος ἐκκλησιαστικοῦ Schottus ita vertit : *Omne generatum corruptibile est, & mortale, voluntate vero Dei manet insolubile & incorruptibile ; Et e contrario natura corruptum, non potest incorruptibile esse voluntate Dei. Contraria enim docet sibi hoc asserens, & impossibilitatem Creatori assignat, ad hanc opinionem confirmandam testimonium adducit Iustini Martyris, e libro quo Gentium errores reputat & contra Platonis argumentum dicentis : Cum facti estis, immortales non estis, neque omnino dissolubiles : neque igitur dissoluemini, nec moriemini morte, nacti legem, qua mea voluntate fortior est, Ipse quidem Martyr Platonicum arguens sophisma ostendit Platonem creatorem inducere, quasi contra seipsum loquatur & nullam consequentiam dictis adhibeat, vel enim necesse est omne generatum corruptibile esse secundum priorem definitionem, vel eum dicendo omne generatum corruptibile esse mentiri. Gobarus gentile argumentum euertens nititur ad Ecclesiæ opinionem traducere.* Iustini illud testimonium in priori eius aduersus Gentes sermone pag. 21. editionis Parisiensis ac nouissimæ exstat ; quod cum ex refutatione Græcorum & Platonis desumtum esse Photius & Gobarus fateantur, tum nihil mea quidem opinione dubitare attinet, quin oratio illa parænetica sit *quartus* Iustini *liber aduersus Gentes, cui titulum prænotauit* ἔλεγχος, vti Eusebius, Hieronymus, ipseque Photius testantur ; adeoque titulorum saltem contigerit mutatio, quam in veterum Patrum scriptis solennem esse nemo harum rerum peritus ignorat. Quare non ingratum erit Lectoribus, percipere præstantissimi libri summaria, quæ congessit Ioan. Hoornbeck Lib. II. de conuersione Indorum cap. I. pag. 78. *In parænesi ad Græcos, præcipue Poetas perstringit, & eorum* τὴν γελοιοτάτην περὶ θεῶν θεογονίαν, *præsertim ex Homero producens, quæ ille infanda & propudiosa de Diis, eorum iurgiis, querelis, amoribus, periuriis, pugnis & bellis affatim habet,* τόσσος ἄρα κτύπος ὦρτο θεῶν ἔριδι ξυνιόντων. *Deinde quia sagaciores a Poetis prouocabant ad Philosophos, vt magis sanos & serios rerum suarum auctores, etiam hos adgreditur, ostenso primum diuerso illorum, de primis rerum Principiis, conflictu, Thaletis, Anaximandri, Anaximenis, Heracliti, Anaxagoræ, Archelai, Pythagoræ, Epicuri, Empedoclis, non omissis Platone & Aristotele. Tum ad doctrinæ nostræ scriptores descendit, quos ostendit inter se de rebus suis non dissentire, & omnibus Poetarum ac Philosophorum scriptis esse multum antiquiores, præsertim*

Mosen, cuius auctoritatem ex ipsis Græcorum monumentis confirmat; Polamone, Apione, Ptolomæo Mendesio, Hellanico, Philochoro; item ex Castore, Thallo, Alexandro Polyhistore, Diodoro, præterquam ex Iosepho & Philone. Probat etiam, præcipuos Gentilium Magistros, Orpheum puta, Homerum, Pythagoram, Platonem, in Ægyptum peregrinatos, & reliquias sapientiæ Ebraicæ inde reportasse, quibus doctrinas suas exornarunt. Quis hoc libri argumento cognito non statim deprehendat, eundem iure optimo elenchum Græcorum inscriptum fuisse?

XIV. Altera vero ad Græcos Oratio, quam primus eruit Henricus Stephanus, *magis certa est Iustini esse*, quam epistola ad Diognetum simul a Stephano edita, si credimus Hoornbeckio in Theologia Patrum, quæ libro I. Miscellaneorum eius inserta est, p. 71. Non potest tamen inter quatuor Iustini aduersus paganos scripta referri, quæ Eusebio, Hieronymo & Photio cognita fuerunt, quum careat charactere tertii ab illis indicato, Dæmonumq; naturam haud scrutetur. Quoniam vero & stylum Iustini refert, & genium eius spirat, non intercedam, quo minus ei tanquam parenti auctorique tribuatur, dummodo cum Sylburgio dicatur, eam ab Eusebio tacite innui, quando alia Iustini Opera inter fratres adseruari scribit. Confer eam in rem Conradi Horneii Compendium Historiæ Ecclesiasticæ Lib. II. cap. III. num. 16. pag. 129. Præclarum vero huius operis segmentum, ni fallor, Tatianus seruauit & imitatus est in Oratione ad Græcos p. 157. Καὶ ὁ θαυμασιώτατος Ἰουστῖνος ὀρθῶς ἐξεφώνησεν ἐοικέναι τοὺς προειρημένους λῃσταῖς· ὥσπερ γὰρ ἐκείνοις ἔθος ἐστὶ ζωγρεῖν τινας, εἶτα τοὺς αὐτοὺς μισθῷ τοῖς οἰκείοις ἀποκαθιστᾶν. οὕτω καὶ οἱ νομιζόμενοι θεοὶ τοῖς τινῶν ἐπιφοιτῶντες μέλεσιν, ἔπειτα δι᾽ ὀνείρων τὴν εἰς αὐτοὺς πραγματευόμενοι δόξαν, δημοσίᾳ τε τοὺς τοιούτους προϊέναι κελεύσαντες, πάντων ὁρώντων, ἐπειδὰν τῶν ἐγκοσμίων ἀπολαύσωσιν, ἀποπτάμενοι τῶν καμνόντων, ἣν ἐπραγματεύσαντο νόσον περιγράφοντες, τοὺς ἀνθρώπους εἰς τὸ ἀρχαῖον ἀποκαθιστῶσιν.

XV. Sequuntur inter Opera Iustini duæ Apologiæ, de quarum γνησιότητι vtut nemo hactenus dubitauerit, ordo tamen, & tempus, quo scriptæ sunt, inter eruditos maxime controuersa sunt. Prior quidem de ordine disceptatio difficilis non est, quum ex Eusebii lib. IV. Historiæ Ecclesiasticæ cap. XII. & XIIX. nec non ex Lib. II. cap. XII. satis constet, quænam sit prior Iustini Apologia; ea nimirum, quæ in modernis editionibus omnibus secundum locum tenet. Quod communi quidem consensu statuunt Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 64. editionis Parisiensis, Petauius in Animaduersionibus ad Epiphanium, Halloixius in vita S. Iustini, Ger. Io. Vossius Dissertat. de Natali anno Christi pag. 28. Valesius Annot. in Eusebium pag. 76. Labbeus To. I. Dissertationis pag. 666. Alexander Synopsi Sæculi II. pag. 61. Pagius in Dissertatione Hypa-

Hypatica pag. 114. & ex Nostratibus etiam pleriqae omnes. Iosephus tamen Scaliger in Animaduersionibus Eusebianis pag. 219. putat, Apologiam secundam, quam Iustino tribuit Eusebius, *non amplius exstare*, cui prolixe respondit Christianus Kortholtus in Tractatu de persequutionibus Ecclesiæ primitiuæ Sect. v. num. 11. pluribusque argumentis demonstrat, non aliam ab Eusebio Apologiam intelligi, quam priorem in libris publice nunc editis. Nec quenquam turbare debet, quod Eusebius lib. iv. cap. xvii. Christianæ mulieris historiam quandam ex priore (τῇ προτέρᾳ) Iustini Apologia recenset, quæ in prima hodierna continetur. Cum enim ex aliis Eusebii locis contrarium manifestum sit, *ἐν τῇ δευτέρᾳ* scribendum esse Petauius, Halloixius, Valesius & Alexander contendunt atque euincunt.

XVI. Maior autem difficultas est, quo tempore & quibus Imperatoribus vtrumque illorum Apologeticorum fuerit oblatum. Prius, quod secundum hodie locum occupat, Antonino Pio anno eius tertio reddidisse Iustinum vult Eusebius in Chronico, Cassiodorus autem quarto. *Quod ita conciliari posse* arbitratur Caspar Heunischius in Ætatibus Patrum p. 275. *quod in vnum annum & in vnum Consulatum (per quos annos distinguit Cassiodorus) & finis anni tertii & initium quarti incidit. Nam Hadrianus obiit die X. Iulii: proinde Cassiodorus ei annum hunc relinquit, & sequentem demum pro Antonini Pii primo numerat, qui tamen ex parte secundus est, nempe inde a X. Iulii.* Enimuero Iustinus ipse in Apologia eadem pag. 83. numerat CL. annos a natiuitate Christi, his verbis: Εἰπωσι, πρὸ ἐτῶν ἑκατὸν πεντήκοντα γεγεννῆσθαι τὸν Χριστὸν λέγειν ἡμᾶς ἐπὶ Κυρηνίου, *dicunt, ante annos centum quinquaginta nos asseuerare Christum sub Cyrenio natum esse.* Quare etiam an. Christi 150. Iustini Apologiam oblatam fuisse volunt Baronius an. CL. num. 1. Horneius in Compendio Historiæ Ecclesiasticæ pag. 130. Ioan. Dallæus lib. 1. de Cultibus religiosis Latinorum cap. IIX. pag. 39. Sed aliter pronuntiat Iosephus Scaliger in Animaduersionibus Eusebianis pag. 219. *Iustinus a Christo, ad id tempus, quo scribebat Apologeticum hunc, quum de Marcione loquitur, putat annos CL. quod tempus congruit medio imperio Antonini. Sed constat eum circa initium Antonini Pii librum Apologeticum Imperatori obtulisse. Nam de bello Iudaico sub extremum Hadriani imperium gesto loquens, vocat* τὸν νῦν γεγενημένον πόλεμον, *nuperum bellum.* Eidem sententiæ subscribunt Petauius tum in Animaduersionibus Epiphanianis, tum in Chronico, quod Librum XIII. de Doctrina Temporum constituit, vbi annum CXXXIX. adsignat, atque Emanuel Schelstratius in Serie Pontificum Chronologica, quæ Antiquitati Ecclesiæ illustratæ præfixa est, col. XLIII. Scaligerum Petauiumque laudat, nouoque argumento eorundem opinionem confirmat

firmat Pagius p. 114. 115. *Quod vel solus Apologiæ illius titulus euincit. Refert illum Eusebius lib. 4. cap. 12. & in eodem Apologetico legitur :* Imperatori Tito Ælio Hadriano Antonino Pio Cæsari Augusto, & Verissimo (*Marco scilicet*) filio Philosopho, & Lucio Philosophi quidem naturali filio, Pii autem adoptiuo, doctrinæ amatori: Senatui quoque & populo Romano &c. *anno Christi 139. Marcus ab Antonino Pio Cæsar, anno vero 147. Imperii Collega nuncupatus fuit. Quare cum neuter titulus in eadem Periocha memoretur, apparet eam Apologiam ante eos Honores Marco concessos, conscriptam fuisse, ideoque anno 138. aut initio sequentis. Prorsus enim incredibile, Iustinum, qui tam Marco quam Lucio alios titulos, Cæsareæ dignitati & Imperio Proconsulari longe inferiores, attribuit, hos prætermisisse.* Quid igitur faciemus cum disertissima Iustini confessione, quæ ante annos CL. Christum natum dicit? Audiamus iterum Heunischium p. 276. 277. *Cum autem incertum sit, quam supputandi annos Christi rationem Iustinus sequutus fuerit, vix etiam certo dici poterit, ad quem annum in Æra Dionysiana traditio huius Apologiæ referenda sit. Adde quod ipsa loquendi formula non hoc videtur necessario exigere, vt præcise annus centesimus quinquagesimus intelligatur.* Forte Iustinus eam computandi rationem iniuit, quam multi postea Patres sequuti sunt, vt maxima parte sæculi alicuius integri vel dimidii elapsa plenarium ponerent numerum, licet decem pluresue anni adhuc deessent. Quod non modo Theophili Antiocheni calculis libro III. ad Autolycum adhibitis, sed aliis quoque pluribus exemplis, quarti inprimis sæculi, comprobare possem, si id hoc loco ageretur. Conferri interea merentur Christophorus Sandius in Notis ad Vossium de Historicis Latinis pag. 270. & Ioannes Garnerius, Dissertatione II. de Theodoreto pag. 175. & 183. Itaque Iustinus, quum dimidium secundi a Christo nato sæculi decurrere videret, numero rotundo supputationem instituit, quanquam vndecim aut duodecim anni restabant. Quod si hoc non placet, vim obiectionis Gentilium vel hæreticorum, quam ibi diluit Iustinus, considerandam Lectoribus proponam. Ita enim ea formatur apud Iustinum: ἵνα δὲ μή τινες ἀλογισταίνοντες εἰς ἀποτροπὴν τῶν δεδιδαγμένων ὑφ' ἡμῶν εἴπωσι, πρὸ ἐτῶν ἑκατὸν πεντήκοντα γεγεννῆσθαι τὸν Χριστὸν λέγειν ἡμᾶς ἐπὶ Κυρηνίου, δεδιδαχθέναι δὲ ἃ φαμὲν διδάξαι αὐτὸν ὕστερον χρόνοις ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, καὶ ἐπικαλῶσιν, ὡς ἀνευθύνων ὄντων τῶν προγεγενημένων πάντων ἀνθρώπων, φθάσαντες τὴν ἀπορίαν λυσώμεθα. *Ne qui vero præter rationem, ad eorum quæ nos edocti sumus euersionem dicant, ante annos centum quinquaginta nos asseuerare Christum sub Cyrenio natum esse; docuisse autem quæ docuit, posterius sub Pontio Pilato: & proinde noxa solutos atque insontes esse, per appellationem allegent, qui ante ea tempora exstitere mortales omnes: quæstionem eam anticipantes soluemus.* Disputat Iustinus de salute hominum ante Christi in carnem

nem aduentum viuentium, & refellendam nunc adgreditur nonnullorum exceptionem, qui illos innocentes esse dicebant, quod Christus prius non venerit, viamque salutis docuerit. Aiebant quippe, effluxisse *ad summum* centum quinquaginta annos a natiuitate eius, indeque quod amplius, triginta circiter (ex Lucæ III. 23.) elapsos, antequam docere publice cœperit. Nullam igitur culpam in eos cadere, qui ante illa tempora vixerint. Hæc obiectionis summa, vti ex communi loquendi vsu vulgarique exaggerandi consuetudine desumta est, ita non impedit, quo minus Apologiam suam anno 138. vel sequenti Iustinus scribere potuerit.

XVII. Περὶ μοναρχίας libelli *de Monarchia*, qui Apologiis subiunctus est, in vtramq; partem disputat Sculretus p. 22. Dubitandi caussas in Obseruationibus suis congessit Perionius: *Libellus hic de Monarchia vel perfectus non est, vel multis paginis quasi ornamentis caret, vel certe alterum de Monarchia Iustinus scripsit. Eusebius enim Cæsareensis commemorat eum librum de Monarchia Dei scripsisse, quam non solum nostris, id est diuinis, sed etiam Gentilium scriptis confirmauerit, cum hoc in libello scriptis testimoniisq; eorum tantum, qui a religione nostra alieni fuerunt, probet. Quod etiam hinc intelligi licet, quod hic inscriptus est tantum de Monarchia, & is cuius mentionem facit Eusebius, itemque Photius & Suidas, de Monarchia Dei ab illo inscriptus esse credatur. Hunc autem alterum videri aut esse potius, declarant ea qua principio huius libelli Iustinus ipse scribit, se ex Poetis Græcorum testimonia sumsisse, non ex nostris scripturis.* Subscribunt Perionio Hülsemannus in Patrologia pag. 983. Varenius P. II. Rationarii pag. 27. Horneius in Compendio pag. 129. Natalis Alexander pag. 55. Sandius pag. 20. Sed Bellarmino de eo cæterisque libris, *quorum Eusebius & Hieronymus meminerunt, non videtur posse dubitari*, & Perionium perstringit Labbeus pag. 667. *Perionius reuocare voluit in dubium, reclamantibus tum stylo, tum Eus. Hier. Photio & Suida.* Vereor autem, vt Perionio satisfecerit Labbeus, qui certe non inficiatur, veteres eiusmodi scriptum Iustino attribuisse, sed characteres illius, quod Eusebius cæterique legerunt, in hodierno reperiri negat. Quanquam fatendum est, rationes Perionii exigui esse momenti. Quod enim ait de inscriptione, in librarios tantum recidit culpa, qui vocem Θεοῦ omiserunt, quum in ipso libello *de Monarchia Dei reuera agat Iustinus*, concedente diserte Sandio; siquidem *Iustinus breuiter ex Poetis Græcis, Æschylo, Philemone, Orpheo, aliisque contra vanam πολυθεότητος opinionem & idololatriam, vnius Dei veritatem, religionem, & cultum docet*, vti argumentum huius scripti comprehendit Hoornbeekius in Theologia Patrum pag. 74. Deinde bene se habet, quod Perionius, & cum eo Varenius ac Sandius in eam delapsi sunt suspicionem, quod libellus iste integer hodie non supersit. Inde enim tollitur scrupulus ex Eusebio iniectus, qui alias ma-

magna incommoda adferre potuisset. Iustinus enim aperte initio libelli, prout hodie exstat, animum sibi esse fatetur, vnius Dei cultum probare & diuinis & humanis sententiis, priorique cura hactenus defunctum ad alteram se progredi. Atenimuero deest in modernis editionibus non promissio tantum Iustini, sed integra etiam prior operis pars, qua Scripturæ diuinioris testimoniis vsus fuerat. Verba ipsa Iustini dabimus: ἐγὼ δὲ, ὡς μικρῷ πρόσθεν ὑπέστην, φιλοθέῳ τῇ γνώμῃ κεχρημένος, φιλανθρώπῳ χρήσομαι τῇ φωνῇ. Langus ita vertit: *Ego vero sicuti paullo ante promisi, diuina vsurpata sententia, humana etiam vtar voce; atque eis, qui mentem obtinent, verum vniuersarum administratione (& prouidentia) vtentibus, adstruo & assueuero, hoc inesse debere omnibus, vt firmam immutabilemque erga Omnium cognitorem teneant religionem.* Τοῦτο δὲ οὐ λόγων καλλωπίζων φράσω, ἀποδείξει δὲ τῇ ἐκ τῆς κτ. τὸ παλαιὸν εἰς τὸ παντελὲς τῆς Ἑλληνικῆς ἱστορίας ποιήσει κεχρημένος, ἐκ τῶν πᾶσι κοινῇ δεδομένων γραμμάτων. *Hoc ipsum vero non ornata exponam oratione, sed demonstratione ex poetica, in quam antiquitus Græci omnem contulere scientiam, petita vtar: ex publicis nimirum atque omnibus in commune propositis litteris.* Vltima hæc verba decepere Perionium, vt librum de Monarchia superstitem ex Poetarum tantum testimoniis, non ex nostris scripturis conflatum esse ex præfatione putauerit euinci: sed si præcedentia pari studio considerasset, facile deprehendisset, alteram tantum genuini operis partem hodie superesse, Iustinoque propositum fuisse, ex sacris pariter profanisque scriptis pro Monarchia Dei testimonia conquirere. Quare nihil dubitare attinet, quin hoc ipsum, quod hodie in manibus habemus, Iustini scriptum, meliori tamen parte non truncatum, laudauerit Eusebius, quod præterea & stylum & genium Iustini spirare Scultetus, Riuetus & Labbeus ex re & vero iudicarunt: neque dicendum est cum Alexandro pag. 54. *librum de Monarchia Dei modo non exstare;* sed potius cum Gardinero aduersus Sandium pag. 23. librum hodie exstantem esse *fragmentum operis magis perfecti, sed iam desiderati;* & cum Auberto Miræo Biblioth. Eccles. pag. 11. *librum de Monarchia Dei dimidium periisse.* Mittam hoc scriptum imperfectum, postquam notabilem Valesii in Annot. Euseb. pag. 101. de inscriptione eius obseruationem attulero: *Veteres Christiani hac voce crebro vti solebant, quoties aduersus Gentiles disputarent. Eoque titulo complures libros ediderunt, vt vnum Deum omnium rerum Conditorem Regemque esse ostenderent. Et monarchiam quidem Deo Patri; οἰκονομίαν vero, id est, dispensationem atque administrationem, adsignabant Filio & Spiritui Sancto, vt docet Tertullianus aduersus Praxeam, & Tatianus aduersus Græcos. Exstat hodie Iustini liber inscriptus hoc titulo.*

XIIX. Sequitur τοῦ αὐτοῦ Ἰουστίνου ἀνατροπή δογμάτων τινῶν Ἀριστοτελικῶν, *eiusdem Iustini quorundam Aristotelicorum dogmatum euersio: ad Pau-*

Paulum Presbyterum. Bellarminus hunc in modum iudicat: *De reprehensione dogmatum Aristotelis, meminit Photius in Bibliotheca; neque extat euidens indicium falsitatis, ideo nihil habeo, quod dicam:* Labbeus, quamuis fateatur, *librum suspectum esse Baronio an. 165. Possevino, Sylburgio & quibusdam aliis;* Bellarmini tamen sententiam laudans addit: *cui ego libens subscribo.* Langus etiam ex præfatione Iustini genium deprehendit, vt videre est apud Sylburgium in Annotationibus prioribus pag. 13. *Præfatio autem hæc quia cum aliis Iustini scriptis concordat, efficit (inquit Langus) vt germanum hoc eius opus esse credam.* Perionii autem & Sylburgii dubia ex huius annotationibus posterioribus pag. 51. nolo describere, quum ea & cuilibet in noua Iustini cæterisque editionibus obuia sint, & reperiantur etiam excerpta apud Riuetum Lib. II. Critici Sacri cap. V. pag. 196. 197. Caussas ambigendi duas allegant, alteram, quod liber hodie exstans amplior sit, quam ille Iustini aduersus Aristotelem Photio lectus: *siquidem non primum duntaxat, & secundum Physicæ auscultationis librum, verum etiam tertium, quartum, quintum, & octauum; & insuper primum, secundum & tertium librum de Cælo impugnat & euertere conatur,* quæ Alexandri Perionio subscribentis verba sunt, in Synopsi secundi sæculi pag. 55. alteram a stylo desumunt, quod Iustino non conuenire videatur compellatio in numero plurali, qua Paullum presbyterum in præfatione alloquitur; nec illa periphrasis, ἔδοξε τῇ σῇ θεοσεβείᾳ, quæ pag. 161. legitur, & recentiorum sit temporum, nec alibi a Iustino vsurpata. Quibus citatis Varenius subiicit p. 27. *Vtiq; res tota clamat, ea quæ in Aristotelem extant, non scripsisse hunc Iustinum* Idem quoque Varenius obseruat, *quod hæc non sunt Philosophia nostra, seu τῆς καθ' ἡμᾶς: sed secularis seu τῆς θύραθεν, quomodo Photius loquitur:* vnde colligas, vix tanto Christianorum Philosopho, quantus fuit Iustinus, dignum esse istum librum, præsertim si attentius ponderes Henrici Stephani animaduersionem in Præfatione epistolæ Iustini ad Diognetum, qui *omnibus cogitandum relinquit, quam serie & strenue aduersus tantum tantæque auctoritatis philosophum philosophandum fuerit.* Quamobrem alii etiam præter citatos doctissimi homines librum istum vel inter spurios, vel saltem inter dubios reponunt, vt Centuriatores Magdeburgenses Cent. II. pag. 210. Hülsemannus in Patrologia pag. 983. Dannhavverus in Dramate pag. 910. Bebelius Sæc. II. pag. 186. Posseuinus in Apparatu, Ioan. Launoius in libro de varia Aristotelis fortuna pag. 6. Hoornbeekius in Theologia Patrum pag. 76. &c. Nec dubito, ex istis peritorum rationibus satis probabiliter consequi, scriptum illud a stylo, & genio, & ætate Iustini plurimum remotum esse. Cæterum Petrus Lambecius Lib. VII. Commentariorum p. 20. existimat, in Codice Philosophico decimo Bibliothecæ Cæsareæ auctiorem exstare hunc Iustini librum: Postquam enim dixerat in editione Parisiensi p. 159. eum his

verbis desinere, ὄντων γὰρ αὐτῶν, μεταβάλλεται εἰς ἄλληλα, καὶ γίνονται ἐξ ἀλλήλων, statim subiicit: *In hoc autem Codice manuscripto Cæsareo sequuntur post illa verba integra duæ paginæ, hactenus, quod sciam, nondum editæ, & totius Libri finis est ibi talis:* Εἰ γεννητὸς ὁ ἐνιαυτὸς, πῶς ἀΐδια καὶ ἀγέννητα τὰ ἐν τῷ ἐνιαυτῷ. *Diuisio quoque eiusdem libri in capita & paragraphos, quæ in eodem codice manuscripto est, non parum a supra memorata editione impressa discrepat; nec dubito, quin etiam beneficio variantium lectionum non pauca eiusdem editionis impressæ loca possint emendari & illustrari.* Eodem additamento præditum esse Codicem LXIV. obseruat Lambecius pag. 106. Sed deceptus est doctissimus Vir editione Parisiensi Morelliana, in qua hæc Appendix ad exemplum Commelinianæ seiuncta est, & demum post Quæstiones & Responsiones ad Græcos exhibita pag. 196. 197. 198. 199. cuius eundem esse finem cum Cæsareis Codicibus ex his verbis patet: Εἰ γεννητὸς ὁ ἐνιαυτὸς, πῶς ἀγέννητα καὶ ἀΐδια τὰ ἐν τῷ ἐνιαυτῷ; *Si annus genitus, quomodo quæ in anno sunt, æterna sunt & ingenita?* Rationem huius mutationis facile perspicere potuisset Lambecius ex Annotationibus Sylburgii prioribus pag. 15. Ita enim scribit: *Pag. 159. post versum 13. sequitur in superiori editione Appendix, qua partim Aristotelis, partim Platonis & aliorum Græcorum dogmata quædam refutantur: quæ cum infra post Græcanicarum Responsionum confutationem (pag. 196. v. 10.) denuo iterata esset, hic eam omittere visum est.* Præiuisse autem hac in re Perionium Sylburgio, ex eiusdem Annotationibus posterioribus pag. 50. 51. liquet. Vter appendicis illius locus genuinus sit, eruditi perpendant: certe ad euersionem Aristotelicorum dogmatum eam potius pertinere vterque Codex Cæsareus suadere potest.

XIX. Post hanc Aristotelicorum dogmatum euersionem p. 159. nouus titulus conspicitur: Τοῦ αὐτοῦ Ἰουστίνου ἐρωτήσεις Χριστιανικαὶ πρὸς τοὺς ἕλληνας, qui in Latina versione amplius exponitur: *Eiusdem Iustini Christianarum ad Græcos Quæstionum Græcarumque Responsionum & earum Responsionum Confutationis Liber.* Quas vt in censura Sylburgius ait, *Iustini genuinas non esse, cum stilus arguit, tum Manichææ hæreseos taxatio, quæ annis circiter CXXX. post Iustinum exorta est, vt ante nos annotatum est etiam a Perionio.* Idem repetit in Annotationibus prioribus pag. 15. ex quibus simul constat, argumentum a recentiori loquendi formula, ἔδοξε τῇ σῇ εὐσεβείᾳ, desumtum, quod præcedenti scripto obiicere solent, ad hoc proprie pertinere. Cæterum Alexander pag 55. 56. autumat, id non conuenire cum charactere Iustini apud Photium descripto. Sculterus autem in Medulla cap. XII. pag. 28. prorsus adhæret Sylburgio, cui etiam adsentiuntur non tantum ex Nostratibus Centuriatores, Gerhardus, Hülsemannus, & Varenius, quorum scripta supra citauimus; sed ex Reformatis etiam Riuetus, Hoornbeckius, & Gerardus Ioannes Vossius lib. VII. Historiæ Pelagianæ Parte II. p. 713.

& ex

& ex Pontificiis diserte Petauius lib. v. de Deo Cap. xii. num. 1. *liber Iustino falso tribuitur:* quam ἀκρίβειαν non obseruauit Lucas Holstenius, Dissertatione secunda in loca quædam Concilii Nicæni, cum aliis publicæ luci ad Theodoretum pag. 197. quando responsiones istas sub augusto Iustini Martyris nomine allegauit. Maior est Conradi Vorstii impudentia, qui ex hoc opere, tanquam genuino Iustini fœtus fœdos errores suos confirmare studuit, pro merito exceptus a Roberto Bailio, Diatriba secunda, Operi Historico & Chronologico adnexa, p. 109. 110. cuius verba antequam adscribam, Lectores moneo, videri Bailium confudisse has Christianorum Quæstiones ad Græcos, in quarum tertia locus a Vorstio obiectus legitur pag. 177. & sequentibus, cum Quæstionibus & Responsionibus ad Orthodoxos Iustino pariter affictis, de quibus suo loco agemus: quanquam enim in illis, de quibus nunc disputamus, mentio fit Manichæorum, non tamen vel Origenes, vel Irenæus nominantur, quod in alteris tantum deprehendi infra docebimus. Neque accurate calculos ponit Bailius in ætate Irenæi & Origenis adsignanda, quorum hic ad finem secundi sæculi natus; ille vero Iustino suppar fuit. Nunc autem Bailium audiamus, *Multum, fateor, de hac auctoritate gloriatur Vorstius, sed frustra. Nam liber ille plane spurius est, aliquot annorum centuriis post denatum Iustinum conscriptus, vt vel primam inspectanti pagellam liquebit. Quid enim Iustino cum Manichæis, cum Origene, cum Irenæo, viris isto sæculo nondum in lucem editis? Numerat Vorstius quadraginta Iustini rationes contra Dei simplicitatem; & quidem ex hoc penu suorum præcipua in hoc argumento de verbo ad verbum Vorstius deprompsit: attamen pleraque istarum quadraginta rationum adeo ridiculæ sunt, vt earum pudeat ipsum Vorstium. Confitetur enim Vorstius diuinæ voluntatis facultatem realiter eandem cum essentia, ideo cum disputat de diuersitate & compositione diuina, ad voluntatis actus non ad ipsam facultatem se confert, & in actibus ad decreta tantum confugit, non attingit consilium. Sed ea Pseudoiustini dementia est, vt sophismatis suis concludere nitatur realem differentiam, non tantum inter essentiam & actum voluntatis, sed inter essentiam & ipsam voluntatis facultatem. Tria in Deo æquali realitate diuersa ponit, essentiam, voluntatem, & velle. --- Quod ad genuinum attinet Iustinum, pauci patrum contra Vorstii sphalmata, diuinæ essentiæ vnitatem, & personarum trinitatem, diuinæ substantiæ omnipræsentiam omnimodam simplicitatem, & immutabilitatem disertius, plenius, & clarius asserunt.* Quantacunque autem hæc sint νοθείας indicia, Labbeus tamen pag. 668. ita censet: *Saltem ergo fatendum, ab aliquo iuniori fuisse interpolatas.*

XX. De *Appendice πρὸς τὺς ἕλληνας*, siue *confutationis quarundam Græcarum opinionum*, quæ pag. 196. inchoatur, additasque pag. 199. habet

ἐρωτήσεις ἑλληνικὰς πρὸς τοὺς Χριστιανοὺς, περὶ τοῦ ἀσωμάτου, καὶ περὶ τοῦ Θεοῦ, καὶ περὶ τῆς ἀναστάσεως τῶν νεκρῶν, & pag. 201. ἀποκρίσεις χριστιανικὰς πρὸς τὰς προῤῥηθείσας ἐρωτήσεις ἀπὸ τῆς εὐσεβείας τῶν Φυσικῶν λογισμῶν, Labbeus ſcribit pag. 668. *Iuſtini non eſſe plurimi tum Orthodoxi, tum Heterodoxi exiſtimant, tum ob ſtyli diuerſitatem, tum quod Manichæorum meminit.* Quod comperient verum eſſe, qui poſt Petauium lib. I. de Angelis cap. III. num. 2. conſuluerint Bellarminum, Poſſeuinum, Scultetum, Riuetum, Hoornbeekium, Sandium, & Iuſtini editores, Perionium, ac Sylburgium. Cæterum ſimilem confuſionem, quam in Bailio antea notauimus, commiſit Sixtus Senenſis, quando in Bibliotheca Sacra tum lib. IV. pag. 276. tum lib. VI. Annot. 345. pag. 570. hunc quæſtionum a gentibus poſitarum librum cum Quæſtionibus ad Orthodoxos eundem eſſe exiſtimauit; quum ſane hæ non niſi a Chriſtianis proponi potuerint. An vero Iuſtinus fouerit ψυχοπαννυχίας errorem in hoc Opere proditum, alii videant, ac Varenium P. II. Rationarii pag. 30. 31. cum Ioan. Dallæo Lib. III. de Cultus religioſi obiecto cap. XXII. p. 476. & Allatio in Syntagm. de Engaſtrimytho cap. VII. & X. committant.

XXI. Dialogus Iuſtini Martyris cum Tryphone, quum a nemine in dubium hactenus vocatus fuerit, ſed ab omnibus antiquitatis æſtimatoribus in ſummo pretio habeatur, nihil de eo reſtat, niſi vt inquiramus, quo tempore diſputationem illam inſtituerint Iuſtinus & Trypho. Equidem Ioannes Pearſonius Parte II. Vindiciarum Ignatii cap. II. pag. 78. ait, Dialogum *ſub initio Antonini Pii ſcriptum eſſe*, idque pag. 80. repetit, *ſtatim ſub initio Antonini Pii; ſi Scaligerum audiamus, ſub fine Adriani.* Verba Scaligeri, quæ Pearſonius etiam exhibet, ex altera Animaduerſionum Euſebianarum editione pag. 219. pariter adſcribemus: *Belli Iudaici tempore ſcripſit Tryphona Dialogum, hoc eſt, ſub Hadriano, vt ipſe oſtendit.* Τρύφων, φησὶ, καλοῦμαι· εἰμὶ δὲ Ἑβραῖος ἐκ περιτομῆς, φυγὼν τὸν νῦν γενόμενον πόλεμον, ἐν τῇ Ἑλλάδι καὶ τῇ Κορίνθῳ τὰ πολλὰ διάγων. *Trypho, inquit, vocor; ſum autem ex circumciſione Hebræus, ex nupero bello profugus, atque in Græcia & Corinthi plurimum degere ſolitus.* Optarem, vt Pearſonius explicaſſet rationes diuerſæ ſuæ a Scaligero opinionis, quæ ſane ex hoc belli Iudaici charactere non minus poteſt confirmari. Ipſe enim Iuſtinus, quod ibidem obſeruat Pearſonius, in prima ſua Apologia pag. 72. *bellum Barchocheba, ſub Adriano finitum*, τὸν νῦν γεγενημένον Ἰουδαϊκὸν πόλεμον *appellat*: quam tamen anno quarto Antonini Pii ipſum ſcripſiſſe Euſebius docet: Quare Dialogus etiam ad eadem tempora reuocandus erit. Huc forte reſpexit Ioannes Dallæus in opere de cultibus Latinorum Religioſis, cuius libro primo Apologiam ad an. Dom. 150. ſcriptam arbitratus, poſtea lib. VIII. cap. XVI. pag. 1080. *luculentiſſimum cum Tryphone Iudæo colloquium circa an. Dom. 150. editum* cenſet.

Quo

Quo pacto illi, qui Apologiam Iustini ad an. 139. referunt, Dialogum quoque non multo abhinc habitum litterisque consignatum existimabunt. Vtcunque sit, non temere prætereunda est obseruatio Ioannis Langi in fine præfationis suæ, *multis modis hoc opus esse mutilatum & intercisum, quod temporis iniuria tantum nobis thesaurum inuiderit.* Quod eo magis dolendum, quoniam maiorem librum promisit Iustinus pag. 306. ὅτι δ' οὐκ ἐφ' ὑμῶν μόνων τοῦτο λέγειν με ἀπιστήσατε, τῶν γεγενημένων ἡμῖν λόγων ἁπάντων ὡς δύναμίς μου, σύνταξιν ποιήσομαι· ἐν οἷς καὶ τοῦτο ὁμολογοῦντά με ὃ καὶ πρὸς ἡμᾶς ὁμολογῶ, ἐγγράψω. *Quod præstiterit nec ne, ignoramus: certe nondum in lucem prodiit*, vt Labbeus scribit pag. 668.

XXII. Notabilis admodum est historia *Expositionis fidei*, quæ Dialogo subiungitur. Antiquissimus, qui eius sub Iustini nomine meminit, Leontius Hierosolymitanus est, qui post medium sexti sæculi vixit, & loca quædam τοῦ ἁγίου Ἰουστίνου φιλοσόφου καὶ μάρτυρος ἐκ τοῦ τρίτου βιβλίου τοῦ περὶ τῆς ἁγίας τριάδος κεφαλαίου ιζ. describit in Disputationibus aduersus eos, qui vnam naturam compositam dicebant Dominum nostrum Iesum Christum. Ea autem omnia in expositione fidei exstant, ac proinde post Iustini scripta in Parisiensibus & noua editione pag. 520. reperiuntur: vbi etiam Euthymii Zigabeni legitur testimonium, qui ineunte Sæc. XII. floruit, ac in Panoplia Dogmatica Titulo XVI. Iustini περὶ πίστεως λόγον istum libellum nominauit. Circa medium quinti decimi sæculi aduersus Latinos de processione Spiritus Sancti disputauit Gemisthius Pletho, & in sui erroris fauorem Iustini quoque expositionem produxit, vt videre est apud Dionysium Petauium To. II. Theologicorum Dogmatum lib. VII. de Trinitate cap. XVII. num. 9. qui Gemisthii Dissertationem MStam apud se esse testatus fuerat cap. XV. num. 5. Ex quibus colligere datur, vix fuisse inter Græcos, qui Iustinum expositionis auctorem negauerint. Apud Latinos autem ea ferme ignota mansit vsque ad reformationis tempora, sed statim inter dubia fuit recensita a Philippo Melanchthone in epistola quadam ad Camerarium, Centuriatoribus Magdeburgensibus Centuria II. cap. X. pag. 210. Martino Chemnitio in Oratione de Lectione Patrum, quæ Locis Theologicis præfixa est. Quum autem exardescerent controuersiæ Anti-Trinitariorum, magna cum fiducia tanquam germanum Iustini Martyris scriptum id fuit productum a Caluino & Aretio, quos dum imprudentiæ postulat perstringitque Petauius Lib. I. de Trinitate cap. III. num. III. non animaduertit, in eodem fere luto hærere Paxillum, Bellarminum, & Posseuinum, quos perstringit Sandius pag. 21. & 77. Præterea obseruare debuerat Petauius, sua adhuc ætate inter suos etiam haud defuisse, qui hunc libellum pro genuino Iustini fœtu agnoscerent & allegarent, quod fecerunt Petrus de Marca Dissert. de Eucharistia pag. 3. Laurentius Fore-

rus Tom. I. Antiquitatis Papatus pag. 544. Fratres Walenburgici Tomo I. Operum, tractatu v. de perpetua probatione fidei per testes cap. XII. num. v. pag. 740. Leo Allatius Lib. I. de Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis Consensu cap. XXI. n. 4. vt reliquos prætercam. Neque tantopere succensendum est iis, qui aduersus Seruetum similisque furfuris homines scriptum hoc produxerunt, quod tum temporis ab ipsis aduersariis Iustino Martyri adscribebatur. Ita enim præcipuus promachus, Lælius Socinus in Confessione sua, quam ex autographo descripsit Ioan. Henricus Hottingerus tomo vltimo Historiæ Ecclesiasticæ, pag. 422. *Præterea quod ignari homines pertinaciter inficiantur, ego Trinitatis, Personarum, ὑποστάσεως, consubstantialitatis, vnionis, distinctionis, & alias similes voces agnosco non recens excogitatas, sed a mille 300. annis, inde vsque a temporibus Iustini Martyris, in toto fere Christiano orbe fuisse vsitatas, & quidem maximis grauissimisque de caussis.* Qui Iustini Martyris Opera obiter saltem inspexit, facile obseruabit, non aliud Socinum in animo habuisse, quam fidei expositionem, de qua nunc disputamus. Diuersam autem viam hac parte infaustus illius nepos ingressus est, nec dubitauit, suppositìtiis scriptis eam accensere in Defensione Animaduersionum pag. 48. idemque sentire Arminianos ex Stephani Curcellæi Institutionibus Religionis Christianæ Lib. II. cap. XX. num. 3. pag. 73. & Quaternione Dissertationum aduersus Maresium Dissertatione I. num. XLII. & LI. ac sequentibus, manifestum est. Imo Petauius diserte scribit: *Quare nemo doctus, ac prudens librum istum, qui alioqui elegans est, & eruditus, Iustino tribuendum existimet.* Ac certe inter Nostrates, qui hoc decurrente sæculo vixerunt, plerique omnes ita statuunt; Ioannes Gerhardus in Exegesi Locorum Theologicorum Loco III. num. 50. & Patrologia pag. 82. Ioan. Hulsemannus in Patrologia pag. 983. Ioan. Conr. Dannhavverus in Christeide pag. 910. 911. Abraham Calouius in Præfatione Tomi I. Systematis Theologici pag. 9. Augustus Varenius Parte II. Rationarii pag. 24. 25. Balthasar Bebelius in Antiquitatibus Ecclesiasticis Sæc. II. p. 185. Inter Reformatos *νοθείαν* libri euicit Scultetus in Medulla cap. X. p. 23. 24. eandemque fatentur Gerardus Ioan. Vossius libro VI. Historiæ Pelagianæ pag. 555. Riuetus in Critico pag. 599. 600. Samuel Gardinerus in Delineatione Catholicæ fidei circa SS. Trinitatem contra Sandium Parte I. Sæc. II. cap. I. pag. 23. Hoornbeekius in Theologia Patrum pag. 75. Iurius in Apologia Reform. aduersus Arnaldum cap. XV. vt alios prætercam. Inter Pontificios eminent Robertus Bellarminus libro de Script. Eccles. eiusque commentator Philippus Labbeus Tom. I. p. 668. Dionysius Petauius non tantum libro primo de Trinitate, quem citauimus, sed etiam lib. III. de Incarnatione cap. VI. num. IX. pag. 239. & in Animaduersionibus ad Epiphanii Hæresin LXIX. sect. 6. ac inter recentiores Alexander in Synopsi sæculi secundi pag. 56. 57. &c. Quibus omnibus præiuerant editores

res operum Iustini, Ioachimus Perionius & Fridericus Sylburgius. Rationes, quibus sententiam suam probant, breuiter recensere operæ videtur pretium. Mouentur enim *silentio antiquitatis*, quoniam in enumerandis Iustini scriptis hanc expositionem prætereunt Eusebius & Hieronymus; nec vllus in controuersiis de Trinitate & Incarnatione ante Leontium ea vsus reperitur: tum *diuersitate styli*, quem Scultetus ait *nitidiorem* esse quam in cæteris indubitatisque Iustini scriptis; vnde Petauius Lib. I. de Trinit. p. 12. *Sed alterius est omnino, quod stilus ipse persuadere cuiuis potest lingua illius non omnino rudi:* præterea *terminorum nouitate*, μονάδος, τριάδος, ὀσίας, ὑποστάσεως, ὁμοουσίου, & aliorum, in eo significatu adhibitorum, qui partim vno, partim duobus fere post Iustinum sæculis in Ecclesia demum est receptus. Quod argumentum displicet quidem Ioanni Strauchio, Iure-Consulto, in Amœnitatibus Iuris Canonici Ecloga I. cap. XIV. pag. 20. *Et ne locum Iustini in dubium voces, quasi de Trinitate apertius loquatur; quam solent eius æui scriptores alii, etiam Lucianus, eiusdem ferme temporis scriptor non minus aperte loquens Christianis more suo illudit.* Verum Lucianus (etiamsi Auctor fuerit Dialogi Philopatris, de quo tamen multi dubitant) nec μονάδα nec τριάδα dixit, sed tantum ἓν ἐκ τριῶν, καὶ ἐξ ἑνὸς τρία. Illius enim æui fideles de Trinitate & vnitate diuina recte sensisse apud Orthodoxos hodie in confesso est, sed voces istas abstractiuas, μονὰς, τριὰς, postea introductas esse plerique existimant. Huc pertinet tertium Bellarmini argumentum: *quoniam multo apertius & distinctius differit de mysteriis Trinitatis & Incarnationis, quam Scriptores eius sæculi facere solebant.* Quibus Bellarmini verbis citatis subiicit Petauius: *Quod profecto verum est: Nam & de essentiæ, siue ὀσίας vnitate; & de Hypostaseon trinitate; & de filii generatione, processione vero Spiritus Sancti ea diserte, ac subtiliter disputat, quæ neque ab antiquis cæteris, ante Nicænum Concilium, vsurpata esse constat: neque, nisi patefacto, illustratoque, post Arianam procellam, dogmate isto, scribi potuerunt. Præsertim quum vox* hypostasis, *non modo ante Nicænum Concilium, sed ne ab ipsis quidem Nicænis Patribus aliter fere accepta sit, quam pro ὀσία & substantia, rarissime vero pro persona, & proprietate διακριτικῇ ac numerum faciente.* Hinc Natalis Alexander: *Incarnationis Mysterium nullibi apud Patres clarius explicatum videtur, quam hoc in Opere. Nullibi naturæ diuinæ & humanæ distinctio post vnionem luculentius asserta, & nitidioribus exemplis illustrata: nullibi inhabitatio Verbi in humanitate assumpta clarius exposita est.* Quum igitur constet, scriptum istud Iustini esse non posse, restat, vt videamus, quo tempore, & quo auctore confectum sit. De priori Alexander citato loco: *Vnde colligitur hoc Opus exaratum fuisse post ortum Nestorianæ & Eutychianæ hæreseos, maxime cum diserte impugnet quosdam asserentes Corpus Christi in Deitatis substantiam conuersum fuisse, quod nemo*

ante Eutychem asseruit. Varenio pag. 24. *plane post motam a Nestorio controuersiam & concilium œcumenicum Ephesinum, & adeo circa medium sæculum quintum, supposito ob maiorem auctoritatem, Iustini Martyris nomine, compositus videtur.* Cui præiuerat Gerhardus in Exegesi: *In fine discrimen inhabitationis* Λόγȣ *in carne & inhabitationis eiusdem in aliis rebus creatis late explicatur, ex quo colligitur, post Nestorii controuersiam in Ecclesia motam, librum hunc fuisse confectum.* Iurius autem, quem supra citauimus, ait, *euidentissimum esse, expositionem dictam conscriptam fuisse sæculo quinto, quia auctor eius sibi compertas habuerit hæreses Arii, Macedonii, Nestorii, Eutychetis, & vtatur vocibus* τριάδος, ὑποστάσεως, τρόπων ὑπάρξεως, προσώπων, apud Sandium in Appendice ad Nucleum pag. 4. Quare Scultetus non satis circumspecte agit, nec initia Nestorianæ hæreseos ad quintum demum sæculum adultum referenda obseruat, quando scribit, *librum, si quid coniecturis dandum, circa annum 400. scriptum esse, & veteris Iustini nomine publicatum.* Quod nomen fuerit operis vero Auctori, a nemine hactenus adnotatum memini: nec conueniunt inter se eruditi de orthodoxia scriptoris. Plerisque, fateor, veræ de Trinitate incarnationeque doctrinæ adsecla videtur, nec Alexander tantum scribit: *istud tamen opus Auctoris est orthodoxi & eruditi*; sed Varenius etiam *insignem & aureum librum, & Ecclesiæ vtibilem* vocat; imo Bellarmino *insignis liber est, & Iustino auctore dignus.* Verumenimuero Christophorus Sandius in Tractatu de Scriptor. Ecclesiasticis p. 21. aliter longe pronunciat: *Mihi videtur Auctor fuisse Sabellianus: sæpius enim scribit* ταὐτὸν *esse Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Qui itaque expositionem istam pro orthodoxa habent, ille necesse habent fateri, Catholicos in epistola Ignatii sugillari.* Equidem hanc Sandii opinionem parui facio, quum constet ac probatum sit ab eruditis, Scherzero præsertim ac Bebelio, quam inepte Sandius veram de Trinitate doctrinam cum Sabellianismo confuderit: maiori vero attentione considerationeque digna sunt Iacobi Welleri, summi quondam in Saxonia Theologi, de hac fidei expositione obseruata, Parte secunda aduersus Anatomiam Massonii, Disputatione IX. qua Auctorem eius *Nestorianum* fuisse contendit. Nam num. II. concedit quidem, de Trinitate haud male disseri in Expositione ista, quoniam Nestoriani in hoc articulo orthodoxiam simularint; sed si rem propius inspiciamus, Nestorianum quendam sub venerabili Iustini nomine suam impietatem obtrusisse arbitratur. Quod prolixius probat num. III. & IV. hoc præmisso argumento; *Qui negat naturarum concursum siue vnionem, qua est* καθ' ὑπόστασιν, *& vrget e contra vnionem, qua est* κατ' ἀξίαν *secundum dignitatem & auctoritatem, is Nestorianus est & Christum diuidit. Atqui auctor* ἐκθέσεως *negat naturarũ concursum &c. Ergo.* Maiorem extra controuersiã positam Cyrilli Alexandrini auctoritate confirmat, qui hanc Nestorii senten-

ſententiam fuiſſe variis in locis notat, eandemque pluribus diducit Petauius Lib. III. de Incarnatione cap. III. & alii pasſim. Minorem vero ex variis Expoſitionis fidei locis adſtruit Wellerus, quorum præcipuus hic eſt: μένει μὲν τὸ σῶμα σῶμα, εἴπερ ἐ σῶμα θεός, μετείλαφε δὲ θείας ἀξίας, ἐ φύσεως, εὐδοκίᾳ τ̃ λόγε. *Manet enim corpus corpus, ſiquidem non corpus eſt Deus, particeps eſt vero diuinæ dignitatis, non naturæ, benignitate verbi.* Monet porro, *vnionem & incarnationem* τ̃ λόγε *ita hic deſcribi, quemadmodum & Neſtorius deſcripſiſſet, nec ea*, quæ in iſto libro de hoc argumento habentur, *intelligi, niſi Neſtorianiſmi probe aliquis ſit peritus.* Præterea obſeruat, auctorem in hac ἐκθέσει *& vocem* μερίζειν, *& mentalem ſeu rationis ſeparationem* habere, quorum tamen *vtrumque a Patribus, tanquam Neſtorianum reiiciatur.* Cogitent itaque prudentes Lectores, annon rationes tantæ grauisſimæque perſuadeant, Neſtorianum quendam ſub hoc Opere latere, qui Iuſtini Martyris nomen adſumſit, vt eo facilius incautis minusque exercitatis imponeret. Certe hominibus illis dudum fraus ſtudiumque ſub alienis nominibus hæreſim diuulgandi exprobratum fuit, cum a Monachis Palæſtinis apud Euagrium Lib. III. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cap. XXXI. pag. 361. editionis Valeſianæ; tum a Leontio, Maximo & aliis, quorum loca ſtudioſe congesſit Theophilus Raynaudus in Erotematibus de bonis ac malis libris, Partitione I. Erotem. X. n. 265. 266.

XXIII. Quæſtionum & Reſponſionum ad Orthodoxos νοθεία omnibus hodie eruditis perſpecta eſt, nec quenquam facile reperias, qui glandibus iſtis tanquam veris ingenii Iuſtini fructibus veſcatur, niſi forte per ſomnium fiat, quale obrepſit Lucæ Holſtenio, Diſſertatione prima de locis quibusdam Concilii Nicæni pag. 192. *Iuſtinum Martyrem XIX. quæſtione ad Orthodoxos* diſerte citanti, eiusque ſucceſſori, Leoni Allatio lib. I. de Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis perpetua Conſenſione c. XXI. num. V. pag. 335. idem facienti. Quis enim Iuſtino tribuat ſcriptum, in quo citantur Irenæus & Origenes; refutantur Manichæi; formulæ loquendi quinto demum ſæculo receptæ inueniuntur; mentio fit κρατȣ̃ντος Chriſtianiſmi, deleto paganiſmo; aſſerta de Angelis Dialogo Iuſtini contra Tryphonem contraria, ſimiliaque plurima leguntur? Addimus nubem teſtium e doctisſimorum virorum grege, qui opus illud Iuſtini haud eſſe & fatentur & latius oſtendunt. Neque enim Noſtrates tantum, Centuriatores Magdeburgenſes, Gerhardus, Hülſemannus, Varenius, Bebelius ac reliqui id faciunt, ſed e Pontificiis etiam Sixtus Senenſis Lib. IV. Bibliothecæ Sanctæ, p. 276. Latinus Latinius in Bibliotheca Sacra pag. 37. Antonius Poſſeuinus in Apparatu; Rob. Bellarminus de Scriptoribus Eccleſ. Ioan. Azorius To. I. Inſtitutionum Moralium Lib. IV. cap. V. Martinus Delrio Lib. II. Diſquiſitionum Magicarum quæſt. XXVI. ſect. III. & Lib. I. Adagial. V. T. pag. 306. Petauius in Dogmatis

Theologicis passim; diserte autem lib. III. de Deo cap. VII. num. 5. & Lib. I. de Angelis cap. VI. num. 9. Raynaudus in Erotematis num. 232. pag. 147. Labbeus To. I. pag. 669. Alexander pag. 57. 58. 59. Quibus adstipulantur e Reformatis Theodorus Beza de Polygamia pag. 140. 141. Rodolph. Hospinianus lib. III. de Monachis cap. III. pag. 52. 53. Ger. Io. Vossius in Historia Pelagiana pag. 159. 160. Ioan. Raynoldus To. I. Prælectionum in libros Apocryphos pag. 1071. Dauid Blondellus in Gallico opere de Sibyllis: Ioan. Dallæus lib. II. de Confirmatione cap. II. & XII. & lib. I. de Cultibus Latinorum religiosis cap. X. Gisbertus Voetius in Epistola ad Beuerouicium de Vitæ Termino pag. 367. 368. Fridericus Spanhemius in Canonibus Isagogicis ad Criticam Ecclesiasticam pag. 722. Samuel Gardinerus, citato libro pag. 23. Stephanus le Moyne in Prolegomenis Tomi primi Variorum Sacrorum; vt ordinarios censores, Perkinsum, Cocum, Scultetum ac Riuetum prætercam. Claudant agmen Arminianus Curcellæus in Diatriba de Esu Sanguinis cap. XIII. pag. 975. Operum; & Neo-Arianus Sandius Nuclei pag. 20. 21. Cæterum Vossius *Responsionum istarum scriptorem, plus quam sæculo toto, martyre illo posteriorem* censet; Dallæo autem *non nisi quarto quintoue sæculo vixisse* videtur. Sixtus Senensis iudicat, *Stylum non esse absimilem a quæstionibus Theodoreti in Octateuchum*: quibus citatis Raynoldus subiicit: *Sane siue fuerit Theodoretus, siue quicunque alius, non fuit inferior Theodoreto*; cui fere accedit Blondellus, quem aduersus nuperos Iesuitæ cuiusdam insultus egregie tuetur Le-Moynius. Sylburgii autem hoc est iudicium: *Ex his colligere liceat, circa Theodoreti tempora vel ab alio Iustino hæc scripta esse, vel vt eo acceptabiliora essent, Iustini nomine inscripta; aut, si qua secundum Photium ex his sunt Iustini veteris, necesse est ab alio quopiam recentiore interpolata esse, cum eodem pene ista omnia stylo sint exarata.* Petrus Halloixius de vita & documentis Iustini Martyris cap. XXIV. & XXV. existimat, iam esse scriptum dubium, tempore Photii genuinum adhuc fuisse, quum tunc defuerint ea de Manichæis, Origenis, & reliqua scrupulorum genera. Verum hoc gratis & ex suo tantum ingenio finxit Halloixius, nec probauit ἀποριῶν κατὰ τῆς εὐσεβείας κεφαλαιώδεις ἐπιλύσεις, quas se legisse Photius testatur, easdem esse cum Quæstionibus & Responsionibus ad Orthodoxos; Hinc magis hæret Hoornbeekius pag. 76. *apud Photium dicitur Iustinus scripsisse*, dubitationum contra Christianam pietatem solutiones; *vnde minus dubito, illum harum, vel saltem huiusmodi quæstionum aliquid scripsisse, licet non hasce omnes.* At ego potius Alexandrum audiendum putarim: *Ex his itaque colligendum est, Quæstionum contra Christianam religionem summarias solutiones, quas Iustino tribuit Photius, vel alias esse ab hoc opere, vel illud Photii temporibus iam fuisse S. Iustino suppositum. Quod vltimum ægre mihi persuadeo, quomodo enim Photius, tam accurati vir Criterii, impostumm ita euidentem*

non

non animaduertisset? Fortasse aliquos ab adsensu retrahet Labbeus, cui huius scripti videtur *haud dubie meminisse Photius citato loco. Illi vero accidisse, quod eiusdemmodi libris solet euenire, vt ab amanuensibus, aut viris etiam eruditis, sed ætate posterioribus, multa consimilia hinc inde collecta inserantur.* Præiuerat Leo Allatius in Syntagmate de Engastrimytho cap. xxiv. quem in Addendis Labbeus etiam laudat pag. 717. & 729. Postquam enim dixisset Allatius, Quæstiones Anastasii Sinaitæ *a sciolo quopiam & sequioris sæculi scriptore* fuisse interpolatas, addit: *Quod etiam factum esse in Athanasii Alexandrini ad Antiochum & Iustini Martyris ad Orthodoxos multi adnotarunt. Quæ ad Quæstiones pertinere videbantur, addita sunt, ea solertem Lectorem exposcunt, vt spuria & aliena a genuinis seligere sciat, neque temere appositas opiniones veluti Patrum proprias parum cautus hauriat.* Idemque iudicium repetit Allatius Dissert. II. de libris Ecclesiasticis Græcorum p. 274. Enimuero id negotium est difficillimum, nec ab omnibus statim admittetur, quod vni vel alteri videtur Auctoribus conuenire: & quod maximum est, destituuntur Labbeus pariter atque Allatius Codicibus MStis, e quorum varietate doceant euincantque, Iustini Quæstiones & Responsiones aliter olim se habuisse, & a sequioris æui hominibus fuisse interpolatas. Et quanquam eiusmodi forte Codices reperiantur, in quibus nunc pauciores, nunc plures sint quæstiones: inde tamen tantum abest, vt consequatur, Iustinum alterutrarum esse auctorem, vt potius totum hoc opus cum similibus a Græcis anonymis sequiori ætate factum esse statuat Casimirus Oudinus in Supplemento de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 36. cuius verba tum dabimus, quum de Quæstionibus Athanasii ad Antiochum agemus, nunc saltem addentes Sylburgii obseruationem, in prioribus ad Iustinum Annotationibus pag. 32. *Hoc certum est, non paucas hic quæstiones esse, quæ non tantum indignæ sint Iustino, sed etiam illius temporibus longe inferiores.* Et post enumerata aliquot exempla: *Nec est verisimile a diuersis collectas esse has quæstiones, cum ex vna quæstione ad aliam remittatur Lector; nempe a 104. ad 97. vt & supra in Aristoteleorum dogmatum confutatione 136. 6. & 126. 5.*

XXIV. Epistolam ad Diognetum, quam primum eruit Henricus Stephanus, ac Latinitate donauit, inter ea Iustini scripta recenset Scultetus cap. I. quæ *omnium consensu ipsi tribuuntur:* Simileque Alexandri iudicium est pag. 61. *Epistola ad Diognetum non indigna Iustino est, nec vllum suppetit argumentum, quo ipsi abiudicetur, præter silentium veterum: quod non omnino conuincit Opus supposititium esse, nisi aliis momentis iuuetur.* Quod profecto verissime dixit Alexander. Est enim scriptorum aliorum silentium argumentum tantum externum, quod γνησιότητα libri alicuius tollere nequit, si interna recte se habeant: quemadmodum in hac Iustini epistola fit, in qua

qua occurrunt temporum characteres, qui aliam, quam Iustini ætatem, referre non possunt; siquidem initio statim ait, Diognetum percontari, τί δή ποτε καινὸν τοῦτο γένος ἢ ἐπιτήδευμα εἰσῆλθεν εἰς τὸν βίον νῦν, καὶ οὐ πρότερον, *cur nouum hoc genus aut institutum in consuetudinem venire nunc cœperit, ac non prius.* Tum circa finem: ἀλλὰ ἀποστόλων γενόμενος μαθητής, γίνομαι διδάσκαλος ἐθνῶν, *sed quum Apostolorum fuerim discipulus, fio gentium doctor.* Quemadmodum itaque viri docti expositionem fidei Iustino abiudicant, quod *auctor eius ad* τὰς τῶν πατέρων διδασκαλίας *pronocat, quum verus Iustinus* ὁ μάρτυς *non tam patrum, quos vocant, quam Apostolorum vel quibus mysteria regni cœlestis tradiderunt* οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου *Luc. 1. 2. & proximorum illorum Virorum Apostolicorum discipulus, ad illos Patres prouocare adeo non potuerit*, vt loquitur Varenius pag. 25. Ita ex opposito non spernendum γνησιότητος argumentum censeri debet, quod in hac epistola Iustinus Apostolorum discipulum seipsum vocitet. Verum haud acquiescunt his alii eruditorum, & vel *epistolarum* Iustini *auctoritatem vacillare* aiunt cum Sandii aduersario, Gardinero, pag. 23. vel epistolam ad Diognetum *scriptum dubiæ fidei* vocant cum ipso Sandio in priori ad Gardinerum responsoria, quam vide in Appendice eius ad Nucleum historiæ Ecclef. pag. 97. Prolixior autem eo Hoornbeekius in Theologia Patrum pag. 71. *Atuero vt ingenue & libere dicam, quod sentio, valde vereor, ne illa epistola sit Iustini nostri; non modo quod nullibi apud Veteres, neque Eusebium, vel Hieronymum, mentionem eius factam videam; sed quod nec stylus videatur conuenire; stylus etenim eius magis est philosophicus, neque tam rhetorice loquitur Iustinus, ac quidem hic, de Christianis.* Hinc verba Iustini describit: *Patrias proprias habitant, sed tanquam inquilini. Omnia cum aliis communia habent, tanquam ciues: & omnia patiuntur, tanquam peregrini*: & quæ sequuntur, ac in Parisiensibus nouissimaque editione leguntur pag. 497. Idem Hoornbeekius lib. II. de Conuersione Indorum cap. 1. pag. 78. epistolam istam prætermittit, *quia non existimant multi esse Iustini*, diserteque ad productam censuram suam nos remittit. Sed vereor, vt rationes eius satisfaciant. De silentio Veterum insufficienti antea diximus: & quid vetat, quo minus adferamus, Eusebium hanc epistolam intellexisse inter complures alias Iustini lucubrationes, πλεῖστα δὲ καὶ ἕτερα τῶν αὐτοῦ πόνων, quas apud fratres nonnullos exstare adserit? Argumentum quoque a stylo dissimilitudine petitum leue censent eruditi, quando cætera bene se habent: & quis dubitet, in scripto paranetico, quo Diognetum gentilem ad Christianam fidem amplectendam cohortari voluit Iustinus, innocentem optimamque Christianorum vitam eiusmodi flosculis exornandam atque describendam fuisse? Cæterum quod de philosophico Iustini charactere dixit Hoorn-

Hoornbeekius, non aliunde, quam ex Photio hausit, qui hanc tamen Iustini epistolam non recensuit in sua Bibliotheca: Et vt semel dicam, quod res est, illustrisque Huetii auctoritate confirmari potest, de fabulis Romanensibus pag. 46. omnes doctorum hominum rationes, quas ex Photii silentio petunt, frustraneæ mihi videntur. Is enim in Bibliotheca eos tantum libros describit, quas legerat in Assyria legatione, absente Tarasio fratre suo, cui eam dedicauit, vt ex Proœmio intelligitur. Vnde quilibet videt, plures omnino scriptores codicesque Photium & cognitos habuisse, & vel præsente Tarasio, vel post editam Bibliothecam legisse. Imo conferat Lector iudicium Photii de stylo Iustini cum hac epistola, ipseque ferat iudicium de conuenientia vel discrepantia. Ita enim Photius: *διὸ καὶ οἱ λόγοι αὐτοῦ, ἄλλως ὄντες δυνατοὶ, καὶ τὸ ἐπιστημονικὸν διασώζοντες, τῶν ἐκεῖθεν οὐκ εἰσὶν ἀποστάζοντες ἡδυσμάτων, οὐδὲ τῷ ἐπαγωγῷ καὶ θελκτηρίῳ τοὺς πολλοὺς τῶν ἀκροατῶν ἐφελκόμενοι. quamobrem etiam oratio eius, pollens alioqui ac valida, scientificumque seruans stilum, rhetorica illa condimenta non spirat, nec illecebris & blandimentis vulgus auditorum attrahit.* Cæterum quanquam Bellarminus epistolam ad Diognetum: *nec in catalogo scriptorum Iustini recensuit*, adnotante Sandio in Nucleo pag. 20. non præteriit tamen Labbeus pag. 669. nihil quidquam de eius *γνησιότητι* addubitans. Nec desunt alii clarissimi viri, qui *τὴν θεοσέβειαν*, vt ipse Iustinus vocat, primorum Christianorum descripturi ad hanc præsertim Epistolam prouocant, vt Theophilus Spizelius in Infelice Literato, Commonefactione XIV. pag. 312. & XXXI. pag. 952. 953. Patritius Iunius notis in Epistolam Clementis ad Corinthios ad pag. 1. *epistolam plane auream* vocat, cuius verba repetit Le-Moynius To. II. Variorum Sacrorum pag. 57. vbi tamen male *ad Prognetum* pro *ad Diognetum* legitur. Ioannes quoque Fellus (at quantus vir & quam peritus in hoc studiorum genere!) in eodem argumento occupatus & in Notis ad eundem Clementinæ epistolæ locum non dubitauit hanc epistolam sub Iustini nomine in testimonium vocare. Editores quoque, Henricus Stephanus & Fridericus Sylburgius non aliter statuerunt, quanquam de vltima parte dubitatio animos eorum subierit. Quam produnt Sylburgii annotationes pag. 43. *Veretur porro Stephanus, ne totus hic sermo* (qui a linea vel versu 43. pag. 501. incipit) *ad finem vsque sit suppositicius, & alio sermone clausa fuerit a Iustino hæc oratiuncula; præsertim, cum illi res non esset cum Christiano, qui εἰς τοιαῦτα τῶν λόγων βάθη penetrare posset; sed cum Diogneto Christianæ doctrinæ adhuc rudi. Adde quod, cum præcedentia Iustinum redoleant, si cum cæteris eius scriptis conferantur, & multa cum illis habeant communia, nulla tales contemplationes vllibi apud eum reperiantur.* Quid hoc in negotio sentiendum sit, alii videant. Quæcunque in clausula ista habentur, vel ex Epistolis Paullinis aliisque Scripturæ locis petita sunt, vel mysti-

mysticam allegoricamque interpretationem sapiunt, cui adeo adsueuerant primitiuæ Ecclesiæ Doctores, vt nihil saltem allegari possit Iustino indignum. Quod autem Diognetum attinet gentilem, non fuisse illum e fæce vulgi apparet, sed doctum, & eruditum, qui Christianorum cœtibus procul dubio interfuerat, eorumque Scripturas legerat, & pleniorem proinde informationem expetebat. Argumentum quoque non ex illorum genere est, quæ a gentilium auribus prohibebantur, sed ad mysteria Trinitatis & Incarnationis, huiusque fructus, Ecclesiæ per verbum plantationem similesque cognoscendos facit, quorum certe nihil non in scriptis aduersus ethnicos inculcabant Doctores Christiani, quod ex parte fatetur Origenes libro 1. aduersus Celsum; tum nos prolixius euincemus in controuersia de disciplina arcani, quæ cum Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto, Emanuele Schelstratio, nobis intercedit, cuius Apologiam publice examinabo, quamprimum Bibliopolas magis fauentes expertus fuero.

XXV. Postremum, quod inter Iustini opera conspicitur scriptum, Epistola ad Zenam & Serenum est, de qua *non secus ac de Expositione fidei dubitat Bellarminus*, obseruantibus nec improbantibus Labbeo pag. 669. Hoornbeekio pag. 75. & Sandio pag. 20. eandemque inter dubia Iustini scripta refert Varenius pag. 24. 25. silentio inprimis veterum motus, qui cum cætera Iustini scripta recensuerint, de hoc tacere non potuerint. Apertius fortiusque disputat Natalis Alexander in Synopsi Sæculi secundi pag. 60. 61. cuius verba, quanquam longiuscula, in gratiam Lectoris non pigrabor adscribere: *Epistola de vita Christiana ad Zenam & Serenum supposita est S. Iustino. Id ostendit styli dissimilitudo, non enim pollens est, validus ac scientificus illius Epistolæ stylus, qualem aliorum Operum Photius commendat: sed humilis nimium, simplex, & qui Patrem eruditissimum non redoleat. 2. huius epistolæ nusquam meminere Veteres, qui catalogum Operum Iustini texuerunt: neque illius Zenæ & Sereni vlla in Ecclesiasticis Historiis mentio; quos alioqui in Ecclesia spectatos, insignesque fuisse necessum est, si præfatam ad illos Epistolam dederit Iustinus. 3. Epistolam citat, quam se ad Papam scripsisse refert: atqui æuo S. Iustini nullus demonstrabit nomen Papæ in vsu fuisse, vt Romanus Pontifex significaretur: Neque vnquam Episcopis delatum est, nisi proprio ipsorum nomine addito, quomodo Hieronymus scribit,* Beatissimo Papæ Augustino: *dicere namque, Papam, nomen proprium fuisse alicuius hominis ad quem scripserit Iustinus (vt suspicatur Annalium Author) ariolari est. 5. Ait se scripsisse ad Papam de corruptione disciplinæ per traditionem hominum, & quorundam Pharisæorum præsumtionem. Quam belle porro hæc conueniunt nascentis ferme Ecclesiæ moribus! Quam egregie cum iis quadrant, quæ in Apologiis ad Principes de Christianæ disciplinæ puritate, & Christianorum vita innocua scripserat! 6. Sententiæ illius Epistolæ prorsus diffusæ sunt, nec vllo pacto cohærentes. 7. Vix Apostolum*

ſtolum citat, vix' oracula Salomonis: cum in vtriusque libris maxime tractentur Christiana vitæ præcepta, quæ hic exponere intendit illius Epiſtolæ author. 8. Ait, ſe ad illos ſcribere, vt puerilem nonnullorum viuendi conſuetudinem agnoſcant; an, quaeſo, pueriliter duntaxat viuere eſt, ſcelerate & impie viuere? Longius adhuc progreditur Theophilus Raynaudus in Erotematis num. 232. pag. 147. aliumque nobis Iuſtinum nominat, qui huius Epiſtolæ auctor ſit: *Epiſtolam ad Zenum & Serenam* (ita ibi male ſcribitur) *probabile eſt S. Iuſtino Philoſopho eſſe ſuppoſitam: reuera autem ſpectare ad S. Iuſtinum Abbatem Hieroſolymitanum, cuius eſt mentio in Actis S. Anaſtaſii Perſæ.* Parum abeſt, quin Raynaudi ſententiam probet Vincentius Placcius in Catalogo Scriptorum Pſeudonymorum num. 528. pag. 215. ſed Labbeus eam ſummo ſilentio præterit, cui alias ſolenne eſt, Raynaudi Erotemata laudare. Neque Scultetus tantum cap. 1. hanc epiſtolam in eorum numero collocauit, quæ *omnium conſenſu Iuſtino tribuuntur*; ſed Ioannes Diecmannus Diſſertatione priori de Vocis Papæ ætatibus num. IX. aduerſus Raynaudum vindicandam quoque ſuſcepit, his verbis: *Verum cum nullam iſtius probabilitatis cauſſam alleget Ieſuita, religioni duco Epiſtolam, Baronii, Miræi, Labbei, aliorumque conſenſu Iuſtino Martyri adſcriptam, etſi ab Hieronymo, Honorio Auguſtodunenſi, & Photio in recenſione ſcriptorum eius præteritam, temere credito hactenus auctori ſubtrahere. Etiam hic ſane λόγυς δυνατὺς καὶ τὸ ἐπιϛημονικὸν διασώζοντας, quos in Iuſtino commendabat Photius, animaduertas. Sed & ſtylum Iuſtino non abſimilem cum alia, tum ὄντ𐅹 nomen Deo vt alias ſapius, ita & hic plus ſimplici vice tributum, indicant. Neque vllibi lectio ipſa epiſtolæ, quod indignum homine Chriſtiano aut Philoſopho grauiſſimo eſſe poſſet, quicquam ſuggerit, niſi eo forte Romanenſes ſacrarum literarum tractationem, idiotis quoque & imperitis haud denegatam, referre velint.* Addimus aduerſus Raynaudi coniecturam: quoniam auctor initio epiſtolæ alias duas recenſet, alteram ad Papam, alteram ad Principes ſcriptam: Raynaudo incubuiſſe onus probandi, quod Iuſtinus, quem nominat, Hieroſolymitanus eiuſmodi operum auctor fuerit: quod an præſtare potuerit, valde dubito. Cæterum ex vltimis Diecmanni verbis ipſiusque epiſtolæ lectione facile hariolaberis, quamobrem hæc Iuſtini Martyris epiſtola Alexandro ſuppoſititia audiat: cuius ſane rationes facile redarguuntur. Primam enim a diſſimilitudine ſtyli petitam diligentior Diecmanni obſeruatio infringit, qui ſimul characterem Iuſtini ſingularem appoſite inculcat, qua Deum ὤν vocat, cuius plura teſtimonia in fine Indicis Græci operibus Iuſtini ſubiuncti reperire eſt: Alexandrum autem in Græca litteratura non multum verſatum eſſe eruditi plus ſemel adnotarunt. Altera quoque a ſilentio aliorum deſumta nullius momenti eſt, vti paullo ante monuimus; nec felicius conicit, Zenæ & Sereni celebrem memoriam eſſe debere: ſiquidem nullibi etiam Diogneti no-

nomen reperias, ad quem tamen epistolam dedisse Iustinum ipse contendit Alexander; & maxima pars epistolarum Doctorum Veterum spuriis annumeranda esset, si eos, ad quos scriptæ sunt, in Ecclesia spectatos insignesque fuisse & in Historiis laudari necesse esset. Præterea omnem huius argumenti vim tollit initium epistolæ, quo Iustinus memorat τὴν γραφεῖσαν πρὸς ἄρχοντας, & Apologiam suam intelligit, obseruante Sylburgio in Annotationibus pag. 43. quod sane de nullo alio, quam nostro Iustino exponi accipique debet, qui hac allegatione controuersam epistolam ipse in γνησιότητος thronum euehit ac collocat. Bene autem habet, quod in tertia ratione Baronium deserit Alexander, quem prolixius impugnat Diecmannus num. x. quanquam Baronii opinio in mentem quoque venerat Sylburgio, quam tamen protinus abiecit, vti ex Annotationibus pag. 43. patet. Cæterum Papæ nomen secundo etiam sæculo vel saltem tertio ineunte *Episcopis peculiariter tributum fuisse, præsertim in Africa, ex Actis SS. Perpetuæ & Felicitatis* probat Lucas Holstenius Animaduers. ad Martyrol. Rom. pag. 154. Locus autem, quem respexit Holstenius, pag. 24. istorum Actorum reperitur, quæ Animaduersis Holstenianis præfixa sunt. Verba ita habent: *Non* (pro *nonne*) *tu es Papa noster* &c. Frigidum est, quod ait Alexander, nunquam Episcopis datum esse Papæ nomen, nisi proprio ipsorum nomine addito: id enim verum quidem est, si ad ipsos datæ sunt litteræ; falsum vero, quando in epistolis sermonibusque apud alios eiusdem Ecclesiæ socios mentionem Episcoporum suorum faciebant; illi quippe nomen Antistitis sui optime norant, neque dubium est, quin hoc sensu in epistola sua vsus sit Iustinus. Equidem si coniecturis locum dabimus, ex mentione Apologiæ Iustini colligere est, & Zenam & Serenum Romæ vixisse, neque alium quam Romanum Episcopum tum temporis viuentem per Papam intelligi debere. Scribit enim Iustinus ad eiusmodi homines, qui Apologiam suam ad Principes cognitam habebant, litterasque non multo post eius oblationem ad ipsos destinat, vt ex initio patet, vbi apertius queritur de dissoluta nonnullorum vita, quam ibi dissimulauerat. Breue sane temporis spatium, quod inter Apologiæ oblationem & epistolæ missionem intercessisse apparet, haud permittit, vt alibi Zenam & Serenum commoratos esse existimemus, quam Romæ vel saltem in vicinia. Nemo autem sibi imaginetur, me hac ratione velificari ineptæ quorundam Pontificiorum persuasioni, quasi Papæ nomen soli Romano Pontifici proprium fuerit: tantum enim abest, vt hoc somnium nobis placere possit, vt eius potius pridem depuduerit prudentiores Romanenses, Baronium, Rigaltium, Holstenium, Launoium, Tamayum, Quenellium, Mabillonium, ipsumque Alexandrum, qui propterea Dictatum Gregorii VII. νοθείας vult conuincere Dissertatione III. Sæculi XI. & XII. pag. 463. 464. Quartum (seu quintum, omittit enim numerum priorem) Alexandri argumentum

miror

miror viro prudenti in mentem venire potuisse, qui ex Epistolis Paulli, Clementis & aliorum primæ Ecclesiæ Doctorum, meliorisque Theologiæ effatis cognoscere debuerat, ab initiis Christianismi bonis malos intermixtos fuisse. Nec obstat, quod innocentiam Christianorum in Apologiis defendit Iustinus: sufficiebat quippe, maximam præcipuamque partem virtuti pietatique studere. Imo, si quid iudico, videtur hæc epistola ad Zenam & Serenum eum in finem scripta, ne offenderentur nimiis Christianorum cœtuum in Apologia laudibus, quas de omnibus & singulis membris veras non esse apprime nouerat Iustinus. Sexta ratio nequit opponi epistolæ Iustini, nisi simul Clementis, Polycarpi aliorumque scripta, in quibus pariter nulla vel exigua datur cohærentia & συνάφεια, suppositionis arguantur, pro quibus tamen pugnat ipse Alexander. Septima inuerecundiam Alexandri prodit, qui Iustino, venerando Patri, præscribere vult, vnde cohortationis ad virtutem regulas desumere debuerit: quasi easdem non recta quoque dictitet ratio, & multa Iustinus habeat sermonis obiecta, de quibus nec Apostolus nec Salomon aliquid docuerunt: in cæteris autem tractandis Paulli verba sæpius immiscet, vt conferenti patebit. Octaua denique nimis puerilis est. Quum enim Iustinus perstringit τὰς παιδαριώδεις τινῶν πολιτείας, *puerilem nonnullorum viuendi consuetudinem*, Paullum procul dubio imitatus est, qui fideles plus semel admonet, ne vel in doctrina vel in vita pueri sint, vt 1. Cor. XIV. 20. & Ephes. IV. 14. Est etiam elegans oppositio inter Ἀποστολικὴν, siue θείαν, siue ὁσίαν πολιτείαν, quam in Christianis veteres Doctores requirunt, & παιδαριώδη πολιτείαν, quam reprehendit Iustinus, cui alias solenne est, πολιτείας nomine vitæ consuetudinem exprimere.

XXVI. Antequam ad alia progrediar, aliam Raynaudi obseruationem adscribere operæ pretium duco: *Quid autem Martino Polono facias, qui ad annum 1. Antonini Pii, S. Iustino Martyri supposuit abbreuiationem Troii Pompeii? Impegit ea in parte Martinus, quia non discreuit, sed in vnum confudit duos Iustinos; quos admitto eadem ætate vixisse, vt notauit Vasæus in Chron. Hispan. anno Christi 140. Fuere tamen quoad omnes alias circumstantias, satis disiuncti. Itaque perperam Epitome Trogi, S. Iustino Martyri adscribitur.* At non primus ista notauit Raynaudus, quem pridem anteuerterat Gerardus Ioannes Vossius Lib. I. de Historicis Latinis cap. XXXII. Postquam enim suam proposuisset sententiam de Iustino, Troii epitomatore, tempore Antonini Imp. viuente, eamque cum aliorum, tum Martini Poloni suffragiis roborasset, subiicit: *Sed quod idem Iustinum hunc cum Iustino Martyre confudit, fœdus error est, cum hic, qui epitomen scripsit, in iis, quæ lib. VI. & XXX. de Mose, Iosepho, & Israelitis, tradit, plane Scripturis aduersetur: vnde liquet, hominem fuisse gentilem: aperteque inter eos ab Orosio numeratur. Vt de eo nihil dicam, quod beatus Martyr nihil Latine scripsisse videtur:*

tur: item quod Eusebius, Hieronymus, Photius, nusquam historicam hanc epitomen inter Martyris illius scripta reponunt. Similiter Tanaquillus Faber Lib. I. Epistolarum Criticarum Epist. XLIV. quam Christophorus Arnoldus Testimonio Flauiano inseruit, pag. 317. *Iustinus Martyr, quem Martinus Polonus non sine magna oscitantia eundem facit cum eo Iustino, qui Pompeii Trogi historias in compendium coegit, eiusque, si eidem Polono fides est, discipulus fuit &c.* Nostri non est instituti, ætatem Iustini historici anxie inquirere, quem Baltasar Bonifacius cap. XIIX. Excerptorum de Romanæ Historiæ Scriptoribus ad Augustæum sæculum refert, nomenque Antonini in præfationem Iustini furtim irrepsisse iuxta cum aliis contendit. Quos sequutus videtur Tanaquillus Faber eodem Epistolarum libro, num. LXIV. pag. 215. quando inter alia Christophori Heluici in Theatro Historico παρεργήματα hoc etiam tertio loco recenset: *Ponit Iustinum historicum sub Antonino Pio; quo argumento? Scis quo; sed illud nullum est. Videlicet illi Martinus Polonus imposuit.* Si autem quæras, quo potissimum argumento moti ex præfatione nomen Antonini expungant, non aliud fere, quam styli elegantiam proferunt, quæ antiquiora tempora indicet. Verum Christophorus Cellarius in Prolegomenis Curarum posteriorum pag. 27. nouissimæ editionis, hunc in modum iudicat: *Stilus non incomtus est, & forsan multa ex Trogo, aurei æui scriptore, retinuit integra, quanquam etiam admiscuit, quæ non sunt probatissima.* Quamobrem ita mea fert opinio, vt vterque Iustinus eodem tempore vixerit, sed diuersi fuerint homines, alter quidem gentilis & Trogi epitomator, Latinusque scriptor, alter vero Christianus Philosophus & Martyr, qui Græco sermone scripta plurima composuit, quorum aliqua pars a nobis hactenus recensita est, potior autem periit, supersunt tamen hinc inde aliquot fragmenta, quæ colligere & nouæ editioni inserere multum rei litterariæ & Ecclesiasticæ interfuisset.

XXVII. Pridem est, quod hanc iacturam eruditi deplorarunt, qua perierunt Libri contra omnes hæreses, aduersus Marcionem, de anima, de natura Dæmonum, item Psaltes, & Commentaria in Genesin ac Apocalypsin, denique Epistola ad Papam, quorum vel ipse Iustinus, vel Irenæus, Tertullianus, Eusebius, Hieronymus, Anastasius Sinaita, Photius, aliique meminerunt. Vtilem quidem operam præstitit Petrus Halloixius, quando tomo secundo de Scriptoribus Ecclesiæ Orientalis deperditorum aut reconditorum Iustini librorum fragmenta non pauca Græce & Latine exhibuit, laudatus propterea ab Auberto Miræo in Bibliotheca Ecclesiastica pag. 11. & a Guil. Caue in Chartophylace Ecclesiastico Sæc. II. p. 11. cuius hæc sunt verba: *Aurea Fragmenta, ampla sane ac copiosa, ex lib.* de resurrectione carnis, *ex Damasceni Parallelis desumta, Græce & Lat. exhibet P. Haloix in vita Iustini c. 27. vbi & alia fragmenta ex libris Iustini deperditis habentur.*

Porro

Porro Dionysius Petauius ex libro Iustini de resurrectione quædam citauit in primo Dogmatum Theologicorum Tomo, & ex MSto Eclogarum Damasceni Codice eruit. Etenim Ioannes Damascenus Parallelorum siue Eclogarum libros contexuit, in quibus plurima Veterum Patrum fragmenta leguntur, quæ alibi frustra quæras. Codices MSStos Parallelorum sæpius allegant Billius, Petauius, Vsserius, alii: nec operam perdiderunt Fronto Ducæus, & Franciscus Combefisius, quorum alter Irenæi Lugdunensis, alter Amphilochii Iconiensis loca a Damasceno citata collegit, & cum cæteris illorum scriptis edidit, quanquam, vt hoc obiter moneam, perfectiori Codice vsus est Petauius, quam Combefisius, vt patet ex collatione tertii fragmenti Amphilochiani, prout a Combefisio exhibetur, a Petauio in Addendis ad alterum Dogmatum Theologicorum Tomum pag. 870. Porro Iustini quoque nostri insignia testimonia ex libris hodie desideratis conseruasse Damascenum ea facile fidem faciunt, quæ protulit Petauius, & nos inde in gratiam Lectorum describemus: Prius habet Petauius Lib. x. de Deo cap. IV. num. III. p. 678. *Iustinus Christianorum Patrum, de quibus controuersia nulla est, vel antiquissimus, vel inter antiquissimos numerandus, in libro de Resurrectione, probat carnem a morte resurrecturam: nec solam e duabus hominis partibus animam esse victuram, eo argumento, quod Deus sit bonus, ac velit omnes esse saluos.* In margine verba Græca more suo describit: *Iustinus apud Damascenum in Eclogis lit. A. Tit. 72. MS.* Ἐπεὶ πῶς οὐκ ἄτοπον, ἀμφοτέρων ὄντων κατὰ τὸ αὐτὸ, καὶ ἐν τῷ αὐτῷ, τὸ μὲν σώζειν, τὸ δὲ μή; οὐκ ὄντως γὰρ ἀδυνάτου, καθάπερ δέδεικται, τὴν σάρκα ἔχειν τὴν παλιγγενεσίαν, τίς ἡ διάκρισις, ὥστε τὴν μὲν ψυχὴν σώζεσθαι, τὴν δὲ σάρκα μή; ἢ φθονερὸν ποιοῦσι τὸν θεόν; ἀλλὰ ἀγαθός ἐστι, καὶ σώζεσθαι πάντες θέλει. Latino sermone ita reddit Petauius: *Qui enim absurdum non sit, cum duo sint simul, & in eodem, alterum saluare; alterum non saluare? Nam cum impossibile non sit, vt ostensum est, carnem iterum nasci, & resurgere: quæ est illa discretio, vt anima quidem seruetur, non autem caro? An inuidum faciunt Deum? Atqui bonus est, & saluari vult omnes.* Posterius fragmentum ex iisdem Damasceni Eclogis citat Petauius in Addendis primi Tomi pag. 837. *Iustinus in libro de resurrectione gentes ait omnes, quæ idolis credunt, persuasum habere, omnia Deos facere posse. Quemadmodum & Homerus illorum poeta dixit:*

-- -- -- Dii porro omnia possunt,

Et facile.

Vbi & particulam adiecit, ῥεῖα, *quæ facile significat, vt magnitudinem ostendat virtutis Deorum.* Græca ita habent: τῶν γὰρ ἐθνῶν ἁπάντων ἐπὶ τὰ εἴδωλα πεπιστευκότων, καὶ πεπεισμένων, ὅτι πάντα δυνατὰ αὐτοῖς ἐστιν· ὡς καὶ Ὅμηρος ὁ ποιητὴς αὐτῶν φησι·

-- -- -- Θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται,

Καὶ ῥεῖα.

Ἀλλὰ καὶ τὸ ῥεῖα προσέθηκεν. ὅπερ ἐστὶν εὐχερῶς, ἵνα τὴν μεγαλειότητα τῆς τῶν Θεῶν δυνάμεως ἐμφαίνῃ. Neque eſt, quod obiiciat aliquis, ab Euſebio, Hieronymo & Photio non tribui Iuſtino opus de reſurrectione: his enim omnibus antiquior eſt Methodius Patarenſis Epiſcopus, qui in libro ſuo de reſurrectione pag. 324. ſimilem Iuſtini noſtri locum ex eodem procul dubio ſcripto petitum profert, quem libenter adponeremus, niſi editio operum Methodii Pariſienſis a Combefiſio adornata ad manus nunc nobis non eſſet. Præterea quis non animaduertit in breuibus huius libri fragmentis apud Damaſcenum λόγους δυνατοὺς καὶ τὸ ἐπιστημονικὸν διασώζοντας, quos in charactere dicendi apud Iuſtinum obſeruauit Photius? Cæterum Valeſius in Annotationibus Euſebianis ad Lib. IV. cap. XI. pag. 65. monet, Euſebium memoriæ vitio lapſum fuiſſe, quando ex libro Iuſtini contra Marcionem deſumta eſſe putauit, quæ tamen in Apologetico eius exſtant; & in ſocietatem erroris Nicephorum pertraxit. Nec omiſerim, quæ idem Valeſius diſſerit ad Lib. IV. cap. XVIII. pag. 28. de libro Iuſtini de anima, quem ita deſcribit, ac ſi rationem eius probe perſpectam habuiſſet, qui cæteris omnibus eruditis hodie de nudo tantum titulo cognitus eſt: Verba hæc ſunt: *Scholia interdum dicuntur breues expoſitiones obſcuriorum vocum ac ſententiarum. Ita Cyrilli ſcholia de Incarnatione vnigeniti hodie leguntur, quæ nihil aliud ſunt, quam breuis expoſitio obſcuriorum quæſtionum de Incarnatione. Quæſtio enim ipſa, tituli loco præmittitur: deinde ſubiungitur expoſitio. Sententia item ſeu dogma interdum vice tituli ſeu indicis præfigitur hoc modo, ὅτι &c. Deinde apponitur demonſtratio, vt videre eſt in ſupradicto Cyrilli Alexandrini libro. Huiusmodi fuit Iuſtini liber de anima: quæſtiones ſcilicet ac ſententiæ quædam de natura & origine animarum: quibus ſubiuncta erat Iuſtini expoſitio ac demonſtratio.* Denique epiſtolam Iuſtini ad Papam ſcriptam deſiderat etiam Labbeus pag. 668. nec pro more ſibi alias ſolenni Riuetum perſtringit, qui eam a Pontificiis abolitam putat in Critico Sacro lib. II. cap. V. p. 195. 196. *Quæ epiſtola ſi extaret, eſſet fortaſſe in ea quod nouis noſtris Phariſæis minus placeret: aut quia tale quid fuit, ideo fecerunt, vt non exſtaret.*

XXIIX. Sed miſſis tandem iis, quæ fruſtra deſiderantur, ad nouam Iuſtini editionem redimus, in qua ad normam Pariſienſium poſt Petri Lanſſelii Diſpunctionem eorum, quæ in Iuſtino Martyre notauerat Iſaacus Caſaubonus in Exercitationibus Anti Baronianis, ſequuntur duplices Sylburgii Annotationes, quæ in Commeliniana etiam editione reperiuntur. Priores Sylburgius proprio Marte compoſuit, poſteriores ex Billii obſeruationibus & Perionii in Iuſtinum Notis excerpſit. Fama erat, in nouiſſima editione Ægidii Menagii

Ob-

Obferuationes additum iri, quas ἀνεκδότες hactenus magno pretio ex Gallia sibi comparaturi sint Bibliopolæ: verum frustraneæ fuerunt spes nostræ, siue aliis caussis, siue vltimis Clarissimi Menagii fatis interuenientibus. Quare Christiani tantum Kortholti Commentarius in Iustinum Martyrem, Athenagoram, Theophilum Antiochenum, & Tatianum Assyrium, ad calcem nouæ huius editionis subiicitur, qui anno CIↃ IↃC LXXV. seorsim Kilonii prodierat. Post Sylburgii autem notas conspicitur Index triplex, primus Græcus longe vtilissimus *verborum & phrasium, quæ in Iustini Opusculis vel enarrantur, vel alioqui notatu digna sunt.* Optandum sane foret, vt omnes Patres Græci eiusmodi Indicibus Græcis exornarentur, quod in Clemente Alexandrino Sylburgium pariter præstitisse & notum & summa laude dignum est. Reliqui duo Latini sunt, alter *rerum in Iustino Martyre notatu digniorum:* alter *S. Scripturæ locorum, quæ in his Iustini Opusculis vel citantur vel innuuntur.*

XXIX. Hactenus ea considerauimus, quæ ad Iustinum Martyrem spectant: sed nouam editionem nondum absoluimus, quæ more Parisiensium insignem habet Appendicem, de qua audiamus Labbeum pag. 670. *Accesserunt corollarii loco Athenagoræ, Theophili Patriarchæ Antiocheni, Tatiani Assyrii, & Hermiæ quæ supersunt aduersus Gentiles opuscula, quæ ex Appendice Græco-Latina ad Bibliothecam Veterum Patrum Parisiensem anni 1624. opera R. P. Frontonis Ducæi concinnata securius repetas.* Nos caussam rationemque sequioris Labbeani iudicii Lectoribus indagandam relinquentes de quatuor illis scriptoribus pauca subiungemus.

XXX. ATHENAGORÆ vitam & res gestas perfecte sine dubio describere possemus, si in lucem prodiissent XII. Libri περὶ τῶν εἰς ἑαυτὸν, qui MSti exstabant in Bibliotheca Conradi Gesneri, & ipse testatur in præfatione ad Bullingerum Apologiæ Athenagoræ præfixa: indeq; citant Centuriatores Magdeburgenses Centuria II. p. 198. & Scultetus Lib. II. Medullæ P. I. cap. I. p. 59. vt nihil adeo caussæ habuerit Hoornbeekius, notandi Scultetum, *vnde vero habeat, quod dicit cap. I. Athenagoram quoque scripsisse περὶ τῶν εἰς ἑαυτὸν libros duodecim, qui lateant in Bibliotheca Gesneriana, equidem nescio.* Nunc autem, quoniam hoc opus publicis nondum typis impressum est, plura de eius vita scire non licet, quam quod ex duobus eiusdem scriptis, Apologia nimirum & de Resurrectione, collegit Vir singulari eruditione & humanitate præfulgens, Adamus Rechenbergius, præfatione in editionem Lipsiensem, *patria fuisse Atheniensem, professione philosophum, studio Christianum: hominem cumprimis pium, singulari ingenio præditum, in diuinis iuxta & humanis literis egregie versatum.* Omisit autem Rechenbergius merito legationem, quam pro Christianis Athenagoram suscepisse communiter referunt, præeuntibus Centuriatoribus p. 22. & 198. ac Grynæo Præfatione in

Ortho-

Orthodoxographa, cuius hæc verba inter testimonia reposuit Rechenbergius: *Legatio eius indicare videtur, ipsum aliquando a Christianis legatum missum esse ad Antoninum, quod certe factum non fuisset, nisi inter fideles magni nominis fuisset: veruntamen Legatione sua nihil adsequutus est, principis enim animus odio Christianorum exasperatus apologia placari non potuit, verum post pluuia miraculosa mutatus est.* Atque ita quidem de legatione Athenagoræ scribunt, quasi ipsi interfuissent: imo Casimirus Oudinus in Supplemento de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 12. temporis etiam characterem subindicat: *legationem suscepit pro Christianis inter annum 165. quo Peregrinus Philosophus in ardentem pyram se dedit præcipitem in Ludis Olympicis, & annum 170. quo Lucius Verus Imperator Iulio mense inter Concordiam & Altinum periit.* Sed vnde tandem hæc omnia de legatione Athenagoræ hauriunt? Ex solo Apologiæ titulo, quæ inscribitur πρεσβεία περὶ χριστιανῶν. At si hæc est legatio, quidni etiam ex Quadrato, Aristide, Iustino Martyre, Melitone Sardensi, Tertulliano & similibus Apologiarum pro Christianis auctoribus Legatos faciamus, quem tamen titulum nemo hactenus inter eorum encomia numerauit? Quamobrem optime Rechenbergius Notatione prima: *Τὴν πρεσβείαν non modo legationem, sed & deprecationem ac supplicationem, apud Græcos significare notum est. Talem vero Athenagoras pro Christianis heic composuit.* Huc collimat Codex ab Henrico Stephano adhibitus, qui πρεσβείαν ἢ ἀπολογίαν inscribit. Videat etiam Oudinus, ex quo veteri scriptore hauserit *Presbyteri* elogium, quod Athenagoræ tribuit. Quo autem tempore, quoue mortis genere is obierit, non liquet, siquidem nihil de eo litteris proditum esse merito aiunt Magdeburgenses pag. 203.

XXXI. Imo vero, inquient alii, quid multum solliciti estis de homine, *cuius neq; Eusebius, neq; Hieronymus, nec Photius meminerunt*, vt aperte Guil. Caue in Chartophylace Ecclesiastico p. 13. Quorum silentium procul dubio Riuetum, Varenium aliosque compulit, vt Athenagoram vel plane omitterent, vel in dubiorum saltem scriptorum censu reponerent. Enimuero meminit eius Methodius, qui iis omnibus antiquior fuit, ac Athenagoram adolescens videre potuit. Vnde Paullus Colomesius in Paralipomenis ad Cauii Chartophyl. Eccles. pag. 2. *Ex antiquis Ecclesiæ Doctoribus, qui Athenagoram laudet, præter Methodium, noui neminem. Locus extat tum apud Epiphanium hæresi 64. Sect. 21. tum apud Photium in Bibliotheca Cod. 234. sed apud illum mendose. Ex ingenio restituit vir naris emunctissimæ Paulus Leopardus, Emendat. lib. 19. c. 9. Non est proinde cur dubitet Baronius Notis ad diem 18. Ianuarii, an opera tributa Athenagoræ sint S. Martyris Athenogenis.* Duo sunt præcipua capita, quæ accuratius perpendi merentur, alterum Methodium, alterum

Baro-

Baronium concernit. De Methodio adducemus Epiphanii Photiique loca, Lectorem cupidum ad editionem Methodianorum operum Parisiensem ablegantes, quam olim e Bibliotheca Calouiana vsibus nostris patentem nunc desideramus. Epiphanius hæresi LXIV. Origenianorum n. XXI. ex Methodio scribit: Τί οὖν ὁ Διάβολος λέγεται; πνεῦμα περὶ τὴν ὕλην ἔχον, καθάπερ ἐλέχθη, ὦ Ἀθηναγόρα, γενόμενον ὑπὸ τοῦ Θεοῦ. *Quidnam igitur tandem Diabolum esse dicemus? Spiritum videlicet, qui circa materiam versatur, quemadmodum dictum est, o Athenagora! a Deo procreatum.* Vitiosam esse hanc lectionem primus aduertit Leopardus a Colomesio citatus, cuius Emendationes tomo tertio Thesauri Critici a Iano Grutero editi reperiuntur. Ita igitur sentit pag. 381: *Omnino autem legendum est* τῷ Ἀθηναγόρᾳ, *id est, vt ab Athenagora dictum est: ne autem quis adhuc dubitet de lectionis veritate, & vt ex vtriusque loci collatione sententia manifestior fiat, non pigebit ipsius Athenagoræ ex oratione pro Christianis verba subiicere.* ἐναντίον, *inquit*, τὸ περὶ τὴν ὕλην ἔχον πνεῦμα, γενόμενον ὑπὸ τοῦ Θεοῦ. Reliqua apud Leopardum quære, cui subscribunt Dionysius Petauius tum in Animaduersionibus ad Epiphanium pag. 260. 261. tum in Præfatione in Tomum II. Dogmatum Theolog. cap. III. num. III. & Stephanus le Moyne To. II. Variorum Sacrorum pag. 165. 166. qui Halloixium consentire obseruat. Optime autem hanc sententiam confirmat Photius Codice CCXXXIV. pag. 908. quo eundem Methodii librum de resurrectione Origeni oppositum recensuit, locumque ab Epiphanio adductum ita exhibuit: Ὅν φησιν ὁ διάβολος εἶναι πνεῦμα περὶ τὴν ὕλην γενόμενον ὑπὸ τοῦ θεοῦ, καθάπερ καὶ Ἀθηναγόρᾳ ἐλέχθη. *Diabolus, inquit, est Spiritus, circa materiam, a Deo factus, vt & Athenagoræ placuit.* Hinc etiam constare videtur, Photio non ignotum fuisse Athenagoræ Apologeticum, nec vllius propterea momenti esse rationem, quam ex silentio Photii in Bibliotheca istud opus seorsim non recensentis cudunt nonnulli, quum tamen is plures omnino libros legerit, vt alibi diximus, & ex cæteris eius scriptis palam est, quorum quidem plurima ἀνέκδοτα adhuc esse Colomesius docuit in peculiari de Photio Dissertatione, quam Paralipomenis ad Cauium subiunxit. De cætero non definio, an Methodius & Athenagoras verbis istis Diabolo corpus adscribant aut denegent, quam in rem prolixe ex Patrum scriptis disputat Petauius tomo III. Theologicorum Dogmatum, Lib. I. de Angelis cap. II. III. & IV. hunc tamen Athenagoræ locum, quod miror, profundo silentio premens. Sententiam Baronii de Athenagora pro Athenogene posito, parum abest, quin sequatur Aubertus Miræus in Auctario Bibliothecæ Ecclesiasticæ cap. XIV. pag. 130. Modeste autem adiicit Baronius: *quod tamen affirmare non auderem*, quibus subdit Ioan. Bollandus To. II. Ianuarii pag. 189. *multo nos etiam minus; præsertim cum Proclus Philosophus a S. Epiphanio hæresi 64. num. 21.*

relatus, Athenagoræ nomine eum Commentarium citet, vt eum locum restituunt Halloix in vita S. Iustini cap. 26. Petauius, Leopardus &c. Adde, quod Codices MSSti constanter Athenagoræ nomen præferunt. De Athenogene multa, sed pauca indubia obseruauit Bollandus: & de hymno vespertino veterum Christianorum, quem Athenogeni multi tribuunt, dixi in Dissertatione de Hymno: *Te Deum laudamus* num. IIX.

XXXII. Nec prætereunda mihi est coniectura Ioan. Felli, quasi Hieronymus Apologiam Athenagoræ in animo habuerit, dum Catalogum scriberet, quam in præfatione editionis Athenagoræ Oxoniensis proposuit, indeque Rechenbergius excerpsit: *At quanquam nomen eius suppresserit Hieronymus, Apologiæ tamen, quam scripserat, meminisse non temere creditur. De Iustino enim verba faciens, postquam dixisset,* „ eum habitu philosophorum incedentem de Neapoli vrbe Palæstinæ, patre Prisco Bacchio, pro religione Christi „ plurimum laborauisse, in tantum, vt Antonino quoque Pio & filiis eius & Se„ natui, librum contra gentes scriptum daret, ignominiamque crucis non eru„ besceret; „ *pro eo, quod dixerat Eusebius,* βιβλίον ἀναδὺς τοῖς δεδηλωμένοις ἄρχουσι, *is, de quo loquimur, Hieronymus, interpolatis vocibus, imo in contrari„ um mutatis ait,* „ eum & alium librum successoribus eiusdem Antonini, M. „ Antonino Vero & Lucio Aurelio Commodo porrexisse: „ *quæ certe de nostro scripto recte dici potuerint, minime vero de aliquo a Iustino exarato. Satis enim constat Principes istos post Martyrium Iustini imperio potitos.* Sed vereor vt cuiquam hanc suam opinionem persuaserit doctrinæ cæteroquin stupendæ Antistes. Eusebius enim verbis illis, τοῖς δεδηλωμένοις ἄρχουσι, *Imperatoribus superius memoratis*, quæ lib. IV. initio capitis XVI. reperiuntur, non alios intellexit, quam Hieronymus, Marcum nimirum Aurelium, Antonini Pii filium, eiusque fratrem, Lucium Verum, quorum nomina in fine capitis decimi quarti memorauerat, eoque indubie citato loco respicit. Non Eusebium igitur interpolauit, multo minus in contrarium mutauit Hieronymus, quod ipsi tribuit Fellus, sed seriem orationis ab eo adhibitam recte obseruauit. Neque falsi sunt Eusebius & Hieronymus, quando Iustinum sub illis demum Imperatoribus martyrio coronatum volunt, vt supra docuimus. Præterea aut Fellum præiuerunt, aut sequuti sunt viri docti, qui infirmo isto tibicine suffulti Athenagoræ Apologiam Iustino tribuerunt, reprehensi merito a Stephano le Moyne, Notis in Polycarpi Epistolam, To. II. Variorum Sacrorum pag. 171. 172. *Licet vero hanc Apologiam Athenagoræ vindicauerimus, illamque Iustino Martyri tribuendam esse non existimemus, quasi Iustinus tertiam Apologiam condiderit, quod ex verbis Iustini, quæ alicubi in illius operibus occurrunt, male exsculpunt viri*

quidam

quidam docti, fatendum tamen est, tantam inter Iustini & Athenagoræ dogmata affinitatem inueniri, vt non mirum sit hanc Apologiam ipsi Iustino tributam, cum vbique Iustini genium & doctrinam spiret & repræsentet. Sed præcipue eadem fouet Iustinus quæ Athenagoras de Diuinitate Christi. Quantacunque autem sit dogmatum conuenientia, quæ inter omnes illius ætatis scriptores orthodoxos deprehenditur, & hoc loco tantum aptioris connexionis caussa a Moynio adhibita videtur; certe rationes temporum negligunt, qui Apologiam hanc Iustino vindicare audent, dudum in cœlis recepto, quando illa oblata est, vt characteres chronologicos attendenti palam est, ad quos expendendos progressum nunc facimus.

XXXIII. Equidem non diffiteor, multis difficultatibus viros doctos cruciati in determinando tempore Apologiæ. Caspar Heunischius in libello de ætatibus Patrum pag. 44. prolixe contendit, *Marco Aurelio, & Lucio Vero, Fratri eius, oblatam esse*, & pag. 50. *dicit, Athenagoram intra primum & quintum istorum Imperatorum annum hoc scriptum edidisse, hoc est, intra annum Christi CLXI. & CLXV. quo postremo anno ponit Caluisius, sed absque vllo certo indicio aut testimonio;* notat etiam *turpem metachronismum Baronii, An. Christi CLXXIX. affigentis, cui debuisset vel Armeniacorum adiecta appellatio, alias cogitationes suppeditare.* Amplius progreditur Phil. Labbeus To. I. Dissertat. pag. 122. & legationem inter annum 165. Peregrini morte notabilem & an. 170. Lucii Veri Imperatoris vltimum ab Athenagora susceptam vult: cuius verba exscripsit Oudinus pag. 12. quæ antea adduximus. Sed annum tamen certum adsignare non dubitat Antonius Pagi in Dissertatione Hypatica Part. II. cap. III. num. 10. pag. 116. *Athenagoras Atheniensis Philosophus Christianus legationem pro Religione suscepit, Apologiamque pro Christianis ad Imperatorem Marcum Aurelium Antoninum, eiusque fratrem adoptiuum Imperiique consortem Lucium; non, vt plerique sentiunt, filium eius Commodum, reddidit. Quare ea Apologia ante finem anni 169. quo Lucius decessit, & post annum 165. quo Peregrinus Philosophus in ardentem pyram se dedit præcipitem in Ludis Olympicis, scripta ideoque anno 166. quo vterque Imperator Augustei Imperii Quinquennalia edidit, ac de Parthis triumphauit. Qua de causa ipso pene eius exordio ait Athenagoras, tunc vniuersum terrarum orbem in altissima pace fuisse. Ex quibus patet, eam legationem perperam a Baronio in annum 179. & a Petauio in annum 177. coniectam fuisse.* Quod amplius confirmare nititur Pagius P. III. cap. XII. pag. 216. vbi ad an. 166. scribit: *Ante obitum Lucii eam Apologiam oblatam fuisse titulus eius clare demonstrat. Neque enim Commodus dictus est Philosophus, vel Armeniacus, sicuti Lucius Verus, qui in titulo Apologiæ sancti Iustini, quæ secunda appellatur in editionibus vulgatis, dicitur* doctri-

 næ

næ amator, *vt videre eſt apud Euſebium lib. 4. cap. 2. Lucium vero vocatum fuiſſe Aurelium Commodum, patet ex multis Inſcriptionibus, &c.* Attamen eandem Apologiam *an. 168. Imperatori oblatam fuiſſe contendit Cl. Dodvvellus Diſſertatione Cyprianica XI. §. 37. 38.* quod diſco ex Cauio pag. 13. ſed Dodvvelli ſcriptum non poſſideo. Vt vero defectum hunc quomodocunque reſarciam, Moynii verba recitabo ex Prolegomenis Tomi 1. Variorum Sacrorum: *De illo* (Peregrino) *ſic Athenagoras exagitans falſorum Numinum, ac imaginum oracula.* Ἀνδριὰς τοῦ Πρωτέως (*id eſt Peregrini, qui etiam Proteus dicebatur*) τοῦτον δὲ οὐκ ἀγνοεῖτε ῥίψαντα ἑαυτὸν εἰς τὸ πῦρ περὶ τὴν Ὀλυμπίαν, ὃ νῦν καὶ αὐτὸς λέγεται χρηματίζειν. *Statua Protei* (*quem noſtis, Imperatores, ſeipſum in ignem præcipitem dediſſe in Ludis Olympicis*) *dicitur etiam Oracula fundere. Alloquitur Athenagoras M. Aurelium ac Lucium Commodum Triennio vero ante obitum Lucii Aur. qui annos tantum imperauit IX. cum M. Aurelio, inſignem ſe coniecerat monſtrum animal gloriæ Peregrinus, Circa ann. 7. M. A. & L. V. Vnde colligi poteſt, Athenagoram circa vltima Lucii fata, illi ac M. Aurelio Apologeticum ſuum pro Chriſtianis obtuliſſe, ac intra vnius ac eiuſdem Olympiadis curriculum, exaratum Apologeticum Athenagoræ, extinctum Luc. Imperatorem, ac Peregrinum, corpus ſuum Pyræ, ac animam flammis æternis, vorandâ tradidiſſe. Nam triennio ante mortem Lucii Imperatoris perit ac extinguitur Peregrinus, ac tamen ad M. Aurel. & eundem Lucium adhuc ſuperſtitem ſcribit, ac mentionem Peregrini ac illius Viuicomburii, ingerit Athenagoras.* Atenimuero meliora edoctus Moynius To. II. Variorum Sacrorum pag. 169. 170. tribus argumentis ex ipſa Apologia depromtis oſtendit, *Athenagoræ Apologiam non fuiſſe nuncupatam Imperatoribus fratribus, Marco Aurelio Antonino, & Lucio Vero fratri ad Imperium vna regendum vocato; ſed M. Antonino Aurelio, & Ælio Aurelio Commodo, Antonini filio, & in ſocietatem imperii a Patre adoptato.* Primam rationem deſumit ex his Apologiæ verbis, quibus Imperatores non vt fratres, ſed vt Patrem & filium alloquitur Athenagoras: ὡς γὰρ ὑμῖν πατρὶ καὶ υἱῷ πάντα κεχείρωται ἄνωθεν τὴν βασιλείαν εἰληφόσι. *Quemadmodum enim vobis* (*imperatores*) *patri & filio, in poteſtate ſunt omnia, imperio in vos diuinitus collato* (*Regis enim anima eſt in manu Dei, inquit Spiritus propheticus*) *ſic vni Deo, & Filio eius, hoc eſt, Verbo intellecto, & inſeparabili a Patre, omnia ſunt ſubiecta.* Alteram exinde, quia *Imperatoribus oblata fuit Apologia, cum vbique per totum Romanum imperium pax profundiſſimas egiſſet radices, quod de temporibus Lucii Aurelii Veri, Marci Aurelii fratris, nullo modo dici poteſt, cum variis bellis arderet imperium Romanum, & Oriens, Medi & Armeni, Lucii Aurelii arma & fortitudinem exercerent & occuparent.* Ait enim Athenagoras: καὶ ἡ σύμπασα οἰκουμένη, τῇ ὑμετέρᾳ συνέσει βαθείας εἰρήνης ἀπολαύουσι. *vniuerſus hic terrarum orbis veſtræ prudentiæ beneficio altiſſima*

pace

pace perfruitur. Tertiam denique ex ipſa Apologiæ dedicatione eruit, quæ ſic habet: Αὐτοκράτορσιν, Μάρκῳ Αὐρηλίῳ Ἀντωνίνῳ, καὶ Λουκίῳ Αὐρηλίῳ Κομμόδῳ, Ἀρμενιακοῖς, Σαρματικοῖς, τὸ δὲ μέγιστον, Φιλοσόφοις. *Imperatoribus Marco Aurelio Antonino & L. Aurelio Commodo, Armeniacis, Sarmaticis, & quod maximum eſt, Philoſophis.* Quibus ſubiicit Moynius: *Iam vero Sarmatici denominatio non conuenit Lucii Veri temporibus, ſed poſt illius fata, Sarmatæ, Gens ferociſsima, ſub iugum miſſa fuerat ab Imperatoribus M. Aurelio, & Aurelio Commodo, vnde factum, quod ab Athenagora titulus Sarmatici Imperatoribus tribuitur.* Triplex hic funis ex ipſa Apologia nexus adeo validus eſt, vt inuitum etiã rapere poſſit ad amplectendam poſteriorem Moynii ſententiam, qua non Lucio Vero, ſed Commodo, Antonini filio, & Marco patri Apolegeticus Athenagoræ liber dedicatus dicitur. Nec tanti ſunt momenti Pagii rationes, quas in contrarium attulit, facileq; ex iis refelli poſſunt, quæ Moynius p. 170. & 171. & Rechenbergius noſter notatione 2. comentantur, quorum verba longiora non deſcribemus, ſed editiones potius Apologiæ ac alterius libelli eiusdẽ Athenagoræ de reſurrectione Mortuorum breuiter recenſebimus. Primo omnium edita ſunt cum verſione & notis Conradi Geſneri Lutetiæ Pariſiorũ a. 1541. deinde ab Henrico Stephano a. 1557. porro cum noua Suffridi Petri verſione & commentario Coloniæ a. 1567. tum Iuſtino Martyri adiuncta in vtraq; editione Pariſienſi, & in Orthodoxographis ac Micropresbytico exhibita, Latine etiam Bibliothecis Patrum innexa, prætereaGræce & Latine a Frontone Ducæo cum notis peculiaribus Auctario Bibliothecæ Patrũ inſerta Pariſiis a. 1624. Miratur Labbeus, cur in Bibliotheca Patrum Morelliana, quam alias *maximam* vocare ſolet, ea non compareant, cauſſamq; ſe ignorare ait, niſi quod ſeparatim excuſa ſæpius fuerint: at quantuscunq; is fuerit defectus, in nouiſsima tamen Bibliothecæ Patrum editione Lugduni excuſa, quæ Pariſienſi maior ampliorq; eſt, illum ſuppleuit, atq; in ſecundo tomo locum Apologiæ Athenagoræ debitũ adſignauit Philippus Deſpont, Presbyter & Doctor Theologus Pariſienſis, quem iſti Bibliothecæ adornandæ præfuiſſe Oudinus docuit p. 270. & 369. Nouiſsimi autem anni duas vtriusque ſcripti editiones nobis protulerunt: alteram in Anglia Oxonii, an. CIϽ IϽCXXCII. cum notis & præfatione Ioannis Felli; alteram in Germania Lipſiæ accurante Adamo Rechenbergio, qui Apologiam an. CIϽ IϽC LXXXIV. librum vero de Reſurrectione an. CIϽ IϽC LXXXV. excudi curauit, vtrobiq; præfatione & Notis adiectis. Cæterum de Geſneri verſione ita iudicat Daniel Chamier To. III. Panſtratiæ Catholicæ pag. 98. *Geſnerus vertit liberius, ſed tamen expreſſo ſenſu:* Sandius autem in Tractatu de Script. Eccleſ. pag. 23. acrius cenſet: *Interpres Athenagoræ Geſnerus infideliter eum transtulit de Græco.* Optime Rechenbergius ſentit: *Suffridus Petri, qui codicem a mendis purgatiorem habuit, videtur loca quædam obſcura magis perſpicue ac melius expresſiſſe, quam Geſnerus vir cæteroqui doctiſsimus ac de bonis litteris præclariſsime meritus. Id quod*

ex collatione vtriusque exemplaris & interpretationis lectori patere potest. Hanc autem collationem facillime instituent, qui cum editione Athenagoræ Lipsiensi, nouam Iustini Martyris Wittenbergensem, quam nunc recensemus, diligenter contendent, siquidem in hac Gesneriana versio occurrit. Manuscriptos denique vtriusque libri Codices, qui in splendidis Bibliothecis passim suppetunt, post editores, Gesnerum in primis ac Stephanum, Spizelius, Sandius & Oudinus recensent.

XXXIV. Operæ pretium est, vt adiiciamus nonnulla de alio quodam scripto, fabula nempe Romanensi, quæ sub Athenagoræ nomine circumfertur. Ea *de vero & perfecto amore* inscribitur, & singulari prolixaque opera a Petro Daniele Huetio in præclaro de fabulis Romanensibus libello pag. 42. vsque ad 59. editionis Latinæ, expenditur. Neminem vidi, qui vel diligentius vel accuratius librum istum legerit, aut excusserit: quare non ægre ferent Lectores, quod iucunditate Huetiani discursus captus in pauca eundem contraham. Refert Huetius, Gallice tantum editam esse fabulam ex interpretatione Fumæi, qui ex Græco se dicat transtulisse; sed postea nullibi Græcum aliquod exemplar visum esse. Fumæum existimare, id opus esse Athenagoræ, qui Apologiam scripserit; neque id sine ratione, quia & in fabula Christianorum dogmatum & disputationum Athenagoræ magna occurrat similitudo. Verum in eiusdem præfatione locum de grauissimo vulnere, quod in totius Græciæ vastitate, Athenis inflictum sit, reperiri, qui Auctorem referat tempore irruptionis Alarici Gothorum regis viuentem, tum cum Arcadius & Honorius rerum potirentur. Subiicit autem Huetius pag. 45. *non satis constare, vtrum vixerit vnquam, & vtrum opus ipsius nomine inscriptum, non sit suppostitium.* Hinc in vtramque partem disputat, sed fatetur tandem, post opus iterum & longe maiori quam ante attentione perlectum, persuasissimum se habere, falsum hunc esse & suppositium fœtum, ad mores & instituta temporum horum vltimorum, præsertim Monachorum & Brigittæ, effictum, & ad imitationem Vitruuii & Heliodori compositum: denique coniectat, Cardinalis Arminiaci comites Fumæo homini simplici hos casses prætendisse, & præcipue Philandrum, Vitruuii Commentatorem, huius fraudis architectum suspicatur pag. 57. *Quid quod architectura falsi illius Athenagoræ ad architecturam Vitruuii quadrat aptissime? Annon igitur quis merito possit suspicari Philandrum, quo suas opiniones aliqua antiquitatis auctoritate fulciret, docti huiusce doli fuisse machinatorem? Cito patuisset dolus, si ex Philandri manibus, vel ex Cardinalis ipsius palatio tractatus de Architectura palam & aperte prodiisset. Quas suspicionis vmbras vt a se procul amoueret, Lectoresque velut in alias terras longe deduceret, amatorium opus scripsit, & in eo velut obiter artis suæ præcepta inseruit, dissimulatoque*

suo

suo nomine Protonotarium Lamanaum, qui opus produceret, & Fumaum, qui Gallice verteret, solerter adhibuit. Rechenbergius noster, cum Huetii rationes animo versaret, in præfatione ad Athenagoræ librum de resurrectione censere non dubitat, *Huetium scriptum hoc Athenagora recte abiudicare.* Colomesius autem in Paralipomenis ad Chartophylacem pag. 2. 3. consensum suspendit: *An Amatoria Gallice versa ac edita sub nomine Athenagora, huius nostri sint plane nescio. Huic abiudicat clarissimus Huetius. Ego ampliandum censeo.* At quam vellem, vt doctissimus Colomesius exposuisset ampliationis suæ caussas! Mihi nondum visum est Athenagoræ scriptum, quare nihil habeo, quod addam, præter Samuelis Bocharti auctoritatem, qui P. II. Geographiæ Sacræ Lib. I. cap. XXXI. quintum ἐρωτικῶν Athenagoræ librum allegans, hoc, nisi fallor, opus intelligit, nec quidquam addit, vnde colligi possit, de νοθείᾳ illud suspectum ei fuisse. Nulla autem Huetii ratio magis stringit, quam quæ pag. 44. characterem temporis euoluit, & verba præfationis de Græciæ Athenarumque clade perpendit. Nam nostri Athenagoræ ætate in florenti adhuc statu Athenienses versatos ex Apologia mihi videor colligere. Fortasse media sententia præualet, vt Athenagoras ἐρωτικῶν auctor Arcadio & Honorio imperantibus vixerit, animique mœrorem ex calamitate patriæ tum illata acceptum leniturus amatorium opus composuerit; vbi si quæ admiscet falsa, vel meliora ignorauit, vel ad minimum in fabula Romanensi omnia veritati Historicæ applicanda & ad viuum resecanda non esse statuit.

XXXV. Venio nunc ad THEOPHILVM ANTIOCHENVM, de quo Guilielmi Caue Chartophylax hæc profert pag. 12. *Theophilus, ex Gentili Christianus, Episcopus Antiochenus claruit circa an. 168. obiit an. circiter 181.* Etenim ratio eos maxime fugit, qui hunc putant esse Theophilum, cui Euangelium Actusque Apostolicos Lucas inscripsit, præeuntibus Guilielmo Tyrio lib. IV. Historiæ Belli Sacri cap. IX. Nicephoro Callisti lib. III. Histor. Eccles. cap. XXV. & lib. IV. cap. IX. ac Flauio Blondo Decade XI. Lib. III. Non opus esse puto, prolixiori cura fabulam rancidam repellere, quæ seipsam satis prodit, dum Theophilum nobis centum quinquaginta & plurium annorum senem fingit: planeque mirum est, Christophorum Sandium in Nucleo pag. 90. eam incrustare voluisse; melius longe agunt, qui cum Ioanne Maria Brasichellensi in Indice expurgatorio Rom. & Labbeo pag. 412. ex temporum ratione eandem refellunt. Nec otium nobis voluptasque est, de isto Theophilo, quem Lucas laudat, inquisitionem instituere, sed duo tantum loca ex Scriptoribus non satis obuiis depromam. Alter est Lexicographus Syrus hactenus ineditus, qui certe fabulæ illi maxime patrocinari debuisset, quum Theophilus noster fuerit in Syria Episcopus: sed ex ipso discimus, nullam huius figmenti apud Syros exstare memoriam. Verba eius

eius Edmundus Castellus in Lexico Heptaglotto pag. 3859. transtulit: *Theophilus, primus credentium, & celeberrimus apud Alexandrienses; qui cum aliis Ægyptiis S. Lucam rogabat, vt eis Euangelium scriberet.* Nomen scriptoris initialibus tantum litteris, vt plerunque, expresſit Castellus, *B. B.* id est, *Bar Bahluli*, de quo idem in præfatione Lexici sui: *Dictionarium Syriacum Bar Bahluli, ingens volumen in folio, in hoc opus transuectum &c.* Quo spectat capitulum CLXXXVI. Catalogi Ebediesu, ex versione Latina Abrahami Ecchellensis: *Bar Bahlul composuit Lexicon, ex multis congestum libris, & ex Iesu Barali medico, Maruazita, & Gabriele*, quæ illustrat Hottingerus in Bibliotheca Orientali pag. 294. & in Bibliothecario Quadripartito pag. 230. Vixit autem Bar Bahluli in monasterio quodam, quod Castellus pag. 3312. vocat ܟܘܐ ܚܣܝܐ *Chusica, cœnobium celebre Hierosolyma inter & Hiericontem, vbi scriptum fuit Lexicon Syr. a Bar Bahlul.* Codicem MS. Cantabrigiæ exstare ait Hottingerus, vnde etiam plus semel allegatur ab Abrahamo Wheloco Notis in Euangelia Persica, qui Bibliothecarius illius Academiæ publicus fuit, Lexiconque Bar Bahluli monstrauit Christophoro Arnoldo, cui in Epistolis Richterianis pag. 485. clariorem operis delineationem debemus. Ita enim scribit in litteris ad Georgium Richterum: *In Bibliotheca publica ipsius Academiæ, velut inter ignes Luna minores, Lexicon emicat Syro-Arabicum MS. Bar Bahlull: Omnia in hoc Opere Syriaco charactere descripta sunt: nisi quod minoribus Arabica, maioribus vero Syriaca.* Hæc de ipso Scriptore vulgo ignoto prælibare volui, quod infra in Tatiano idem erit allegandus. Quæ vero de Theophilo habet, opinionem Syrorum in calce versionis suæ propositam sapiunt, quasi Lucas Euangelium scripserit *in Alexandria magna*, quam & versio Persica, Arabicaque sequuntur, & Græci etiam Codices nonnulli præferunt, Samuele Petito & Ezechiele Spanhemio *Troadem* intelligentibus, quorum sententia cum Bar Bahlull haud congruit, qui diserte Ægyptios nominat. Sed de his alii videant, nos alterum, de quo diximus, testimonium adferemus ex Alexandri Mori Notis ad Lucam cap. 1. v. 1. pag. 331. *At quis hic Theophilus? Nemo veterum, nemo recentiorum docet. Liceat suspicari fuisse illum, quem Areo iudicio falsi damnatum Athenienses concedere noluerunt precibus Pisonis, si tempora conuenirent. Apud Tacitum Annal. 2. 55. Nec enim iis accedo, qui cum Epiphanio sentiunt Theophilum esse Dei amantem, quemuis Christianum: parum quippe sequentia cohærent.* Tacitus Cneium Pisonem ait Atheniensium *vrbi propria quoque ira offensum* fuisse; *quia Theophilum quendam Areo iudicio falsi damnatum, precibus suis non concederent.* Morum autem huius coniecturæ pudere non debet, si temporis characterem respicias: nam Pisonis cum Atheniensibus certamina circa annum Tiberii

berii vigesimum, qui coincidit cum vulgaris post Christum natum æræ anno 34. contigerunt; Lucas vero Euangelium suum scripsit anno xv. post adscensionem Domini, si calculos sequamur Veterum, quos præstantiores MSti Codices Græci ad finem Euangelii exhibent. Quare nihil impedit, si in Consulatum duorum Geminorum & Æ.V. an. 29. passio adsumtioque Christi referatur, vt ille Theophilus, cuius tutelam aduersus Athenienses Piso suscepit, decennio post superstes adhuc fuerit, siquidem ex ista computatione A. Æ. V. 44. Lucas Euangelium scripsisset. Sed quod maxime obstat opinioni a Moro propositæ, Christianismus Theophili est, cui captiuum illum Atheniensem deditum fuisse Moro nude adserenti vix alii fidem adhibebunt.

XXXVI. Verum nos ad Theophilum Antiochenum post longa diuerticula redeamus, qui libro primo aduersus Autolycum non se ab Apostolis oretenus, sed lectione diuinarum litterarum conuersum scribit, pag. 78. καὶ γὰρ ἐγὼ ἠπίστουν τοῦτο ἔσεσθαι, ἀλλὰ νῦν κατανοήσας αὐτὰ πιστεύω, ἅμα καὶ ἐπιτυχὼν ἱεραῖς γραφαῖς τῶν ἁγίων προφητῶν. Interpres Latinus paullo liberius παραφράζει. *Et ego quidem quondam parum credidi resurrectionem futuram: vt ea cum animo diligenter voluens reuoluensque, quæ modo diximus, nihil hæsitans libenter iis fidem accommodo. Fidem meam plurimum adiutarunt literæ sacræ, quas legi, inprimis tamen prophetarum oracula, quæ Spiritu Sancto afflati prædixere, plurimum mihi contulere.* Præterea lib. III. pag. 137. 138. septies significat, se post Marci Aurelii Veri mortem scribere, qui cum an. 180. diem supremum obierit, facile patet, absurdissimos esse, quicunque Theophilum nostrum ad Euangelistarum tempora referunt. Certe illius Imperatoris tempore Theophilum Antiochenam Cathedram occupasse Sixtus etiam Senensis obseruauit lib. IV. Bibliothecæ pag. 308. *sub Imperatore Marco Antonino Vero an. 173. ad episcopatum fuit assumtus:* quod ex Chronico Eusebii hausit Sixtus, & ex Latina quidem versione; aut si eruditis credimus, ex interpolatoribus potius, qui Annos Christi numeris Eusebianis adscripserunt. Hos itaque, non Eusebium, perstringere debuisset Sandius in Nucleo pag. 91. *De tempore monendum, quod Eusebius in Chron. scribit Theophilum fuisse Episcopum ab an. 171. vsque 179. cum tamen ipse Theophilus lib. 3. ad Autolycum profiteatur se scribere sub Commodi imperio, i. e. post annum 182. vel iuxta proprium Theophili calculum post annos a natiuitate Christi 192. menses 4.* Quare melius forte calculos ponit Historicus Arabs; Said Ibn Patrik, quando ait To. I. Annal. p. 359. Theophilum *creatum esse Patriarcham Antiochenum an. 16. Antonini*, qui cum æræ vulgaris an. 177. coincidit. Caue enim alium intelligas Antoninum, quam Marcum Aurelium Verum, cui hæc nomina in antiquis Inscriptionibus & ab Eusebio tribuuntur Lib. IV. Historiæ Eccles. c. XIV. Ἀντωνίνου μὲν δὴ τὸν εὐ-

σεβῆ κληθέντα, εἰκοστὸν καὶ δεύτερον ἔτος τῆς ἀρχῆς διανύσαντα, Μάρκος Αὐρήλιος Οὐῆρος ὁ καὶ Ἀντωνῖνος υἱὸς αὐτοῦ σὺν καὶ Λουκίῳ ἀδελφῷ διαδέχεται. *Interim Antonino cognomento Pio post secundum ac vicesimum Imperii annum mortuo, M. Aurelius Verus qui etiam Antoninus dictus est, eius filius cum Lucio fratre succesfit.* Pergit sequentibus capitibus Eusebius, & quæ sub Aurelio Vero contigerunt, enarrat, Polycarpi scilicet & Iustini martyrium, tum Romanæ Ecclesiæ Episcopos enarrat, iisque continuo subiungit Antiochenos Antistites cap. xx. Τηνικαῦτα καὶ ἐπὶ τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας Θεόφιλος ἕκτος ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων ἐγνωρίζετο. *Antiochenæ vero ecclesiæ episcopatum sextus ab Apostolis Theophilus gubernabat.* Videtur itaque paullo liberius famæ claritatisque Theophili annos computare Cauius, antequam is ad Episcopatum peruenisset: cui multo minus adsentiri possum de anno mortis Theophili. Diximus enim supra, Theophilum scripsisse post obitum Marci Aurelii Imperatoris, quam nouissime Antonius Pagi Dissertat. Hypat. P. II. cap. XII. ad an. 180. refert: *Marcio Aurelio die decima septima Martii, vt ex Dione & Tertulliano constat, demortuo, Commodus solus imperat.* Decessit autem non Sirmii, sed Vindobonæ, vt contendit Lambecius lib. II. Commentariorum de Biblioth. Vindobon. pag. 43. Porro vix putarim, eodem Imperatoris anno emortuali ad Autolycum scripsisse Theophilum, quam alios duos scriptores, quorum vterque post mortem quoque Aurelii libros ediderat, ad partes vocet, his verbis: Εἰ γάρ τις βούλεται μαθεῖν, ἐκ τῶν ἀναγραφῶν ἐνρήσει, ὧν ἀνέγραψε Χρύσερος, ὃν ὁ μὲν Κράτωρ, ἀπελεύθερος γνώριμος. Μαυρηλίου Οὐήρου. ὃς ἀπὸ κτίσεως Ῥώμης, μέχρις τελευτῆς τοῦ ἰδίου πατρῶνος αὐτοκράτορος Οὐήρου. σαφῶς πάντα ἀνέγραψε, καὶ τὰ ὀνόματα, καὶ τοὺς χρόνους. Latinus Interpres transtulit: *Si quis horum nomina scire auet, legat Chrysorum & Cratorem liberum* (libertum) *M. Aurelii Veri. Crator a condita vrbe vsque ad obitum patroni sui Veri manifeste & exacte annotauit cum nomina, tum tempora.* Vtriusque scriptoris meminit quoque Ger. Io. Vossius in Opere de Historicis Græcis: prioris quidem, quem secundum Græcum textum *Chrysirum* vocat, lib. III. pag. 342. posterioris autem, Cratoris, lib. II. cap. XIV. pag. 231. vbi recte monet, *perperam* in editis Theophili libris *scriptum* esse Μαυρηλίου *pro* M. Αὐρηλίου, *M. Aurelii*, eamque emendationem repetit lib. III. pag. 481. Non alium tamen auctorem proferre potuit summus Polyhistor, qui præter Theophilum vtriusque scriptoris mentionem fecerit. Et quoniam libri eorum hodie desiderantur, quo tempore annoue præcise eos ediderint, dicere non possumus. Si tamen coniecturæ locus est, suspicarer, vel anno emortuali Aurelii, vel sequenti prodiisse, quum pluribus exemplis ostenderit Pagius, viros doctos festa quinquennalia & Decennalia Imperatorum in publicandis ingenii monumentis præcipue obseruasse:

uasse: at Commodus anno 180. Quindecennalia imperii Cæsarei, & sequenti quinquennalia Imperii Proconsularis celebrauit; quorum alterutro Cratorem librum suum Commodo obtulisse, si cogitemus, nihil absurdi erit, vt gratiam, quam apud Parentem eius expertus fuerat, a filio quoque lucraretur. Quo posito, ante annum 181. vel sequentem aduersus Autolycum scribere non potuit, Theophilus, tantum abest, vt circa an. 181. diem obierit supremum. Vtcunque autem ea res se habeat, non alium, quam Marcum Aurelium Imperatorem intellexisse Theophilum, ad cuius obitum vsque computare solet, manifeste patet ex annis imperii, quos ipsi tribuit: ὅτι ἐβασίλευσεν repetendum ex superioribus) ἔτη ιθ'. ἡμέρας ι. *Verus imperauit annis 19. diebus 10.* Quod exactissime verum est. Mortuo enim Antonino Pio die 7. Martii an. 161. successit Marcus, quem deinde an. 180. die 17. Martii obiisse supra docuimus. Quid igitur faciemus cum Labbeo, qui in Abaco Patrologico scribit: *S. Theophilus, Antiochiæ Episcopus, obiisse dicitur 13. Octobris an. 180. Verum Eusebius in Chronico eius initia collocat anno Christi 168. & successoris eius Maximi anno 177. Heroti vero eius decessori annos 24. adsignat ab an. 143. ad 168.* De Eusebii Chronico antea diximus: & quamuis anni Christi a recentioribus demum additi sint, ipse tamen Eusebius cum interprete suo Hieronymo excusari non potest, qui initia pariter & finem Episcopatus Theophili sub imperio Marci Aurelii concludit, sanctumque Antistitem integro anno ante Aurelium decessisse autumat, quo satis prodit, negligenter admodum libros Theophili se legisse, ex quibus aliter longe statuendum esse euicimus. Quanquam numerum annorum recte videtur expressisse Eusebius, & quando nouennium Theophilo tribuit, ansam nobis suppeditat adserendi, eum an. 177. cœpisse & an. 185. desiisse Ecclesiam Antiochenam gubernare. Nisi quis malit Patricidem etiam in adsignandis Episcopatus annis sequi, qui XXI. tribuit Theophilo: qua ratione annus demum 198. ipsi vltimus fuisset. De die autem obitus nemini litem mouebimus, sed diem 13. Octobris, quem Labbeus forsan in tabulis Ecclesiasticis reperit, libenter retinebimus. Ex his omnibus facile colligitur, quid recte aut secus dixerit Bellarminus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis: *Sanctus Theophilus Episcopus Antiochenus, sextus ab Apostolo Petro, vixit tempore M. Aurelii Imp. & sub Commodo eius filio obiit, teste Eusebio in Chronico.* Falsum enim est, quod de Eusebio ait, qui sane Theophili mortem & Maximini successionem eo anno consignauit, qui mortem Marci Aurelii antecessit, vt nuperrime vidimus.

XXXVII. Eusebius lib. IV. Histor. cap. XXIV. plura Opera Theophilum scripsisse commemorat, eorumque tria nominetenus laudat, aduersus Marcionem, Hermogenem & Autolycum scripta: quorum vltimum hodie tantum superest, & non Iustini Martyris tantum scriptis adnexum, ac Bibliothecis Pa-

trum Latine insertum, denique a Frontone Ducæo in Auctario Bibliothecæ Patrum tomo primo Græce & Latine editum legitur: sed pridem interprete Conrado Clausero Tigurino, vtroque idiomate prodierat Tiguri an. 1546. in folio cum Maximi & Antonii Locis Communibus: ac nuperrime seorsim in forma duodecima Oxonii an. 1684. elegantissime denuo sub incudem reuocatum & Notis illustratum est, Græco textu ex Codice Bodleiano aliisque subsidiis emendato, Latinaque versione, vbi fontibus minus conformis esset, immutata, vt videre est in Actis Eruditorum Lipsiensibus sequentis anni 85. mense Maio, pag. 197. 198. Nullum mihi dubium est, quin isti editioni præfuerit laudatissimus Fellus, Oxoniensis Episcopus, & ex similibus Patrum editionibus, minoribus quidem sed optimis, orbi litterato satis notus. Doleo autem, ad manus nunc eam mihi non esse, qua instructus ex angustiis antea ostensis facilius forsan euasissem. Si tamen liceat carpere Veteris istius sandalium, putassem, titulum, Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Θεοφίλου Ἀντιοχέων Ἐπισκόπου πρὸς Αὐτόλυκον Βιβλία γ'. optime suppleri potuisse ex Codice Parisiensi, quem laudat Iacobus Sirmondus Notis in Rufini librum de fide pag. 87. *Theophili Antiocheni libri tres ad Autolycum, quorum vulgo nulla est inscriptio, in Codice DCCCVIII. regia Bibliotheca hanc habent*, περὶ τῆς τῶν Χριστιανῶν πίστεως. *De fide Christianorum.* Quæ ex aliis Codicibus Græcis confirmat Labbeus pag. 412. Eusebius autem vocat τρία τὰ πρὸς Αὐτόλυκον στοιχειώδη συγγράμματα, id est, interprete Valesio, *tres ad Autolycum libros, institutionem fidei continentes.* Lactantius appellat, *librum de temporibus*, verbaque nonnulla describit Lib. I. Institutionum capite vltimo: *Theophilus, in libro de temporibus ad Autolycum scripto, ait, in historia sua Thallum dicere, quod Belus, quem Babylonii & Assyrii colunt, antiquior bello Troiano fuisse inuenitur CCCXXII. annis.* Quo Lactantii loco motus Vossius, Theophilum inter Historicos Græcos refert lib. II. cap. XIV. pag. 231. *propter tertium ad Autolycum librum; qui Chronologicus est.* Verba Theophili, quæ signat Lactantius, pag. 139. editionis nostræ exstant: κατὰ γὰρ τὴν Θάλλου ἱστορίαν, ὁ Βῆλος πρεσβύτερος εὑρίσκεται τοῦ Ἰλιακοῦ πολέμου, ἔτεσι τκβ'. Præterea Hieronymus in Catalogo nuncupat *libros tres ad Autolycum Christianæ religionis elementa explicantes & quasi seminarium fidei complectentes, aduersus Christianæ religionis calumniatores.* Cum itaque tria illa scriptorum tertii & quarti sæculi, adeoque proximorum Theophilo, testimonia libris hodie editis ad amussim congruant, mirum est, reperiri tamen viros doctos, qui modernos negent Theophili esse, vt Lucas Osiander Centuria II. Historiæ Ecclesi. pag. 70. & Ioan. Seldenus Lib. III. de Iure Naturæ & Gentium Cap. XIX. pag. 416. qui postquam locum quendam ex libro secundo Theophili attulisset, hæc verba subiicit: *Certe perinsigne heic habetur de cycli dierum Septenarii apud Gen-*

Gentiles vsu aliquo, etiam vniuersos, id est, notiores seu plerosque, testimonium, idque de seculis vetustissimis. Saltem, si opus illud Theophili huius esse genuinum cum viris aliquot doctissimis admittas. Neque enim aliter loquitur, atque de re diu ante per Gentes diffusa. Et seculum eius est Iosepho omnino proximum. Atenimuero quadrat in libros Theophili Axioma Huetii primum, in Demonstratione Euangelica pag. 18. hac cautela propositum: *Hoc Axioma si quis vocauerit in controuersiam, iam certum nihil habebit in literis.* Ipsum vero est eiusmodi: *Omnis liber est genuinus, qui genuinus habitus est ab omnibus proxime & continuata serie sequentibus eum aetatibus.* Quamobrem ex recentioribus eruditis non *aliquot* tantum, vt Seldenus ait, sed plerique omnes scriptum istud, ex quo a blattis ac tineis vindicatum publice prodit, pro germano Theophili foetu agnoscunt. Ex Nostratibus quidem Centuriatores Magdeburgenses Centuria secunda pag. 169. & 269. Calouius Praefatione To. 1. Systematis pag. 9. Dannhavverus in Dramate pag. 311. 312. Varenius P. 11. Rationarii a pag. 98. vsque ad 117. accuratum horum librorum examen instituens: Theoph. Spizelius in Infelice Literato pag. 956. Caspar Barthius Lib. XIII. Aduersariorum cap. 1. pag. 710. Thomas Reinesius Lib. III. Variorum Lectionum cap. VI. pag. 444. & alii plurimi. Ex Pontificiis praeter Bellarminum eiusque commentatorem Labbeum consentiunt Aubertus Miraeus Schol. in Catalogum Hieron. cap. XXV. pag. 11. Ioan. Cabassutius in Notitia Ecclesiastica pag. 23. 24. Natalis Alexander in Synopsi Saec. 11. cap. IV. Artic. V. pag. 79. 80. vt praeteream Petauium, qui in Dogmatibus Theologicis, Huetium, qui in Demonstratione Euangelica, alios, qui passim hos libros sine vlla suppositionis nota allegant. Quibus inter Reformatos adstipulantur Scultetus in Medulla lib. IV. cap. 1. vbi a pag. 106. Analysin eorum instituit: Iosephus Scaliger Prolegom. in Chronicon Eusebianum: Vossius de Histor. Graecis lib. II. cap. XIV. Hoornbeekius de Theologia Patrum pag. 78. 79. Gordinerus aduersus Sandium P. I. pag. 44. P. II. pag. 190. 191. Et quid immoramur congerendis externis testimoniis? quum innumera sint argumenta & κριτήρια interna, quibus manifeste deprehendimus, hos libros & cum aetate Theophili conuenire, & doctissimo praesule dignissimos esse. Quae facili negotio cognoscet, quicunque vel ipsum Opus perleget, vel saltem consulet Varenii ac Sculteti recensiones. Quid enim aliud, quam Theophili aetatem sapiunt calumniae de Oedipodeis incestibus, Thyesteis epulis, ac similes, quas ipsi coaeuus Athenagoras in Apologia pariter refellit, qui dum peculiari opere mortuorum Resurrectionem defendit, simul significat, non incongrua temporibus Theophili esse, quaecunque libro primo eandem in rem disputantur: quo etiam facit, quod libro tertio pro more ecclesiae Doctorum sibi coaeuorum non Ebraicae veritatis, sed Graecae versionis ductum numerosque in ae-

tate Patriarcharum ſupputanda ſequitur. Hæ & ſimiles rationes, quæ facile congeri poſſunt, non ſolum perſuadent propenſis animis, ſed inuitos etiam cogunt, vt concedant, haud diuerſos, ſed eosdem hodie exſtare libros, quos & Theophilus ſcripſit, & legerunt Lactantius, Euſebius ac Hieronymus.

XXXIIX. Enimuero cum Commentariis Allegoricis in quatuor Euangelia, quæ in Bibliotheca Patrum ſub Theophili Antiocheni nomine exſtant, haud paullo aliter ſe res habet. Namque ea non vidit Euſebius, nec Hieronymus pro indubitatis vult agnoſcere, ſed in Catalogo ſcribit: *Legi ſub nomine eius in Euangelium & in Prouerbia Salomonis Commentarios, qui mihi cum ſuperiorum voluminum elegantia & phraſi non videntur congruere.* Quod Hieronymi iudicium ad νοθείας operis probandam certatim trahitur a Sixto Senenſi, Baronio, Perkinſio, Hülſemanno, Dannhavvero, Riueto, Hoornbeekio, Alexandro, & aliis: verum Miræus Scholiis ad Catalogum eius σοφὸν φάρμακον vult adhibere, præeunte Halloixio: *Ne iſto ſcribendi modo quis putet commentarios iſtos in Euangelia & prouerbia Theophilo abiudicari, moneo Hieronymum, in ſuo ad Matthæum proœmio, meminiſſe commentariorum huius Theophili in Matthæum: Halloſium to. 2. Scriptor. Eccleſ. Orient. ſi lubet, conſule, in vita Theophili cap. 4.* Nos Halloixii tomis in præſens deſtituti aliis ſcriptoribus adhibitis diligentius ſcrutinium inſtituemus. Ante omnia quærendum eſt, an ſcripſerit aliquid Commentariorum in Euangelia Theophilus? Iſaacus Caſaubonus adfirmat Exerc. XIII. ad Annales Baronii Diatriba II. pag. 173. Poſtquam enim vtilitatem Harmoniarum e quatuor Euangeliſtis laudaſſet, addit: *Primi omnium memorantur in hoc ſtudio poſuiſſe operam Theophilus ſextus Antiochiæ Epiſcopus, & Tatianus Iuſtini æqualis ac* γνώριμος. Et paullo poſt: *Theophili quoque diligentiam obſcurauit Ammonius Alexandrinus, auctor numeralis harmoniæ e quatuor Euangeliis concinnatæ.* At quam vellem, vt auctores nobis laudaſſet, e quibus hauſit Caſaubonus, quæ de Theophilo ſcribit. Euſebius, antiquiſſimus omnium, qui hodie exſtant, Theophili encomiaſtes, præter libros, quorum titulos exſerte nominat, alios etiam ipſum reliquiſſe teſtatur, verum non exegetici, ſed catechetici argumenti. Vocat enim καὶ ἕτερα δέ τινα κατηχητικὰ αὐτοῦ βιβλία, quod vertit Valeſius: *Exſtant & alii eiusdem libri, in quibus elementa fidei noſtræ traduntur.* Non quidem diſſimulo, Hieronymum epiſtola 151. ad Algaſiam diſerte ſcribere: *Theophilus Antiochenæ Eccleſiæ ſeptimus poſt Petrum Apoſtolum Epiſcopus quatuor Euangeliſtarum in vnum opus dicta compingens, ingenii ſui nobis monumenta reliquit.* Quem forte reſpexit Caſaubonus: ſed aliter cenſet Valeſius in Annot. Euſeb. pag. 84. *Vereor, ne memoria lapſus ſit, Theophilo tribuens, quod Tatiano competebat.* Et quan-

quanquam addit, *potuisse & Theophilum eiusmodi opus elaborare;* non sufficit tamen ad excusandum Hieronymum, quippe ante quem nemo Harmoniam Theophilo adscripsit, quam fugisse Eusebium & Victorem Capuanum, curiosos talium scrutatores, plane incredibile est; quorum ille in epistola ad Carpianum, decem Euangeliorum canonibus præfixa, hic autem in præfatione ad Harmoniam Ammonii, non nisi Tatiani & Ammonii in hoc argumento scripta laudant, nunquam omissuri Theophilum, si qua eiusmodi librum elucubrasset. Nihilominus Theophili Commentarium citat idem Hieronymus, præfatione in Matthæum, cuius sententiam ita eloquitur Ioannes Pearsonius P. I. Vindiciarum Ignatii cap. II. pag. 4. *S. Theophilus, sextus Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, post S. Ignatium quartus, scripsit in S. Matthæum Commentarios, quos se legisse testatur Hieronymus, antequam suos in eundem Euangelistam scriberet.* Addit paulo post Pearsonius Basilii pro iisdem Commentariis testimonium: *Certe hæc Hieronymus ex penu suo non sumpsit, sed a Veteri Commentatore hausit; vno scilicet ex illis quos ipse in Præfatione nominat, quem alium quam Theophilum fuisse non puto. Nam S. Basilius oratione in Natali Christi habita, eundem sine dubio Autorem respiciens ait,* Εἴρηται δὲ τῶν παλαιῶν τινι καὶ ἕτερος λόγος, ὅτι ὑπὲρ τοῦ λαθεῖν τὸν ἄρχοντα τοῦ αἰῶνος τούτου τὴν παρθενίαν τῆς Μαρίας ἡ τοῦ Ἰωσὴφ ἐπενοήθη μνηστεία. *Cum enim tres causas attulisset, quartam sic adiungit:* Alia autem ratio a Veterum quodam prolata est, quod vt principem huius sæculi lateret virginitas Mariæ desponsatio Iosephi est excogitata. *Non igitur Theodorus fuit, non Apollinarius, non Didymus; hi enim omnes S. Basilio synchroni fuere, sed vel Hippolytus, vel Origenes, vel Theophilus, quod potius reor. Vtcunque sit, Scriptor ille qui a S. Basilio antiquus dicebatur, haud iniuria a nobis secundo sæculo vendicatur.* Notandum vero, Pearsonium ipsum dubitare, an Theophilus auctor sit, vnde etiam antea dixerat, *Sub huius Theophili nomine etiamnum extant in S. Matthæum Commentaria, sed Latine tantum:* & paullo post: *Si hæc Theophili sint, sine dubio quartam rationem ex Epistola S. Ignatii hausit.* Et infra c. v. p. 77. vocat *Theophilum, aut antiquum Basilii auctorem eiusdem cum Irenæo æui.* Melius tamen coniicit Pearsonius, Hieronymum ex Theophili Commentario quartam istam rationem desumsisse, quam Petauius, qui lib. XIV. de Incarnatione C. VII. n. 4. p. 421. putat, *Hieronymum rationem istam ex S. Ignatio attulisse.* Ignatius enim *caussam non addidit, neq; vllam caussam protulit, cur conceptus a desponsata fuerit Christus*, vt recte ostendit Pearsonius. Porro Varenius Parte II. Rationarii a pagina 117. vsque ad 140. accurate Commentaria Theophili Bibliothecis Patrum hodie inserta excussit, contenditque, num. 2. *Opusculum illud expositiones bene multas habere probandas, licet habeat quoque expositiones allegoricas duriores seu violentas, non tamen hæresi Ariana infectas:* idque siue sit

reuera

reuera Theophili illius (quod maiori verisimilitudine affirmatur, quam negatur) siue non sit, antiquissimum tamen esse, & Scriptoris vetusti Catholici. A silentio autem Eusebii *exclusiue inferre non licere* ait num. 28. *Satis esse, quod eodem seculo Hieronymo innotuerit, nec tanquam recentioris : sed longe vetustioris Auctoris scriptum, imo illius Theophili Antiocheni.* Scrupulum vero ab eodem Hieronymo iniectum ita amolitur, *vt a stylo magis vel minus eleganti, & adeo non vbique constanti ad eundem Auctorem negatiue argumentari non licere* adserat num. 29. idque confirmet num. 30. *Immutat sæpe stilum eiusdem auctoris, vigor ingenii, nunc maior, nunc minor, nunc vegetus, nunc fractus, & remissior, vel ab ipsa senectute inclinatus, ipsumque non ex æquo semper defæcatum in ipsa compositione iudicium. Quin ἐξεργασία varia stilum quoque sæpe immutat cum aliter loquantur Patres scripturarum expositores, aliter Oratores, aliter Disputatores, vt non adeo mirum in his velut Commentariis paullo aliter illum habere, quam in illis contra Marcionem, vel ad Autolycum.* Ex quibus colligitur, Varenium quidem ac Pearsonium certo non adfirmare, quod Theophilus Commentaria ista scripserit, in aientem tamen magis, quam negantem propendere sententiam: quibus præiuerunt Bellarminus de Scriptoribus Ecclesf. Huetius in Origenianis Lib. III. cap. II. num. I. pag. 236. Caballutius Notit. Eccles. pag. 23. 24. & præter Halloixium Miræumque supra citatos, alii. Non tamen desinunt, qui Theophilo abiudicant, rationes haud spernendas inculcare. Quorum facile princeps est Edmundus Albertinus in Opere de Sacramento Eucharistiæ Lib. I. cap. IX. pag. 47. editionis Latinæ, non solum citans *Auctorem incertum commentariorum in Euangelia sub nomine Theophili Antiocheni;* sed præcipue L. II. in Examine Testimoniorum S. Cypriani cap. I. p. 368. binis argumentis pugnans: *Hic autem monendi mihi sunt Lectores, eadem pene omnia Cypriani verba exstare in Commentario in Euangelia Theophilo Antiocheno tributo, vnde euidenter patet illam necessario esse alicuius alterius a Theophilo illo auctoris, cum longe Cyprianum præcesserit, atque scriptoris (ni fallor) Latini, non Græci. Quibus addo Victorem Antiochenum notare, neminem ante se in Marcum scripsisse. Quomodo, si Theophilus in eum scripsisset? Neq; enim id potuisset ignorare.* Labbeus pag. 413. Albertini mentionem faciens posterioris argumenti vim conatur euadere: *Verum hoc argumentum auctoritate Hieronymi eliditur.* Melius forte dixisset, Victorem intelligere Commentaria specialiter ac solum in Marcum Euangelistam scripta. Ad priorem vero rationem nihil habet, quod reponat bonus ille Labbeus: Quam vt ipsi perpendere possint Lectores, vtriusque verba dabo, & Cypriani, & Commentatoris illius, quem e Cypriano ea mutuatum esse Albertinus contendit. Cyprianus enim lib. I. Epistola VI. vel ex alia distinctione, epistola 76. ad Magnum scripta apud Albertinum p. 367, ait:

Nam

Nam quando Dominus corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum quem portabat indicat adunatum. Et quando sanguinem suum vinum appellat de botris atque acinis plurimis expressum, atque in vnum coactum, gregem item nostrum significat commixtione adunatæ multitudinis copulatum. Commentator autem libro 1. in Marcum, (seu potius in Matthæum) cuius locum in margine descripsit Albertinus pag. 368. hunc in modum loquitur: *Hoc est corpus meum: corpus suum panem dicens de multorum granorum adunatione congestum, populum hunc quem assumpsit indicat adunatum. Hic est calix sanguinis mei: sanguinem suum vinum appellans de botris atque acinis plurimis expressum & in vnum coactum, item congregationem nostram significat commixtione adunatæ multitudinis copulatam.* Fortissime hoc Albertini argumentum stringere multi arbitrantur, siquidem absurdum sit existimare, quasi Theophilus ex Cypriano, integro pæne sæculo recentiore, aliquid descripsisset: neque ex aduerso vllus vnquam Cyprianum insimulauerit, quod areolas suas ex Græcorum scriptorum hortis soleat exornare. Imo, etiamsi id fecisset Cyprianus, incredibile tamen videatur, Latinum Commentariorum Theophili interpretem iisdem pæne cum Cypriano verbis in sua translatione vsum esse, quemadmodum alias sæpe contingat, Patres Latinos ex Græcis nonnulla citare, nunquam tamen interpretes postea Græcorum Latini eadem verba adhibent. Mirantur quoque, Pearsonium non obseruasse palmarium Albertini argumentum, quo perspecto nunquam Auctorem istorum sub Theophili nomine Commentariorum ad sæculum secundum retulisset, quem vel Cypriano recentiorem, vel saltem supparem dicere liceret. Præterea Labbeus a primæuo auctore condita opinatur, quando scribit: *Neque tamen inde censeant Heterodoxi omnino reiiciendos esse, cum ab antiquo ac primæuæ ætatis scriptore fuerint elucubrati, licet nomen eius iam ab ipsius Hieronymi ætate Ecclesiæ Catholicæ fuerit ignotum.* Sed nos latius circumspiciamus, & inprimis certa ab incertis separemus. Certum est, sine auctoris nomine olim hos Commentarios circumlatos, quod vel ex Basilio constat, qui eum non aliter, quam παλαιῶν τινα vocat. Certum est, ab aliquibus Theophilo Antiocheno inscriptos, & sub eius nomine ab Hieronymo in epistola ad Algasiam citatos. Certum est, id ibi Hieronymum non ex propria fecisse sententia, siquidem in illa epistola ad fœminam scripta non opus habebat falce critica, quam postea in catalogo, vtpote ad eruditum virum scripto, tanquam in proprio campo exercuit, ac Theophilo eiusmodi Commentarios tribui vix posse iudicauit. Certum denique est, librum, quem Basilius ab *antiquo* auctore compositum citat, & Hieronymus eadem ætate viuens legit, Sæculo secundo vel tertio compositum esse, quoniam verba eius apud Cyprianum leguntur. Nomen vero Auctoris incertum est. Coniiciunt aliqui, Cyprianum ipsum Com-

mentarios hosce scripsisse, quoniam non tantum eadem prope verba in epistola eius ad Magnum exstent, quæ non ex alio descripta auctore, sed ex proprio libro a Cypriano desumta esse videantur: sed Paullus Diaconus etiam scribat, *Cyprianum in Euangelia perorasse optime, commentario exarato*, hos fortasse libros intelligens. At quo minus huic opinioni accedam, duo inprimis obstant. Alterum est Hieronymi auctoritas, quem Paullo Diacono præfert Bebelius noster Antiq. Eccles. Euang. Sæc. III. pag. 488. 489. *Sed potior est Hieronymo fides habenda in epistola ad Paullam, dum scribit: Quum (Cyprianus) totus esset in exercitatione virtutum, occupatus persecutionum angustiis, de Scripturis sacris nequaquam disseruit.* Certe incredibile est, quomodo Hieronymum fugere potuerit, Cyprianum illorum Commentariorum auctorem esse, quem nihil librorum Antistitis sanctissimi latebat. Alterum & præcipuum est, quod Cyprianus Latinus scriptor fuerit, Commentaria autem sub Theophili nomine Hieronymo cognita Græco sermone edita sint. Quomodo enim cum Græcis Theophili ad Autolycum libris qua stylum & characterem dicendi conferri potuissent ab Hieronymo, si Latine scripta haberentur? Adde, quod Basilius, scriptor Græcus, verba quædam Græca inde recitauerit. Quare in eam tandem opinionē inclino, ab homine Græco hos Commentarios profectos esse, ques Cyprianus, Basilius & Hieronymus legerint, eosque postea in Latinum sermonem traductos, quæ translatio ad nostra vsque tempora seruata sit. Probeque obseruari debet, loca a Cypriano & Hieronymo Latine producta, quanquam in nostris exemplaribus exstant, non tamen qua verborum ordinem, sed tantum qua sensum & voces nonnullas, quæ in Græco eiusdem sunt significationis, conuenire, ac proinde non Latinum, sed Græcum fontem sapere.

XXXIX. TATIANVS patriam religionemque suam ipse exprimit in fine Orationis contra Græcos pag. 174. Ταῦτα ἡμῖν, ὦ ἄνδρες Ἕλληνες, ὁ κατὰ βαρβάρους φιλοσοφῶν Τατιανὸς συνέταξα, γεννηθεὶς μὲν ἐν τῇ τῶν Ἀσσυρίων γῇ, παιδευθεὶς δὲ πρῶτον μὲν τὰ ἡμέτερα, δεύτερον δὲ ἃ νῦν κηρύττειν ἐπαγγέλλομαι. *Hæc vobis, o Græci, Tatianus ego barbaræ Philosophiæ sectator composui, natus apud Assyrios, & vestris primum studiis imbutus, deinde vero illis, quæ nunc fouere me profiteor.* Ex qua autem Syriæ parte oriundus fuerit Tatianus, disertius exprimit Ioannes Damascenus in Opusculo de hæresibus, quod cum totum ex vetustioribus scriptoribus compilauerit, tum patriam proculdubio Tatiani ex eorum aliquo habet. Dabimus integrum capitulum XLVI. prout exstat apud Ioan. Bapt. Cotelerium To. I. Monumentorum Ecclesiæ Græcæ pag. 291. vbi totum simul librum emendatius auctiusque reperies. Τατιανὸς οὗτος συνήκμασεν Ἰουστίνῳ τῷ ἁγιωτάτῳ μάρτυρι καὶ φιλοσόφῳ. μετὰ δὲ τὴν αὐτοῦ τελευτὴν προσεφθάρη τοῖς τοῦ Μαρκίωνος δόγμασιν, καὶ ἴσα

αὐτῷ

αὐτοῦ ἐδογμάτισεν, προσθεὶς καὶ ἕτερα παρ' ἐκεῖνον. ἐλέγετο δὲ ἀπὸ Μεσοποταμίας ὁρμᾶσθαι. *Iste Tatianus floruit cum Iustino sanctissimo Martyre & Philosopho. Post cuius obitum, ad perniciosa Marcionis dogmata accessit, similiaque docuit, additis tamen aliis. E Mesopotamia autem ortum duxisse traditur.* Qualis vero fuerit Tatianus in gentilismo, ipse exprimit in libro aduersus Græcos pag. 170. indeque hausit Eusebius Lib. IV. cap. XVI. vbi plurima congerit Valesius, vt euincat, Tatianum haud fuisse Rhetorem, siue Oratorem, sed Philosophum, siue *Sophistam*, quemadmodum Theodoreto audiat lib. I. Hæreticarum fabularum: cui sane ipse Tatianus præiuerat, seipsum vocans Sophistam, pagina proxime citata: Τί γὰρ χαλεπὸν, ἀνθρώπους πεφηνότας ἀμαθεῖς, ὑπὸ ἀνθρώπου νῦν ὁμοιοπαθοῦς συνελέγχεσθαι; τί δὲ ἄτοπον κατὰ τὸν οἰκεῖον ὑμῶν σοφιστὴν, γηράσκειν ἀεὶ πάντα διδασκομένους; Interpres Latinus paullo liberius transtulit: *Atqui non mirum est, homines imperitos ab homine eiusdem naturæ coargui. Itane absurdum existimatis sophistam vestratem imitari? cuius hoc dictum fertur: Semper ego addiscens multa, senesco simul.* Hunc locum miror fugisse Valesium, qui tamen ex proxime antecedentibus suam opinionem voluit stabilire, vbi voce σοφιστεύσας vtitur Tatianus, quæ Valesio iudice *nihil ad eloquentiam pertinet, sed omnem Græcorum sapientiam & liberales disciplinas complectitur. Sane quod Tatianus ibidem ait se plurimas regiones peragrasse, multasque artes & inuentiones mechanicas curiose didicisse, Philosophum magis indicat, quam eloquentiæ Professorem. Adde quod liber ille aduersus Græcos conscriptus, satis testatur auctorem parum in dicendo exercitatum fuisse. Est enim eruditus quidem liber, sed sine ordine ac methodo compositus.* Ita quidem de Tatiano philosophatur Valesius, sed paullo post sui quasi oblitus pag. 84. scribit: *Hieronymus διδάσκαλον Magistrum eloquentiæ hic intellexit: cuiusmodi fuisse Tatianum, priusquam ad Christi fidem transiisset, supra ex Theodoreto & Eusebio notauimus. Quibus addi etiam potest Victor Capuanus Episcopus in præfatione ad Harmoniam Euangelicam Ammonii atque Tatiani.* Cæterum Iustini Martyris discipulum fuisse Tatianum Eusebius memoriæ prodidit lib. IV. cap. 16. & cap. XXIX. Irenæi testimonio confirmauit. Ipse quoque Tatianus pag. 157. τὸν θαυμασιώτατον Ἰουστῖνον vocat, & paullo post Iustinum Crescentis calumniis obiisse narrans sibi quoque Crescentem pares struxisse insidias narrat, si modernam admittamus lectionem, pag. 158. ὡς καὶ Ἰουστῖνον καθάπερ καὶ ἐμὲ, ὡς κακῷ τῷ θανάτῳ περιβαλεῖν πραγματεύσασθαι, *vt Iustinum sicut & me, tanquam extremo malo morti traderet*, (non *traderetur*, vt in excusis legitur) *eo quod ille veritatem prædicans voluptuosos & impostores Philosophos argueret.* At creditu difficile est, Tatianum, si cum Iustino propter Christianam religionem traditus fuisset, saluum tamen & incolumem euasisse, neque hoc beneficium

in eadem aduersus ethnicos oratione prædicasse. Quare malo Henricum Stephanum sequi, qui in præfatione Iustini epistolæ ad Diognetum præfixa, vulgatos Codices ex Eusebio emendat, qui eundem Tatiani locum lib. IV. cap. XVI. describens verba controuersa ita exhibuit: ὡς καὶ Ἰουστῖνον καθάπερ μεγάλῳ κακῷ, τῷ θανάτῳ περιβαλεῖν πραγματεύσασθαι, *vt Iustino tanquam grauissimum malum mortem concinnauerit.* Interemto vero Iustino Tatianus *inflatus eloquentia tumore*, vt Hieronymus ait, in hæresin declinauit, pessimæque *Encratitarum* sectæ auctor fuit, cuius errores passim enarrant veteres recentesque scriptores, & Varenius P. II. Rationarii pag. 140. 141. in Tatiano quædam de ea congessit. Nobis satis est, vnum Irenæum audire, qui & ætate proximus fuit, & hæresin illam feliciter profligauit, & Libro primo apud Eusebium. ita de Tatiano scripsit: Καὶ τοῦτο νῦν ἐξευρέθη παρ' αὐτοῖς, Τατιανοῦ τινος πρώτως ταύτην εἰσενέγκαντος τὴν βλασφημίαν· ὃς Ἰουστίνου ἀκροατὴς γεγονώς, ἐφόσον μὲν συνῆν ἐκείνῳ, οὐδὲν ἐξέφηνε τοιοῦτον. μετὰ δὲ τὴν ἐκείνου μαρτυρίαν ἀποστὰς τῆς ἐκκλησίας, οἰήματι διδασκάλου ἐπαρθεὶς καὶ τυφωθεὶς ὡς διαφέρων τῶν λοιπῶν, ἴδιον χαρακτῆρα διδασκαλείου συνεστήσατο. *Atque hoc nuper apud illos excogitatum est, Tatiano quodam omnium primo huius impietatis auctore. Qui Iustini auditor, quamdiu quidem cum illo versatus est, nihil eiusmodi protulit. Post martyrium autem illius, ab ecclesia se abrumpens, Doctoris arrogantia elatus ac tumidus, tanquam præstantior cæteris, nouam quandam formam doctrinæ conflauit.* Quali tandem morte obierit Tatianus, nullibi, quod sciam, memoriæ proditum est apud scriptores hodie residuos. Tempus autem ex scriptione Irenæi, qui de eo tanquam non amplius superstite loquitur, sagaciter olfecit celeberrimus Parentis mei τοῦ μακαρίτου in Ephoria Arnstadiensi successor, Ioan. Gottfr. Olearius in Abaco Patrum pag. 441. *Obiisse iam videtur ab anno 175. cum Irenæus Lugdun. Antistes aduersus hæreses scriberet.* Quam in rem conferri meretur Pearsonius P. I. Vindiciarum Ignatii cap. VI. pag. 91.

XL. Nos ad scripta Tatiani pergimus, de quibus Eusebius lib. IV. cap. 29. καταλέλοιπε οὗτος πολύ τι πλῆθος συγγραμμάτων, quod vertit Valesius: *Maximum certe librorum numerum ab eo relictum esse constat.* Hodie autem nihil superest natiuo i. e. Græco idiomate, nisi λόγος πρὸς Ἕλληνας, *Oratio ad Græcos*, (*hoc est Ethnicos*, vt recte addit Labbeus To. II. pag. 378.) quæ interprete Conrado Gesnero (vt Labbeus quidem ait, quem tamen suspicor memoria lapsum esse, quum alii *Conradum Clauserum* nominent, cuius etiam libertatem sapit tota illa Latina Paraphrasis) primum prodiit Tiguri an. 1546. deinde Orthodoxographis Patrumque Bibliothecis inserta, & cum Iustini Operibus aliquoties edita

edita est. In ea autem Tatianus ipse alia suorum scriptorum allegat, vt περὶ ζώων, seu *de animalibus*, promittitque insigne opus de religione Christiana pag. 173. περὶ μὲν οὖν τῆς καθ' ἡμᾶς πολιτείας, ἱστορίας τε τῆς κατὰ τοὺς ἡμετέρους νόμους, ὅσα τε εἰρήκασιν οἱ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν λόγιοι, καὶ πόσοι καὶ τίνες εἰσὶ μνημονεύσαντες ἐν τῷ πρὸς τοὺς ἀποφηναμένους τὰ περὶ θεοῦ δειχθήσεται. *Sed de administratione nostra, & religionis nostræ historia, quæcunque dicta sunt ab eruditis Græcorum, & qui quotque numero eius meminerint, in libro ad eos, qui rebus diuinis simplicem fidem detrahunt, demonstrabitur.* Præterea Eusebius lib. v. cap. xiii. Rhodonem, præclarum Marcionitarum impugnatorem, Tatianique discipulum, in libro, quem Callistioni nuncupauit, referre, ἐσπουδάσθαι τῷ Τατιανῷ προβλημάτων βιβλίον, *a Tatiano elucubratum esse Quæstionum librum*, de quo Sandius in Nucleo pag. 23. ita censet: *verum is iam temporibus Eusebii videtur deperditus fuisse.* Porro Clemens Alexandrinus lib. iii. Strom. pag. 335. librum Tatiani quendam citat *de perfectione secundum Saluatorem.* Verum nos frustra solliciti sumus de scriptis hæretici hominis, cuius nullum præstantius vtiliusque habitum est Oratione aduersus Græcos, quæ hodienum exstat, ac procul dubio propter suam existimationem reliquorum cladem euasit. Eusebius certe lib. iv. cap. xxix. tam aliorum, quam proprio elogio celebrat: ὧν μάλιστα παρὰ πολλοῖς μνημονεύεται διαβόητος αὐτοῦ λόγος, ὁ πρὸς Ἕλληνας. ἐν ᾧ καὶ τῶν ἀνέκαθεν χρόνων μνημονεύσας, τῶν παρ' Ἕλλησιν εὐδοκίμων ἁπάντων πρεσβύτερον Μωυσέα τε καὶ τοὺς Ἑβραίων προφήτας ἀπέφηνεν. ὃς δὴ καὶ δοκεῖ τῶν συγγραμμάτων ἁπάντων αὐτοῦ καλλιστός τε καὶ ὠφελιμώτατος ὑπάρχειν. *Ex quibus præcipue multorum testimonio laudatur insignis ille aduersus Gentiles liber: in quo repetitis prioris æui temporibus, Mosem & ceteros Hebræorum Prophetas, omnibus qui apud Græcos celeberrimi extiterunt, vetustiores esse conuincit. Qui quidem liber, omnium quos ille scripsit, elegantissimus simul atque vtilissimus videtur.* Quod Eusebius dixit, clarum est ex Irenæo, qui lib. i. aduersus hæreses cap. xxxi. *optimum & vtilissimum reliquorum eius librorum* vocat: & ex Origene lib. i. aduersus Celsum pag. 14. editionis Græcæ: καὶ Τατιανοῦ τοῦ νεωτέρου φέρεται ὁ πρὸς Ἕλληνας λόγος, πολυμαθέστατα ἐκτιθεμένου τοὺς ἱστορήσαντας περὶ τῆς Ἰουδαίων καὶ Μωσέως ἀρχαιότητος. *Sed & Tatiani iunioris circumfertur ad Græcos oratio, qua eruditissime allegat eos, qui in suis historiis mentionem fecerunt de Iudæorum & Mosis antiquitate.* Recentiorum par est iudicium, passimque reperiuntur laudes huius libri apud Bellarminum, Labbeum, Alexandrum, Varenium, Calixtum, Scultetum, Riuetum, Vedelium, Hoornbeekium, & quos non? Nec facile inuenias, qui alterius cuiusdam Tatiani Opus esse putet tempore Iuliani Apostatæ viuentis: quum optime conueniant characteres, quos in Tatianī genuino opere laudauere olim Origenes & Eusebius: &

plurima exstent *κριτήρια*, quæ nunquam ad Iuliani, recte ad Tatiani, discipuli Iustini, ætatem referri possunt, vt de Roma idolis variis abundante, ac similia. Quare optime Caspar Barthius Lib. LX. Aduersariorum, siue Commentario ad Augustinum de Ciuitate Dei lib. I. c. III. pag. 2858. *Eruditissime optimus scriptor Tatianus in aureola Paranesi ad Græcos, qui nequaquam ille est, quem sub Iuliano passum esse scribunt Gesnerus in Bibliotheca & alii; sed discipulus Iustini.* Equidem Gesnerus in ea editione, quam ipse curauit, To. I. p. 607. recte *Tatianum Iustini Martyris auditorem* vocat; sed nescio qua inaduertentia postea subiicit: *Factus est martyr sub Iuliano Apostata.* Hoc tamen *παρόραμα* correctum est in ea Bibliothecæ Gesnerianæ editione, quam Ioan. Iac. Frisius curauit.

XLI. Ex cæteris Tatiani scriptis præsertim celebrata est Harmonia Euangelica, de qua Eusebius Lib. IV. cap. XXIX. *ὁ Τατιανὸς συνάφειάν τινα καὶ συναγωγὴν οὐκ οἶδ' ὅπως τῶν Εὐαγγελίων συνθεὶς, τὸ διὰ τεσσάρων τοῦτο προσωνόμασεν. ὁ καὶ παρά τισιν εἰσέτι νῦν φέρεται. Tatianus catenam & collectionem nescio quam Euangeliorum contexuit, quam διὰ τεσσάρων, hoc est, Euangelium ex quatuor Euangeliis compositum nominauit: quod opus a quibusdam etiamnum habetur.* Aliter vero Eusebii locum repræsentat Victor Capuanus Episcopus, qui circa medium Sæculi VI. floruit, in præfatione in Harmoniam Tatiani & Ammonii, prout ea legitur in Orthodoxographis, Tomo I. scriptorum Latinorum p. 659. *Ex historia quoque eius* (Eusebii) *comperi, quod Tatianus vir eruditissimus, & orator illius temporis clarissimus, vnum ex quatuor compaginauerit Euangelium, cui titulum Diapente imposuit.* Vides, Victorem ita citare Eusebium, quasi is non *Diatessaron*, sed *Diapente* Tatiani Harmoniam inscriptam fuisse dixisset. Sed in Græcis Codicibus constanter legitur *διὰ τεσσάρων*. Itaque If. Casaubonus Exercit. XIII. ad Annales Baronii, Diatriba II. pag. 173. Victoris locum corrigit: *Videtur scribendum* Dia panton. *quod consentit cum Eusebio. Alioquin scimus &* Dia pente *concentus nomen esse apud Musicos, vt* Diatessaron *&* Dia pason: *quas appellationes & Latini retinuerunt, vt Vitruuius.* Verum aliter Victorem intelligunt explicantque illustres viri, Grotius & Vossius. Dabimus verba Ger. Ioan. Vossii ex Dissertatione de Genere Iesu Christi pag. 17. *Vtinam vero Tatiani Harmonia Euangelica exstaret, quæ vulgo διὰ τεσσάρων vocabatur, quia ex quatuor foret Euangelistis conflata: ab aliis autem, Epiphanio teste, dicebatur καθ' Ἑβραίους: nempe eo, quia complectebatur etiam, quæ forent in Euangelio secundum Ebræos: quod quia multa continebat, quæ in Græco non exstarent, eoque diuersum iure haberetur: a Victore Capuano non διὰ τεσσάρων, sed διὰ πέντε dictum esse, per est verisimile: sicuti obseruatum Illustri Hugoni Grotio, initio præclari Annotationum Operis in quatuor Euangelistas.* Conferri eam in rem merentur, quæ Grotio opposuit Abraham Calouius in Bibliis Illustratis. E-

piphanii

piphanii verba, quæ Vossius respexit, Hæresi XLVI. Tatianorum, num. 1. pag. 391. ita habent: *λέγεται δὲ τὸ, διὰ τεσσάρων Εὐαγγελίων ὑπ' αὐτοῦ γεγεννῆσθαι, ὅπερ κατὰ Ἑβραίους τινὲς καλοῦσι. Ferunt opus illud, quod ex* IV. *Euangeliis contextum est, quodque secundum Hebraeos nonnulli vocant, ab eo esse conscriptum.* Quæ non placent Valesio in Annotationibus Eusebianis pag. 84. *Sed fallitur aut ipse Epiphanius, aut ii, qui ita sentiebant. Etenim Euangelium illud secundum Hebraeos antiquius est Tatiano. Quippe Hegesippus qui aliquot annis Tatianum antecessit, Euangelii secundum Hebraeos mentionem fecerat, vt scribit Eusebius supra cap. 22. Papias quoque historiam quandam ex eodem Hebraeorum Euangelio petitam, in suis libris narrauerat, teste Eusebio in fine libri tertii. Denique multa citantur a Hieronymo ex Euangelio Hebraeorum, quae hodie non leguntur in illo Euangelio Tatiani. In eo quidem consentiebant duo hac Euangelia, quod genealogiam Christi expunxerant. Nam de Hebraeorum Euangelio id diserte testatur Epiphanius in haeresi Nazaraeorum. De Tatiani autem Euangelio idem ait Theodoritus in libro primo haereticarum fabularum.* At, si Vossii & Grotii opinionem sequaris, Epiphanium facile saluabis. Tum enim dicendum foret, Tatianum non composuisse tanquam auctorem Euangelium secundum Ebræos, sed illud olim conscriptum suæ etiam Harmoniæ inseruisse.

XLII. Vtcunque sit, nobis inquirendum potius venit, an hodienum exstet illa Tatiani Harmonia? cuius iacturam antea deplorantem audiuimus Vossium. Reperitur quidem in Orthodoxographis & Bibliothecis Patrum Opus quoddam sub isto titulo Tatianique nomine, cui aliud subiungitur Ammonium præferens. Sed Victoris Capuani culpa ordinem inuersum esse, ac quod Tatiani est, Ammonio suppositum, & vice versa, communis doctorum hominum opinio est, quam ex Pontificiis tenent Ioannes Maria Brasichellanus, Baronius, Bellarminus, Labbeus, Raynaudus, Possevinus, Alexander &c. Nec desunt vel ex Reformatis, vel ex Nostratibus, qui consensum haud difficulter præbeant. Quid vero statuant, Natalis Alexandri verbis ex Synopsi Sæculi III. pag. 146. exponere operæ pretium est: *Harmonia 4. Euangelistarum, dicta olim Diatessaron, quae in Bibliothecis Patrum saepius excusa est, falso praefert nomen Ammonii; est enim Tatiani Syri foetus. Est vero Ammonii altera Harmonia adscripta Tatiano. Occasionem dedit errori Victor Capuanus Episcopus, qui huic Operi praefationem adiunxit, & Tatiano incaute supposuit Harmoniam ab Ammonio conscriptam. Vnde contigit, vt quae Tatiani erat, Ammonio deinde tribueretur. Hac autem nota dignosci vtraque facile potest, quod Tatianus ex sua concordia expunxerit omnes Genealogias Christi, haeretica fraude: Ammonius vero illas Operi suo inseruit. Denique Zacharias Chrysopolitanus Episcopus, qui florebat anno 1157. Harmoniam ex Euangeliorum verbis contextam, a Praefatione S. Lucae exordium ducentem, &*

Genea-

Genealogias continentem vindicauit Ammonio, doctissimisque illustrauit Commentariis. Hæc tamen non satisfaciunt Valesio, qui citato Annotationum Eusebianarum loco facile admittit, Ammonii Harmoniam sub Tatiani nomine latere, quod volebat Baronius, sed alterum non æque vult concedere. Ita enim scribit: *Cæterum quod Baronius obseruauit, opus hoc Tatiani, quod* διὰ τεσσάρων *vocabatur, hodie exstare in tomo 7. Bibliothecæ Patrum, diligentius inquirendum est. Ego certe re attentius examinata tandem deprehendi, opus illud, quod post Ammonii harmoniam editum esse dixi, longe differre ab Euangelio Tatiani. Quippe opus illud, sicut Lectio ipsa indicat, nihil aliud est, quam paraphrasis quatuor Euangeliorum, seu potius epitome eleganter conscripta ab homine catholico. At Euangelium Tatiani ipsismet Euangeliorum verbis contextum fuit, resectis duntaxat iis, quæ ad Dauidicam Christi genealogiam spectant. Præterea in Opere illo, quod editum est, Christus Filius Dauid dicitur non semel. Denique tres anni prædicationis Christi in illo opere distinguuntur: cum Veteres annum duntaxat vnum prædicationi Christi tribuerint.* Contuli hæc Valesii argumenta cum Harmonia, quæ sub Ammonii nomine, interprete Ottomaro Luscinio, in Orthodoxographis Patrumque Bibliothecis habetur, & reperi verissima planeque sufficientia, quæ vulgarem opinionem, quasi Tatianus auctor sit, refellant. Videtur autem Baronium, Bellarminum, eorumque sequaces decepisse, quod Genealogia Christi in ea omittatur, cuius criminis Tatianum reum agit Theodoretus. Verum hoc non satis est, & cæteræ Valesii rationes tanti sunt ponderis, vt facile nobis persuadeamus, auctorem illius epitomes seu paraphraseos a generatione Christi æterna & temporali initium facientem non opus existimasse, vt genealogiam vel ex Matthæo vel ex Luca insereret, quam sane in epitomen redigere non poterat. Neque omiserim Casimirum Oudinum, qui in Supplemento pag. 15. Valesio (quem tamen, quod miror, haud nominat) aperte accedit, verbaque eius de Harmonia a Luscinio edita agere tacite agnoscit: Postquam enim dixerat, Ammonii Harmoniam male Tatiano attributam, subiicit: *Altera vero* (Harmonia) *quæ in prima impressione Bibliothecæ Veterum Patrum anni 1575. continetur sub nomine Ammonii, & incipit a primis verbis Euangelii Ioannis,* In principio erat verbum, *&c. & quam vertisse in Latinum sermonem dicitur Ottomarus Luscinius; nec Ammonii est, nec Tatiani, sed elegans ac Latina paraphrasis Anonymi cuiusdam in Euangelio. Hoc caute annotandum.*

XLIII. Non itaque inanes sunt Vossii querelæ, quum germanum Tatiani Opus iam ante quingentos annos desiderauerit Zacharias Chrysopolitanus, vt ferunt, Episcopus, dum in Præfatione ad Monotessaron Ammonii scribit: *Sane huius Hæresiarchæ* (Tatiani) *si superesset opus Euangelicum, quod sancti Iustini Martyris lateri adhærens fortassis explicuit, in eo Domini IESV verba diligenter amplecti,*

amplecti, secure legere, quibus eius vocem cognoscentibus nihil prohiberet. Labbeus pag. 379. inculat Zachariam, quod *ignorasse videatur, superstitem fuisse Tatiani Concordiam illam;* at Zacharias recte pronunciauit de libro, qui nostris etiam temporibus in lucem nondum prodiit, si non plane periit; Labbeus autem communem sententiam de permutatione vtriusque Harmoniæ sequutus, meliora procul dubio a Valesio postea edoctus est. Cæterum Zacharias præfationem Victoris Capuani præ oculis habuit, qui similiter benignissime de Harmonia Tatiani sentit: *Et forsitan adhuc beati Iustini adhærens lateri, illius eruditionis merito, hoc opus explicuit.* Sed magis apud nos valet Veterum, Theodoreti inprimis, & Ambrosii auctoritas, quam ista sua coniectura non declinauit Victor. Porro videntur Victoris prologum satis expendisse, qui eum confusionis Harmoniarum auctorem faciunt. Ait enim, *fortuito in manus suas incidisse vnum ex quatuor Euangelium compositum, & absente titulo, se non inuenisse nomen auctoris.* Consueuit enim Monotessaron Ammonii eo modo scribi, vt auctoris nomen reticeretur: quod etiam post Victoris ætatem obseruatum esse probat exemplum Lipsiense antiquissimum, quod *Vnum ex quatuor* i. e. *monotessaron* inscriptum, ac iussu Ludouici Pii compositum, & Martini Lutheri, Polycarpi Lyseri, ac Gallosii testimoniis in Germania Galliaque celebratum memorat Fellerus noster, Clarissimus Bibliothecæ illius Præfectus, in præfatione Catalogi nouissime editi. Eiusmodi Codicem nactus Victor Capuanus, inquisiuisse se testatur in auctores Harmoniarum, siue, vt verbis eius loquar, *quis gesta vel dicta Domini & Saluatoris nostri, Euangelica lectione discreta, in ordinem, quo se consequi videbantur, non minimo studii labore redegerit:* & deinde reperisse, Ammonium & Tatianum hoc nomine laudari. Vtri autem tribuat volumen a se repertum, anceps dubiusque hæret, diserte scribens, *vt iure ambigi possit, vtrum Ammonii an Tatiani inuentio eiusdem operis debeat æstimari.* Tantum igitur abest, vt Victor commiserit permutationem Harmoniarum Ammonii & Tatiani, quæ in editis hodie libris conspicitur, vulgoque ab ipso profecta creditur, vt potius animo perpenderit incertusque fuerit in auctore adsignando. Præterea probe notandum est, Victorem non nisi vnum volumen vnamque Harmoniam commemorasse; adeoque alterum opusculum, quod superiori sæculo Luscinius sub Ammonii nomine protulit, plane ignorasse. Ex quibus liquet, Victorem non esse primum confusionis Harmoniarum auctorem. Antiquissimus tamen error est, & in Versione Latino-Francica eiusdem libri, qui Victoris diligentiam exercuit, palam aperteque deprehenditur. Istum enim veste Francica indutum non tantum Tatiano attribuunt Bonauentura Vulcanius in Specimine veteris linguæ Teutonicæ, quod Commentario de literis & lingua Gothorum subiectum est, pag. 54. & Ioannes Isacius Pontanus Lib. VI. Originum Francicarum cap.

xxiv. pag. 588. 589. sed etiam sub eiusdem nomine edere voluit Franciscus Iunius, vt patet ex recensione Auctorum Francicorum, quos in Glossario Gothico adornando adhibuit, vbi hæc legas: *Tatiani harmonia euangelica Latino-Francica cum nostris Annotatis, Deo vitam viresque largiente, propediem prælo subiicietur.* An autem steterit hactenus promissis, rescire nondum potui. Ammonii tamen, non Tatiani illam esse Harmoniam, ex collatione trium priorum capitum, quæ ex Francica versione edidit Pontanus, cum Latina editione, quæ omnium eruditorum consensu Ammonii est, ad oculum patet. Cur autem in Occidente harmoniæ Tatiani exempla perierint, hariolari possemus ex Decreto de libris Apocryphis, quod Gelasio Papæ vulgo tribuitur, siquidem locum haberet Strauchii emendatio. Vbi enim vulgati Codices inter libros non recipiendos ponunt *Euangelia, quæ falsauit Lucianus, Apocrypha*: ibi Ioan. Strauchius in Amœnitatibus Iuris Canonici Ecloga vi. cap. xix. p. 138. *legi* vult *Tatianus*, locumque Theodoreti de eiusdem Harmonia describit. Rectius autem mea opinione *Luciani* nomen retinet Christoph. Sandius lib. 1. Nuclei pag. & Origenem contra Celsum *Luciani Euangeliorum deprauatoris* meminisse tradit, cuius verba quære libro secundo in editione Augustana Græca pag. 80. & Latina pag. 79. Nihilominus hæreticum Tatiani nomen in Oriente quoque opus de cætero vtilissimum suppressit, vt patet ex Eusebii Epiphaniique locis supra descriptis, qui illius tanquam sibi non visi, sed ex aliorum saltem relatione noti mentionem faciunt. Quid autem faciemus cum Ebediesu, qui in Catalogo Scriptorum Chaldaicorum, Syriacam Harmoniæ versionem memorans, cap. xiii. scribit: *Extat autem Euangelium, quod compilauit vir quidam Alexandrinus AMMONIVS, qui est TITIANVS, quod vocauit Diates, Saron.* Ita habet versio Latina Abrahami Ecchellensis in editione Nihusii Moguntina: Romanam enim, quæ Syriacum textum habet adiunctum, videre nondum licuit. Nec Hottingerus in Præfatione Lexici Harmonici quidquam hoc loco in translatione Ecchellensis notauit, quam quod *Ammonio tribuit Diatasseron, monstrum vocabuli pro διὰ τεσσάρων,* quod tamen in editione altera Nihusium correxisse vidimus. Quare confusio Ammonii & Tatiani in ipsum Ebediesu redundat, quam commisisse etiam videtur Bar Bahlull in Dictionario Syriaco apud Castellum in Lexicon Heptaglotto fol. 696. in fine: ܕܝܛܣܪܘܢ (i. e. διὰ τεσσάρων) *ita dicuntur Quatuor Euangelia; Hæc in Alexandria a* ܛܛܝܢܘܣ (Tatiano) *Episcopo scripta adseruantur.* Similiter fere Tatiani nomen scripsit Abulpharagius in Historia Dynastiarum Arabica pag. 125. editionis Arabicæ, & pag. 97. Latinæ. Potest tamen excusari Bar Bahlul, quod vel putauerit, Tatianum in Alexandria Harmoniam composuisse, vel saltem innuerit, eam adhuc Alexandriæ adseruari.

Noui

Noui autem erroris reus est, quando Tatianum *Episcopi* elogio mactat, quod nemo vnquam vel veterum vel recentiorum ipsi tribuisse legitur.

XLIV. Sed tempus tandem est, vt prolixo huic capiti finem imponamus, vltimumque scriptum in Appendice Iustini Martyris editum consideremus, cuius pag. 175. hæc est inscriptio: Ἑρμίου Φιλοσόφου διασυρμὸς τῶν ἔξω Φιλοσόφων. De ætate auctoris apud clarissimos viros meras reperimus tenebras, quas descripsit Olearius in Abaco pag. 206. 207. *HERMIAS, Philosophus quidam Christianus, perantiquus. Eius librum, cui titulus: διασυρμὸς τῶν ἔξω φιλοσόφων, h. e.* irrisio Philosophorum gentilium, *ex Io. Iac. Fuggeri bibliotheca, græce & latine (cum Cydonii libro) Raphael Seilerus primum vulgauit, Ioannes vero Oporinus Basileæ 1552. excudit, & Conr. Gesnerus quoque cum aliis veterum græcorum Patrum monumentis recudi fecit. Quo vero præcise tempore vixerit, nec ex libello isthoc, neque ex antiquioribus, qui Scriptores Ecclesiasticos consignarunt, colligi hactenus potuit. Bignæus equidem, postquam Biblioth. Patrum Tomo IV. editionis secundæ fol. 155. illum inseruit, Indice Chronol. Tomo IX. annexo, Sæculi quarti Scriptoribus Hermiam annumerat, quod & fecerunt Collectores Magnæ Bibliothecæ Coloniensis, dum Iulio Firmico (qui circa ann. 340. floruit) eum subiecerunt, Tom. IV. fol. 119. Nulla tamen auctoritate suffulti.* Quanquam vero hæc ita se habeant, prædecessorum tamen suorum vestigia nouissime sequuti sunt, qui Bibliothecam Patrum maximam Lugduni in Gallia an. CIϽ IϽC LXXVII. adornarunt, Hermiamque post Firmicum inter Scriptores Sæculi quarti tomo quarto collocarunt, vt videre est in Indice illius Bibliothecæ, quem Seuerinus Waltherus Slüterus exhibuit, in Propylæo Historiæ Christianæ pag. 74. At longius progressus est Guilielmus Caue, & inter scriptores sæculi secundi (quod *Gnosticum* adpellat) Hermiam numerauit, in Chartophyl. Eccles. pag. 13. *Hermias, Philosophus Christianus, forsan huius temporis scriptor, quis enim fuerit, aut quando vixerit, Non Liquet.* Notandum, Cauium ex coniectura tantum scribere, cuius incertitudinem ipse agnoscit: & quando obseruat, Hermiæ Libellum in Auctuario Bibliothecæ Patrum Græco-Latino Parisiis anno CIϽ IϽC XXIV. edito, tomo primo comparere, desiderium in nobis accendit cognoscendi, quænam Frontonis Ducæi, qui Auctuarium illud curauit, de ignoto hoc scriptore fuerit opinio, quod tamen ob summam libri raritatem lenire nunc non possumus. Dabimus autem Petri Lambecii coniecturam, quam is lib. VII. Commentariorum pag. 54. proposuit. Postquam enim retulisset, Codice XX. Philosophico exstare Hermiæ librum, hoc titulo: Ἑρμείου φιλοσόφου διασυρμὸς τῶν ἔξω φιλοσόφων. Et fine: τέλος Ἑρμείου τοῦ φιλοσόφου, addit in margine: *Videtur hic esse Hermias ille Sozomenus, patria Salaminius, cuius etiam nunc exstant Libri nouem Historiæ Ecclesiasticæ cum Præfatione ad Theodosium Iuniorem,*

 sub

sub quo floruit. *Qua de re vide plura apud Photium in recensione Codicis* XXX. *suæ Bibliothecæ.* *Consule etiam ipsius Sozomeni Historiam Ecclesiasticam lib.* 1. *cap.* 17. *lib.* 2. *cap.* 4. *lib.* 3. *cap.* 16. *lib.* 5. *cap.* 1. *& deinceps passim, vbi agitur de Gentilibus.* Intelligit Lambecius ea Sozomeni loca, quibus de incrementis Christianæ religionis, & decrementis Gentilismi, differit, vbi nonnunquam similes fere disputationes inspergit, ac in Hermiæ Philosophi διασυρμῷ reperiuntur. Præcipue autem notabilis locus est, quem ex lib. 3. Lambecius citauit, capite 17. editionis Valesianæ quærendum, siquidem aliam sequutus est Lambecius, & præcedentia duo apud Valesium pari modo lib. 1. cap. 18. & lib. II. cap. 5. demum habentur. Ita vero Sozomenus lib. III. cap. XVII. de Constantini Magni temporibus: ἡ θρησκεία ὁσημέραι ἐπεδίδου, ζήλῳ τε καὶ ἀρετῇ, καὶ παραδόξοις πράξεσιν ἱερῶν καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν φιλοσόφων, ἐθήρα καὶ πρὸς ἑαυτὴν μετῆγε τῆς ἑλληνικῆς τερθρείας, τοὺς ἑλληνιστάς. *Religio indies augebatur; & ardore animi ac virtute, admirandisque operibus tam Sacerdotum, quam Ecclesiasticorum Philosophorum, Gentiles ad se alliciebat, & a Græca superstitione reuocabant.* Verum non desunt, quibus auctor videtur Hermias Alexandrinus, Philosophus, Syrianique auditor, qui Sozomeno paullo iunior fuit, sed circa confinia tamen quinti sextique sæculi floruit; dummodo constaret, cum ex Gentilismo ad Christianos transiisse. Photius codice CXLII. ex Damascio virtuti, iustitiæ præsertim, egregiam operam nauasse refert, Christianismi autem non meminit. De eodem agit Lambecius Lib. VII. pag. 43. 44. & Scholia eius in Platonis Phædrum laudat, ita inscripta: Ἑρμείου φιλοσόφου τῶν εἰς τὸν πλάτωνος Φαῖδρον σχολίων τῶν εἰς τρία τὸ πρῶτον. Eadem Scholia exstant etiam in Bibliotheca Augustana, vnde & Hermiæ Irrisio primum edita fuit, vt videre est in Catalogo Antonii Reiseri pag. 41. 82. 90. Habentur & similia Hermiæ scripta in Bibliotheca Vaticana, quod Catalogus Platinæ MStus me edocuit, quem Adamo Tribbechovio maximæ pietatis doctrinæque viro debeo.

EXER-

EXERCITATIO SEXTA
SIUE
COMPARATIO HISTORICA
INTER

IACOBVM EPISCOPVM NISIBENSEM,
&
IACOBVM TENTZELIVM,
SVPERINTENDENTEM ARNSTADIENSEM,
PARENTEM DESIDERATISSIMVM,

ANNIVERSARIO OBITVS EIVS DIE
IIX. KAL. APRIL. cIↃ IↃc XXCVI.
VVITTENBERGÆ INSTITVTA.

LECTORI.

Duplex pietatis officium eſt, quod Parentibus præſtare filii tenentur, alterum animum, alterum corpus ſpectat. De poſteriori nihil nunc dicam, cum, quod in vulgus notum eſt, qua ratione id obſeruaſſe oporteat, tum, quia ab eius obligatione Parentum morte abſoluimur. Prius autem perpetuam Parentum venerationem internumque cultum a nobis requirit, quem omni occaſione publice priuatimque conteſtari par eſt. Præcipuum tempus natalis eorum eſt, quo non lætari tantum & gaudere, ſed externis quoque ſignis obſeruantiam declarare ſolemus. Quod apud omnes cultiores politioresque populos in vſu fuit, & luculentisſimis ſcriptorum teſtimoniis conſtat. Quoniam vero hodie humanitatis morumque laude inprimis excellunt Sinenſes, operæ pretium ſit, inſtituta eorum circa hunc Parentum cultum cognoſcere. Ioannes Neuhofius in Deſcriptione vniuerſali Imperii Sinici, quam Itinerario ſubiecit, cum alias incolarum conſuetudines, tum hanc præcipue ignorare nos haud pasſus eſt, cuius verba ex verſione Germanica cap. IV. pag. 254. dabimus: Es iſt faſt niemand in Sina, der nicht ſeinen Geburths-Tag/ als einen heiligen Tag/ feyret/ alſo/ daß er etliche mit Geſchencken begabet/ eine Gaſterey anrichtet/

tet/und andere Freuden-Zeichen verspühren lässet. Fürnemlich aber geschicht solches/wenn sie das siebentzigste Jahr erreichet/nach welcher Zeit sie allererst unter die Alten gerechnet werden; Desgleichen/wenn sie über das zehende Jahr gekommen. An diesen Feyer- und Freuden-Tagen schreiben die Söhne/wenn sie mit zu der Gelehrten Orden gehören/allerhand Carmina, Epigrammata und Sinnbilder/welche der Eltern Lob und Ruhm begreiffen; davon etliche auch Bücher dem Druck übergeben. Equidem apud veteres Christianos nonnulli negarunt, a iusto quopiam celebrata fuisse natalitia, idque tantum peccatoribus & impiis adscripserunt, vt videre est apud Hieronymum, &, quem is sæpe in exegesi Scripturæ sequi solet, Origenem Commentario in Matthæum pag. 230. 232. aliisque locis, quæ congesserunt Petrus Daniel Huetius in Notis Origenianis & Ioannes Fronto Dissertatione de diebus festiuis §. II. Sed placet nobis sententia celeberrimi viri, Casp. Sagittarii Differt. de Natalitiis Martyrum cap. I. §. III. *Neque vero morem istum celebrandi quotannis diem natalitium simpliciter improbauerimus: modo pia adhibeatur moderatio, absit luxus atque superstitio.* Quare multo minus reiiciendus venit filiorum mos, non in Sina tantum, sed in Europa etiam passim obseruari solitus, vt diem Parentum natalem solennius excipiant, scriptisque variis significent gaudia ob vitam eorum hactenus conseruatam. Nec quispiam prudentiorum in peiorem partem interpretabitur, quum eandem religionem apud eos etiam aduertet alio die, quo Parentes terris ereptos lugent, ac desiderium doloremque ex clade accepta, voce pariter ac scriptis declarant. Etenim dies mortis parentum pii homines ab vetustissimis temporibus solenniter recordati sunt, idque Ethnicos etiam consueuisse Æneæ exemplum apud Virgilium clarissime docet. Nec a Christianorum moribus abhorret, quos certum est, *natalis* nomine illum diem adpellasse, quo non martyres solum, sed alii quoque iusti bonique viri decesserant, tum Episcoporum præcipue obitus stato tempore quotannis solenni pietatis officio excepisse. Quemadmodum igitur prius sapientissimorum hominum institutum ab ineunte adolescentia sequutus sum, filialemq; obseruantiam Parenti optimo, quamdiu is in viuis fuit, Kalendis Augusti, qui dies ipsi natalis erat, diuerso scriptionis genere exposui ac testatam volui: sic posterius quoque imitari apud animum meum constitui, ex quo Deus sapientissimus Parentem desideratissimum in meliorem vitam transtulit, me in summo luctu atque mœrore relicto. Etenim octauus Kalendarum Aprilium dies Patri quidem felicissimus, mihi autem summe infaustus est, quando eiusmodi bono me priuauit, quo plurimis adhuc annis frui lætarique vnice in votis habueram. Verum libenter summi voluntati Numinis me subiiciam, & a maxima eius benignitate meliora in posterum sperabo; vitamque Parentis ac virtutes breuiter hoc schediasmate complectar, ea quidem ratione,

vt

vt eundem cum Iacobo Nisibenorum quondam in Mesopotamia Episcopo luculenter conferam, & huius res gestas ex veterum monumentis eruam, illius vero Biographiam, cuius partem Latino sermone conscriptam nobis reliquit, exacte sequar & intuear. Inde vero efficiam, vt Lectores facile cognoscant, vtrumque Iacobum nostrum externis quidem nonnullis institutis dissimilem, internis autem animi dotibus quam simillimum fuisse.

I. Qui magnorum virorum laudes decantare cupiunt, initio commemorare solent, vbi, & a quibus nati fuerint. Quod cum a me quoque exigi videam, tum de Iacobi Nisibensis parentibus nihil apud antiquos scriptores reperio. Theodoretus in Philotheo seu Historia Religiosa Iacobi nostri vitam & miracula prolixissime celebrauit, eiusque parentes plane præteriit, patriam autem p. 764. To. III. Operum editionis Parisiensis, ita descripsit: *Νίσιβίς ἐστι πόλις ἐν μεθορίῳ τῆς Ῥωμαίων καὶ περσῶν βασιλείας, ἡ πάλαι μὲν Ῥωμαίοις ἐδασμοφόρει, καὶ ὑπὸ τὴν τούτων ἡγεμονίαν ἐτέλει. Ἐκ ταύτης ὁρμώμενος ὁ μέγας Ἰάκωβος.* Consentit Theodorus Byzantius, qui docente Ger. Ioan. Vossio Lib. II. de Histor. Græcis cap. XXII. sexto ineunte sæculo floruit, & maioris Ecclesiæ Constantinopolitanæ Lector fuit, & in Excerptis Historiæ Ecclesiasticæ post alios ab Henrico Valesio editis, pag. 553. inquit: *ὁ νισιβινὸς ἦν ὁ μέγας Ἰάκωβος*, *Magnus Iacobus Nisibi erat oriundus*. Nisibis clara olim Mesopotamiæ vrbs fuit, & quæ de ea non apud Latinos tantum & Græcos, sed Arabicos etiam scriptores atque in numis occurrunt, ad satietatem vsque post Bochartum in Geographia congesserunt Iacobus Golius Notis in Alferganum a pag. 236. & Ezechiel Spanhemius Dissertatione nona de præstantia & vsu Numismatum. Quoniam vero hi præstantissimi libri omnibus non sunt ad manus, operæ pretium esse puto, nonnulla inde transferre. Nomen ciuitatis diuersimode scribitur, Nasibis, Nesibis, & Nisibis, ac postrema appellatio vulgo frequentius tradi solet. Sed Spanhemius secundam præfert pag. 908. quia domestica Numismatum auctoritate nitatur. Samuel Bochartus in eadem est sententia, sed aliam caussam allegat, quod *Nesibis* ad traditam illius vocis a Stephano originem propius accedere videatur. Testatur enim Stephanus Byzantinus in Opere de Vrbibus, nomen illud auctore Philone Syris notare *columnas*, Vranio Phœnicibus *congestos acervos*. Verum aliter ac conuenientius sentit Golius: *Vtique* נציבין *eodem modo ac Arabice* (نصيبين) *scriptum, plurale est: quapropter, teste Camousio, etiam* نصيبون *dicitur. Et sicuti nomen illud singulare Hebr. Chald. Arab. Stationis firmæ & fixæ significationem habet, ita Nisibin per se stationes &* præsidia, *vel* stationarios & præsides *notare manifestum est; vt talium potius, quam* columnarum *vrbs designari videatur.* Idque statim ex veteri vrbis illius historia probat Golius, quæ cum in confinio quondam fuerit regni Ro-

ma-

manorum & Persarum, nunc Romanorum, (nam coloniam eo diduxerat Philippus Arabs Imperator, vt ex numis præclare docet Spanhemius pag. 773.) nunc Persarum validis præsidiis communita habebatur, donec ex proditione Iouiani in perpetuam Persarum venit potestatem, vnde Persicæ ditionis ciuitas Socrati vocatur Histor. Eccles. Lib. VII. cap. 8. & Gennadius in Catalogo Iacobum nostrum nuncupat *Nisibenæ nobilis Persarum modo ciuitatis Episcopum*, vt in vulgatis libris habetur, siue vt ex Codice Corbeiensi legit Ioannes Mabillonius Tomo secundo Veterum Analectorum pag. 44. *Nisibi vrbis nobilis Episcopum, modo vero Persarum ciuitatis.* Cæterum celebris vrbs par cum aliis fatum experta est, quod his verbis Golius describit: *Hoc nostro tempore totam pene collapsam esse Nisibin, ab iis, qui reliquias spectarunt, accepi.* Cui geminum est Angeli a S. Ioseph testimonium, quod infra dabimus, cum ad sepulturam Iacobi Nisibensis perueniemus.

II. Satis de Iacobi Nisibensis patria diximus: Iacobi etiam Tentzelii natales describemus. Ita enim ipse initio Biographiæ suæ & locum vbi genitus, & parentes tempusque natiuitatis consignauit: *Natus ego Iacobus Tentzelius sum Greussenæ ipsis Calendis Augusti Anno cIↄ Iↄc XXX. Patre Ernesto Tentzelio, Consule, Matre, Barbam Happia.* Greussena oppidum Thuringiæ est haud spernendum, & magno quidem ædificiorum numero non abundat, agro tamen fertili præditum labores incolarum non sinit esse frustraneos. A quo suam acceperit originem, obscurum est, postquam magna monumentorum ciuilium pars tristi superioris sæculi incendio periit; vnde etiam de antiquo illius vrbis statu parum constat. Non possum tamē, quin adscribam memorabilem locum ex Paulli Iouii Chronico Schvvartzburgico adhuc inedito, quod Illustrissimo COMITE Arnstadiensi gratiose indulgente legendū mihi obtigit L. II. c. XV. p. 181. 182. A. 1260 als Marggraff Heinrich zu Meissen das Thüringer-Land wider die Hertzogin zu Braband mit streitender Hand erhalten/ hat er dasselbe beneben der Pfaltz zu Sachsen alsobald seinē Sohne Alberto übergeben uñ eingeräumet/ der denn hinwiederum in diesem Jahr Graff Heinrichen zu Honstein um seiner treuē Dienste willen/ die er ihm und seinem Herrn Vater in währendem Kriege bewiesen/ die Dörffer Greussen erstmals conferiret uñ verliehen/ so vormals und biß dahero zu dem Land-Graffthumb Thüringen gehörig gewesen/ hat ihm auch darneben vergönnet und zugelassen/ eine Burg/ oder Festung in gedachtem Greussen/ ausgenommen zu Marck-Greussen/ nach seinem Willen anzulegen und zu bauen. Hierauß ist abzunehmen/ daß mehr als zwey Greussen müssen gewest seyn/ wo aber das dritte gelegen gewesen/ davon habe ich keine Nachrichtung. Equidem a Comitibus Honsteinicis ad Schvvartzburgicos delatum est feudum illud,

illud, quo fit, vt hodienum Greuſſena Illuſtriſſimæ illi domui pareat. Perperam autem putat Iouius, tres olim fuiſſe Greuſſenas: nam non niſi duæ tam iſto quam noſtro tempore exſtiterunt, quorum vna eſt Tentzelii noſtri patria, altera pagus non longe ab ea diſſitus, qui Weſt-Greuſſen ab indigenis vocari ſolet. Impoſuit Iouio nomen Marck-Greuſſen/ qui tamen meminiſſe debuerat eorum, quæ Lib. v. cap. xxxii. pag. 813. ipſe refert de Günthero, vigeſimo nono huius nominis Comite Schvvartzburgico, daß Er ſeiner Gemahlin anno 1396. verſchrieben hundert Marck löthiges Silbers jährlicher Gülte zum Leibgeding an der Stadt Marck-Greuſſen und Clingen. Vnde autem hæc denominatio ſumta ſit, non ſatis cognitum habeo. Videtur ea ſapere antiquiſſimam Gothorum, a quibus Thuringi etiam natales ſuos deriuant, linguam & idioma, quibus Markos *ſunt Limites vel termini alicuius regionis*, vt ex Noui Teſtamenti verſione Gothica aliisque argumentis probauit Franciſcus Iunius in Gloſſario Gothico pag. 248. Quare aliqua ratione daretur quoque conuenientia inter vtriusque Iacobi patriam. Niſibis enim terminus fuit imperii Romanorum & Perſarum. Cuius autem tractus limes fuerit Greuſſena, hactenus compertum nobis haud eſt.

III. Quemadmodum iuuentutis annos transegerit Iacobus Niſibenſis, prolixe enarrat Theodoretus in Hiſtoria Religioſa, refertque eum legiſſe vitam ſolitariam, & in ſiluis montibusque commoratum fructibus arborum oleribusq; ad vitam ſuſtentandam vſum eſſe. Corpus autem affligendo ſpiritale alimentum animæ quotidie ſuppeditaſſe, & prophetica futurorum præuiſione miraculisque claruiſſe, quorum vnum in Perſide ab ipſo perpetratum latius deſcribit, idq; breuioribus verbis a Theodoro Lectore p. 553. comprehenſum recenſebimus: ὅπως δὲ ἦν ἐνάρετος, ἔδειξε τὸ περὶ τὰς πλυνούσας ἑλληνίδας κόρας ἐν τῇ πηγῇ, αἵτινες ἀπὸ τοῦ ῥήματι ἰακώβου ἐπολιώθησαν, καὶ ἡ πηγὴ ἐξηράνθη, ἣν εὐξάμενος πάλιν, ἀπεκατέστησε. τὰς μέντοι κόρας πεπολιῶσθαι κατέλιπε. *Quanto autem virtute præditus fuerit, apparet ex miraculo, quod factum eſt in puellis quibusdam Gentilibus, quæ lauabant in fonte. Ita enim poſt imprecationem Iacobi incanuerunt, & fons ipſe exaruit, quem mox Iacobus Orationibus ſuis reſtituit: Puellas vero ipſas canas reliquit.* Aliud miraculum ſubiicit Theodoretus, de quodam iudice Perſa iniquam ſententiam proferente; qui ad reuocandam priorem, melioremque dicendam impulſus fuerit maximi lapidis comminutione poſt Iacobi execrationem facta. Inde ad Epiſcopatum vrbis patriæ promotus eſt, quo facto habitationem quidem montanam cum vrbana οὐ κατὰ γνώμην, *non ex animi ſententia* commutauit, ſed tamen nec cibum nec veſtitum aliter inſtituit. In eo officio curam geſſit indigentium omnium, & viduis

orphanis, iniuriaque oppresſis attulit auxilium, quam in rem citato loco Theodoretus pluribus videri poteſt.

IV. Nec perdidit adoleſcentiam beatus Parens meus, ſed egregiam indolem ſtupendamque memoriam nactus libentisſime animo comprehendit, quæ ad ſolidam eruditionem faciunt: eaque comparata per Diaconatus gradum in Eccleſia patria acceptum ad ſuperiores adſcendit. Audiamus verba ipſius ex citata Biographia: *Poſt iacta in ſinu matris & intra priuatos parietes pietatis fundamenta initio quidem Scholæ Greuſſenſi concreditus, paullo autem poſt ob maximos belli motus Erfordiam anno 1636. miſſus, ibique ſub informatione diuerſorum præceptorum priuatorum ad annum vsque 1643. educatus fui, quo ipſo Greuſſenam redux ibi Duce chariſſimo fratre, Erneſto Tentzelio, vlterius literis incubui, atque eos per Dei benedictionem progreſſus feci, vt anno 1647. menſe Nouembri ad Academiam Wittebergenſem miſſus fuerim, quam ingreſſus S. Theologiæ præcipue nomen dedi, in ſimul tamen ſtudia quoque Philoſophica tractaui, atque d. 23. Aprilis 1649. ſummum in Philoſophia gradum adeptus ſum, quo excitatus Domin. Iudica 1650. primum Collegium priuatum publice de conſenſu Facultatis Philoſophicæ aperui, ſequentibus etiam annis Linguas, Græcam, Ebræam, Chaldæam, Syram atque Arabicam, nec minus omnes fere Philoſophiæ partes legendo & reſpectiue etiam diſputando priuatim propoſui, & in Philoſophia Reſpondentis ter & vltra vicies publicas Præſidis partes ſuſtinui. Anno 1654. Calendis Maii in numerum Adiunctorum Facultatis Philoſophicæ publice receptus ſum. In Theologia ſexies reſpondentis partes in me ſuſcepi, bis Diſputatiorum Auctor. Anno 1655. a Facultate Theologica poteſtatem Theologica tam legendo quam diſputando priuatim tractandi eaque publice intimandi accepi. Anno 1657. ad Diaconatum Greuſſenſem d. 2. Maii legitime vocatus ſum. Eodem anno a Facultate Theologica Wittebergenſi Licentiam aſſumendi gradum in Theologia ſummum petii eamque impetraui, vt d. 23. Septembris poſt exhibita conſueta ſpecimina a Dn. D. Andrea Kunado, tunc Decano, ſolenniter Licentiatus Theologiæ renunciatus fuerim. D. 24. Octobris eiusdem anni Witteberga ad ſuſceptam functionem Eccleſiaſticam abii, dieque 29. Octobris Greuſſenam perueni. D. 15. Nouembris ſeu Domin. XXV. poſt Trinit. Ebelebiæ ordinatus ſum, d. 22. Nouembr. ſeu Domin. XXVI poſt Trinit. Concionem meam inauguralem habui. D. 10. Decembris a Perilluſtri & Generoſiſſimo Dn. Dn. Ludouico Günthero, Com. de Svvartzburg & Hohnſtein &c. Domino meo perquam gratioſo, confirmationem in Diaconatu Greuſſenſi, aſſecuratam promisſionem ſucceſſionis in Paſtoratu Greuſſenſi & Inſpectionis, nec minus vocationem ad Aſſeſſuram Conſiſtorii Ebelebia-Svvartzburgici accepi. Anno 1658. d. 16. Febr. cum lectiſſima virgine Sophia Eliſabetha, B. Wilhelmi Lyſeri, SS. Theologiæ D. & PP. Wittebergenſis, relicta filia ſponſalia publica celebraui. Idem*

matri-

matrimonium d. XX. Aprilis eiusdem anni Witteberga consummaui, post d. 8. Maii cum hac Mea Greussenam veni. Eodem anno d. VI. Nouembris Inspectio Ecclesiastica siue Superintendentura, quam vocant, Comitatus Svvartzburgici portionis Ebelebiensis demandata mihi fuit, quam sicut in nomine SS. Trinitatis in me suscepi, ita d. XXV. Nnuembris omnes Domini Pastores numero XXI. reuerentiam & obedientiam stipulata manu mihi promiserunt. Anno 1659. Pastoratu Greussensi post excessum Dn. Christoph. Toppii vacante vocatio ante biennium promissa d. XX. Maii mihi exhibita atque paulo post Generosissimi Comitis nostri Confirmatione corroborata fuit. Anno 1662. d. XIII. Octobris Witteberga a Dn. D. Ioh. Andrea Quenstedt Doctor Theologia solenniter renunciatus fui inter septem competitores secundus, sumtus erogante maximam partem Illustrissimo Dn. Dno. Ludouico Günthero Com. Svvartzburgico, Domino meo gratiosissimo. Faxit DEus vt noui honores in ipsius gloriam & Ecclesia emolumentum cedant. Porro noster Greussenæ permansit vsque ad an. 1671. quo Arnstadiam ab eodem Illustrissimo Comite ad primarii Antistitis munus, & quæ ei connexa sunt, translatus est, quod vsque ad vitæ finem strenue administrauit, quanquam ad splendidissimas Professiones Theologicas in Academiis Wittenbergensi, Regiomontana & Ienensi, aliasque functiones Ecclesiasticas in clarissimis quibusdam vrbibus obeundas vel denominatus vel requisitus fuit. In eo autem cum Iacobo Nisibensi comparari potest, quod in patria pariter præcipuo Sacerdotii officio functus est, nec minori cura pupillos aliosque pauperes respexit: siquidem artibus inprimis liberalibus deditos liberaliter prosequutus Stipendia in Schola Arnstadiensi ipsis destinata, quorum vsus pæne collapsus erat, in integrum restituit, atque quotannis distribui curauit.

V. Vterque porro Iacobus noster tantam spartam nactus vita & scriptis ornandam sibi censuit. Iacobo Nisibensi ἀποστολικὴν πολιτείαν, *Apostolicam conuersationem* tribuit Theodoretus, ac de eo adserit, quod τῆς Ἀποστολικῆς χάριτος τὰς ἀκτίνας ἠφίει, *Apostolica gratia radiis coruscarit.* Equidem πολιτείας Græci scriptores Ecclesiastici sæpe pro bonis operibus vitæque integritate solent vsurpare, vt ex Chrysostomo docet Isaacus Casaubonus Exerc. 1. ad Annales Baronii diatriba 9. pag. 43. & pluribus explicat Notis in Nysseni Epistolam ad Eustathiam pag. 65. sq. cui iungi merentur Grotius in Appendice epistolarum num. 365. & Desiderius Heraldus, Notis in Tertulliani Apologeticum a pagina 287. Multa eam in rem exempla suppeditat Clementis Romani epistola ad Corinthios, vnde nonnulla adferre operæ pretium existimo. Nam cap. II. Corinthios ante schisma exortum vocat τῇ παναρέτῳ καὶ σεβασμίῳ πολιτείᾳ κεκοσμημένους, *ornatos veneranda & omnibus numeris absoluta conuersatione.* Et verbum πολιτεύομαι sæpe in ea significatione accipit, Paullumque &

Petrum Apostolos cap. VI. nuncupat *ἄνδρας θείως πολιτευσαμένους*, vti Patritius quidem Iunius edidit, sed Ioannes Fellus Notis in secundam Clementis epistolam ad pag. 14. legendum pronunciat *ὁσίως*. Quum enim illius epistolæ auctor suos hortetur ad *ἔργα ὅσια καὶ δίκαια*, Fellus sequentia animaduertit: *Sic lego admonente viro erudito, qui codicem Alexandrinum diligenter euoluens obseruauit θεῖα non semel pro ὅσια literarum ductu admodum consimili Iunium fallente substitui. Vnde speciatim cap. 6. primæ epistolæ lectio corrigenda est, vt scribatur ὁσίως, non θείως πολιτευσαμένοις. Quanquam enim dicamur θείας κοινωνοὶ φύσεως 2. Pet. 1. 4. & Matth. 5. 48. iubeamur τέλειοι εἶναι ὥσπερ ὁ πατὴρ ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς τέλειός ἐστι, nullibi facile occurrit istiusmodi dicendi formula, vt dicantur aliqui θείως πολιτεύεσθαι.* Inde autem colligere licet, quid sit *Ἀποστολικὴ πολιτεία*, quam in Iacobo Nisibensi laudat Theodoretus, qui tamen strictius id vocabuli accipere videtur, vt *Ἀποστολικὴν χάριν* simul includat, quam ipsi pariter tribuit in Philotheo pag. 768. *Χάρισμα* nimirum miraculorum præcipue respicit, vbicunque Iacobi meminit, maximis encomiis commemorat. Tria autem miracula ab eo in Episcopatu facta refert in Historia religiosa, quorum primum est de mortuo suscitato, cuius & meminit lib. 1. Hist. Eccles. cap. 7. *Ἰάκωβος μὲν γὰρ ὁ ἀντιοχείας τῆς μυγδονίας, σύροι δὲ αὐτὴν καὶ ἀσσύριοι νίσιβιν ὀνομάζουσι, καὶ νεκροὺς ἀνέστησε καὶ ἐν τοῖς ζῶσι συνέταξε, καὶ ἄλλα μυρία εἰργάσατο θαύματα.* Secundum est de morte Arii, quem ait Nicææ periisse statim a Concilio, Iacobo ieiunium omnibus persuadente; cum Alexandriæ Episcopus renueret hæresiarcham recipere. Verum Ioan. Garnerius in Auctario Theodoreti Parisiis edito, Dissert. II. de Libris eius pag. 200. censet, *memoria lapsum esse Theodoretum. Nam constat certis testimoniis, Arium Constantinopoli periisse, decimo post Concilium anno, Iacobo procul posito, Alexandro Constantinopolis Præsule renuente Arium in Ecclesiam recipere, Macario Alexandrino Presbytero preces suas Præsulis Constantinopolitani precibus adiungente. Videndus Socrates lib. 1. cap. 25. Sozomenus lib. 2. cap. 18. & Theodoretus ipse libro 1. Hist. Eccles. vbi suum huiusce loci errorem allatis Athanasii rem totam narrantis literis ad Apionem tacite reuocat. Mirum profecto tantum Theodoreti errorem non fuisse obseruatum a Baronio, viro tam perspicaci: mirum quoque per incogitantiam a Valesio latino Interprete & ab interprete Gallico Valesium secuto in re tam aperta peccatum esse. Historiam enim Ecclesiasticam cum Religiosa confuderunt: in hac siquidem est error, quem illi tribuerunt, in qua tamen de Arii morte nihil, nisi Athanasii verbis, exacte ad veritatem refertur.* Interpres Gallicus, quem notat Garnerius, est Dominus Cousin, Curiæ Monetariæ Præses, qui Historiam Theodoreti Ecclesiasticam ex versione Latina Valesii Gallice edidit, vt idem Garnerius docet p. 206. sed verba Valesii, quæ Cousinum decepisse

vult

vult Garnerius, notis ad Lib. I. Hist. Eccl. Theodoreti Cap. XIV. reperiuntur. Cæterum ex hoc loco satis patere existimo, Theodoretum magis vulgi sermonibus, quam accuratiori recensioni in Philotheo studuisse, quod multas in eo libro narrationes suspectas reddit. Tertium miraculum, in quo admodum prolixus est Theodoretus, tam in Historia Religiosa, quam Ecclesiastica lib. II. c. 30. brevioribus lineis describitur a Philostorgio Lib. III. Histor. Eccles. tmemate 23. quod in editione Valesii correctius habetur, quam in priori a Iacobo Gothofredo concinnata. *Ait* autem *Philostorgius, Saporem Persarum Regem Romanis bellum intulisse, & Nisibin vrbem oppugnasse: verum re infecta, præter omnium opinionem, pudore affectum recessisse, cum Iacobus vrbis illius Episcopus, ciuibus quid faciendum esset commonstrasset, & firma in Deum spe ac fiducia pro salute vrbis admirabiliter propugnasset;* vt vertit Valesius. Gothofredus in Dissertationibus pag. 184. adstruit inde Petauii ad Iulianum & Valesii ad Marcellinum *verum sententiam, qui tres diuersas Nisibis obsidiones recte distinguentes, hanc secundam, & Iacobi Episc. Nisibeni factum, ad A. D. 350. referendum ostenderunt; Id enim ex ipsa capitum serie apud* Philostorgium *apparet, factum indicari circa tempus cædis Constantis Imp. & tyrannidis Magnentianæ: quod omnino congruit A. D. 350.* Porro Valesius in Notis ad Theodoretum ostendit, eum memoria lapsum esse, & duas priores Nisibis obsidiones in vnam confudisse, cui accedit Garnerius supra citato loco. Nimium vero fidit Valesius Chronico Alexandrino, quod in secunda illa Nisibis obsidione non Iacobum, sed Vologesum urbis Episcopum facit; vnde etiam Pagius in Critica Baroniana ad A. C. 350. num. v. de altera obsidione tam Iulianum, quam Theodoretum, Theophanem & Philostorgium accipit, quanquam de Iacobo plane tacet. Nec minus alucinatur Abulpharagius, qui duas Nisibis obsidiones miraculosis precibus solutas esse vult, alteram quidem Iacobi & Ephremi pag. 85. alteram Ephremi solius orationibus pag. 87. sed instar soricis se prodit, quando ciniphes & culices Elephantis immissos Ephremi precibus tribuit, quod de Iacobo disertissime adfirmat Theodoretus. Multo vero magis errauit Patricides, quando To. I. Annalium pag. 376. Nisibin obsessam scribit a Sapore sub imperio Antonini Caracallæ, & paullo post precibus a toto Saporis exercitu ad Deum fusis expugnatam somniat; quam ipsi a Iouiniano Imp. traditam fuisse certiora Ammiani Marcellini, Theodoreti, Gennadii, Agathiæ & Procopii testimonia clarissime euincunt. His nouum addendum venit miraculum, si vera sunt, quæ in Martyrologio a Francisco Maria Florentinio in lucem prolato Idibus Iulii de Iacobo nostro leguntur: *Arcam Noë solus vidit in monte, nullus alius de his, qui cum eo perrexerunt, videre est permissum.* Florentinius, cum in nullo alio vetusto scriptore eius rei memoria occurrat, *vix dubitat* pag. 663. *episodium præter morem additum esse;* ab antiquo quidem tempo-

re, cum Notkerus eadem fere habeat: *Arcam Noë solus in Monte Armenio Tauro videre promeruit, quod nulli alii de his, qui cum eo perrexerunt, videre permissum est.* Deinde probat Florentinius ex Eusebio & Philostorgio, arcæ reliquias Iacobi nostri tempore in monte Tauro siue Ararat superfuisse; imo ad Beniamini Tudelensis ætatem perdurasse, ex cuius Itinerario pateat, Nisibin bidui tantum itinere inde distare. Hinc ergo concludit Florentinius: *Ex proxima igitur Nisibe S. Episcopum ad Arcæ reliquias videndas perrexisse non est incongruum, & fortasse ex infidelitate, eius itineris socios* (socii) *easdem videre non meruerunt, cum alioquin scriptores adducti nequaquam quibusdam inuisibilia esse narrent.* Sed vereor, vt cuiquam sententiam suam persuaserit Florentinius. Quis enim credat, Theodoretum (ne de aliis dicam) insigne illud documentum diuinæ gratiæ prætериisse, qui omnia ad laudem Iacobi pertinentia sollicite inquirit? vt taceam, ne hodie quidem peculiari sanctitate opus esse ad rudera Arcæ spectanda, quæ ante 20. & plures annos contemplatus est Eremita quidam Romæ natus, Dominicus Alexander nomine; qua de re plurima notatu digna videre licet in Iani Iansenii Straussii Itinerario, qui Eremitam in isto monte habitantem adiit.

VI. In Iacobo etiam Tentzelio eiusmodi conuersatio eluxit, qua Apostolorum vestigia presso pede sequebatur, & Episcopi πολιτείαν a Paullo præscriptam irretortis oculis contemplabatur, omnique opera ad eam se componebat. Pudor filialis prohibet, quo minus in eo laudando amplius progrediar, sed Lectorem potius ad sermones exequiales remittam, in quibus virtutes eius ad viuum depictæ cernuntur. Fateor, talia miracula eum non patrasse, qualia Iacobo Nisibensi a Theodoreto adscribuntur. At præterquam quod quorundam ex iis fluxa admodum fides est, nihil sane Pontificiis inde accedit, quod nec Lutherus, nec alii Lutheranæ Ecclesiæ ministri mortuos suscitant, aut similibus miraculosis actionibus splendent, vti Theologi Nostrates pridem edocuerunt, eo præsertim argumento, quod constat, hæreticos etiam miraculis fidem sibi facere voluisse, eumque in finem plurima Arianorum miracula recensere Philostorgium, quæ Iacobi Nisibeni tempore ab iis fuerint perpetrata; quare ab orthodoxis Doctoribus Iacobo coæuis miracula nec pro veræ Ecclesiæ nota nec pro fidei principio habita fuisse ex eorundem scriptis docet Bebelius noster Sæc. IV. Parte I. Artic. III. pag. 695. 696. & Parte II. Artic. VIII. pag. 680. qui porro Artic. X. a pag. 957. monstrat, donum miraculorum aliis etiam quarti sæculi hominibus ad conuersionem Ethnicorum facilius procurandam collatum fuisse, cui sane Tentzelius noster destinatus non erat, sed in ea regione degebat, quæ ab ethnicorum idolis dudum purgata habetur. Præterea verum miraculorum vsum ipse aliquoties determinat atque defendit in Vindiciis Anti Frommianis, & quemadmodum hodienum spiritualia miracula veri verbi præcones operentur, Lutheri verbis exemploque confirmat

pag.

pag. 687. & 688. Imo precibus maxime apud Deum valuit, eundem sæpius exorando, vt mala diœcesi suæ impendentia auerteret, nec dubito, quin apud æquos rerum iudices idem encomium ipsi tribuatur, quod Iacobo Nisibensi adscripsit Theodoretus pag. 765. Ἐντεῦθεν ἡ πρὸς τὸν θεὸν αὐτῷ παῤῥησία καθ' ἑκάστην ηὔξατο τὴν ἡμέραν, καὶ αὐτῶν ἃ τὸν θεὸν αἰτεῖν ἔδει, παραυτίκα ἐλάμβανεν. *Hinc eius in Deum fiducia augebatur indies, & a Deo petens, quæ petere oportebat, ea statim obtinebat.*

VII. Vitæ sanctitatem vterque Iacobus noster puritate doctrinæ auxit. De Nisibensi egregium est Athanasii in prima aduersus Arianos Oratione testimonium, quod commodiori loco reseruabo. Is enim non minus ac Athanasius orthodoxiam contra Arianos strenue defendit, ac proinde *Sapientis cognomentum* meruit, tradente Gennadio, cuius rationem Bebelius noster Sæculi quarti Parte 1. Artic. 1. num. 202. pag. 266. ita refert: *Specialius commendatur ab orthodoxia; Nam fuit inter eos Nicænos patres, qui* τὸ ὁμοούσιον *strenue asseruerunt, dignus proinde habitus, qui* κατ' ἐξοχὴν Sapiens *vocaretur.* Norunt omnes, qui Iacobum Tentzelium norunt, quantopere is ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων in sermonibus suis seruarit. Non a Pontificiorum tantum superstitionibus & Caluinianorum cæterorumque hæreticorum fraudibus abhorrebat, sed nouatorum quoque artes toto pectore execrabatur. Neque dogmata tantum malesana oderat, sed modos etiam loquendi nouos insuetosque fugiebat. Fanaticorum quoque somnia respuebat, hominesque iis deditos ad meliorem reducebat frugem. Memini quum aliquando nonnulla Valentini Weigelii & Paulli Nagelii, enthusiasticorum hominum, scripta in Bibliotheca eius conspicerem, atque interrogarem, cur ea rudius consuta essent, nec vllam compingendi artem referrent? ipsum respondisse, quod cuiusdam Parochi Diœcesis suæ fuerint, qui nimio rerum phantasticarum amore captus ea in delitiis habuerit, sed erroris conuictus semina quoque tradere iussus fuerit, ne denuo in posterum insaniret.

VIII. Neuter porro Iacobus satis habebat, zelum pro diuiniori doctrina voce tantum profiteri, sed scriptis etiam eundem orbi contestati sunt. Equidem de Iacobi Nisibensis libris controuersiam mouet Garnerius, citato loco *obseruans, de doctrina librisque Iacobi Nisibeni nihil a Theodoreto scriptum esse, cum tamen ad commendationem plurimum faceret: nihil ab Hieronymo, siue in Chronico, siue in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum: nihil pariter ab Hebed Iesu, diligente cæteroquin librorum Syrorum inquisitore: nihil ab vllo veterum, præter vnum Gennadium, qui viginti quatuor libros recenset. Verum Gennadii auctoritas non videtur mihi tanta, vt omnem scrupulum euellat. Vnde enim nouit Syriaca opera, qui vix nouit Græca? Vnde scit ab Hieronymo prætermissa; propterea quod nondum in Græcam linguam versa essent; nec Hieronymus intelligeret adhuc Syriacam linguam?*

linguam? An conuersa fuerunt postea, & in Græcam & in Latinam linguam, vt innotescere possent Gennadio, non peritissimo, vt videtur, linguæ Græcæ? Si conuersa sunt in vtramque linguam, quomodo perierunt omnino, cum forent in triplicem quasi orbem sparsa, Latinum, Græcum & Syrum? Cur nulli Veterum nota; ne Photio quidem, tanto Scriptorum veterum, tamque curioso censori? Augetur ex eo suspicio, quod Gennadius cognomentum Sapientis Iacobo tribuat tanquam vulgatum, cuius tamen nemo meminit, nisi qui Gennadium exscripsit. Vnde crediderim facile, supposita fuisse Iacobo Nisibeno scripta, quæ Iacobi alterius, vt puta Amideni Eremitæ clarissimi, forent. Sed in tanta obscuritate cui adhæream, nullus scio.
Sed non est opus, vt quisquam moueatur Garnerii obiectionibus ad dubitandum de Iacobi Nisibensis operibus, quæ ab aliis Scriptoribus ipsi tribuuntur. Video, Garnerium in ea esse opinione, quasi nullus veterum præter Gennadium scripta Iacobi commemorauerit, ac recentiores aliquid de iis tradentes eundem exscripserint. Neutrum autem veritati consentaneum esse mox docebo. Neque tamen testem aduocabo Nicephorum Callistum, fabulatorem insignem, Libro XV. Histor. Eccles. cap. 22. Iacobum Monachum, qui Leonis Augusti temporibus vixit & encyclicis eius respondit, confundentem cum Iacobo Nisibeno, qui Constantii temporibus vixerat. *Sed grauiter hallucinatur*, iudice Valesio Notis in librum primum Historiæ Ecclesiasticæ Theodori Lectoris pag. 162. quod idem prolixius diduxit Annotationibus ad Euagrii Lib. 2. cap. 9. Potuisset sane Nicephorus errorem suum emendare ex Theodoro illo, cuius Eclogas hodie tantum superstites ipse dictauerat, vt in Præfatione monuit Valesius. Ita enim ibi legimus pag. 552. *δεῖ εἰθέναι ὅτι οὗτος Ἰάκωβος* (Nisibenus) *ὁ κατὰ τὸ θαῦμα τὸ περὶ τὴν πηγὴν καὶ τὰς κόρας ποιήσας, οὐκ ἔστιν ὁ ἀντιγράψας πρὸς τὰ ἐγκύκλια. οὗτος ὁ νισιβινὸς, ἐν τοῖς κωνσταντίου ἦν χρόνοις. πλὴν καὶ οὗτος ὁ δεύτερος Ἰάκωβος μέγας ἦν ἐπὶ θαύμασιν, ὡς φησιν ἐν τῇ Φιλοθέῳ ἱστορίᾳ θεοδώρειτος. Sciendum porro est, Iacobum hunc, qui istud miraculum in fonte & in puellis perpetrauit, alium esse ab eo, qui ad Encyclicas literas rescripsit. Nam Nisibenus quidem ille vixit temporibus Constantii. Hic tamen iunior Iacobus miraculis quoque clarus fuit, vt testatur Theodoritus in historia Philotheo.* Andreas Masius par *μνημονικὸν ἁμάρτημα* commisit Præfatione in Mosen Bar Cepha, quando Scriptores Syros ab eo allegatos recenset, apud Hottingerum in Bibliothecario Quadripartito pag. 227. *Nominat & Iacobum Orrohaitam, hoc est Edessenum, qui illius Ephrem, vt Syri affirmant, fuit præceptor. Nam & Ephrem Edessenus fuit. Rohai enim, vel vt Arabes præposito Articulo pronunciant, Orrohaia, ciuitas est Mesopotamiæ, in ipso limine primo occurrens, simul atque Euphratem transmisisti a Berroea, quæ nunc Aleppo vocatur, profectus, a qua abest itinere circiter tridui: dicitur vero etiam alio nomine Bethnabaraim, ac si Mesopotami-*
am

am dicas, a Syris. Recte quidem Masius Roham dicit Edessam Mesopotamiæ vrbem esse, passimque eo nomine reprehenditur Seldenus, quod in Notis ad Eutychium pag. 181. scripserit, *vbinam hæc Rhea, ego me nescire fateor.* Vapulat enim propterea non Abrahamo tantum Ecchellensi Notis in capitulum LXXII. Catalogi Ebediesu pag. 82. sed ex ipsis etiam Anglis Ioan. Pearsonio Parte I. Vindiciarum Epistolarum Ignatii cap. X. pag. 172. & Ioan. Gregorio capite XXXIV. Notarum & obseruationum in loca aliquot S. Scripturæ, quæ rara eruditione refertæ Anglico idiomate seorsim prodierunt, & ex Latina Richarti Stokes versione Tomo nono Criticorum Sacrorum Londini editorum insertæ sunt. Excusat autem Seldeni παρόραμα Hottingerus in Topographia Ecclesiæ Orientalis pag. 9. & Masius a nobis facile veniam merebitur, quod *Orrohaiæ* denominationem ex Arabismo deriuauit, quam mere Syriacam esse docet Pocockius in Appendice Notarum ad Specimen Historiæ Arabum pag. 359. *Iacobus Rohavviensis seu Rohensis ab vrbe* رها *Roha denominatus, quam Edessam esse volunt. Hebræi* רוהא *efferunt. Syri* ܐܘܪܗܝ *vnde Iacobus iste Syriace* ܐܘܪܗܝܐ *Vrhoyo.* Sic apud Abrahamum Whelocum Notis in Euangelia Persica, Cap. II. Matthæi ex Bar-Bahlul, Syro Lexicographo, citat *Iacobum Vrhiæ*, mallem *Vrhoiæ*; quemadmodum Ioan. Gregorius *Iacobum Episcopum Vrhoiæ* vocat, additque in margine, eundem *citari sæpius in Catena Arabica nomine Iacobi Alrohaui, quod idem est.* Elegans quoque est coniectura Golii Notis in Alferganum pag. 244. Disputans enim de loco Plinii (qui lib. 5. cap. 24. Callirhöen Mesopotamiæ iuxta Edessam & Charras recenset & a fonte nominatam inquit) his eam verbis proponit: *Plinii verba ad ipsam referri Edessam possunt, vt quæ ob pulcherrimum fontem intra sua mœnia scaturientem meruerit Callirhoë dici: vnde per Aphæresin factum* الرها *Roha nomen, Arabibus vsitatum, quo duntaxat Edessam designant, esse deriuatum videatur.* Nos prudentis Lectoris iudicio hæc submittentes ad Masium redimus, cui pariter condonamus confusionem Iacobi Nisibeni & Edesseni in eo commissam, quando Ephremum, Syriacæ Ecclesiæ splendidissimum lumen, Iacobi Edesseni discipulum fuisse scripsit, quem e Nisibeni schola prodiisse docebimus. Inductus in hunc errorem Masius est a Syris, præcipue a Doctore suo, Mose Mardeno, qui veteris historiæ ignarus eiusmodi errores plurimos commisit. Cæterum Iacobus ille Rohensis siue Edessenus celeberrimi inter Maronitas nominis est, & quanquam ætatem eius certo non possim determinare, haud leuibus tamen coniecturis ducor, eum & Iacobo Nisibensi & Ephremo recentiorem esse, quod eo magis statuere oportet, si Emanueli a Schelstrate accedimus, qui in Concil. Antioch. Illustr. pag 87. tempore Concilii Niceni Ethilaum & Antiocheni Ætherium ecclesiæ Edessenæ præ-

fuisse putat. Scripsit autem Iacobus ille Edessenus *Hexaëmeron ad Constantinum, seu Historiam Creationis & creatarum Rerum*, quod opus hodie in Bibliotheca Lugduno-Batava adseruatur, & ex Oriente eo aduectum est a Iacobo Golio, teste Theoph. Spizelio in Arcanis Bibliothecarum retectis pag. 142. Id Hexaemeron respexisse videtur Moses ille Bar Cepha a Masio editus in Commentario de Paradiso Parte I. Cap. I. & XIV. & P. II. Cap. VII. quanquam duobus posterioribus locis nudum Iacobi nomen memorat, primo autem *Sermonem de Theologia* appellat: nec aliud scriptum intelligunt scriptores Arabes, tam Abul Pharagius in Historia Dynastiarum pag. 4. vbi Gregorii Nysseni & Iacobi Rohensis sententiam de simultanea rerum omnium creatione refert; quam Auonymus auctor Catenæ Arabicæ a Ioanne Gregorio sæpius citatæ, cuius etiam meminit Iacobus Vsserius Chronol. Sacræ cap. VI. eumque vocat *collectorem Catenæ in Pentateuchum Arabicæ, quæ in Bodliana Bibliotheca habetur.* Cum itaque ipsi Orientales Iacobo Edesseno Hexaemeron tribuunt, tum nescio, an satis accurate id Iacobo nostro Nisibeno adscribat Guil. Caue in Historia litteraria p. 141. Allegato enim Codice MSto Lugdunensi per Golium aduecto subiicit: *An vero Iacobi nostri opus sit, iudicent alii: certe temporis ratio optime congruit.* Videtur Cauium mouere Constantini nomen, quod is ad Constantinum Magnum refert. Sed in Catalogo neque Magni, neque Imperatoris nomen additur, vt incerti plane simus, cui inter tot Constantinos, non tantum Imperatores, sed alios quoque in re sacra & ciuili principes, Hexaemeron istud fuerit dedicatum. Operæ itaque pretium faciet, qui MStum Leydense accuratius euoluere, locatam a Syris, Abulpharagio & Bar Cepha, quam in Catena Arabica, sub Iacobi Edesseni nomine citata, cum eo conferre, denique Constantini istius characteres reuelare dignabitur: quo pacto finis controuersiæ facile imponetur, verusque Hexaemeri illius auctor eruetur. Porro *Iacobus Edessenus scripsit Annales & Chronicon*, vt Syriaca Ebediesu verba cap. CLXXV. interpretatus est Abraham Echellensis, illosque Annales consuluisse puto Abul Pharagium pag. II. 33. 34. Alium *librum de Baptismo* commemorat Hottingerus in Biblioth. Orientali p. 292.

ܟܬܒܐ ܕܡܥܡܘܕܝܬܐ ܕܡܪܝ ܝܥܩܘܒ ܐܘܪܗܝܐ

Scriptum de Baptismo Mor Iacobi, Edesseni. Habetur MSc. in Bibliotheca Tubingensi publica, quem etiam vidi ante biennium. Denique Abraham Ecchellensis Notis in Catalogum Ebediesu cap. XXIX. Liturgiam tribuit Iacobo Edesseno, quem tamen Interpretis solum partes obiisse ex Cornelii Schultingii Bibliotheca Theologica docet Vsserius Prolegom. Ignat. cap. I. *In Arabico quoque Liturgiarum Chaldaicarum siue Syriacarum Catalogo, quem habuit nuperus Antiochenus Patriarcha Ignatius, recensetur vna Clementis Papæ Græce composita,*

quam

quam Chaldæam fecit Thomas quidam Harchalanus post CCCCVII. annos a natiuitate Domini: & altera sancti Ignatii, Græce composita Antiochiæ, anno XXVII. post ascensionem Domini; quam Chaldæam fecit Iacobus Episcopus Robanus. Mirum forte videbitur Lectori, quod in Iacobo Edesseno eiusq; scriptis prolixior sim, quem tamen a Nisibeno distinctum esse antea monui. Sed duabus inprimis de caussis id feci: tum, ne putaret aliquis, Masii & Præceptorum eius Syrorum auctoritatem obiici posse Garnerio, cui sane Iacobus Edessenus si non aliunde, ex Ebediesu saltem minime ignotus erat: tum, vt ostenderem, ex nudo Iacobi vt apud Syros celebris scriptoris nomine cognitu difficile esse, an Nisibenus, an Edessenus, an alius (quorum duos præter Edessenum Ebediesu recenset) intelligendus veniat. Eiusmodi est *Mor Iacob*, cuius variæ preces in ܒܝܬ ܓܙܐ siue Gazophylacio, rituali Syrorum libro, tradi post Widmanstadium & Boderianum Præfat. in Nouum Testamentum Syriacum, obseruat Hottingerus in Topographia Eccles. Orient. a pagina 129. qui existimat, Iacobum illum Iacobitarum Doctorem fuisse, idque probat ex pag. 11. vbi *Mor Iacobo tribuitur precatio ad Beatam Virginem, forte ex principiis sectæ Iacobiticæ, quæ Christum credidit DEVM* ܠܐܠܗܐ *quod ex fine precationis videtur patere.* Forsan existimauerit aliquis, hunc Mor Iacobum non alium esse ab Edesseno, quem hactenus considerauimus, atque in inscriptione libri sui de Baptismo *Mor Iacob* vocari docuimus; sed Masius iterum intercedit & alium nobis nominat *Iacobum Sarugæ vrbis Episcopum, qui apud Syros vel solo nomine Mori Iacob notissimus est, scripsitque vt aiunt, Syrica lingua opera plurima, quæ ab omnibus Ecclesiis auide leguntur, siue illæ Nestorianorum sint, siue Iacobitarum, Maronitarum* &c. Confirmari hæc possent ex Hottingeri sententia, existimantis, *difficulter dignosci posse, vtrum ad Melkitas, Iacobitas, an Nestorianos pertineat istud Gazophylacium*; quanquam Moses Mardenus Epistola vi. ad Masium dicat: ܐܝܬ ܒܗ ܨܠܘ̈ܬܐ ܕܥܕܬܐ ܕܝܠܢ *Sunt in eo preces Ecclesiæ nostræ*, eius nimirum, quam paullo post vocat ܥܕܬܐ ܝܥܩܘ̈ܒܝܐ ܣܘܪ̈ܝܝܐ *Ecclesiam Iacobitarum Syrorum*, vt videre est apud Andream Mullerum Dissert. de eodem Mesopotamico Iacobita pag. 6. Cæterum Iacobus ille Sarugensis sub Anastasio vixit Imperatore, circa confinia quinti sextique sæculi. Gregorius enim Abulpharagius in Historia Dynastiarum pag. 148. editionis Arabicæ, & pag. 93. Latinæ scribit: *Anno ipsius* (Anastasii) *vndecimo* (i. e. A. C. 501.) *magna accidit in regionibus Romanorum fames, multæque apparuerunt locustæ, quæ totum fere frumentum absumserunt; de qua re composuit* يعقوب السروجي *Iacobus Saruiiensis sermones.* Moses Bar Cepha P. 1. Commentarii de Paradiso Cap. xx. allegat *Domini Iacobi Sarugensis Orationem de eiecto Adamo ex Paradiso;*

diso; quæ eadem est cum *Commentario depulso Adamo extra Paradisum*, Cap. xxvi. citato, nec aliud scriptum intelligit Cap. xxviii. vbi *Domini Iacobi Sarugensis* sententiam de vestibus Adami ex Paradiso pulsi profert. Sed eodem Capite circa finem memoratur *Dominus Iacob Sarugensis ea Oratione, quam de Passione; & rursus ea, quam de Ascensu scripsit*; denique Part. iii. Cap. v. *Dominus Iacob Sarugensis ea Oratione, qua differit, fueritne Adam mortalis conditus, an immortalis.* Illustris Ludolfus Commentario ad Historiam Æthiopicam pag. 340. non solum monet, *Orationem Eucharisticam* (seu Liturgiam) *sancti Iacobi Serugensis* apud Habessinos prostare, vna cum homiliis eiusdem, in quibus *Magnus Doctor vrbis Serugæ vocetur. Est autem* Seruga *Vrbs Mesopotamiæ prope Harran siue Carras*, addit Ludolfus. Ad eundem modum Andreas Müllerus in Commentario de Monumento Sinico pag. 37. *Sarug Metropolis, est prouinciæ Diar Modthar in Mesopotamia, vti Nubiensis Clim. IV. 6. docet. Ibi quondam Episcopus erat Mor Iacobus, vir celeberrimus, Liturgiæ & Homiliarum scriptor, non Syris tantum, sed & Æthiopibus carus.* Quamobrem dubium non minus videri potest, cuius Iacobi scripta siue in Bibliotheca Lactantii Ptolomæi repererit Widmanstadius, quorum Præfatione in Nouum Testamentum facit mentionem; siue ex Oriente transmittere voluerit Moses ille Mardenus: Etenim Müllerus in citata Dissertatione pag. 11. recenset *partem librorum, quos Fuggeri impensis, Masiique consilio & ope, dato fideiussore, coëmere* promiserat idem Moses Epistola tertia ad Masium Syriace exarata, *Mosis Bar Cepha, Ephremi, Iacobi; Caussa Caussarum, Sapientia Sapientiarum* &c. Magis autem hæreo, cui sacra cantica adscribenda sint, quæ Athanasius Kircherus in Musurgia lib. iix. c. vii. §. 2. p. 129. his ornat encomiis: *Etsi multa ac varia apud Syros, in libris præcipue diuina officia continentibus, reperiantur carminum genera, tamen ne in illis enumerandis sine necessitate tempus teramus, cum ex iis quæ dicemus facile colligi possint; duo duntaxat eligemus, tanquam omnium nobilissima, frequentissima, maxime necessaria, dignaq; de quibus agatur, quibusq; potissimum opem det tur; Quorum quidem alterũ a S. Iacobo, alterum a S. Ephremo, eloquentissimis Doctoribus, ac maximis totius Orientis luminibus sunt constituta, sibique nomina sunt sortita, prius enim* ܡܫܘܚܬܐ ܝܥܩܘܒܝܬܐ Mschuchto iaakubeitho, *id est carmen Iacobiticum; alterum* ܐܦܪܝܡܝܬܐ Ephreimoitho, *id est Ephremiticum dicitur.* Mox Iacobiticum ait *constare ex tribus pausis, vt Syri loquuntur, quarum singulæ quatuor syllabarum esse debent.* Hæc omnia Kircherus verbotenus descripsit ex Georgii Amiræ, Syri Edeniensis e Libano, Grammatica Chaldaica siue Syriaca, qui lib. vi. Cap. iii. rationem vtriusque metri amplius explicat, pluraque Iacobitici exempla ex Missali & Breuiario Maronitarum profert. Sic etiam Richardus Simoni-

monius, Notis in Apologiam Gabrielis Philadelphiensis pag. 220. ex Missali Maronitico MSto: *Deinde sequuntur* Sedro S. Ephraim, *siue diuersa Canticorum genera, quæ Syri S. Ephremo tribuunt*, & Iacobitica, *quæ similiter Syri Iacobo Syro tribuunt.* In procliui quidem est opinari, carmina illa a Iacobo Nisibensi esse profecta, quoniam Ephremiticis præponuntur, ac verisimile est, Ephremum vt alia præceptoris sui facta, ita & sacrarum cantionum curam imitatum esse. Et quanquam neq; Amira, neq; Kircherus, neq; Simonius illorum auctorē *Nisibensem* diserte nominant, audacior tamen illis Gabriel Sionita est in epistola ad Bartoldum Nihusium, quæ ad calcem tomi primi Symmictorum Allatii legitur. Antiquitatem quippe Breuiarii Maronitici non inde tantum probat, quia *idem est apud Maronitas & Iacobitas, conformitas autem hæc orta est ex pristino circa fidem consensu, qui quarto demum sæculo in amara dissidia versus est:* sed etiam, quia continet *plures Hymnos & preces, a Diuis Iacobo Nisibeno & Aphremo Syris conscriptas.* Verum, qui pro Iacobo Sarugensi staret, facile duo ista argumenta posset reiicere, & in contrarium pari, si non maiori numero alia proferre. Etenim vti Syri Mor-Iacobi illius preces orationesque tam Maronitæ, quam Iacobitæ & Nestoriani, recipiunt & communi vsu conseruant, ita hymnorum ab eo compositorum eadem videretur esse ratio: & Sozomenus, Theodoretus atque Nicephorus Ephremi hymnos vt in Syrorum Ecclesiis receptos concelebrantes non omisissent forsan Iacobi Nisibensis carmina, si quædam ab eo composita fuissent. Sozomenus inprimis, dum haud perfunctorie Syrorum Poetas Musicosue Sacros recenset, Iacobum plane tacet, & Bardesanem tantum, Harmoniumque Ephremo præponit, quos hic sequutus orthodoxa carmina ad numeros Harmonii composuerit; præceptorem procul dubio suum, Iacobum Nisibensem, multo magis imitaturus, si quidquam Sacrorum canticorum ab eo fuisset concinnatum. Itaque in re obscura non habeo, vbi pedem figam firmiterque consistam.

IX. Neque tamen propterea sententiam Garnerii amplector, sed alia potius testimonia conquiram, quæ Iacobo Nisibensi disertis verbis scripta nonnulla attribuunt. Brianus Waltonus tam in Prolegomenis Bibliorum Polyglottorum Prolegom. XIII. num. 15. 19. quam in Dissertatione de Linguis Orientalibus n. 39. *Iacobum Syrum, qui concilio Nicæno interfuit anno 325.* versionis Syriacæ meminisse adserit: quod etiam confirmat Abraham Ecchellensis in Notis ad c. 66. Catalogi Ebediesu: *Ante hunc Marabam, aliam quoque antiquiorem ex Septuaginta exstitisse versionem, abunde testantur D. Iacobi Nisibensis & Ephrem Syri commentaria.* Eorundem meminit Waltonus citatis locis, quando Syriacæ linguæ vtilitatem hoc etiam argumento inter alia euincit, quod in ea *multa sint veterum monumenta, quæ nondum edita sunt, vt magni Ephrem & Ia-*

cobi Syri, qui vniuersam Scripturam commentariis Syriacis illustrarunt. Porro Cornelius a Lapide Prolegomenis Commentariorum in Ecclesiasticum cap. III. scribit: *In monte Libano Syriace exstant Commentarii manuscripti S. Ephremi (atque similes Magni illius Iacobi Nisibis Episcopi, qui interfuit Concilio Niceno) in vniuersam S. Scripturam, vti Romæ a Maronitis accepi, quæ vtinam quispiam in Latinum conuerteret & ederet.* Adstipulatur Hottingerus Biblioth. Orient. pag. 285. *Iacobus, Nisibenæ Persarum ciuitatis Episcopus, Syrus scriptor, Commentaria quoque dedit in vniuersa Biblia.* Eandem sententiam sagacissimo hodie Critico, Richardo Simonio, pariter placere, ex Lib. III. Historiæ Criticæ veteris Testamenti cap. XXIV. colligere est, quo Waltoni de Syriacis versionibus Prolegomenon sub censuram reuocans nihil eorum, quæ de Iacobo Nisibensi dixerat, reprehendit; quæ si falsa esse putasset, procul dubio dissensum suum professus esset, quemadmodum de Liturgia Seueri Alexandrini eodem loco fecit. His contrariari quidem Isaacus Vossius videtur, initio Castigationum ad obiecta Georgii Hornii, dum scribit: *Iam vero quod nonnulli adfirmant Iacobum, qui Concilio Niceno interfuit, ac S. Ephraim commentarios suos edidisse in translationem hodiernam Syriacam, in eo omnino fucum faciunt veritati. Vt hoc adstruant, vtuntur quidem auctoritate Gregorii Nysseni, Theodoreti, Chrysostomi, Sozomeni, ac aliorum; verum si quis illos consulat, nihil tale inueniet.* At Vossius non tam negat, Iacobum Nisibenum illorum Commentariorum auctorem esse, quam in versionem hodiernam Syriacam eos adornasse; quæ controuersia aliter sopiri nequit, quam editis ex Cornelii a Lapide voto Iacobi Commentariis, vt cum versione Syriaca typis impressa comparari queat. Magis miror, Garnerium illorum, quæ apud Ecchellensem de Iacobo nostro legerat, non recordatum esse, quum is in notis ad Ebediesu Catalogum duo præterea illius Episcopi scripta commemoret. Primum est *Liturgia S. Iacobi Nisibensis*, quam inter quinquaginta Orientalium Liturgias pag. 47. Notarum in capitulum 29. Ebediesu recenset, subscribentibus Athanasio Kirchero Parte I. Chinæ illustratæ cap. V. pag. 39. & Cardinale Bona Lib. I. Rerum Liturg. cap. IX. n. 9. nec non e Reformatis acerrimo alias Ecchellensis aduersario, Hottingero, Bibliothecar. Quadripart. pag. 238. Alterum Opus, quod Iacobo Abrahamus tribuit, *Concilii Niceni Canones* complectitur. Quum enim Ebediesu cap. LXV. Marutam Episcopum Mipharechet adferat *transtulisse Canones Patrum trecentorum octodecim, & conscripsisse totam historiam illius sanctæ Synodi:* hæc habet in Notis Ecchellensis pag. 81. *Is, post D. Iacobum Nisibensem, qui eidem Concilio interfuit, suam Syris nouam tradidit Canonum & Constitutionum versionem vna cum Actis & Historia; quæ omnia hactenus Syris, Arabibus, aliisque nationibus orientalibus integra exstant; vt ali-*

as

as in Præfatione eiusdem Concilii & Epitome diximus. Pertinent hæc ad famosam de Canonibus Nicænæ Synodi Arabicis controuersiam, quam in gratiam Lectoris breuiter delibabo. Acris superiori sæculo inter eruditos viguit disceptatio, an viginti tantum Canones illud Concilium sanxerit, quot in Græcis codicibus exstant, parique numero a præstantioribus veteris Ecclesiæ doctoribus recensentur, an plures, quod vult supposititius Athanasius in Epistola ad Marcum Papam: cui qui adstipulabantur, summis votis exoptabant, vt prodiret tandem codex plures Canones continens. Dignum patella operculum Alexandriæ inuenit Ioannes Baptista Romanus Iesuita, atque ex Arabico libro octoginta Canones Latine reddidit, augustæque Synodo Nicænæ adscripsit. Tum illi homines sibi inuicem gratulari, & cæteri quisquiliarum eiusmodi admiratores, Alphonsus Pisanus ac Franciscus Turrianus, patrocinium peregrini fœtus suscipere, Cardinalis etiam Bellarminus controuersias dogmaticas inde determinare, & Cardinalis Brancatus in epitomen Canonum omnium eos transferre nihil erubuerunt, vt alios minoris dignitatis ac peritiæ iis accedentes prætercam. Sed prudentiores inter Pontificios facile animaduerterunt, nihil solidi Arabicis istis canonibus subesse, quare Cardinalis Baronius vt *mera somnia* eos traduxit, quos tamen sæpiuscule veritatis oblitus in testimonium vocauit, ac proinde hoc etiam nomine inconstantiæ arguitur a Casaubono in Prolegomenis Exercitationum. Maiori confidentia fabulas istas reiecerunt Antonius Augustinus in Dialogis de Emendatione Gratiani, Hugo Menardus in Notis ad Sacramentarium Gregorii, aliique in Critica Ecclesiastica versatissimi viri. Quamobrem Abraham Ecchellensis nouam Latinam versionem, priori longe ampliorem, dedit, eosdemque Canones peculiari Dissertatione defendere aggressus est, quam Philippus Labbeus Tomo II. Conciliorum inseruit. Nihil autem aliud effecit bonus ille Ecchellensis, quam vt fraus commissa apertius patesceret, eamque eruditi multo acrius impugnarent, & omnes Canones citra vllam dubitationem supposititios iudicarent, quod non solum apud Gallicanæ Ecclesiæ Theologos, Ludouicum Bailium in Summa Conciliorum, Ioan. Launoium To. III. Epistola XI. Natalem Alexandrum Histor. Eccles. Sæculi IV. Dissertatione XIX. & Philippum Priorium Dissert. de Literis Canonicis num. 23. videre est, sed apud alios quoque iurium papalium strictiores obseruatores, Aubertum Miræum in Notitia Episcopatuum, Christianum Lupum Parte I. Conciliorum pag. 570. & Schelstratium P. II. Antiq. Illustr. Dissert. II. cap. IV. ac breuius in Præfatione ad Lectorem num. 6. Ad eundem scopum puto collimaturum Cardinalem Aguirre, si quando promissos Conciliorum Hispaniæ tomos publico donauerit. Primo enim tomo, vti ex Notitia Salmanticæ an. 1686. edita constat, Dissertatione quarta disquirendum suscipiet, *an Isidorus in præfatione Conciliorum vere omnino dixerit, plura quam 20. Capitula Con-*

Concilii Nicæni in multis inueniri locis? & quanquam Isidoro adstipulabitur, eiusque sententiam *ex cursu quinto* pluribus testimoniis Veterum certis & exploratis demonstrare conabitur, exponet tamen iudicium suum *de editione Canonum Nicænorum longe uberiore Turriani & Abrahami Ecchellensis ex Arabico, quam fidem mereantur.* At parum fidei istis versionibus tribuendum esse Hottingerus pridem monuit in Bibliothecario Quadripart. p. 327. 328. *Arabicam etiam Ecclesiam de Synodorum transferendis Canonibus sollicitam fuisse, ex Nicænorum compilatione, quam etiam Summæ suæ Carranza inseruit, manifestum est. Quanquam fidem vbique non mereantur, vt alibi diximus. Et certe siue Editores priores spectemus,* (Turrianum *præsertim, qui cum suam in lingua Hebraica infantiam ingenue fateatur, prodit satis, quid in Arabicis ab eo debeat exspectari: ipsis doctioribus & Linguæ Arabicæ peritioribus, quod compertissimum habeo, Pontificiis, adeo est suspectus, vt asserere non dubitent, de suo eum nonnulla addidisse) siue exemplarium tam translatorum, quam Origivalium varietatem, argumenta examinandæ fidei non desunt. Alphonsus Pisanus Iesuita Canones 24. numerat; Carranza, ex Codice Arabico 80. ponit. Ipsos mihi Canones Arabicos, quorum antiquum & accuratum 84. distinctum Canonibus exemplar habet vir doctissimus, Linguarumque Orientalium peritissimus* D. de la Grange, *Doctor Sorbonicus, examinare mihi nondum contigit. Audio tamen, ab editis fere differre, vt textus a rubricis, nisi forte Canones ipsi cum Paraphrasi eorum, cuius meminit Salmasius de Primatu Papæ p. 104. confundantur.* Claudii quoque Capellani verba non possum omittere, in fine libelli, quem *Mare Rabbinicum infidum* inscripsit. Excusans enim, quod Arabica typis saltem ligneis in eo expresserit, notanter addit: *A duobus aut tribus annis instituerarnus nonnulla e priscis Ecclesiæ Conciliis Arabica edere, Nicænos præsertim Canones, qui magnæ illi Conciliorum Bibliothecæ, quæ adhuc sub prælo est, Latinæ inseruntur, vnde Turriani & Abrahami Ecchellensis versionum fides expendi potuisset: sed eadem typorum difficultas consilium nostrum fecit irritum.* Porro obseruatu dignum est, apud omnes Orientis Christianos, exceptis Græcis, Canones illos octoginta quatuor Concilio Nicæno adfingi. Habetur enim præter Syros & Arabes apud Coptitas, vt testantur Codices MSti ex Ægypto adlati, cujusmodi est ille, quem ad Salmasium misit Peirescius, teste Gassendo in vita eius Lib. v. pag. 438. & apud Æthiopes, de quibus videri potest Iobus Ludolfus Lib. III. Histor. Æthiop. c. 4. n. 30. 31. atque in Commentario ad Lib. III. Cap. 7. num. 76. & apud Armenos, quod non solum ex epistola Gregorii decimi ad Regem Armeniorum, sed ex Codice etiam *Armenica lingua scripto* penes Cardinalem Sirletum probant Correctores Gratiani Distinct. XVI. c. XII. pag. 46. Quæ res vnde originem trahat, ex Abnalcassabo, Ægyptio in Canones Conciliorum commentatore operæ pretium est cognoscere. Verba illius Arabice & Latine

sistit

sistit nobis Guilielmus Beueregius Annotat. in Synodicon pag. 212. Nos ea Latina versione contenti erimus, quam exhibet Schelstratius num. 168. Etenim Abnalcassabus Canonum Nicænorum duas facit partes, quarum prior Canones viginti (apud Græcos etiam & Latinos notissimos) complectitur, posterior complures, de quibus ita scribit: *Altera vero* (pars) *multiplicis vtilitatis est, cuius versionem procurarunt Melchitæ & Nestoriani, & rata habetur apud Iacobitas Syros, & illius Canonum numerus in Melchitarum editionibus est 84. quos complures subsequuntur etiam constitutiones. In editione, quæ est in Melchitarum manu, sunt additamenta quædam ad eos pertinentia.* Sunt quoque inter Arabicos Scriptores, qui diserte confitentur, a Syris Ecclesiam suam Canones illos accepisse: quod si verum est, Æthiopum quoque editionem ex eodem fonte prouenisse oportet, quum eos vt religionem, ita & disciplinam ab Alexandrinis Patriarchis accepisse certum sit. Armenios vero satis aliunde constat Iacobitarum erroribus strictissime adhærere; quare nihil dubitandum est, quin ab iisdem Nicænorum Canonum augmentum nacti sint. Nefas duco silere Petrum Heylingium, Lubecensem natione, sed apud ipsos Habessinos celebre nomen adeptum, de quo multa Ludolfus tam in Historia quam Commentario Æthiopico. Ad illum exstant binæ Hugonis Grotii epistolæ, deprauatum *Holingii* nomen præferentes, quarum altera num. 748. hos etiam Canones ab eo inquiri petit, suamque sententiam de illorum origine addit: *Quod prioribus* (litteris hodie deperditis) *tuæ pietati consentaneum tibi commendaueram, hoc erat, vt per Christianas Orientis Ecclesias quicquid posses veterum versionum Veteris Nouique Testamenti, Liturgias, Acta Conciliorum tum Vniuersalium, tum Nationalium, & fidei expositiones corraderes. Specialiter memineram Concilii Nicæni, cuius plures Canones Arabice exstant (credo ex nationalibus Synodis additi) quam Græce Latineque, vnde ingens inter eruditos enata est disputatio: vt quæcunque posses eius exempla nanciscereris, tum si quid aliud ad disciplinam, ordinationes, appellationes, totum denique Ecclesiæ regimen pertineat.* Sed hæc spes cum Heylingio decollauit, qui nescio quo loco mortisque genere decessit, saltem in patriam nunquam rediit, incomparabilem alioquin thesaurum reique sacræ & litterariæ maxime proficuum reportaturus. De cætero Abraham Ecchellensis apud Schelstratium num. 168. putat, Syriacam editionem *antiquissimam esse, quandoquidem Ioannes Maro, qui sæculo 6. & 7. vergente scribebat, in libro de Sacerdotio integrum citat ex ea canonem 44. ex quo quidam existimant, illam auctorem habuisse D. Iacobum Nisibensem Episcopum, qui eidem interfuit concilio.* Sed improbat hanc opinionem Guil. Caue tam in Chartophylace pag. 50. quam in Historia litteraria pag. 141. *Ne vero illi lepide nugantur, qui Iacobum nostrum Canonum LXXXIV. Arabicorum Nicæni Concilii compilatorem faciunt.* Sic etiam Schelstratius num. 169. *Displicet tamen*

quod Abrahamus Ecchellensis existimet, hos canones auctorem habuisse Iacobum Nisibensem in Mesopotamia Episcopum a catalogo subscriptionum Nicæni Concilii exhibitum. Enimuero vnum ex sanctis Nicænis Patribus acta Synodi vel potius canones collegisse, qui aduersantur menti ipsius Concilii, nemo peritorum admittet. Nimirum Canones illos Arabicos continere non pauca statutis Synodi Nicænæ contraria post Bailium ac Beueregium antea citatos pluribus edocuerat Schelstratius num.167. nec minus adfert præiudicium, quod nec exempla MSta inter se, nec cum Latinis versionibus conueniunt, quemadmodum præter Hottingeri Grotiique supra audita monita, videre est apud Seldenum lib. III. de Synedriis cap. IV. num. 9. & plura nos exspectare iussit magnus Ludolfus in Historia sua: *Capita Æthiopicorum habeo, ex quibus video eosdem cum Arabicis esse. De textu vero ipso, an conueniat in omnibus? an & in quibus discrepet, nihil certi definire possum. Codices enim plurimum variare, vel ex iis liquet, quæ Fr. Turrianus & Abraham Ecchellensis edidere; de quibus in commentario nostro plura.* In isto igitur Commentario tribus locis agit de his Canonibus: Lib. III. Cap. 2. num. 17. Cap. IV. num. 29. & Cap. VII. num. 76. Obseruationes eius huc redeunt: Baronium recte reiicere fictitios illos Canones; frustraque tam anonymum auctorem præfationis Latinæ in Nouum Testamentum Æthiopicum, quam Wanslebium iis se tueri; *Interim negari nequit, apud Æthiopes exstare eadem illa acta Nicæna, quæ Coptitæ Arabice possident, a quibus ex Ægypto in Europam translata; & ab Abrahamo Ecchellensi Latine versa edita fuerunt. Operæ tamen pretium foret ea habere, & cum impressis exemplaribus antiquitatis caussa conferre.* Interea satis patet differentia Codicum supra notata ex iis, quæ Michaël Nau in Ecclesiæ Romanæ Græcæque vera effigie Dialogo XI. protulit, qui Canones istos Arabicos citare solet ex volumine MSto, quod *liber Legis* dicitur, & pag. 52. *quingentorum & amplius annorum* æstimatur, quod pæne dixerim idem esse cum eo, quod Hottingerus Doctoris cuiusdam Sorbonici esse refert. Cæterum illius diuersitatis originem ad dissidia Melchitarum, Maronitarum & Iacobitarum erudite refert personatus *Sieur de Moni* in libello suo, quem *Histoire Critique de la Creance & des Coutumes de Nations du Leuant* inscripsit cap. IV. & a qualibet illarum sectarum Canones ad suas hypotheses conformatas censet: *Le grande autorité du Concile de Nicée a esté la cause pourquoi on a inventé ces Canons Arabes, que chaque Secte a accommodés à ses sentimens. Les Melchites trouvent dans ces Canons attribüés au Concile de Nicée, de quoi se defendre contre les Iacobites: & les Iacobites d'autre part, defendent par ces mesmes Canons leur opinion touchant l'vnité de nature en nôtre Seigneur. Les vns & les autres font parler le Concile de Nicée à leur maniere. Les Iacobites accusent les Melchites d'avoir corrompu ces Canons. Les Maronites, qui estoient dans les commencemens de la Secte des Iacobites,*

cobites, leur sont aussi le mesme reproche. Quando autem augmentum illud Canonibus Nicænis adiectum sit, non facile determinari posse arbitratur Beueregius, & Petri de Marca opinionem in medio relinquit, quam is Libro II. de Concordia Sacerdotii & Imperii cap. II. num. 2. de Patriarcha Iustinianopolitano agens proposuerat: *In collectione Arabica* (can. 37.) *ordinatio huius Metropolitani tribuitur Antiocheno Patriarchæ: quæ innouatio accidit post Leonis Philosophi ætatem, id est, post annum 900. Vnde collectionis illius Arabicæ tempus colligere licet.* Non multum ab hoc iudicio distat Pearsonius Parte I. Vindiciarum Ignatii cap. X. p. 187. quando de statu Æthiopicæ Ecclesiæ contra Dallæum disputat, qualis sub Theophilo Imperatore exstitit, qui nono vixit sæculo, & Ludouico Pio coæuus fuit: *Post hæc tempora, vt opinor, conditi sunt Canones Arabici Concilii Nicæni, quod edidit Turrianus, quique ad posteriorem Ecclesiæ statum & consuetudines diu post Concilium Nicænum natas temperati sunt.* Quibus subiicit explicatque Canonem 36. ex quo tamen Ludolfus Lib. III. Histor. Æthiop. cap. II. num. 41. elici putat *certissimum documentum, Æthiopes nostros tempore illius concilii (Nicæni) Christianos fuisse, & Præsulem Christianum scilicet Metropolitam habuisse.* Sed hoc ipse pro candore suo in Commentario citatis locis retractauit; cui addam Caroli a S. Paullo iudicium lib. X. Geographiæ Sacræ num. VI. *De Æthiopia in Canonibus Arabicis Concilii Nicæni legere est, dum his statuitur, non posse Æthiopes creare, nec eligere Patriarcham, quin potius eorum Prælatum sub potestate eius esse, qui tenet sedem Alexandriæ; ac licet apud eos loco esset Patriarchæ, & appellaretur Catholicus, non tamen ius habere constituendi Archiepiscopos, vt habebat Patriarcha; cum ei nec nomen nec iura Patriarchæ concessa fuissent. Sed vt verum non diffiteamur, cum hi Canones incertissimæ fidei sint, peritorum iudicio, non tam ex iis Æthiopiam Alexandrino Episcopo subiectam fuisse suspicamur, quam quod eam ad alium Patriarcham spectasse ne quidem excogitari possit.* Mediam sententiam tenet Schelstratius num. 169. *facile sibi persuadens, plerosque Arabicos canones ex actis Nicæni Concilii circa sæculum sextum fuisse collectos, & vel tunc vel postea falsis canonibus & statutis maculatos.*

X. Ne autem Lectores amplius in re obscura detineam, aut Iacobi Nisibensis scripta ex recentioribus tantum hominibus confirmare videar, clarissimum firmissimumque Athanasii locum in medium proferam, qui in prima eius aduersus Arianos Oratione secundum hodiernam distinctionem reperitur. Nam apud antiquos alium harum Orationum ordinem fuisse Dionysius Petauius passim in Dogmatum Theologicorum Tomis commonuit, præcipue lib. V. de Incarnatione cap. XV. num. 9. vbi obseruat, *antiquos scriptores Athanasii orationes illas librum appellare de Trinitate, vt Cyrillus in epistola ad Monachos. Tum ex quinque, vt nunc inscribuntur, quatuor solas recensere, prima detracta, quæ*

non est eiusdem cum sequentibus argumenti. Nam in istis aduersus Arianam hæresin disputat, eamque rationibus & Scripturæ testimoniis refellit; & quibus argumentis nitebatur, ea dissoluit. Prima autem nihil horum facit: & est encyclica contra Arianos epistola; qui illi titulus Græce præfigitur. Ideo quæ secunda vulgo numeratur, is πρῶτος λόγος *ab Græcis plerisque dicitur: quem* primum librum *satius sit Latine vertendo nominare; non vt solent* Orationem. *Est enim* λόγος *non solum Oratio, sed etiam liber.* In illa itaque encyclica epistola To. I. editionis secundæ Parisiensis pag. 291. improbans scripta eorum, qui Arianam spargebant impietatem, notanter scribit: Εἰ μὲν οὖν παρὰ ὀρθοδόξων ἦν γεγραμμένα, δια ἐγεγόνει παρὰ τοῦ μεγάλου καὶ ὁμολογητοῦ ὁσίου Μαξιμίνου τοῦ τῆς Γαλλίας, ἢ τοῦ διαδεξαμένου τοῦτον, ἢ παρὰ Φιλογονίου καὶ Εὐσταθίου τῶν τῆς ἀνατολῆς, ἢ Ἰουλίου καὶ Λιβερίου τῆς Ἐπισκόπων Ῥώμης, & post multa aliorum nomina pari ratione enarrata: ἢ Ἰακώβου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ, τῶν ἀπὸ τῆς μέσης τῶν ποταμῶν, ἢ τοῦ ἡμετέρου μακαρίου τοῦ Ἀλεξάνδρου, καὶ τῶν ὁμοδόξων αὐτοῖς, οὐδὲν ἦν ἐν τοῖς γεγραμμένοις ὑποπτεύειν. ἄδολος γὰρ καὶ ἁπλοῦς ἐστιν ὁ τῶν Ἀποστολικῶν ἀνδρῶν τρόπος. *Si igitur scripta ista ab orthodoxis proficiscerentur, qualia sunt magni illius & confessoris Hosii*, (aut potius, *confessoris sancti*,) *Maximini Galliæ, aut eius successoris, aut Philogonii & Eustathii Orientis Episcoporum, aut Iulii & Liberii Romanorum Episcoporum &c. vel Iacobi & reliquorum Mesopotamiæ Præsulum, aut nostri beati Alexandri, cæterorumque qui cum eo sunt eiusdem sententiæ, nihil esset quod in his scriptis suspicarere: sincera enim & simplicia Apostolicorum virorum ingenia sunt.* Vides, Athanasium scriptores plurimos Orthodoxos recensere, quorum alii fuerunt Patriarchæ, Iulius & Liberius Romæ, Philogonius & Eustathius Antiochiæ, Alexander Alexandriæ, quem vt suum antecessorem *nostrum* nuncupat: alii Metropolitæ, alii Episcopi: quibus annumerare conuenit Iacobum illum in Mesopotamia præsulem. Porro notatu dignum est, omnes ibi enumeratos Antistites Athanasii tempore vixisse, & partim paullo ante Concilium Nicænum obiisse, vt Philogonium Antiochenum, partim illi interfuisse, vt Eustathium Antiochenum, Alexandrum Alexandrinum, Macarium Hierosolymitanum &c. partim paullo post cathedram sacram occupasse, vt Iulium & Liberium Episcopos Romanos. Quum autem Iacobus noster Nisibensis eodem tempore Mesopotamiæ fuerit Episcopus, & in Concilio etiam Niceno adsederit, nec Athanasio ignotus esse potuerit, quem quæso, nisi eundem ab eo intelligi dicemus? Quamobrem miror, præclarum hoc Athanasii testimonium a Garnerio non fuisse obseruatum, cuius euoluendi occasionem a Celeberrimo Bebelio pag. 266. suppeditatam libenter profiteor. Idem notauit L. du Pin. To. II. Nouæ suæ Bibliothecæ pag. 61. *Saint Athanase parle de ce Saint comme d'un Evêque qui avoit écrit pour l'Eglise.*

XI. Ne

XI. Ne autem Garnerii suspiciones scrupulum in aliorum animis relinquant, breuiter eas examinare animus est. Primo triplex argumentum negatiuum proponit, initio statim memoria lapsus. Quis enim negauerit Theodoretum *doctrinam* Iacobi Nisibensis tradidisse, qui in elogio eius p. 770. Historiæ Religiosæ epiphonema miraculo de Arii morte subiectū vel limis oculis adspexerit? ἀπόχρη δὲ τοῦτο μόνον τὸν τῆς Ἀρείου δυσσεβείας κληρονόμον διελέγξαι τὴν ἄνοιαν. ὁ γὰρ τοσοῦτος ἀνὴρ, τῶν μὲν ὑφ' ἡμῶν πρεσβευομένων δογμάτων κήρυξ ἦν καὶ συνήγορος. οὕτω δὲ κομιδῇ τὴν τούτων ἀσέβειαν ἐβδελύττετο, ὅτι καὶ τὸν αὐτῆς πατέρα κατηκόντισεν, ὅπλῳ γλώττῃ χρησάμενος. *Atque hoc vnum profecto suffecerit ad Arianæ impietatis reuincendam insaniam, quod hic tantus vir dogmatum, quæ a nobis celebrantur, præco fuerit & defensor, istorum autem impietatem sic detestatus sit, vt eius parentem linguæ suæ mucrone confoderit.* Quis non videt, a Theodoreto laudari orthodoxam Iacobi Nisibeni doctrinam, quam ab Athanasio ex scriptis quoque eius commendatam antea audiuimus? Licet vero ea diserte non commemorauerit Theodoretus, Athanasii tamen testimonium sufficit, ex quo coniicere est, Theodoretum κήρυκος & συνηγόρου Nicænæ fidei elogium Nisibensi tribuentem, non ore tantum sed scriptis quoque factam defensionem intelligere, adeoque ad libros a Iacobo nostro exaratos digitum intendere. Illi quippe in Historia Religiosa propositum est, non tam scripta quam facta potius ascetarum extollere, quod in Iacobo etiam Nisibeno eum attendisse argumento sunt duo loca Historiæ Ecclesiasticæ, quibus Iacobum in Philotheo se laudasse testatus non aliunde quam a miraculis commendationes desumtas innuit. Hieronymus autem cur libros Nisibeni non commemorauerit, his verbis in editione Miræi indicare conatur Gennadius: *Hunc virum B. Hieronymus in libro χρονικῶν, velut magnarum virtutum hominem nominans, in Catalogo Scriptorum illustrium cur non posuerit, facile excusabitur, si consideremus, quod ipsos tres vel quatuor Syros, quos posuit, & interpretatos in Græcum se legisse testetur. Vnde constat eum illo tempore ignorasse Syram linguam vel literas, & ideo hunc, qui necdum versus est in aliam linguam, nescisse scriptorem.* Quærit Garnerius, vnde sciuerit Gennadius, Hieronymum tunc (cum Catalogum scriberet) nondum calluisse linguam Syriacam? Non est exigui momenti hæc exceptio, quam vt melius intelligamus, inquirendum est, quo tempore Catalogum virorum illustrium Hieronymus scripserit. Id vero ipse indicat initio & fine libri, quando *Theodosii Principis decimum quartum annum* nominat, qui cum anno Christi 392. coincidit, consentientibus hodie eruditis, inter quos nouissime Antonius Pagi Prolegom. Dissertationis Hypaticæ num. xxxv. volumen istud ab Hieronymo initio anni 393. Theodosii Magni Quinquennalibus nobilitati, publicatum esse eleganter ostendit. Quem vero ætatis suæ annum

egerit Hieronymus, facile colligimus ex vita eius, quam quarto Analectorum tomo edidit Mabillonius, & ab ipso Gennadio scriptam arbitratur; vbi pag. 193. hæc legimus: *Dormiuit autem beatus Hieronymus anno imperii THEODOSII Iunioris XII. Omnes autem anni vitæ eius sic colliguntur: Ordinatus est Romæ Presbyter XXVIII. annis, tribus vixit apud Bethleem, in proposito suo annis quinquaginta & mensibus sex. Omne vitæ suæ tempus impleuit annis LXXXVIII, & mensibus sex.* Character ille obitus Hieronymiani in A. C. 420. incidit, quo decessisse Hieronymum communis nunc doctiorum opinio est. Vid. Henr. Norisius lib. 1. Historiæ Pelagianæ cap. XIX. & Philippus To. 1. Dissert. de Script. Eccl. pag. 434. qui diem quoque 30. Septembris adiicit. Collatis inter se calculis deprehendemus, Hieronymum natum anno 332. haud procul abit Ioannes Faber, Malleo in Lutherum fol. 34. *certum est, Hieronymum anno ab orbe redemto CCCXXXI. sub imperatore Constantino oppido Stridonis esse natum.* Inde patet, Hieronymum eo, quo Catalogũ scribebat tempore, sexaginta annorum senem fuisse: At Syram linguã eum tunc ignorasse, quando inter homines idiomate isto loquentes Bethlehemi versabatur, cui videbitur verisimile? Præterea Hieronymus ipse præfatione in Danielem testatur, se *adolescentulum* Chaldaicæ linguæ (quo nomine Syriacam etiam comprehendit) operam dedisse. Quis igitur non videt, grauiter alucinatum esse Gennadium, qui Hieronymum illo tempore, quo is Catalogum concinnauit, ignorasse Syram linguam putauit? Alia itaque ratione ad obiectum Hieronymi silentium respondere par est, quam in Præfatione Catalogi ipse suppeditat: *Si qui autem de his, qui vsque hodie scripserunt, a me in hoc volumine prætermissi sunt, sibi magis quam mihi imputare debebunt. Neque enim celantes scripta sua de his, quæ non legi, nosse potui: & quod aliis forsitan sit notum, mihi in hoc terrarum angulo fuerit ignotum. Certe cum scriptis suis claruerint, non magnopere nostri silentii dispendio suspirabunt.* At claruit etiam scriptis suis Iacobus Nisibenus, Athanasio teste, aliisque ea satis nota fuerunt, quanquam Hieronymo in Bethlehemitico angulo degenti ignota. Certe nimiæ audaciæ reus esset, qui ex scriptorum albo expungeret eos omnes, quos ex episcopis ab Athanasio ob orthodoxa scripta ibi commendatis præteriit Hieronymus: siquidem non nisi duos illorum, Eustathium Antiochenum, Ancyranumque Basilium in Catalogo suo recensuit, cæteris viginti quatuor alto silentio pressis. Non possum, quin addam epicrisin Petri Wastelii in Vindiciis Ioannis Hierosolymitani lib. 1. Sect. III. Artic. 1. p. 67. quem Athanasii testimonium non minus ac Garnerium fugit: *Quanquam non assentior Gennadio in illius caussæ assignatione: sed quod huius venerandi viri lucubrationes ad notitiam ipsius* (Hieronymi) *non peruenissent. At difficultatem illam a Gennadio motam notabiliter auget, quod cum etiam Theodoretus Cyri in ipsa Syria 800. Ecclesiarum Episcopus, sæpe*

etiam

etiam alios præclaros viros assuetus citare, cum illius ipsius S. Iacobi Nisibitæ vitam describat, statim initio sui Philothei, (est autem Sanctorum Patrum historia) sed & postea de eo egerit in Historia Ecclesiastica lib. 1. cap. 7. ac lib. 2. cap. 30. tamen neque cum aliis eum citat, neque in Historia Ecclesiastica, neque in ipsius vita vllam mentionem facit de vllo 27. ipsius librorum; & forsitan neque quispiam alius veterum cum Gennadio. Certe Nicephorus cum de S. illo Iacobo agit lib. 8. cap. 14. & lib. 9. cap. 28. nihil de ipsius scriptis attingit; neque tamen aliquis de fide dubitat, neque dubitare fas est, testimonii Gennadiani, etiamnum, dum ipsa scripta non extant. Quare non est, vt quisquam ea de caussa Iacobum Nisibensem nihil scripsisse putet, quod Hieronymus eum prætermiserit, multo minus autem, quod Hebediesu tacuerit. Hic enim superiori demum sæculo vixit, nec tantam diligentiam adhibuit, quantam ipsi Garnerius adscribit: nam Nestorianos præcipue scriptores recensere sibi proposuit, Eutychianos autem, Iacobitas ac Melchitas tantum non præteriit. Hinc nulla apud eum mentio Seueri, notissimi illius Eutychiani, nulla Mosis Bar-Cephæ aut similium Iacobitarum. Miratur Hottingerus in Bibliothecario Quadripart. pag. 229. *in Bethgaza multos citari auctores, Balaium, Cocoium, &c. quorum Ebediesu non meminit.* Nullum igitur impedimentum adferre potest nouitii & negligentis suæque sectæ seruientis hominis silentium.

XII. Progrediemur ad argumenta, quibus Gennadii auctoritatem eleuare studet Garnerius. Antea autem scripta Iacobi nostri ex Gennadio proferemus: *Comprehendit autem omne opus suum in viginti sex libris: De fide; Contra omnes hæreses; De caritate generali; De vita post mortem; De humilitate; De patientia; De pœnitentia; De satisfactione; De virginitate; De sensu animæ; De circumcisione; De acino benedicto, pro quo in Esaia legitur, Non est exterminandus botrus; De Christo, quod filius Dei sit, & consubstantialis Patri; De castitate; Aduersus gentes; De constructione Tabernaculi; De gentium conuersione; De regno Persarum; De Persequutione Christianorum; Composuit & Chronicon minoris quidem, quam Græcorum curiositatis, sed maioris fiduciæ: quia diuinarum Scripturarum tanta auctoritate conscriptum comprimit ora eorum, qui præsumptuosa suspicione de aduentu Christi vel Domini nostri inaniter philosophantur.* Vides, multa his contineri, quæ vel Iacobi Nisibeni institutum asceticum sapiunt, vt de virginitate; De castitate; De sensu animæ; De humilitate &c. vel hominum illorum conditionem, cum quibus ipsi colluctandum fuit, exprimunt, vt de gentium conuersione; De regno Persarum; De persequutione Christianorum &c. vel a Theodoreto συνήγορον fidei Nicænæ Iacobum vocante respici potuerunt, vt de fide; contra omnes hæreses & præcipue de Christo, quod filius Dei sit, & consubstantialis Patri: Denique nullum Iacobo scriptum attri-

attribui a Gennadio, cui Athanasii elogium denegari queat. Quid ergo moras tricasque nectit Garnerius? Friuolum enim est satisque Athanasii auctoritate retunditur, quod ait, a nullo veterum vnum Gennadium Iacobi scripta recenseri. Nec vllius ponderis est, quod dubitat, vnde Gennadius sciuerit Syriaca opera, qui vix nouerit Græca, nec peritissimus linguæ Græcæ fuerit. Enimuero, vt a posteriori incipiam, recordari debuisset Garnerius eorum, quæ paullo ante ipse dixerat, pag. 179. *Quo tempore scribebat Gennadius, Massiliæ, vbi erat Presbyter, Græca lingua notior fuit, quam in vlla alia Occidentis parte; non solum propter vrbis natales a Græcis, vt fertur, conditæ, sed etiam ob Cassiani famam illuc ex Oriente appulsi; ad quem S. Cælestinus literas Nestorii vertendas & refellendas misit.* Quis igitur Gennadio denegabit tantam linguæ Græcæ cognitionem, quanta satis erat ad colloquendum cum suis Massiliensibus, & legenda Græcorum Patrum scripta? inprimis quando ipsi Garnerio *legisse videtur Græce Opera Theodoreti, quæ memorat:* nec fraudi potest esse Gennadio, quod non satis cognita habuerit Græca opera: culpa enim quoad aliorum Græcorum scripta non magis cadet in Gennadium, quam circa Theodoreti libros haud accurate pleneque ab eo commemoratos, de quibus rursus absolutionis sententiam profert Garnerius: *eo tempore* (an. Ch. 494. quo Gennadius scribebat) *pauca admodum eaque non purissima Theodoreti Opera nota exant in Occidente, alioquin non latuissent tam curiosum librorum indagatorem.* Vt vero cognosceret, quos libros scripserit Iacobus Nisibenus, non necesse omnino habuit linguæ Syriacæ notitia (quam tamen ipsi haud denego) sed adiutus videtur monumentis in Massiliensi cœnobio adseruatis. Credibile enim est, Cassianum, qui monasterium illud exstruxit, vitæque asceticæ deditissimus præclaros eremitas summe laudauit, & Syriæ Ægyptique monasteria peragrauit, in illa sua peregrinatione curiose celebriorum ascetarum res gestas scriptaque adnotasse, & secum in Massiliam deportasse: ex quibus postea Cassiani tabulis Syrorum Ægyptiorumque auctorum, quos laudat, notitiam Gennadius habuisse videtur. Vtcunque sit, falso tamen supponit Garnerius, scripta Iacobi Nisibensis in Græcam & Latinam linguam conuerti debuisse post Hieronymum, vt innotescerent Gennadio: id enim ne sua quidem ætate factum esse diserte fatetur Gennadius, quando ait, *qui necdum versus est in aliam linguam.* Quare frustranea sunt, quæcunque exinde Garnerius elicit de scriptis Iacobi in triplicem orbem sparsis, & a Photio legendis. Ea enim apud Syros hodienum ignota non esse, quæ n. IX. disputauimus, euincunt; quum autem nusquam siue in Græcum siue Latinũ idioma conuersa dicantur, Photius autem libros Syriaca tantum lingua exstantes non legerit, neq; in Bibliotheca alios recensuerit, quam quos tempore legationis suæ in Assyriam perlustrauit, (vti liquet ex præfatione) tantum abest, vt illa omnes Photio lectos visosque Codices contineat: hinc

satis

satis patet, Garnerium scrupulos istos sine vllo fundamento obiicere; qui cum nosset, apud Theodoretum & Theodorum Lectorem μεγάλȣ siue *magni* encomio ornari Iacobum, immerito tricatur de *sapientis* cognomento a Gennadio ipsi tanquam vulgari tributo: siquidem hoc ab illo non tollitur, sed includitur potius ac præsupponitur. Denique Iacobus Amidenus Eremita, cuius scripta Nisibeno supposita hariolatur Garnerius, & e Mesopotamia oriundus fuit, & indubie eodem, quo noster, idiomate scripsit, adeoque pari suspicionum libertate de operibus eius dubitari posset, qua Garnerius Nisibensem e scriptorum numero expungere ausus est.

XIII. Quo longius autem Iacobi Nisibeni scripta nos detinuerunt, eo breuius de Iacobi Tentzelii monumentis agere licet, quando ea & tantis difficultatibus non sunt exposita, & in plurimorum manibus versantur. Ac nihil quidem commemorare attinet argumenta Disputationum Academicarum, quarum numerum ab ipso supra descriptum meminimus, quum ea maximam partem Philosophica sint: nisi quod duas de Caussa Morali exercitationes minime præterire licet; vtraque enim magni ab eruditis æstimari solet, nec aduersariis caruit, sed hinc inde impugnata est, veritate semper salua manente. Nec Disquisitiones Theologicas proferam, quas in Synodis Pastorum publice exposuit ventilandas: sed de maioribus tantummodo scriptis nonnulla enarrabo. Etenim ex nostrorum temporum historia non ignotum est Rintelense cum Caluinianis colloquium, quod ab Orthodoxis omnibus improbatum & ab Academiæ Wittenbergensis Theologis peculiari opere impugnatum est. Quibus cum se opponerent Rintelenses, Iacobus Tentzelius nostrorum Theologorum defensionem suscepit, edito cum eorundem consensu Germanico libro de Pace Ecclesiastica. Hunc acrius aggressus Henricus Martinus Eccardus, Rintelensis Theologus, nouam Tentzelio Apologiam expressit. Post paucos annos Andreas Frommius, homo in his terris non ignotus, præcipuum Præsulis officium Sondershusæ in Comitatu Schvvartzburgico prensauit, sed non obtinuit, paulloque post ad Papismum impie defecit, neque se suosque seduxisse satis habuit, sed alios etiam ad Apostasiam edito libello Germanico persuadere studuit. Quare Tentzelius diuino zelo afflatus refutationem illius tanto successu perfecit, edito scripto vernaculo, quod Gründliche Rettung der Lutherischen Kirchen inscripsit & Wittenbergæ an. 1671. imprimi curauit, vt & Nostratium expectationi satisfecerit, & alter, quod reponeret, non inueniens ad turpe silentium damnatus fuerit. Pares itaque Iacobi nostri in eo fuerunt, quod schismata & hæreses peculiaribus scriptis refutarunt: & sicut Iacobus Nisibenus in Scripturam commentatus est, ita Tentzelius textus diebus solennis pœnitentiæ destinatos ab aliquot annis illustrare cœpit. Ille Liturgiam scripsisse perhibetur, quæ nihil aliud infert ex prisco-

rum vſu, quam ſacra publica, quibus preces & cantica fundebantur, atque Euchariſtiæ Sacramentum diſtribuebatur: Hic pariter nouam ſplendidamque libri ritualis, quem *Agenda Schvvartzburgica* vocant, editionem promouit, & ſacros hymnos in Eccleſia Arnſtadienſi receptos peculiarique volumine comprehenſos ad octingentorum numerum auxit.

XIV. Tantis virtutibus meritisque conſpicuos viros non mirum eſt ad magni momenti negotia eccleſiaſtica adhibitos eſſe. Ita enim de Niſibenſi Iacobo memoriæ proditum accepimus, quod Concilio Nicæno interfuerit, & a Conſtantino Magno cum aliis Epiſcopis euocatus, vti liquet ex ſubſcriptionibus, de quibus Henricus Valeſius in Ammianum Marcellinum Lib. xxv. p. 438. *Et inter Epiſcopos Meſopotamiæ, qui Nicæno Concilio ſubſcripſere, Iacobus Hebetenſis commemoratur. Sed Iacobus Niſibites vel Niſibitenſis ſcribi debet ex Gennadio aliisque.* Huc etiam collimare putantur ſubſcriptiones Arabicæ, ex Ioſepho Ægyptio a Ioan. Seldeno Commentario in Eutychii Origines pag. 102. deſcriptæ; nam qui loco cxlv. ponitur & a Seldeno integre non eſt latino redditus ſermone, eſt يعقوب النسبان *Iacobus Niſibenus*, iudice Ioan. Andr. Boſio Exercit. in Periocham Ioſephi cap. 11. n. 36. quanquam Nomen gentile aliter formari ab illa vrbe velit Golius in Alferganum pag. 239. نصيبيني *Niſibenus*, aut نصيبي *Niſibus teſte Iacuto*. Imo incerta res eſt de omnibus illis ſubſcriptionibus, vti pridem noſtrarum partium eruditi animaduerterunt, atque ex ſagacioribus Pontificiis fatetur Ioan. Launoius apud Bebelium noſtrum Sæc. iv. Antiq. Eccleſ. Artic. 1. pag. 67. Quare certioribus Theodoreti teſtimoniis res confirmanda eſt. Is enim in Hiſtoria Religioſa pag. 768. 769. 770. prolixe deſcribit res a Iacobo geſtas in Concilio Nicæno, ac licet in eo erret, quod Arium in iſta Synodo precibus Iacobi interfectum velit, ut ſupra diximus, ſufficit tamen, quod Iacobum Concilii Nicæni patribus adnumerat, idque vt indubitatum repetit lib. 1. Hiſtor. Eccleſ. cap. vii. vbi ad hunc locum Hiſtoriæ Religioſæ Lectores remittit. Gennadius quoque adſerit Iacobum fuiſſe ex numero *eorum, qui in Nicæna Synodo Arianorum peruerſitatem ὁμοουσίω oppoſitione damnarunt*. Nec aliter Photius in epiſtolis a Montacutio editis pag. 4. Vnde in procliui eſt iudicare, Euſebium, quando Lib. iii. de Vita Conſtantini Cap. vii. inter Nicæni Concilii Patres Meſopotamiæ præſules numerat, noſtrum quoque Iacobum in animo habuiſſe, quippe qui tum inter præcipuos illius regionis epiſcopos numerabatur: quemadmodum Athanaſium in Oratione aduerſus Arianos feciſſe diximus. Cæterum in iſto Concilio magnam apud Conſtantinum gratiam promeritus eſt Iacobus noſter, ſi Binnio in Notis ad Concilium Antiochenum & Franciſco Longo a Coriolano in Summa Conciliorum pag. 86. credimus,

dimus, quorum hæc ſunt verba : *Conſtantinus Magnus admirabili ſanctitate huius Epiſcopi in Nicano Concilio cognita, Conſtantio filio hoc in mandatis dedit, vt hunc Epiſcopum non tantum viuentem coleret & obſeruaret, ſed eius quoque cadauer honore proſequeretur ; ac proinde non abhorreret a fide, quam ſciebat ab eodem ſancto Epiſcopo prædicari.* Errorem autem Binnii ac ſequacium reprehendit Schelſtratius in Vindiciis Concilii Antiocheni Diſſert. II. Cap. IV. pag. 84. quod nolint Iacobum Niſibenſem referre inter membra illius Concilii Antiocheni, ſed nomen eius ab Arianis Catalogo inſertum eſſe contendant. Synodus hæc conuocata eſt ab Imperatore Conſtantio An. CCCXLI. ad dedicationem Dominici aurei, quod Baſilica ſplendidiſſima erat Antiochiæ exſtructa, ſplendidiſſimo apparatu, vti moris erat, celebrandam, quod multis probauit Schelſtratius Diſſertatione I. cap. IV. adſtipulante Antonio Pagi Diſſertationis Hypaticæ P. II. cap. III. num. XIII. pag. 119. eaque occaſione factum eſt, ut de rebus etiam fidei ac diſciplinæ Epiſcopi inter ſe tractarint. Baronius ac plerique hactenus papatui addicti concilium illud tanquam hæreticum & Arianum eiecerunt: quibus obuiam iuit Schelſtratius, & pro orthodoxia Synodi peculiare volumen ſcripſit, nec contemnendis rationibus probauit, Iacobum Niſibenſem adfuiſſe, dummodo exemiſſet ſcrupulum ab Henrico Noriſio iniectum Diſſert. de Synodo quinta Oecumenica cap. V. pag. 38. 39. quod *ſubſcriptiones illæ ex Nicana Synodo illuc fuerint aſportatæ, omnes enim, qui in eodem Antiocheno Concilio ſubſcripti leguntur, Nicanam quoque Synodum ſubſignarunt* &c.

XV. Iacobus Tentzelius pariter Principibus charus fuit & ſigillatim Incluтiſſimis Comitibus Schvvartzburgicis, qui ad res magnas promouendas ipſum in conſilium adhibuerunt. De Illuſtriſſimis COMITIBVS præſtat tacere, quam non ſatis digno ſermone exprimere tot ac tanta Eorum Patri præſtita beneficia, a quibus & in Senatum Eccleſiaſticum is cooptatus, & in arduis ſæpe negotiis interrogatus, eccleſiarumque viſitationibus præfectus fuit, quæ omnia in patria ſatis cognita & perſpecta ſunt. Mirum autem pro temporum noſtrorum ratione videri poſſet, quî deſideratiſſimus Parens ſingularem gratiam apud Sereniſſimum ac Piiſſimum quondam Principem Saxo-Gothanum, ERNESTVM, adeptus fuerit conſtanterque retinuerit; adeo, vt Sereniſſimus Filius Eius atque Succeſſor, FRIDERICVS, (maximo rei ſacræ, publicæ ac litterariæ damno nuper defunctus,) beatum virum non modo viuum gratioſiſſima propenſione fuerit proſequutus, ſed de mortuo quoque honeſtiſſime ſenſerit: niſi omnibus conſtaret, animos Principum fortiori non trahi vinculo, quam pietatis & virtutum. Quibus cum Iacobus noſter per omnem vitam deditus fuerit, a laudatiſſimo Principe ERNESTO Gotham vocatus eſt anno huius ſæculi ſexageſimo ſexto, vt generali Eccleſiarum illius territorii viſitationi intereſſet; ac de aliis quoque ad Eccleſiæ

Scholarumque emolumentum facientibus sententiam promeret. Placuit prudentissimo DVCI eruditio Nostri ac pietas, vt eundem anno septuagesimo mense Aprili iterum ad se vocaret, aliisque summis viris, in diuina pariter ciuilique sapientia exercitatissimis adnumeraret, vt expenderent communi studio Consilium meritissimi quondam de Ecclesia Theologi, Nicolai Hunnii, de Societate Theologorum erigenda, qui controuersiis Theologicis dirimendis insudarent. Quæ in hoc Colloquio, inter cuius membra & D. Ioan. Olearius & D. Ioan. Musæus numerabantur, gesta sunt, manu parentis descripta inter præstantiora bibliothecæ nostræ monumenta reputamus. Hinc licet intelligere, quæ Illustris Seckendorfius in Statu Christianismi lib. III. cap. X. num. 3. memoriæ prodidit, & ad illustrandum hactenus dicta apprime faciunt: Ich erinnere mich hierbey eines Gottseeligen Fürsten/der vor etlichen Jahren mit grosser Mühe und Darbietung vielen Geldes denjenigen Vorschlag gern werckstellig machen helffen wolte/ welchen der berühmte Theologus, D. Nicolaus Hunnius, weiland Superintendens zu Lübeck gethan/ daß man nemlich ein gewisses Collegium rechtschaffener gelehrten Theologen zusammen ordnen solte / welche vornehmlich und hauptsächlich dieses Stück des Predig-Amts und Christlicher Schuldigkeit auff sich nehmen/ und wider die falsche Lehre so lange schrieben / biß die Wiederwärtige nichts mehr mit Grund auffbringen könten. Es wurden aber darbey so viel Schwürigkeiten befunden/ daß es ohne effect geblieben / gehörete auch freylich eine sonderbahre Erleuchtung und Regierung von GOtt darzu/ wann hohe Häupter die Kosten und Mühe hierauff / mit zusammengesetzten Rathschlägen / wenden / und die difficultäten (wie mit Göttlicher Verleihung noch wohl zu thun wäre) überwinden wolten. Exceptiones autem Apostatæ Frommii capite V. Apologiæ pag. 1130. & 1140. sustulit ipse Parens, vbi cum Seckendorfio consentit indicatque, eiusmodi Collegium per Dei gratiam adhuc institui posse.

XVI. Porro nihil mirum est, ex vtriusque Iacobi nostri institutione ac schola tanquam ex equo Troiano prodiisse viros sapientissimos. Inter Iacobi Nisibeni discipulos, vt sol inter stellas emicuit Ephrem Edessenus, de quo peculiarem diatribam mox subiiciemus. Equidem libenter adsentior Ioan. Andr. Quenstedtio, qui diserte *magnum illum diaconum Edessenum magni olim Iacobi Nisibeni discipulum fuisse* statuit in Dialogo de patriis illustrium virorum pag. 607. Idem inter Syros ipsos Abulpharagius (nam talis fuit patria, quanquam Arabice & Syriace Historiam Dynastiarum scripsit, vt a viris doctis adnotatum nouimus,) dudum obseruauit, pag. 136. editionis Arabicæ commemorans, Nisibin liberatam esse precibus مار يعقوب اسقفها ومار افريم تلميذه. *Mar Iacobi Episcopi ipsius, & Mar Ephremi eiusdem discipuli:*
vbi

vbi recte in Latina versione Pocockius pro *Mar* posuit *Sancti*, siquidem apud Hottingerum aliosque legimus, elogium illud Syriacum, Arabibus quoque Christianis solenne, quum mortuis tribuitur, Latino *sanctus* vel *diuus* respondere; quorum tamen posterius ethnicum potius nec Christianorum sanctis tribuendum esse censet Robertus Bellarminus in Recognitione operis Controuersiarum. Cæterum quid in illa Nisibensi obsidione fecerit Ephremus, lib. II. Histor. Eccles. cap. xxx. Theodoretus enarrauit, non obscure innuens, Ephremum eo tempore familiari Iacobi institutione vsum esse: Nam si iamtum fuisset in officio Ecclesiastico constitutus, quorum nullum nisi in patria Edessæ vrbe gessit, quid opus erat, vt propriam ecclesiam relinqueret, ac Nisibi inter spicula hostium degere mallet? Iacobus Tentzelius, quum in Wittenbergensi adhuc Academia degeret, multos bonarum artium linguarumque cognitione largissime imbuit, qui postea summis in Ecclesia pariter ac Republica honoribus functi sunt: Nec minoribus meritis rem litterariam alii collustrarunt, in quibus nominasse sufficiat duos Amplissimos Academiæ laudatæ Professores, Michaelem Waltherum, Virum in Theologia pariter ac Philosophia excellentissimum, & Georgium Casp. Kirchmaierum, Oratorem atq; Philologum celeberrimum, quorum vtrumq; grata mente paternarum institutionum sæpe recordari notum est. Nec minori felicitate Scholam Arnstadiensem direxit alumnosque puriorem Theologiam docuit beatus Parens, quin potius ex ea etiam orti sunt viri, qui sacris atque ciuilibus officiis partim nunc funguntur, partim suo tempore admoueri possunt. Inter illos autem præcipue eminet maxime Reuerendus Sondershusanæ Diœceseos Antistes, Georgius Fridericus Meinhardus, Theologus Clarissimus, qui interiori quoque apud Parentem admissione gauisus & ab eo in domum quondam receptus, vt studiis meis præesset, tam feliciter eundem imitatus est, vt vitam moresque exactissime referat, viuamque Tentzelii imaginem exprimere ab omnibus merito existimetur.

XVII. Quemadmodum vero piorum Ecclesiæ doctorum commune fatum est, vt improborum odiis & persequutionibus premantur, ita vterque Iacobus noster idem experiri necesse habuit, vt virtutes eorum multo magis inclarescent & augerentur. De Iacobo Nisibeno Gennadius memoriæ prodidit, quod *unus ex numero sub Maximino persequutore confessorum fuerit*, vti in omnibus exemplaribus impressis legitur. Sed Codex MStus, cuius ex Mabillonii secundo Analectorum tomo antea meminimus, legit *Maximiano*. Vtra autem lectio melior sit, his verbis enunciat Mabillonius pag. 47. *rectius in editis legi* Maximino, *vt in codice Corbeiensi & in Martyrologio Romano.* Confirmatur hæc Mabillonii sententia ex Eusebio, qui Galerium Maximinum lib. x. Histor. Eccles. cap. II. dicit, τῶν ἐπ' ἀνατολῆς ἀρχειν μερῶν, *in Orientis partibus Imperium gessisse*,

 ad.

ad quas ſane Meſopotamia adeoque & Niſibis ſpectabat. Annum perſequutionis ex eodem Euſebii loco eleganter vindicauit Pagius, Differt. Hypat. lib. II. cap. XIII. pag. 247. eamque quinquennaliorum imperii Auguſtei Maximini occaſione A. C. 311. circa menſem Nouembrem rurſus excitatam eſſe docuit. Quamobrem haud accurate Natalis Alexander Synopſi Sæc. IV. cap. VI. Artic. X. pag. 474. *Maximianum* retinuit. Qui autem fuerint Confeſſores, neminem antiquitatum Eccleſiaſticarum non prorſus rudem latere poteſt, & a viris doctis pridem obſeruatum habetur. Iſaacus Caſaubonus memoriæ nunc ſuccurrit, Exercitat. XV. Diatriba XII. pag. 275. *Qui Cypriani tempore Confeſſores dicebantur, grauiſſima pro Chriſto mala paſſi erant a Paganis; & multi eorum mutilati parte aliqua corporis fuerant, quod morte ipſa eſt durius. itaque Confeſſoribus honos pene idem tributus ac Martyribus.* Alter Iacobus noſter, quanquam de publicis eiusmodi Chriſtiani nominis perſequutionibus nihil perpeſſus eſt, non caruit tamen ſuis calamitatibus, & ſenſit clandeſtinas improborum inſidias, qui ſi non vitam, famam ſane beati viri dilacerare ſtuduerunt; nec defuerunt alii, qui externis quidem ſermonibus nihil niſi amicitiam venerationemque erga eum præ ſe ferebant, interioribus autem cordis ſenſibus longiſſime diſtabant. Verum ille ſemper boni rectique conſcius indignos maleuolorum ſuſurros fortiter contemnebat, diuinæque vltioni aduerſarios relinquens verum virtutis tramitem inoffenſo pede decurrebat.

XIIX. Venio nunc ad extrema vtriusque Iacobi tempora, quæ ita ſunt comparata, vt Iacobo non minus Tentzelio, quam Niſibenſi conueniant encomia huic a Theodoreto in Philotheo pag. 772. tributa: Τοσαύτην εἶχεν ὁ θεῖος οὗτος ἄνθρωπος πρὸς τὸν θεὸν παῤῥησίαν. τοσαύτης ἄνωθεν ἀπήλαυε χάριτος. ἐν τούτοις διατελῶν καὶ καθ' ἑκάστην ἐν τοῖς θείοις αὐξανόμενος ἡμέραν, μετὰ τῆς μεγίστης εὐκλείας τόνδε τὸν βίον ἀπέθετο, καὶ τὴν ἐντεῦθεν ἀποδημίαν ἐστείλατο. *Tanta fuit viri huius apud Deum fiducia, tantam cœlitus conſequutus eſt gratiam. In his perſeuerans, atque in diuinis rebus incrementa capiens indies, ſumma cum gloria vitam clauſit, & ex his locis demigrauit.* Verum præſtat accuratius in tempus mortis locumque ſepulturæ tantorum virorum inquirere. Gennadius de Iacobo Niſibeno hæc conſignauit: *Moritur hic vir Conſtantii temporibus, & iuxta præceptum patris eius Conſtantini, intra muros vrbis Niſibenæ ſepelitur, ob cuſtodiam videlicet ciuitatis: quod ſecundum fidem Conſtantini euenit. Nam poſt multos annos ingreſſus Iulianus vrbem & vel gloriæ ſepulti inuidens, vel fidei Conſtantini, cuius ob id domum perſequebatur, iuſſit efferri de ciuitate ſacri corporis reliquias, & poſt paucos menſes, conſulendæ licet Reipublicæ cauſſa, Iouianus Imperator, qui Iuliano ſucceſſerat, tradidit barbaris ciuitatem, quæ vsque hodie Perſarum ditioni cum finibus ſuis ſubiecta ſeruit.*

Cha-

Characterem temporis generaliter a Gennadio ſignatum ſpecialius determinare operæ pretium eſt. Equidem ſi Abul Pharagio credimus, annum ipſum facile adſequemur. Ita enim ſcribit pag. 138. edit. Arabicæ: وفي هذه السنة مات مار يعقوب بصيبين وقام مكانه بابويه Procokius pag. 87. edit. Latinæ vertit: *Hoc anno obiit S. Iacobus Niſibenſis, in eius locum ſuffecto Babavvaibo.* Deſcripſerat autem Abulpharagius, quomodo Conſtantini M. corpus CPolim aduectum & in templo Apoſtolorum conditum fuerit: & quemadmodum Sapores eodem anno Niſibin rurſus obſidione cinxerit, precibus Ephremi iterum pulſus. Sed Abulpharagium in recenſione Niſibenarum obſidionum errare iam ſupra oſtendimus: & Niſibin quidem primum oppugnauit Sapores paullo poſt mortem Conſtantini, neque tamen eodem anno 337. quo illum deceſſiſſe monſtrat celeberrimus Schurtzfleiſchius noſter in fine Diſſertationis de Antiquitatibus primi Chriſtianorum Imperatoris, & quo exequias illi CPoli factas eſſe indicat Euſebius lib. IV. de vita Conſtantini cap. LXVI. & LXVII. ſed ſequenti 338. ſiquidem viris doctis, Petauio præſertim & Garnerio, fidem adhibemus, quam tamen impugnat Pagius in Critica Baron. An. 338. num. 7. *Eodem anno Chriſti, ſcilicet CCCXXXVII. Niſibis, qua vrbs Meſopotamiæ apud Tigrum fluuium, a Perſis obſeſſa, vt habet Theophanes, qui obſidium egregie deſcribit, aitque, per 63. dies illud duraſſe: quot etiam dies ciuitatem obſeſſam tradit Auctor Chronici Alexandrini an. 337. Quare, quando Hieronymus in Chronico ſecundum editionem Scaligeri eam obſidionem copulat cum anno Abrahami 2354. qui Kalendis Septembribus anni Chriſti 337. inchoatur, de prioribus illius anni menſibus intelligendus; perperamque Valeſius in Notis ad lib. 20. Ammiani, ait, Hieronymum tradere, Vrbem obſeſſam currenti anno: quo pacto etiam Hieronymum non bene Baronius explicauit, vt Auctor Chronici Alexandrini nos dubitare non ſinit.* Quare ſi prima obſeſſione ſoluta deceſſit Iacobus Niſibenſis, quo precibus non tantum Ephremi ſed ſuis præcipue (vt antea docuimus) libertatem ciuibus ſeruauit, & Saporis inſidias repreſſit, ad annum 338. mors eius referenda eſt. Verum Baronius in Martyrologio, Miræus Notis ad Gennadium, & Schelſtratius in Concilio Antiocheno ad Acta Alexandri Epiſcopi Conſtantinopolitani prouocant, quæ Iacobum noſtrum iſti quoque Synodo initio anni 341. habitæ adfuiſſe fidem faciant: Quorum γνησιότητι ſalua iſto adhuc anno vixiſſe Iacobum neceſſe eſt. Imo vsque ad an. 350. perueniſſe oportet, ſi in ſecunda demum Niſibis obſidione precibus ſuis mirabilem iſtum effectum obtinuit, quam præſtantiorum hodie Chronologorum ſententiam eſſe num. V. vidimus. Quare poſt an. 350. diem ſupremum obiiſſe videtur; ſaltem regnante adhuc Conſtantio, prout Cauius tam in Chartophylace quam Hiſtoria litteraria cenſet; licet mi-

racu-

raculum istud in prima Nisibis obsidione circa A. C. 338. factum, cum Bollando in Commentario præuio ad vitam Ephremi num. 15. arbitretur. Sane ex ipso Gennadio, bene licet affirmante, Iacobum *mortuum Constantii temporibus*, sententia hæc refelli potest; cum Iacobus tutelam exoptatam Nisibenæ vrbi præstare debuisset in secunda obsidione, si statim post primam decessisset: nihil autem de hoc mortui patrocinio vel alius veterum, vel Gennadius, memorat, qui satis habet ostendisse, translatis Iacobi ossibus vrbem in Persarum potestatem venisse: tantum abest, vt illa in altera obsidione quidquam Nisibenos iuuerint. Quare omnino consequitur, Iacobum nostrum eo adhuc tempore in viuis fuisse, quo Sapores secunda vice A. C. 350. Nisibin oppugnauit. Porro dies mortis Iacobi non minus incertus est. Græcos eum pridie Kl. Nouembr. in Menæis adscribere Baronius obseruauit ad d. xv. Iulii, quo Latini memoriam Iacobi solent instituere. Quum autem apud veteres scriptores hodie impressos nihil eam in rem reperiatur, non opus est, vt incertis coniecturis inhæreamus ad definiendum, vtri Ecclesiæ veritatis laus hac parte debeatur. Magis obseruari meretur discrimen, quod inter Gennadii antea descriptam narrationem & Theodoretum occurrit, qui de corporis Iacobi translatione in Philotheo pag. 772. hæc consignauit: χρόνου δὲ διελθόντος, καὶ τοῦδε τοῦ ἄστεος ὑπὸ τοῦ τηνικαῦτα κρατοῦντος τῇ περσικῇ βασιλείᾳ παραδοθέντος, ἐξῄεσαν μὲν ἅπαντες οἱ τὴν πόλιν οἰκοῦντες, ἔφερον δὲ τοῦ προμάχου τὸ σῶμα ἀσχάλλοντες μὲν καὶ ὀλοφυρόμενοι τὴν μετοικίαν, ᾄδοντες δὲ τοῦ νικηφόρου ἀριστέως τὴν δύναμιν. οὐ γὰρ ἂν ἐκείνου περιόντος ὑπὸ βαρβάροις ἐγένοντο. *Temporis autem successu, cum in Persicam dominationem ab eo, qui tunc imperabat, tradita vrbs fuisset, excesserunt incolæ vniuersi, & defensoris sui corpus extulerunt, migrationem quidem ægre ferentes & dolentes, sed fortissimi victoris virtutem laudibus celebrantes. Nec enim illo superstite in Barbarorum potestatem venissent.* Sed Gennadius Iuliani iussu reliquias Iacobi elatas esse adfirmat. Vtri magis adhærendum sit, facile perspicient harum rerum periti. Non abludit Gennadii narratio a Iuliani genio, qui Babylæ etiam aliorumque martyrum corpora effodi & in alia loca transferri iussit: Theodoretus autem binis memoriæ lapsibus, quos in Iacobi elogio, docente Garnerio, commisit, tertium facile superaddere potuit; aut credulorum saltem Monachorum temporis rationes exacte non curantium sermonibus deceptus esse. Nihilominus cum Theodoreto facere mauult Cauius in Historia litteraria pag. 141. *Vitam clausit* (Iacobus) *regnante Constantio, in vrbe natali sepultus; cuius sacri corporis reliquias, teste Gennadio, Iulianus Imp. Nisibin ingressus ciuitate efferri iussit. Sozomenus vero* (lib. 5. cap. 3.) *solummodo ait, Iulianum illuc transeuntem Nisibenis minatum esse, se nec opem illis laturum, nec legationem admissurum, nec in ipsorum vrbem, vtpote sceleratam, pedem prius il-*

latu-

laturum esse, quam eos ad Gentilium religionem se transtulisse didicisset. Ego Theodorito, vtpote viciniori, potius credendum sentio, qui tradit, Nisibi a Iouiano Iuliani successore Persis tradita, incolas pene omnes vrbe excessisse, & Episcopi sui τῦ προμάχυ corpus secum detulisse. Vtcunque tamen ea res se habeat, nec cum Theodoreti, nec cum Gennadii recensione conuenit Angelus a S. Ioseph in Gazophylacio linguæ Persarum pag. 251. *Nisibis. Vix tanta ciuitatis aliud superest vestigium, quam ingens massa Basilicæ S. Iacobi Episcopi, cuius etiamnum visitur sepulcrum in crypta exuuiis vacuum; constat ædes ex marmore præstantissimo, impenso labore, mirifice cælato: nunc porro in bubonum & vespertilionum receptaculum versa est domus Dei.* At si Iuliani Imp. iussu aut incolarum saltem Nisibensium fuga Iacobi ossa elata sunt, quomodo ei exstructa est Basilica? nisi forte dixerit aliquis, cryptam illam transsumtis etiam ossibus remansisse, & basilicam saltem in honorem Iacobi erectam esse: quorum tamen vtrumque idoneis veterum monumentis edocendum foret. Recentiores enim de sepulcro & Basilica Iacobi fere consentiunt; vt Ioan. Baptista Tauernier lib. II. Itinerarii Persici Cap. IV. *Nesbin* ist noch der Schatte des alten *Nisibis*, und anietzo nur ein grosses Dorff / dessen Einwohner meistentheils Armenier und Nestorianer Christen seyn. Unsere Carauane lagerte eine halbe Meile weiters/ in einem Kirchhoff/ an der Armenier Kirchen rührend. Narrat porro, quod mane Ecclesiam intrauerit, Liturgiam Armeniorum audiuerit, & cum Capucinis comitibus suis, monstrante Episcopo Armeno, lustrauerit notatu digna, inprimis sepulcrum Iacobi Nisibeni: Derselbe führte uns unter der Kirchen in eine Capellen/ und wiese das Grab S. Iacobi, Bischoffen von *Nisibi.* Basilicam istam memorat etiam Theuenot P. II. Itinerarii lib. I. Cap. X. sed immani errore Iacobo ἀδελφοθέῳ siue fratri Domini dedicatam putat: *Il y avoit autre fois une Eglise dediée à Mar-Iacob, c'est à-dire, S. Iaques, qui est appellé frere de nôtre Seigneur; elle etoit fort grande; mais on n'en voit à present que les arcades des portes, & un petit espace qui étoit, (je croi) le font de l'Eglise, que les Syriens ont fermé & y celebrent encore aujourd'hui, & les Armenieur aussi.*

XIX. Atque hactenus quidem recensui, quæ de vltimis Iacobi Nisibeni fatis inuenire potui: Sed ea in Iacobo Tentzelio sine interiori animi mœrore non recordor, nec multa de ipsis commemorare dolor permittit. Etenim beatus vir continuis officii laboribus fractus in maximum vitæ discrimen incidit mense Ianuario anni 1683. quod paullo suppressum acrius postea sub initium Aprilis erupit, eumque lecto adfixum per integrum fere semestre domi detinuit, donec tandem speciali Dei gratia prostratæ corporis vires inciperent, vt paullatim pristino munere fungi posset. Sed nunquam tamen in integrum fuit restitutus, quantacunque etiam studia præstantissimi Medici adhibuerint, morbus potius lethalis

mense Martio anni superioris (1685.) iterum eum inuasit, tandemque vigesimo quinto illius die plane exstinxit. Etenim vigesimo die (in quem feria sexta post Dominicam Quadragesimæ secundam incidebat) mane sermonem sacrum ad populum more consueto habiturus subito infirmitate maxima prosternebatur, vt ipsi templum ingredi haud liceret, verum ab alio quodam concio publice foret prælegenda, eo fere modo, quem Gregorius Magnus aliique olim Episcopi obseruarunt, ac imbecillitate prohibiti homilias a se conscriptas legi ab aliis curarunt. Intererant autem multi pii prudentesq; viri, qui vltima sermonis Tentzeliani verba elegantissimum votum continentia singularem stimulum in auditorum animis reliquisse & cantioni cygneæ adsimilanda esse censuerunt, mihique plus semel auctores fuerunt, vt cum omnibus ea communicarem. Quorum honestis desideriis hoc loco satisfacere & pietas in Parentem & promtitudo erga Amicos a me requirit. Hoc igitur modo claudebatur illa homilia. Helffe nur der getreue/ barmhertzige/und in seinem Wesen so wohl/als in seinen Verheissungen unveränderliche GOTT/ daß an unser keinem das bittere Leyden unsers hochverdienten HErrn und Heylandes JESU CHRISTI verlohren sey; sondern vielmehr wir alle und iede durch desselben Krafft/die unendlich und unveränderlich ist/bekehret/zu wahrem Glauben gebracht/ zu allen guten Wercken fertig gemacht/bey wahrem Glauben beständig biß an unser Ende erhalten/in demselben auch frö'ich von hinnen scheiden/der Seelen nach so bald nach unsern Abschieden von den Engeln in Abrahams Schoß getragen/darinnen biß an den lieben jüngsten Tag wohl und reichlich getröstet/ den verstorbenen Leibern aber nach in den Gräbern kräfftig bewahret/ aus denenselben am Ende dieser Welt/ als am grossen Tage der Wiedererstattung/ frölich wieder auffer wecket/und sodann mit Leibern und Seelen verklähret/ schön/ hell/ gleich als die Sonne zu vollkommener Geniessung der ewigen Freude und Herrligkeit eingeleitet werden mögen/da wir Ihn denn für alle hier genossene Gut-und Wohlthaten wollen loben/ rühmen und preisen in alle ewige Ewigkeit/Amen! in Jesu Nahmen! Amen.

XX. Porro notatu dignissimus est dies, quo decessit, nec sine obseruatione prætermittendum temporis momentum, qui spiritum efflauit desideratissimus Parens. Diem iamtum indicauimus vigesimum quintum Martii, quem Latinorum more octauum Kalendarum Aprilium dicere licet. Quis autem in sacra antiquitate adeo hospes est, vt ignoret, a multis veterum peculiaria & magnifica opera diuina hoc die peracta censeri? Equidem multa haud profundam verba in primo eorum inquirendo, quod mundi natalem vocant; siquidem plurimi sunt inter eruditos, qui conditum mundum non verno sed auctumnali tem-

li tem-

li tempore volunt, nec ineptis rationibus persuadere aliis conantur. Neque pluribus dicam de εὐαγγελισμῷ siue annunciatione Mariæ, vt vulgo vocant, cuius memoriam illo die in Oriente pariter & Occidente a Christianis recoli obseruat Seldenus libro III. de Synedriis cap. XV. num. 9. vbi simul ex Calcasendio, Muhammedano scriptore, notat, id inter septem maiora Coptitarum festa primo loco numerari. Accedit vetustissima Ecclesiæ traditio, quod octauo Kalend. Aprilis Christus passus fuerit, ex Tertulliano, Lactantio, Augustino aliisque Patribus ostensa & comprobata a Ger. Ioan. Vossio Differt. de Tempore Dominicæ Passionis. Non placet quidem hæc opinio hodiernis Chronographis, variisque argumentis impugnatur ex Nostratibus ab Ægidio Strauchio tum in Breuiario Chronolog. cap. XLI. Qu. I. tum peculiaribus de Paschate Dissertationibus: ex Reformatis a Frid. Spanhemio in Quaternione Differt. Historicarum Differt. II. a n. 9. vsque ad 15. & ex Pontificiis a Natali Alexandro Histor. Eccles. Sæc. I. Differtat. II. qui pag. 260. coniicit, *illam veterum persuasionem inde ortam esse, quod Apostoli anno Aera Vulgaris 34. Passionem Christi proxime sequente Resurrectionis Christi memoriam 25. Martii celebrarunt, quæ eo altius eorum infixa mentibus est, quod eodem die Dominicam Incarnationem recolerent. Cum ergo primi huius Christianorum Paschatis celebritas apud Fideles percrebuisset, qui successu temporis post rerum Iudaicarum subuersionem, nouamque temporum institutam rationem, quo præcise anno Christus passus esset, ignorabant; tenui adhuc huius diei 25. Martii allucente memoria, hunc ad ipsummet passionis tempus referendum existimarunt; cum potius ad primum Christianorum Pascha referendum fuisse videatur.* Quid de hac coniectura statuendum sit, facile perspicient prudentiores. Num adeo negligentes fuerint primæui Christiani in vero passionis Christi die adnotando, iidem iudicabunt. Necessarium sane habuit Alexander, ad primos illos fideles opiniones suas extendere, quem non latebat ex Theophili Cæsariensis epistola Synodica, Gallos semper celebrasse octauum Calend. Aprilis. Coegit enim Theophilus Synodum in controuersia Paschali circa sæculi secundi finem, cuius acta nuper primus publicauit Stephanus Baluzius Tomo I. nouæ Collectionis Conciliorum a pag. 13. Nuperrime Pagius in Critica Baroniana A. C. XXXII. num. 3. seqq. nouo ausu veterem illam opinionem defendere conatus est, qua Christus octauo Kalend. April. sub Consulatu duorum Geminorum An. Æ. Vulgatæ XXIX. passus dicitur; eamque duabus de causis deseri cœpisse putauit, partim ob nimiam Historiæ Gentium incuriam, quæ Imperium Tiberii Proconsulare perdidit, quod Lucas de Baptismo Christi agens intellexerit; partim ob nimiam Astrologiæ fiduciam, qua Bachonus Tostatus aliique nitantur, haud obseruantes, priscos Iudæos vsque ad Christi fere tempora in vsu Kalendarii nihil

hil vltra vulgi captum sapuisse. Nouum itaque negotium Chronologis creauit Pagius, quod amplius expendere non vacat. Sufficit adnotasse, quod difficillimis ea de re controuersiis sopiendis ex Annalibus Sinicis memorabilem locum de Eclipsi solis, quæ tempore Passionis Christi contigit, paucos ante annos publicauerit Andreas Müllerus, vir in hac litteratura summus, cuius Latinam versionem in gratiam Lectoris adscribam: *Anno septimo Imperatoris Quang-vu-ti, durante vere, Luna tertia, Sol sub Quei-hai densam patiebatur Eclipsin: cum huiusmodi edictum Imperator vniuersis Populis promulgabat: Est hoc opus superioris Domini. Quare vocula & vsitatus Titulus noster XIM porro ne vsurpetur a supplicibus, neu admittatur a Scribis seu Cancellariis.* Mentionem huius testimonii ex Hadriano Gressonio pridem fecit Huetius in Demonstr. Euang. Propos. III. num. 8. integramque disquisitionem promisit Müllerus, qui in Notis ad Specimen illud Sinicum pag. 2. obseruat, Quang-vu-tium *cœpisse regnare anno* Yi-yeu, *hoc est, anno XXII. Cycli XLVI. Anno nempe Christi Domini XXV. Æra Dionys.* cum quo & initium imperii Quang-vu-tiani composuerat in Basilico Sinensi pag. 20. ac in Catalogo librorum Sinicorum MSStorum, qui in Bibliotheca Electorali Brandenburgica adseruantur, Germanice anno 1683. edito pag. 14. Quæ comparatio si vera est, non potest non Quang-vu-tii annus septimus in Æræ Dionys. siue vulgaris 32. cadere, quod agnoscit etiam præter Gressonium & Huetium Dominicus Gabiani de incrementis Ecclesiæ Sinicæ pag. 151. cuius verba Mullerus exhibet pag. 34. 35. qui tamen pag. 27. & 28. passionem Christi ad annum 30. Epochæ vulgatæ retulit, quum Pascha Iudaicum esset 8. Aprilis fer. VII. Sed alii de intricatissimo hoc negotio videant, ego in præsentiarum satis habeo, optimum Parentem, si non eodem die, quo Christus passus est, (vti saltem ex veterum opinione ante explicata consequitur) eadem tamen hora, qua Seruator olim noster, animam DEO reddidisse. Constat enim ex Historia Euangelica, circa horam nonam Christum pro totius humani generis salute mortem subiisse. At illi horæ Iudaicæ apud nos respondet tertia pomeridiana, qua Parentem meum non sine peculiari DEI ordinatione decessisse sæpius recordatus sum, neque exiguum inde solatium accepi, quandoquidem id propterea factum esse cognoui, vt fiduciam in Seruatorem, puritatem doctrinæ, vitæque sanctitatem morte notabili obsignaret.

XXI. Postquam oculos clauserat beatus Parens, incredibilis luctus nos inuadebat: ab aliis autem corpus ad sepulturam componebatur, more Christianorum antiquissimo, quem ex Dionysio Alexandrino describit Eusebius Lib. VII. Histor. Eccles. cap. 22. Præcipue vestibus Sacerdotalibus consuetis induebatur,

quod

quod apud veteres etiam obtinuisse ex Goaro aliisque probat Matthias Zimmermannus in Analectis mense II. num. 8. cui addere licet Ioan. Baptistam Casalium de Ritibus Christian. cap. LXVI. pag. 333. 334. sed caute legendum, quod nullum inter germanos nothosque scriptores discrimen cum hoc loco, tum per totum opus seruauit. Tum exequiarum ritus proxima die Dominica, quæ in vigesimam nonam Martii illo anno incidebat, peragendi indicebantur. Qua ratione Iacobus Nisibensis elatus fuerit, nemo quidem veterum diserte adnotauit: nullum autem dubium est, quin sui sæculi, hoc est, quarti post Christum natum consuetudines fuerint obseruatæ, quas prolixe diduxit Bebelius noster Parte II. Artic. IX. Sect. IV. a pag. 930. Ad eas proxime accedunt mores in Ecclesia nostra recepti, & in funere Parentis deducendo adhibiti. De ordine ducendi funeris Episcopi Canon 65. Arabicus Nicænus agit tam in Pisani quam Turriani editione: sed quid de eo cæterisque statuendum sit, antea multis docuimus. Hymni sacri ab vetustissimis temporibus decantati sunt, quod ex tot Martyrum actis hodienum residuis patet. Iacobus Goarus Notis in Euchologium Græcorum pag. 541. obseruat, *apud Hugonem Menardum in notis in Gregorii Sacramentarium esse officium, cuius hæc sunt primordia: Inprimis cantatur Psalmus: In exitu Israël de Ægypto, cum Antiphona, vel Alleluia.* Psalmus ille in Ebraicis nostrisque Codicibus est centesimus decimus quartus, nec obscura est caussa, propter quam olim in funeribus fuerit vsitatus. Porro sacræ etiam Scripturæ pericopæ populo tum prælegebantur. Hinc in vetustissimo Lectionario Gallicano Mabillonii diligentia eruto numerus LXXIII. exhibet *Legenda in Depositione Episcopi:* & quoniam in Ecclesia Gallicana, vt alibi ostendi, sacræ lectiones triplices erant, & ex Prophetis, epistolis, atque Euangeliis desumebantur, hoc etiam loco totidem præscribuntur. Prima est *Lectio Esaiæ Prophetæ: Hæc dicit Dominus: Aperite portas, & ingrediatur gens iusta* &c. vsque: *donec pertranseat indignatio, ait Dominus Deus. Isa. cap. 26. v. 2. ad 20.* Secunda *Epistola Paulli Apostoli ad Corinthios: Notum autem vobis facimus, fratres, Euangelium, quod prædicaui vobis,* &c. vsque *ita & in Christo omnes viuificabuntur. I. Cor. 15. v. 1. ad 22.* Tertia *Lectio sancti Euangelii secundum Ioannem. Diebus illis dixit Dominus Iesus discipulis suis: Ego sum panis vitæ,* &c. vsque *honorificabit eum Pater meus qui est in cœlis. Ioan. cap. 6. v. 51. ad 59.* Ad calcem Lectionarii Romani, quod Ioan. Fronto publicauit, aliæ quatuor Lectiones *in agenda mortuorum* habentur, sed omnes ex Ioannis Euangelio petitæ sunt, ac secundum numeros Eusebianos apud Latinos quoque olim receptos enumerantur. Prima desumitur ex *cap. XCIV.* quod nobis hodie est cap. XI. vers. 21. vsque ad 28. Secunda ex *cap. XXXIX.* nobis cap. V. a v. 21. vsque ad 25. Tertia ex *cap. LVI.* nobis cap. VI. v. 37. 38. 39. Quarta ex *cap. LXV.* nobis cap. VI. v. 51. 52. 53. 54. Hæc eadem est cum Gallicana, nisi quod illa subsequentes etiam quatuor

versus ambitu suo comprehendit. Quibus eruditis & inter se collatis maiorum nostrorum pietas elucet, qui spem futuræ resurrectionis ea ratione testari voluerunt; Quam pariter significarunt, quando lætum *Alleluia* hymnis & antiphonis subiecerunt, vti Hieronymus docet epist. 30. ad Oceanum de funere Fabiolæ: *Sonabant Psalmi, & aurata tecta templorum reboans in sublimi quatiebat Alleluia.* Plura eam in rem videre licet apud Goarum in Euchologi. & Ioan. Ludou. de la Cerda Aduersar. Sacr. cap. xcvii. num. 10. Parens porro desideratissimus in ea Ecclesia conditus est, in qua publice docuerat, & e regione ferme suggesti positus. Equidem modus Episcopos in templis sepeliendi quo tempore cœperit, non facile dictu est. Neque antiquius mihi exemplum occurrit Epiphanio, quem tertio quinti sæculi anno vita functum Simeon Metaphrastes Arcadii iussu in Ecclesia sepultum refert ex epistola Polybii Episcopi Rhinocorurorum ad Sabinum Episcopum Constantiensem, quæ in editionibus Epiphanianorum Operum Parisiensi & Lipsiensi ad finem secundi tomi habetur, sed verba huc facientia ex Latina tantum versione num. 70. 71. p. 380. Idem de Fulgentio Ruspensi in Africa Episcopo an. 533. mortuo, testatur in vita ipsius anonymus scriptor, quem Ferrandum Carthaginensem Diaconum esse putauit Chiffletius, sed *leuibus coniecturis* iudice Norisio Lib. II. Histor. Pelag. cap. 24. Quæ Germanorum sæculo nono fuerit consuetudo, ex Concilio Moguntino Caroli M. iussu an. 813. celebrato liquet, cuius canon 52. iuri etiam canonico insertus prohibet mortuos in Ecclesiis sepeliri, præter Episcopos, Abbates, dignos Presbyteros & fideles probosque Laicos. Morem hunc prolixius illustrant Zieglerus Instit. Iuris Canon. ad Lancellottum lib. II. Tit. 24. & post Casalium Goarus pag. 523. Ita autem terræ mandatus est beatus Parens, vt versus Orientem respiciat, antiquæ rursus Ecclesiæ exemplo, de qua Mabillonius Notis in Lectionarium pag. 167. *Episcopi non alio modo quam Laici in tumulo componebantur, id est omnes pedibus ad Orientem conuersis, exemplo Christi Domini, cuius corpus in sepulcro hoc modo compositum fuit, vt probat Haimonis homilia in vigilia Paschæ, & Baronius ad annum 34.* Idem ex Tabithæ positione in Actibus Apostolicis probare conatur Ioan. Gregorius, Not. in Scripturæ loca cap. III. De vtroque facile iudicabunt prudentiores: ego hac de re alibi forte accuratius: nunc ad finem properans remitto Lectores ad Ægidii Menagii Obseruationes in Laertium, qui pag. 16. contendit, antiquos Christianos ex imitatione Atheniensium obuersos ad Occidentem mortuos sepeliisse. Quum autem mortuis olim non Iudæi tantum & Gentiles, sed Christiani etiam epitaphia erexerint, vt ex Gruteriano & Reinesiano Inscriptionum opere, tum Bosii atque Aringhi Roma subterranea, item Sirmondi, Mabilloniique & similium antiquariorum scriptis nemini harum litterarum perito ignotum esse potest; nos quoque Parenti optime merito Arnstadii monumentum ereximus, lapidique sequentem inscriptionem incidi curauimus: CHRI-

CHRISTO. REDEMTORI. SACRVM.
ET.
BEATIS. MANIBVS.

IACOBI. TENTZELII.

THEOLOGI. FAMA. MERITIS. INCLVTI.
QVI.
PATRE. ERNESTO. TENTZELIO. CONSVLE.
MATRE. BARBARA. HAPPIA.
GREVSSENÆ.
KL. AVGVSTI. AN. cIↃ IↃc XXX.
NATVS.
OPTIMAMQ. INDOLEM.
NACTVS.
POST. BONARVM. LITTERARVM. FVNDAMENTA.
IN. PATRIA. ET. ERFVRTI.
IACTA.
IN. WITTENBERGENSEM. ACADEMIAM.
MENSE. NOVEMBRI. A. cIↃ IↃc XLVII.
MISSVS.
XXIII. APRILIS. AN. cIↃ IↃc XLIX.
BONARVM. ARTIVM. MAGISTER.
CREATVS.
KALENDIS. MAII. AN. cIↃ IↃc LIV.
IN. NVMERVM. ADIVNCTORVM. ORD. PHILOSOPH.
RECEPTVS.
XX. MAII. AN. cIↃ IↃc LVII.
AD. DIACONIAN. GREVSSENSEM.
VOCATVS.
XX. SEPTEMBR. EIVSDEM. ANNI.
SS. THEOLOGIÆ. LICENTIATVS. WITTENBERGÆ.
RENVNCIATVS.
X. DECEMBR. DICTI. ANNI.
ADSESSOR. CONSISTORII. EBELEBIENSIS.
CONSTITVTVS.

VI.

VI. NOVEMBR. AN. cIↃ IↃc LVIII.
INSPECTIONEM. ECCLESIASTICAM.
ADEPTVS.
XX. MAII. AN. cIↃ IↃc LIX.
PASTORATV. VRBIS. GREVSSENSIS.
POTITVS.
XIII. OCTOBRIS. AN. cIↃ IↃc LXII.
WITTENBERGÆ.
SVMMOS. DOCTORIS. THEOLOGI. HONORES.
CONSEQVVTVS.
XIX. APRILIS. AN. cIↃ IↃc LXXI.
ARNSTADIVM.
AD. CAPESSENDVM. PRIMARII. ANTISTITIS.
EPHORIQUE. MVNVS.
ACCITVS.
EX. LEGITIMO. CASTOQ. MATRIMONIO.
XX. APRILIS. AN. cIↃ IↃc LVIII.
FELICIBVS. AVSPICIIS. CONTRACTO.
SEX. FILIORVM. ET. QVATVOR. FILIARVM.
PARENS.
XXV. MARTII. AN. cIↃ IↃc XXCV.
OBIIT.
MAXIMVM. OMNIBVS. DESIDERIVM.
VENERATIONEM. POSTERIS.
RELINQVENS.
CONIVGI. SVAVISSIMO.
ET.
PATRI. OPTIMO.
VIDVA. SOPHIA. ELISABETHA. NATA. LYSERIA.
LIBERIQVE. SVPERSTITES.
H. M. P. C.

EXER-

EXERCITATIO SEPTIMA
DE

EPHREMO SYRO,

ARNSTADII EDITA
ANNO CIↃ IↃC LXXXV.

I.

PRæceptori iungimus discipulum: Iacobo Nisibeno Ephremum Edessenum, Syrum vulgo dictum: cuius maxima in Orientis Occidentisque Ecclesiis semper fuit auctoritas. Etenim prolixe laudatur a Chrysostomo, Theodoreto, Amphilochio, Hieronymo, Photio, quorum elogia collegit meritissimus Theologus, D. Baltasar Bebelius Sæc. IV. Antiq. Eccles. Euang. Artic. I. pag. 94. Imo *Orbis Magister* communiter audiit, vti post Phil. Labbeum indicant Bollandus & Henschenius in Actis Sanctorum Kalendis Februarii. Quamobrem in Kalendario Coptico apud Ioan. Seldenum lib. III. de Synedriis cap. 15. diei septimo mensis *Tuba*, qui congruit cum secundo Ianuarii, commemoratio *Sancti Mar Ephremi* adscribitur; eodemque titulo Ephremum ornant Æthiopes, obseruante Edmundo Castello in Lexico Heptaglotto pag. 2129. & cum Coptis die secundo Ianuarii, qui ipsis est septimus mensis quinti, *Ter* appellati, memoriam Ephremi celebrant, ac *translationem corporis eius* die tertio mensis sexti, qui vigesimo octauo Ianuarii Iuliani respondet, vti patet ex fastis Æthiopicis ab illustri Ludolfo in Commentario publicatis. Quid autem Syrorum de ciue suo iudicia commemorem, quorum scripta plena sunt laudum Ephremi, adeo vt Ebediesu Patriarcha Assyriorum in Catalogo cap. 60. cum *Prophetam Syrorum cognominatum esse* diserte adfirmet. De Moscouitis hæc notat Adam Olearius in Itinerario p. 276. Ephrem Sirin ist Ephraem Syrus / welcher / wie sie sagen / ein Buch mit güldenen Buchstaben geschrieben / von einem Engel soll bekommen haben / welches niemand als er hätte auffthun können. Darauff er bald mit einem trefflichen Geist zu reden und zu schreiben sich hätte vernehmen lassen. Hauserunt id Moscouitæ a Græcis, quorum eadem sententia legitur apud Ioan. Bapt. Cotelerium To. I. Monum. Eccles. Græcæ pag. 431. Sed nullus Veterum ætatique Ephremi propiorum scriptorum tantum miraculum celebrauit, beneque coniiciunt Centuriatores Magdeb. *id forte confictum esse, quia studia literarum amauit.*

II. Operæ igitur pretium eſt, tanti viri vitam breuiter deſcribere, quam ſtatim poſt ipſius mortem celebrauit Gregorius Nyſſenus peculiari Oratione, non ſolum vtriusque Opera comparente, ſed a Bollando etiam Actis Sanctorum inſerta, ſed acriori cenſura a Iacobo Thomaſio notata in præfationibus Diſputationum Academicarum num. LIV. de qua infra pluribus agemus. Porro Sozomenus vix annis ſexaginta a morte Ephremi elapſis vitam eius enarrauit lib. III. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. XVI. vt mittam anonymum a Gerardo Voſſio editum, & quæ libro I. de Vitis Patrum edidit diſſeruitque Roſvveydus, ac poſt eum Bollandus; quem præceſſerat Michael Hoyerus edita Duaci an. 1640. *vita B. Ephremi*, de qua operæ pretium eſt audire Bollandum in Commentario præuio n. 3. *Si quis igitur perfectam vitæ eius imaginem velit exprimere, ei ſcripta eius omnia ſedulo ſunt & penſiculate euoluenda: vt non carptim mella apum inſtar libet e floribus, quod ſe feciſſe S. Gregorius Nyſſenus profitetur, ſed integros congerat ac conſtipet fauos. Præſtitit hoc quadantenus Michael Hoyerus Auguſtinianus, eleganti edito de eius vita ac virtutibus libello: videtur tamen plenius id fieri poſſe, ſi quis omnia Ephremi ſcripta euoluat & expendat.* Sed mea opinione iam nimium ſtudii impendit Hoierus, cum ſcripta iſta, prout hodie exſtant, dubiæ admodum ſint fidei: ſi quando autem prodierint genuina Syriaca, diligentia iſta longe melius collocabitur. Interea videamus, quid alii de Ephremo memoriæ prodiderint. Duo autem in anteceſſum moneo: alterum eſt de imagine Ephremi, quam præclaro addito elogio exhibuit celeberrimus Auguſtanorum Eccleſiaſtes, Theophilus Spizelius, in veteri Academia Ieſu Chriſti; alterum de inſigni Abrahami Ecchellenſis Maronitæ errore, quando Notis in Catalogum Ebedieſu pag. 61 ſtatuit, *Ephremum tertio vixiſſe ſæculo a Chriſto nato Domino*, quem tamen integro ſæculo recentiorem eſſe nemo antiquitatis eccleſiaſticæ peritus ignorat.

III. Non refragabor Andreæ Riueto lib. III. Critici Sacri cap. 21. exiſtimanti, Ephremum *Conſtantino Magno Imperatore natum eſſe*. cum videam, Bollandum num. 14. idem ex Menologio Græco & breuiori Ephremi Biographo notaſſe, eiusque natales ad exordia Imperii Conſtantini retuliſſe. Patria ipſi ab omnibus ſtatuitur Syria, ſed non æque conueniunt de vrbe natali, quod pridem indicauit Sozomenus: ὃς ἐκ Νισίβεως ἢ τῶν τῇδε χωρίων τὸ γένος εἶχεν, i. e. *Qui Niſibi natus aut in aliquo eius territorii loco*, vti vertit Valeſius, addens in Notis: *Certe Symeon Metaphraſtes patriam illi tribuit Edeſſam.* Sed ſi Cauium in Hiſtoria litteraria pag. 188. audimus, Ephrem *domo, vt quidam volunt, Edeſſenus rectius, vt alii, Niſibenus fuit.* Bollandus vero num. 18. 19. adductis vtriusque opinionis fundamentis rem in medio relinquit. Niſibis a Theodoreto lib. II. Hiſt. Eccleſ. cap. 30. ita deſcribitur ex verſione Valeſii: *Niſibis,*

quam

quam nonnulli Antiochiam Mygdoniæ appellant, vrbs est in confinio Imperii Persarum ac Romanorum. Quæ eo libentius attuli, quod paullo post Theodoretus meminit Ephremi nostri, Iacobum Nisibensem Episcopum rogantis, vt murum conscendens barbaris imprecaretur, quibus verbis confirmare videtur narrationem Gregorii Abulpharagii, qui in Historia Dynastiarum pag. 85. testatur, Iacobi illius discipulum Ephremum fuisse, idque a me quoque in præcedenti Exercitatione num. XVI. assertum est: quanquam Sozomenus aliter tradit, ὄτε μαθὼν, ὄτε προσδοκηθεὶς τοιῦτ@ εἶναι, *nec ab vllo doctus, nec spem antea faciens, talem se aliquando futurum.*

IV. Splendido genere clarisque Parentibus ortum traxisse Ephremum haud obscure innuit Nyssenus: is tamen pro eximia humilitate sua hæc omnia despexit, & monasticæ vitæ adsueuit, non tamen a pueritia, vt nonnulli scribunt, quum Sozomenus referat, eum antea supra modum iracundum fuisse, sed ex quo Monasticam disciplinam excolere cœperit, a nemine vnquam visum esse iratum. Egregiis itaque virtutibus excultus Diaconus Edessenæ Ecclesiæ constitutus est, quod munus ipsi tribuitur ab Hieronymo in Catalogo. Addunt Centuriatores Magdeburgenses, eum *in Presbyterorum ordinem fuisse lectum a Basilio Cæsariensi Episcopo*, sed eius rei in Hieronymo, Nysseno, Sozomeno, (qui aperte potius refragatur) aut Theodoreto nullam reperias mentionem, primario illius opinionis auctore fictitio Amphilochio in vita Basilii: de quo latius aliquando disseram, cum nouam Operum Basilii editionem Deo fortunante publicæ luci exposuero. Nunc monuisse sufficiat, Baronium quoque impugnasse Ephremi Presbyteratum, cuius præcipuum argumentum licet impugnarint Combefisius Not. 112. in Amphilochium, Bollandus num. 22. 23. 24. & Pagius in Critica Baron. an. 378. probatumque dederint, Ephremum non obstante consuetudine Ecclesiastica presbyterum a Basilio ordinari potuisse, reuera tamen ordinatum nullo idoneo teste confirmarunt. Fuit autem Edessa vrbs Syriæ, inter Christianos eo potissimum nomine celebrata, quod ipsius Toparcha Abgarus litterarum commercium cum Christo iniisse fingitur, Christique epistolam ab Eusebio exhibitam in portis Edessæ pro singulari munimento adseruatas scribit Procopius lib. XI. de Bello Persico cap. XII. Sed prudentiores hæc merito inter fabulas reputant, quanquam etiam ex Ephremo nostro earum patrocinium nonnulli soleant acquirere, eo infeliciores, quo certius germano Testamenti Ephremitani exemplari destituuntur, vt infra ostendam. Nec possunt indicare, quodnam sit verum epistolæ Christi archetypon, quippe quod in Syriaco, quo scriptum esse fertur, idiomate amplius haud superest, aliterque exprimitur in Græca versione tum apud Eusebium, tum in Codice Vindobonensi apud Lambecium Lib. V. Commentar. de Bibliotheca Cæsarea pag. 9. 10. & in Arabica a Ludouico de

Dieu in Animaduersionibus ad Historiam Christi Persicam Xauerianam prolata quippe *quam longe aliam esse ac vulgata illa est ab Eusebio producta*, bene aduertit Ioannes Hoornbeek in Examine Bullæ Papalis de Imaginibus pag. 121.

V. Sed e diuerticulo in viam redeamus, & cæteras Ephremi res persequamur, qui variis in sacro munere virtutibus illuxit a Nysseno inprimis ac Sozomeno dilaudatis, e quibus commendari meretur modestia, qua impulsus honorem Episcopatus sibi adsignatum insigni fraude declinauit, prout pluribus exposuit ICtus summus D. Casp. Zieglerus in Dissertatione Iustinianea de Clerico renitente pag. 295. Tandem sub Valente Principe obiit, teste Hieronymo, anno 378. vti post Bollandum atque Labbeum statuunt D. Bebelius & Heunischius in Ætatibus Patrum pag. 198. 199. Biennio tamen serius eum decessisse coniiciunt Centuriatores, *quo tempore eum claruisse, Tritemius scripsit: sed dicere forte voluit, obiisse.* Longius progreditur Pagius citato loco, quia Basilium A. C. 380. vitam finiisse statuit, Amphilochioque Ephremum post Basilium obiisse narranti fidem habet: cuius examen in nouam Basilii editionem differemus, præferentes nunc Bollandum a Pagio licet reiectum, qui n. 17. Hieronymo eadem ætate viuenti *sub Valente Principe* Ephremi mortem signanti subscribit. Dies autem plane incertus est ob nimiam tabularum Ecclesiasticarum discrepantiam, quando nec Græcorum Menologia cum Latinorum Martyrologiis consentiunt, nec Alexandrinis inter se conuenit, quod ex duobus Kalendarii Arabici ordinibus apud Seldenum facile patet. Bollandus num. 13. istam diuersitatem considerans in hæc erumpit verba: *At neque XXVIII. Ianuarii neque 1. Februarii obiisse videtur. Nam cum Palladius, ei coætaneus, scribat in historia Lausiaca cap. 101. cum anno integro ægris & pauperibus curandis Edessæ vacasset, iamque frugum copia successisset, ad cellam reuersum, & post mensem mortuum esse, potius æstate, vel ineunte autumno, mortuus videri debet, quam media hyeme: neque enim illa frugum copia ac fertilitas, sub finem Decembris (vt dicendum foret) cœpit, cum vel in herba, remota adhuc & incerta, spes esset messis; vel conditum a quinque aut sex mensibus frumentum; sed quamprimum id meti commode potuit, aut cum spes propinqua mensis fuit, & prolata viliquepretio diuendita, qua premebatur, annona. Cur tamen his diebus consignata sit eius memoria, haud comperimus.* At fasti Æthiopici die 23. Ianuarii translationem corporis Ephremi signant: quibus non video, cur denegetur fides. An autem die 2. Ianuarii, vt iidem volunt, vel 1. Februarii, vt Latini, Ephremus diem supremum obierit, determinare difficillimum puto: neque tamen satisfaciunt obiectiones Bollandi, qui non animaduertit, sub alio climate habitare Belgas suos, sub alio incolas Mesopotamiæ, hosque fruges nouas dimetiri, cum apud illos eæ adhuc in herba sunt.

Ma-

Magis vero probabilem puto Latinorum, quam Æthiopum calculum, quum ille messem integro mense propius attingat.

VI. Ad scripta Ephremi diiudicanda progressuri in limine primum subsistemus, magnumque eorum apud Veteres pretium considerabimus. Etenim Hieronymus memoriæ prodidit, eum *ad tantam venisse claritatem, vt post lectionem Scripturarum publice in quibusdam Ecclesiis eius scripta recitentur*, addit ex Georgio Amira Brianus Waltonus Prolegom. XIII. *vt nunc etiam, maxime apud Maronitas in officiis diuinis.* Vnde Gabriel Sionita in Epistola ad Bartold. Nihusium, quam hic libro I. Symmictorum Allatianorum inseruit. pag. 298. scribit, *in breuiario Syrorum exstare plures hymnos & preces a Diuis Iacobo Nisibeno & Ephremo Syris conscriptas.* Idemque ex Codicibus versionis Syriacæ MStis clarissime conficitur, qualem Iacobus Vsserius Armachanus transmisit Ludouico de Dieu, *codicem* nempe *egregio charactere Syro exaratum, qui omnia N.T. Syriaci, quæ in prioribus deerant editionibus, ac præterea prolixum Ephremi de Amore Sapientiæ tractatum contineret*, deprædicante eodem Ludouico tum in Dedicatione Animaduersionum in Acta Apostolorum, tum in Præfatione ad Lectorem Commentarii in quatuor Euangelia. Huc spectant forte, quæ Ioan. Alb. Widmanstadius præfatione in Nouum Testamentum Syriacum narrat, *in Bibliotheca Lactantii Ptolomæi se reperisse quatuor Euangelistarum libros, vna cum Ephremi & Iacobi Syrorum opusculis nonnullis, eaque mox transscripsisse.* Sic Guido Fabritius Boderianus præfatione in Seueri Liturgiam memorat *vetustissimum exemplar manuscriptum, quatuor quidem Euangelia, Sanctorum Apostolorum acta, epistolasque tum Paulli omnes, tum Catholicas aliquot Syriace continens; in cuius calce offenderit libellum quendam ritualem, titulo Diui Seueri Alexandrini quondam Patriarchæ Syro idiomate & charactere descriptum.* Consueuerunt enim Christiani ab antiquissimis temporibus libris Biblicis adiungere alia, quorum in Ecclesia vsus erat. Eiusmodi est Codex Alexandrinus Græcorum Bibliorum, ex quo Epistolarum Clementis Romani, vt putat, fragmenta edidit Patricius Iunius. Id imitati sunt Latini, quod cum ex aliis Bibliorum Codicibus MStis, tum ex eo patet, qui in Bibliotheca Arnstadina Ecclesiastica adseruatur, vtpote in fine varias continens Veterum homilias, in Ecclesia diebus Dominicis Festisque recitari solitas. Talia sunt quoque Psalteria, passim a Lambecio in Bibliotheca Vindobonensi, & ab Vsserio in Dissertatione de Symbolo Apostolico vetere Romanæ Ecclesiæ descripta, quæ varios hymnos & precationes antiquorum Græcorum Latinorumue Christianorum exhibent. Sed Ephremus, quo remotior a cognitione vtriusque linguæ fuit, eo maiori felicitate scripta eius ad istas etiam Ecclesias peruenerunt, quanquam infeliciter ad posteros propagata sunt.

VII. Etenim Græci eo adhuc viuente nonnulla in linguam ſuam tranſtulerunt, & ſequente etiam ætate idem factitarunt, utrumque docente Sozomeno; cui Hieronymus adſtipulatur: *Legi eius de Spiritu Sancto Græcum volumen, quod quidam de Syriaca lingua verterat: & acumen ſublimis ingenii etiam in translatione cognoui.* Idque poſtea quoque factitatum eſſe ex Nicephoro Calliſti liquet Lib. IX. Hiſtor. Eccl. cap. 16. Volunt nonnulli inter Pontificios, Ephremum ipſum Græcam linguam miraculoſe edoctum ſcripta ſua conuertiſſe, quod Sixto inprimis Senenſi placet Biblioth. Sanctæ Lib. IV. idemque viſum eſt Baronio Notis in Martyrol. d. 1. Febr. Sed is poſtea contrariam amplexus eſt ſententiam in Annalibus An 370. n. 56. adnotante Poſſeuino in Apparatu. Clariſſima enim de Ephremo ſunt verba Theodoreti lib. IV. Hiſtor. Eccleſ. cap. 29. παιδείας οὐ γεγευμένος ἑλληνικῆς, eademque confirmat hiſtoria congreſſus inter Baſilium & Ephrem habiti per interpretem, quam Baronius latius diduxit: hunc refutare quidem conatur Bollandus num. 31. 32. 33. ſed ita, vt varia effugia quærens Lectorem incertiorem dimittat, quam antea accedentem. Ac inprimis notatu digna ſunt Sixtoque Senenſi opponenda verba Cornelii a Lapide Prolegom. in Eccleſiaſticum cap. III. *S. Ephrem non ſcripſiſſe lingua peregrina, & vt nonnulli volunt, ſibi incognita, puta Græca; ſed Syriaca, vtpote patria, diſerte docet S. Hieronymus* &c. Vtcunque autem ea res ſe habeat, veriſſima eſt obſeruatio illuſtris Huetii de Claris Interpretibus pag. 210. *Poſtquam de Syro Græcus factus eſt Ephraimus, Syriaca eius perierunt.* Neque enim in Syriaca lingua amplius legere voluerunt Græci, quem in propria verſionum beneficio vtcunque audire poterant. Multam quidem laudem iis tribuit Sozomenus: περιόντος τε γὰρ αὐτοῦ, καὶ εἰσέτι νῦν, ἃ συνεγράψατο, πρὸς ἑλληνίδα φωνὴν ἑρμηνεύουσι. καὶ οὐ πολὺ ἀποδεῖ τῆς ἐν ᾧ πέφυκεν ἀρετῆς. ἀλλὰ καὶ ἕλλην ἀναγινωσκόμενος, ἐπίσης τοῦ σύρος εἶναι θαυμάζεται. *Nam & ipſo adhuc ſuperſtite libri eius in Græcum ſermonem tranſlati ſunt, & vſque ad hoc tempus transferuntur: nec tamen a domeſtica ac natiua præſtantia multum recedunt. Sed dum Græce legitur, non minus admirationi eſt, quam dum Syriace.* Atuero omni numero abſolutas fuiſſe verſiones illas merito dubitauerit, qui ex Hieronymi ac Rufini inuectiuis cognouerit, qua fraude in transferendis aliorum ſcriptis vſi ſint eius ætatis homines. Quid vero a ſequioribus temporibus exſpectabimus, ſi puriora tantis vitiis fuerunt coinquinata? Merito clariſſimus Huetius invehitur in liberiorem vertendi modum, qui multis veterum tantopere arriſit. Ac tales omnino ſunt Græcæ Ephremianorum Operum tranſlationes, quæ in variis Bibliothecis manu exaratæ hodienum adſeruantur. Hinc Patricius Iunius in Notis ad citatam Clementis Romani epiſtolam ait, *Ephremi Metaphraſten Græcum in Bibliotheca Arundelliana exſtare.* Præterea ex libris lectionariis Græcorum plerique iſtorum ſermonum exſcribi

ſolent,

ſolent, vt patet inprimis ex duobus a Lambecio memoratis, Lib. v. Commentariorum, quorum alter adhuc ineditus *περὶ τῆς δευτέρας παρουσίας τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ* pag. 26. prænotatur *τῇ κυριακῇ τῆς ἀπόκρεω*, *Dominica Carnisprivii*: alter editus quidem ſed imperfecte, pag. 143. 144. *εἰς τὴν πόρνην τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ δ'*, i.e. vt vertit explicatque Lambecius *Homilia in Meretricem vngentem Chriſtum, habita (mallem: prælegenda) feria quarta ſanctæ & magnæ Hebdomadis.* Merito autem huc pertinet obſeruatio Ioannis Bonæ Cardinalis, pag. 854. Operum in ſimili caſu prolata: *Sed ex eo nihil concluditur, quam verba iſta* (de Ephremo auctore) *prænotata fuiſſe Græcis ſermonibus: At ii non erant aliud quam verſio, & aliunde conſtat, quam exiguæ fidei ſoleant eſſe ſermones in libris lectionariis ſub Patrum nomine deprehenſi.* Confirmat hæc Iacobus Goarus Notis in Euchologium Græcorum, in quo ſermones Chryſoſtomo male adſcripti reperiuntur. Nec omittendum eſt monitum B. Dorſchei in Scrupulis Religionis pag. 150. cui veriſimile videtur, aliorum Ephremorum ſcripta noſtro fuiſſe adſcripta, vti plures ſæpe Ignatios, Athanaſios, Gregorios, confundere ſolent rei criticæ ignari.

IIX. Ex turbido iſto dubioque Græcarum verſionum fonte fluxerunt riuuli Latinarum, eo magis corrupti, quo clarius Pontificias ſuperſtitiones exprimunt. Ambroſius Camaldulenſis Monachus, celebris Græcorum Patrum interpres, nouendecim ſermones Ephremo tributos conuertit, qui Argentorati an. 1509. prodierunt. Alia autem opuſcula excuſa ſunt Coloniæ an. 1547. quæ dum recenſent Magdeburgenſes, addunt, eſſe ibi nonnulla, quæ Ambroſium Camaldulenſem interpretem non habeant. Poſtea Petrus Franciſcus Zinus ſub Ephremi nomine ſcripta quædam Latine edidit Dillingæ, vt poſt Geſnerum in Bibliotheca adnotauit Labbeus. Denique hanc prouinciam ſuſcepit Gerardus Voſſius, Decanus Tungrenſis, *ille Catholicus Theologus*, vt Paſchaſio Quenellio audit Differt. 1. in Leonis M. Opera pag. 269. plurimaque ex Græco in Latinum ſermonem conuertit, & Romæ an. 1589. auctiusque an. 1593. publicauit, quæ editio poſtea Coloniæ an. 1603. recuſa & in III. Tomos diuiſa eſt: Eandem repetierunt Typographi Antuerpienſes an. 1609. Colonienſes an. 1616. Antuerpienſes an. 1619. & Colonienſes denique an. 1675. quanquam ultima editio nouo tantum titulo ſuperbit, nec alia eſt a Colonienſi 1616. vt ex fine apertiſſime patet, vbi hæc leguntur verba: *Coloniæ excudebat Arnoldus Quentelius an. 1616.* Sed vti hæc conſuetudo communis eſt librariorum, ita non opus eſt, vt ei immoremur, Latinos potius interpretes accuratius conſiderabimus. Equidem ante Ambroſium Camaldulenſem exſtitiſſe, Latinam aliquam verſionem, ex Floro Diacono Lugdunenſi liquet, qui nono poſt Chriſtum natum Sæculo vixit, & ex decem Patribus (quorum nouem Latini ſunt) expoſitionem in epiſtolas Paulli colligens Ephremum quoque addu-

adduxit, obseruante Iacobo Sirmondo, Notis in Auitum pag. 60. Memini, in Bibliotheca Academica Lipsiensi, monstrante celeberrimo quondam eius Præfecto, Fellero, Codicem MStum videre, ab eodem in Catalogo impresso pag. 126. indicatum, qui *Libros sex Sancti Ephræm Monachi de compunctione animæ* ex antiqua Latina versione continet, & ante Ambrosii Camaldulensis tempora scriptus videtur. Ambrosii vero huius vitam Augustinus Florentinus contexuit, & in fine tertii libri partis prioris Historiarum Camaldulensium publicauit, in qua versionem illam minime præteriit: *Inter hæc cupiens Ambrosius clarissimo Cosmo Medici aliquod grati animi signum prodere, cumque quomodo eam operam præstaret, aliquandiu animo secum voluisset: delatum est ad eum e Syria B. Ephrem Eremitæ Syri volumen eximium, quod in latium nunquam eatenus prodierat. Id igitur latinitate donatum ipsi Cosmo dono obtulit, quasi omnium suarum lucubrationum pretiosiores primitias: dedicatoriamq; præposuit insignem epistolam, quæ nimirum magnæ suæ eruditionis specimina, nec non quanta inter se & Cosmum intercesserit familiaritas, apertissime insinuat: quemadmodum ex ea est videre. Huc accessit & aliud opusculum, de quo Epistola 20.* (scribit ipse Ambrosius:) *Peto vt volumen Chrysostomi Conuentus sanctæ Crucis, vbi sunt quædam opuscula Ephrem Syri de laudibus Ioseph, ad me mittas. Transtuli enim plerosque eius viri sermones, Cosmoque nostro dedicaui: vellem addere, si quid aliud reperirem, mirifice enim officio, doctrina & pietate viri.* Caue autem, ex Augustini verbis colligas, Ambrosium ex Syriaco natiuoque Ephremi idiomate vertisse, nam ex Græco tantum illum transtulisse ex ipsa præfatione manifestissime colligitur, quam ex Codice MSto Cæsareo Lambecius primo Commentariorum libro p. 119. 120. inseruit. Eleganti allegoria metonymica vtitur Ambrosius, & licet Ephremum non nominet, describit tamen illum tanquam *peregrinum e Syria profectum ad nos, ætate longæuum, statura procerum, sed iam serio incuruum:* quem *posita paullisper verecundia* Ambrosius *accesserit propius, senemque officiosissime salutauerit, a quo vicissim blande resalutatus, inter salutationum verba solennia, animaduerterit Græcæ loquutionis gnarum, ac rogauerit, vt cellulam suam inuiseret, suoque aliquandiu frueretur hospitio.* Quo facto a sene isto se didicisse plurima egregia ad pietatem facientia, in quibus describendis prolixus est: ac inter hæc gaudia Cosmum Medicem sibi sæpe in mentem venisse, quem festiuitatis illius participem facere voluerit. *Sed cum perdifficile id viderem,* (pergit) *quod esset ille* (senex) *penitus nostri sermonis ignarus, induxi placidissimum senem, vt commodi tui atque consolationis caussa latine quoque loqui disceret; neque sane abnuit senior sanctus, præter ætatis consuetudinem se mihi in disciplinam dare, neque docente paucis diebus ita linguam nostram consequutus est, vt meo quidem indicio latine melius & eruditius loquatur, quam græce. Nunc igitur tu tantum talemque hospitem, Cosme,*

grate

grate reuerenterque suscipies &c. Quemadmodum enim Ambrosius sub schemate sermonis Latini Ephremo a se instillati *translationem suam latinam intelligit*, notante in margine Lambecio: ita dum supra *Græcæ loquutionis gnarum* dicit Ephremum, eodem modo versionem Græcam intelligit. Cæterum ex Codice Cæsareo liquet, Ambrosium nactum esse Ephremi sermonem de laudibus Iosephi in epistola ab Augustino Florentino adducta memoratum, quippe quem post 20. alios exhibet eoque clauditur MStum illud Cæsareum. Putarim itaque Ambrosium versionem suam subinde suppleuisse, si quæ alia Ephremi opuscula nactus esset; primamque eius operam referre nouendecim sermones Argentorati editos, quos quidem Labbeus Coloniæ etiam an. 1547. impressos dicit; sed hos alios ego coniicio, non solum, quia Vossius in Notis ad Sermonem de transfiguratione Domini, editionem Coloniensem allegans *incertum Interpretem* dicit; verum etiam, quoniam sermo ille in Codice Cæsareo haud comparet. Falsus vero est Gesnerus, quando editionem Dillingariam an. 1562. a Francisco Zino adornatam vult; nam quæ Zinus interpretatus est, Venetiis prodierunt an. 1574. teste Lambecio atque Thomasio in præfationibus Academicis pag. 312. quæ vero Dillingæ an. 1563. impressa mihique nunc ad manus sunt, obstetricante Iacobo Menchusio Belstano lucem publicam adspexerunt, qui in dedicatione refert, duos sibi ad manus fuisse antiquos Codices Latinos MStos, ob varias lectiones nonnihil discrepantes. Duabus quoque partibus absoluuntur opuscula Ephremi ab ipso edita: prior constat *libellis quinque de tremendo die iudicii & resurrectione vniuersali, de iucunditate & gaudio supernorum ciuium & regni cœlorum, de mundicia animæ & laudibus Christi:* posterior continet *monita Beati Ephræm*, de defectu religionis, de pœnitentia &c. Superest Gerardus Vossius, vltimus illorum interpres, insigni tamen plagio, quod Lambecius detexit, his verbis: *Cæterum caussa, cur integram Ambrosii Camaldulensis præfationem hic inseruerim, præcipua hæc est, quod Gerardus Vossius, Præpositus Tungrensis, in supra memorata omnium operum S. Ephræmi editione sua latina, nullam versionis istius antiquæ facit mentionem, cum tamen certo constet, illum ea vsum fuisse. Suo enim se prodit indicio tanquam sorex, dum epistolam dedicatoriam ad Summum Pontificem Sixtum V. ad imitationem Ambrosii Camaldulensis hoc orditur initio: Biennio antequam in excelsam istam Ecclesiæ speculam, sedem Petri, eueghereris, Sixte V. Pont. Max., virum mihi peregrinum e Syria oriundum, & per Græciæ climata huc profectum, vt maior eius haberetur ratio, commendasti, ac vt eodem mecum Romæ exciperetur contubernio, desiderasti.* Pluscula inde Lambecius describit, quæ manifestissime probant, Ambrosii allegoriam Vossium surripuisse, tandemque claudit: *Hæc Gerardus ille Vossius, Præpositus Tungrensis, simius Ambrosii Camaldulensis; cuius mentionem licet maligno silentio de industria prætereat, sententiam tamen & ver-*

ba supra inserta præfationis ad Cosmum Medicem adeo manifeste vsurpat, vt primo intuitu videre sit, quod alienam gloriam falsa æq; ac ambitiosa venditatione sibi attribuere haud verecundetur.

IX. Sed videamus Eruditorum de his scriptis Latinis iudicia. Inter Pontificios Robertus Bellarminus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis de prioribus opusculis Coloniæ expositis iudicat, *ea magis pia esse quam docta*, sed de Vossianis ἐπίκρισιν suspendit, nec Vossio citra eorum trutinam accedere audet, quod silentio non fuit prætermittendum, quum vice haud simplici libellum istum recensens Bellarminus nihil quidquam hoc loco addiderit, quod procul dubio fecisset, nisi de sublesta Vossii fide certior fuisset. Sed idem tamen in controuersiarum Tomis Ephremi testamentum citauit, quod Vitis Sanctorum Kalendis Februarii ex translatione Iulii Clementis inseruerat Laurentius Surius. Quam alucinatus sit Bellarminus, ostendit Ioannes Gerhardus in Confessione Catholica Lib. I. P. II. cap. XIII. pag. 525. 526. Bellarminum sequutus Iacobus Kellerus meritas impudentiæ suæ pœnas tulit a Georg. Zeæmanno Uncatholischen Päbstthums To. II. Artic. VII. pag. 422. 423. qui & antea Artic. I. cap. II. §. 2. præclare indicauerat, quid de laudibus Mariæ Ephremo a Kellero tributis sentiendum sit, vt proinde a veritatis tramite, cui se semper insistere tot verborum ampullis incautis Lectoribus persuadere nititur, Sfortia Pallauicinus turpiter aberrauerit, quando Libro VII Histor. Concil. Tridentini cap. 7. num. 8. eandem crambem recoquere non erubuit. Cæterum erudita est obseruatio Ioannis Dieckmanni Exercit. de Purgatorio contra Allatium num. 17. *Vtrum ab Ephremo ipso tale testamentum Syriaca dialecto conscriptum vnquam fuerit nec ne, ego nec affirmare pro comperto, nec præfracte quoque negare ausim, cum in Rituali MSCto Syriaco* ἀνεκδότῳ, *cui titulus* ܒܝܬ ܓܙܐ *seu gazophylacium pag. 100. Ephremus testamento suo discipulis preces commendasse perhibeatur, vt didici ex Hottingeri Topographia Eccles. Orient. Cap. V. pag. 138. 139. Possent forte ii, quibus ritualis illius inspiciendi copia est, vbi hæc cum Vossiano testamento contenderint, certiora nos edocere.* Id inprimis notatu dignum est, quod in fictitio illo Testamento Ephrem gloriatur, *se in tota vita sua nemini prorsus maledixisse, & cum nullo fideli vnquam contendisse:* sed aliam plane cantilenam canit in *Confessione & sui ipsius reprehensione*, quæ magis conuenit Sozomeni narrationi num. IV. a nobis adductæ. Plura tum in testamento illo tum in cæteris scriptis veritati haud congruentia adduxerunt Rob. Cocus in Censura, Andr. Riuetus in Critica Sacra lib. III. cap. 21. & in Catholico Orthodoxo Tract. II. qu. 44. num. 2. ac Albertinus de Eucharistia pag. 449. 450. quibus ex Nostratibus adstipulantur Ioan. Georg. Dorscheus in Scrupulis Religionis pag. 146. seq. Ioan. Hülsemannus in Patrologia pag. 1039. & post

Bebe-

Bebelium Diecmannumque supra laudatos alii. Solent quidem Pontificii variis modis illos impugnare, siue calumniis, vt Phil. Labbeus in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis, quas egregie coercuit Bebelius noster; siue clamoribus, vt Leo Allatius lib. de Purgatorio cap. 8. quos exstinxit Diecmannus; siue infirmis responsionibus, vt Natalis Alexander in Synopsi Sæculi quarti Historiæ Ecclesiasticæ, pag. 546. 547. & Ludouicus Ellies du Pin To. II. Nouuelle Bibliotheque Ecclesiastique pag. 146. 147. 148. Ille aduersus Riuetum pugnat, & ne Testamentum Ephremi eripi sibi patiatur, Narrationem ad Monachos de Ephremi conuersione inter supposititia numerat, non animaduertens, hasce Sozomeno magis conuenire, quem in rebus gestis Ephremi explorandis segnem haud fuisse patet. Multo vero minus consentit Testamentum cum Confessione, quod Alexander quidem negat, *quia potuit esse a contentionibus alienus, ex quo perfectioris vitæ institutum amplexus erat, & fuisse nihilominus in contentiones pronus, cum iuuentutem ageret. Sicut non pugnant, quod ante conuersionem suam supra modum iracundus esset, a nemine vero vnquam visus sit iratus, ex quo Monasticam disciplinam excolere cæpit:* at hoc σοφὸν φάρμακον minime admittunt verba Testamenti, de tota vita exserte agentia: *Nullo modo in tota vita mea aduersus Dominum contumeliosus extiti, nec sermo stultus e labiis meis egressus est: neminem in tota vita mea maledictis oneraui; nec cum vllo plane Christiano homine contentiosum me prabui.* Dubium itaque manet Testamentum Ephremi Græcum & Latinum, donec Syriacum eruatur. Deinde Riuetus obiicit, absurde Ephremum in tractatu de tormentis inferni damnatos inducere, dicentes: *Saluete omnes Sancti, saluete Apostoli* &c. Alexander *pessimam fidem* Riueti incusat, *cum sanctissimus Pater sic loquentes damnatos non inducat, sed potius æternum vale dicentes Cœlitibus, suamque dolentes a beata ipsorum societate perpetuam separationem. Valete iusti vniuersi. Valete Apostoli &c.* At non aduertit Alexander, Riuetum ista non ex Vossii, sed Ambrosii Camaldulensis versione attulisse, Lectoremque monuisse, vt tam duos istos Latinos, quam Gallicum interpretem eo loco inter se conferat, ac *tot fere inuersiones, mutationes, & additiones, quot sunt verba, animaduertat.* Credibile est, Vossium ac Feuardentium mederi voluisse absurdis, quæ ex Ambrosii, Græcum pressius sequentis versione sequebantur. Alexandro igitur incubuisset, non Vossio nude adhærere, sed rationem tanti dissensus aperire, cui sane mederi nemo poterit, nisi Syriaco exemplari adhibito, dummodo hæc vnquam scripserit Ephremus. Leuiora quoque sunt, quæ du Pin ad hæc bina Riueti argumenta reposuit. Primo difficillimum putat, in tanto numero opusculorum ad pietatem & spiritualitatem facientium non reperiri cogitationes aliquas infirmas & imbecilles, quum longe plures in libellis eius generis nostro tempore prodeuntibus occurrant, quam in Ephremianis. At Ephremus san-

ctulos illos hodiernos multis parasangis post se relinquit, nec vnquam vel Sacræ Scripturæ vel sibi ipsi contradixerit. Deinde in Alexandro minime sufficere monstrauimus, quod etiam du Pin versionem Vossii in loco de tormentis inferni tantum obuertit: & quando censet, Ephremum in sua confessione aut nihil contrarium dicere Testamento, aut si dixerit, per humilitatem dicere potuisse ac sub persona aliena; loqui videtur, quasi neutrum scriptum vnquam inspexisset, Ephremumque vtrobique sub propria persona loqui cognouisset. Sed reliqua etiam doctissimi du Pin responsa iudiciaque consideremus. Pleraque opuscula Ephremo adscripta genuina censet, quippe quibus conueniant omnes characteres Ephremi scriptis apud Veteres tributi; plena enim esse figurarum, exclamationum, interrogationum, & similium, sine ornatu & arte congestarum; habere plurimum vigoris & acuminis; contexta fere locis Scripturarum; gemitibus denique, lacrymis & suspiriis referta: habere nos idem Testamentum Ephremi, eadem de Humilitate, Charitate, laudibus Virginitatis, extremoque iudicio scripta, quæ Nyssenus commemorauit: eadem Cantica, vitamque Iuliani, quæ Sozomenus citauit; easdem Homilias 49. Photio recensitas. Sed si quis ex eo quæsiuerit, quænam ipse pro suppositítiis habeat? procul dubio aqua illi hærebit. Permittat igitur nobis, tamdiu de vniuersis dubitare, donec Syriacum prodeat exemplar, manifestumque reddat, an & qui Interpretes bona malaue fide in transferendo vsi sint. Generales sane characteres vtcunq; in versionibus expressi non impediunt, quo minus male fidei Interpretes textum ipsum vel corrumpere vel additamentis suis deprauare possint; quibus potius solennissimum esse constat, sub eiusmodi schemate virus suum occultare. Huic autem malo mederi aliter non potest, quam consulto natiuo auctoris idiomate. Audiat noster du Pin Petauium suum, Prologo galeato ad tomum 1. Dogmatum Theologicorum: *Quod ad Græcos Patres attinet, eorum verba maiori ex parte Latine sumus interpretati: quod complures locos illorum & sententias minus fideliter in Latinum translatos fraudi fuisse sciremus eruditis de Schola Theologis: vt ex iis placita quadam eorum & dogmata conficerent, ab ipsorum mente prorsus aliena.* Et quid multa? Ipse du Pin mox respondet ad obiectionem, (qua hæc opuscula hodie non tanti esse dicuntur ingenii, quanti Hieronymus & Sozomenus repererunt,) id mirum nemini esse debere, quod in versione Latina alicuius Auctoris ex Græca facta non omnis illa pulchritudo sublimitasque inueniatur, quæ in lingua originali occurrit: ipsumque Hieronymum ac Sozomenum id tacite innuere de versionibus Græcis, ac Photium velle, quidquid vulgare ac minus elaboratum in stylo illarum Homiliarum occurrat, id potius interpreti, quam auctori esse tribuendum. An igitur absurdus foret, qui interpretem, in verbis infelicē, in rebus quoq; negligentem diceret, vt vel auctoris sui sensa haud satis perceperit, vel de industria (quod de

Græ-

Græcis sequiorum saltem, nisi & priorum temporum verum est) mutauerit? Neque satisfacit du Pin, quando existimat, *acumen* illud *ingenii*, quod in libro Ephremi de Spiritu Sancto laudat Hieronymus, magis in Operibus dogmaticis, quam ad ædificationem deuotionemque facientibus comparere. Nam qui ingenii pollent acumine, id in omnibus suis scriptis sine discrimine, partim quoad inuentionem, partim quoad dispositionem, partim quoad eloquutionem prodere solent: hinc etiam ipse Ephremus in genuinis opusculis ad pietatem pertinentibus singularem ornate dicendi fortiterque persuadendi vim adhibuit, quæ tamen in hodie residuis Latinis versionibus raro conspicitur. Riuetus & Albertinus multas de mala illarum fide querelas fundunt, quas frigide excipit du Pin, non esse verisimile, inquiens, hominem tam fore impudentem, vt multa effingat, ac contra fidem MSStorum infarciat, aut si id ausus fuerit, ex MSS. facile posse redargui. Atqui mille dari possunt exempla eiusmodi fictionum ac corruptionum, quas in transferendis Patrum scriptis commiserunt Pontificii: & inprimis Vossius ob perfidiam suspectus est, quam ex Nostratibus etiam notat Dorscheus Vindiciarum Exodi Part. I. Dissertat. IV. pag. 119. *Sane certi esse non possumus, an bonæ fidei fuerit Interpres Latinus, qui & a veteri Interprete, Ambrosio Camaldulensi, toties dissentit, & e Græco solo vertit, cum primo Syriace scripta sint opera Ephrem, & ipse Vossius tanta industria Græcum textum submouerit, & fundamentum prope veritatis Græci textus, quod adstruxit Vossius, subrutum sit.* Faciat igitur periculum noster du Pin, & Vossii versionem ad MSSta Græca in Bibliotheca Regis sui expendat, orbemque litterarium deinceps reddat certiorem, annon Augiæ stabulum purgandum susceperit, malitque nouam condere versionem, quam Vossianam toties corrigere? Sequatur Petauii exemplum, qui licet in prioribus dogmatum Theologicorum libris Ephremum passim ex Latina versione adduxerit, tandem veritati propius accedens illud ipsum *S. Virginis Encomium*, quod in γνησιότητος throno collocat du Pin, inter dubia reponit, neque in eo describendo vult occupari, lib. XIV. de Incarnatione Cap. IX. num. 9. *Editus est inter Ephræmi opera* sermo de sanctissimæ Virginis laudibus, *in quo multa de illius intercessione ac μεσιτείᾳ continentur; deque spe in eam hominum intenta, & eiusdem inuocatione. Sed an reuera Ephræmi illius Syri, & æqualis Basilii Magni sit homilia ista, vt & pleraque scriptoris illius, dubitatur a multis. Ideo satis habemus, in auctorem istum, cuiuscumque modi est, digitum intendere, nec in eius describendis verbis operæ pretium ponimus.* Sed nondum relinquo Petauium, qui alibi egregium argumentum suppeditat, ad demonstrandum, mixta esse Ephræmianis nonnulla, quæ non Syrum, sed Græcum sapiunt auctorem. Lib. V. de Incarnatione Cap. XVI. num. 5. adfert locum ex Oratione de Margarita pretiosa (qui Tomo III. Operum Ephremi pag. 670. legitur) de verbis Angeli ad Mariam:

Ideoque & quod nascitur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Ad quæ inter alia Homileta: *Quædam tamen exemplaria supprimunt illa, ex te, vt hæresibus gratificentur. Tametsi non admittis, o hæretice, hæc verba, ex te, tamen additio verbi adhuc sententiam conseruat. Ait enim, Ideo & quod nascetur, assumtionis nexum significans.* Addit Petauius, *voculas istas deesse in nonnullis tam scriptis, quam cusis exemplaribus*; acceditque Hugoni Grotio; *suspicanti, ab Eutychianis inductas illas voculas, quæ in emendatioribus codicibus leguntur*; quæque Irenæus, Tertullianus, Cassianus, Titus Bostrensis & Athanasius agnoscunt. Atuero Ephræmus diu ante Eutychen vixit, adeoque deprauationis illius ab Eutychianis scelratissime susceptæ meminisse non potuit: neque hæc versionis Syriacæ ab Ephremo etiam allegari solitæ Codices peruasit, qui omnes, quotquot hactenus visi sunt, ܡܢܟܝ *ex te* constanter legunt. Græcum itaque auctorem habet iste de Margarita tractatus, qui Græcos Codices consuluit, & quosdam ab Eutychianis corruptos reperit. Duplex hoc ratiocinium addere licet illis, quæ Albertinus formauit, ex Græcis Scriptoribus, Irenæo & Athanasio Ephremo Syro ignotis, in his tamen tractatibus allegatis. Respondet quidem ad hæc du Pin, Ephremum inter Gentes Græce loquentes sæpe versatum videri Græcam linguam calluisse; aut si omnino ignorauerit, tam Irenæi libros, quam Antonii Monachorum Principis vitam ab Athanasio concinnatam in Syriacum idioma transferri curasse. Sed posterius vix admittent, qui inter Ephremiana ipsa Græca verba Irenæi & Athanasii legunt, noruntque Interpretum consuetudinem, scriptorem ab alio citatum vnius loci caussa integre haud peruoluentium, sed suis potius verbis transferentium. Prius autem vti animum veritatis cupidum in du Pin, monstrat, fabulam supra reiectam de Ephremo miraculose Græce docto tacite improbantis, ita nescio, quomodo obliuioni tradiderit Theodoreti verba lib. IV. Histor. Eccles. cap. 29. quæ omnem linguæ Græcæ notitiam Ephremo prorsus denegant: *παιδείας γὰρ ὀ γεγευμένος ἑλληνικῆς, τοὺς τε πολυσχεδεῖς τῶν ἑλλήνων διήλεγξε πλάνους, καὶ πάσης αἱρετικῆς κακοτεχνίας ἐγύμνωσε τὴν ἀσθένειαν. Nam cum Græcas litteras non attigisset, multifidos tamen Græcorum errores confutauit: omnesq; hæreticorum fraudes infirmas esse ostendit.*

X. Quamobrem mirari subit, summum virum Hugonem Grotium, in libris de Iure Belli & Pacis scripta eiusmodi, vt germana Ephremi admisisse; vnde merito incurrit reprehensionem Bœcleri, cuius graue monitum ex Præfatione Commentariorum in istud Opus pag. 22. non possum quin adscribam: *Illud in Grotio vix quisquam probauerit, quod Ephremi sui, quomodocunque ad posteros propagati Euthymii Zigabeni, & eiusmodi nominum, rariorum forte, quam præstantiorum, auctoritatem sæpe in explicanda Scriptura maximis & grauissimis antiquorum*

rum Patrum sententiis praefert. Cuius consilii ratio etiam in aliis operibus saepe ei fraudi est. Notari quoque meretur Gerardi Ioannis Vossii inconstantia, qui Lib. III. Historiae Pelagianae P. I. p. 276. gratiae necessitatem ex Latinis Ephremi scriptis probare satagit; sed Lib. VI. pag. 556. aduersus Franciscum Cumel ad Ephremum etiam prouocantem disputans, *addit, quod graues habemus dubitandi caussas, et quid genuinum exstet Ephrem: non pauca saltem supposititia esse, fidem fecerint, quae in critico suo sacro notauit vir eruditus, Andreas Riuetus.* Denique hinc facile iudicare licebit de Guilielmi Caue iudicio in Historia litteraria p. 188. *Leues plane sunt & futiles vt plurimum exceptiunculae, quae scriptis eius intentari solent. Si quae occurrant, quae sancto Patre minus digna, aut quae aliis locis non bene conuenire videntur, nostrae potius Syriace loquendi modorum inscitiae, vel versionibus ex versione male factis, quam Ephremi inelegantiae & inscitiae imputari possent; quin si reuera errores essent, summo hominis zelo, simplicitati, ac pietati condonari debeant.* Haec quidem nostrae sententiae non adeo conuenire videntur; sed propius accedunt, quae pag. 191. de Photio differit Cauius: *Caeterum Homilias siue Sermones Ephremi XLIX. a se visos lectosque memorat Photius, quorum titulos enarrat. Quinam ex iis in editione Vossiana habeantur, ob titulorum homonymiam, & Graeci textus inopiam haud ita certo iudicari potest. Plurimas tamen inibi extare certo liquet. Meminit &* Orationis ad Metebinos Monachos habitae de Virtutibus & Vitiis quam plurimis; *de qua an inter Vossiana extet, parum certi coniectari possumus, licet in Tomo primo haud ita longe a principio reperiri videatur. Quin & non immerito forsan censeri posset plurima in Editione Vossiana Opuscula Ephremum auctorem non habere: quot vero aut quaenam ea sint, ob rationes supra allatas haud ita facile est iudicare.* Vide Cauium aliam prorsus rationem ingredientem, quam du Pin, & cum hic Vossiana pleraque pro genuinis habeat, illum pro dubiis spuriisue agnoscere.

XI. Quum itaque nec apud Graecos nec apud Latinos vera Ephremi scripta hodienum liceat reperire, ad alias nationes nos conferamus. Ac Gallicam quidem versionem a Francisco Feuardentio adornatam editamque Parisiis a. 1579. cum Riueto plane repudiamus, vtpote non ad textus originalis, sed Graecae versionis normam, vt habet titulus, confectam, nec quidquam curamus Labbei inanes obiectiones. Versio Germanica Ioan. Schvvaigero interprete Moguntiae prodiit an. 1565. in octauo, monente Lambecio, quae procul dubio ad normam Latinarum versionum facta, paruique est momenti. Similiterque censebunt prudentiores de Moscouitica versione, quam nonnulli ab Oleario significari volunt. Vt enim Russi Graecorum religionem sequuntur, Syriacaeque linguae dediti non sunt, ita in Ephremo transferendo alium procul dubio fontem quam Graecum non agnouerunt. Quid autem iudicabimus de Arabica versione, quando Thomas

mas Iamesius in Catalogo Bibliothecæ Oxoniensis refert, in ea adseruari Ephremi Parænefes, Epistolas & Sermones num. 52. manu exaratos? Nihil sane aliud, quam sequendo Huetium, qui in libro de Claris Interpretibus erudite commonstrat, exiguæ fidei esse Arabum versiones. Ex his autem Habesfinos suam versionem, vt alia, hausisse, facile dixerit, qui nouit, eos ab Alexandrina Ecclesia, in qua sequioribus sæculis Arabicum idioma præualuit, semper dependisse. Iobus Ludolfus in Epistola ad Hottingerum, quam hic Bibliothecæ Orientali inseruit, pag. 326. recenset *Græcorum Patrum scripta Æthiopice versa, quæ Habesfini legunt, atque amant. Notissimi inter cæteros sunt; Basilius, Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Ephrem Syrus, & ni fallor etiam Irenæus.* Idem lib. III. Historiæ cap. IV. agit de summæ fidei & auctoritatis libro apud Æthiopes, *Haimanota Abau*, i.e. *Fides Patrum* dicto, & cum ex aliorum, tum *Ephremi scriptis* collecto.

XIV. Solos igitur Syros manet laus adseruatorum ciuis sui scriptorum, a quibus etiam Europæi hactenus acceperunt sperarùntque eorum communicationem. Etenim Ioannes Albertus Widmanstadius Præfatione in Nouum Testamentum Syriacum ait, se *in Bibliotheca Lactantii Ptolomæi reperisse quatuor Euangeliorum libros vna cum Ephremi & Iacobi Syrorum opusculis nonnullis, quæ ipse mox transscripserit.* Apographa ista procul dubio cum cæteris Widmanstadii libris in Bauaricam Bibliothecam peruenerunt, quod de his ex Andreæ Masii Epistola ad Benedictum Ariam Montanum didici, quæ Grammaticæ Linguæ Syricæ in Bibliis Antuerpiensibus præfixa est. Masius quoque habuit nonnulla Ephremi opuscula Syriaca, quæ passim citat in Peculio Syrorum, eidem Bibliorum Regiorum Apparatui inserto. In his inprimis notatu dignus est Ephremi libellus de compositione hominis, quo sæpe dicta sua confirmat Masius, sed mendosum esse queritur pag. 10. col. 1. Ex eo discimus, qua Philosophia vsus sit Ephremus, e. g. quod animam locat in capite hominis, vt est apud Masium pag. 29. col. 3. & quod mendacia in liene sedem habere dicit, nisi forte risum vel iocum intellexerit, de quo dubitat Masius p. 12. col. 1. Ob insignem itaque scriptorum Ephremi vtilitatem laudabilis ardor Masii animum inflammauerat, vt a Doctore suo, Mose Mardeno, e Mesopotamia oriundo, qui Nouo Testamento Syriaco Viennæ primum excudendo multam operam nauauit, precibus variis expeteret, vt in Orientem regressus inter alios libros coemeret transportaretque Ephremi scripta, quod pollicebatur quidem Moses Mardenus Epistola III. ad Masium, docente Andrea Müllero, sed promissis non stetit, semelque reuersus nunquam rediit, nec malæ gratiæ passim apud Patronos auaritia sua partæ maculam eluere conatus est, quod pluribus in præclara Dissertatione de Mose Mardeno exponit Müllerus, pag. 11. recensens partem *librorum, quos Fuggeri impensis, Masiique consilio & ope, dato fide-*

fideiussore, coëmere promiserat Moses ille in citata epistola: *Mosis Bar Cepha, Ephremi, Iacobi; Caussa Caussarum, Sapientia Sapientiarum &c.* Quanquam autem spes a Mardeno excitata in fumum abiit, non desunt tamen in splendidis Europæ Bibliothecis Ephremi scripta natiuo sermone exarata. Nam Antonius Posseuinus ex Serario se didicisse ait, Venetiis exstare aliquot libros Syriacos & Arabicos, inter quos fuerit Ephrem. Romæ quoque eiusmodi codices adseruari ex Cardinale Bona, Kirchero, & aliis infra commemorabimus. Nec patientur Iesuitæ incassum abire votum sodalis sui, Cornelii a Lapide, Prolegomenis in Ecclesiasticum c. III. *In monte Libano Syriace exstant Commentarii Manuscripti S. Ephrem in vniuersam S. Scripturam, vti Romæ a Maronitis accepi: quæ vtinam quispiam in Latinum converteret & ederet:* nec dubito, quin eosdem intelligat Georgius Amira, quando Præludio II. in Grammaticam suam Syriacam scribit: *Hæc sententia*(quod lingua Syriaca sit vetustissima)*tribuitur a multis sanctissimo magno Aphrem Syro, cuius Opera, in quibus sermonem hac de re facit, quoniam Romæ non habui, illam apud eum legere non potui.*

XIII. A Reformatis plura exspectare possumus. Nam Iacobus Golius ex Oriente attulit secum & in Bibliotheca Academiæ Lugduno-Batauæ collocauit varios Orientales Codices MStos, inter quos gemmarum instar eminent *diuersi Tractatus Theologici D. Ephraim Syri*, teste Spizelio nostro in Arcanis Bibliothecarum retectis pag. 143. Hos Ludouicus de Dieu vocalibus punctis exornauit, & in Latinum sermonem conuertit; magnamque propterea laudem reportauit ab Hottingero in Præfatione Exercitationum AntiMorinianarum: sed maiorem gratiam commeruit apud Iacobum Vsserium, Hiberniæ Primatem, virum summum & ad rem litterariam iuuandam natum, qui ea de caussa inprimis scripta Ephremi Syriaca ex Oriente transportari curauerat, & cum Ludouico de Dieu communicauerat, cuius beneuolentiam is in epistola Dedicatoria Animaduersionum in Actus Apostolicos prolixe deprædicat, simulq; confirmat, quæ antea de proprio illius in Ephremum studio diximus: *Vix enim quicquid Syriacorum Ephremi Opusculorum Academia nostra haberet, descripsisse me intelligis, vocales addidisse, & Latine transtulisse, quin protinus tres Codices elegantissimos, quibus omnia Ephremi, quæ instructissima tua Orientalis Bibliotheca habet, continentur, admiranda liberalitate transmittas. Stupebunt, sat scio, Lectores omnes, tam rarum humanitatem, tam inauditam beneficentiam*, &c. Præterea Vsserius ipse nouam Ephremianorum scriptorum moliebatur editionem, prout Hottingerus testatur Sæc. IV. Historiæ Ecclesiasticæ cap. IV. Sect. IV. quando συμβίβασιν doctrinæ ex Syris probaturus infit: *De quibus spero plenius & luculentius aliquando nos scripturos, cum ipsa Ephremi Syri habuerimus opera, quorum editionem ab Illustrissimo Armachano procurari, iam antehac audiuimus.* Verum eximia eruditorum hinc concepta spes,

per immaturum Vſſerii obitum decollauit, nec Ludouicus de Dieu morte præuentus laborē Ephremo impenſum publici iuris facere potuit. Maxime igitur doctos omnes ſibi deuincirent, qui vtriusque viri in Ephremum meditationes tanquam ſacra pignora adſeruant, ſi quando in lucem eas prodire paterentur, addito natiuo Ephremi idiomate, vt de verſionibus iudicium exinde fieri queat. Maiorem ſplendorem conciliare poſſent eruditi Angli, qui vti ſuam in linguis Orientalibus peritiam Bibliorum Polyglottorum editione commonſtrarunt, hodieque laudabilem operam edendis Patrum rariorum ſcriptis impendunt, ita nec Manuſcriptis Ephremi Syriacis deſtituuntur, quum in Præfatione Lexici Heptaglotti indicet Caſtellus, ſe ex S. Ephrem quædam collegiſſe & in Lexicon ſuum tranſtuliſſe, vnde de cæteris præclaræ gentis Bibliothecis plura ſperare licet. Huc pertinet votum Guilielmi Caue in Hiſtoria litteraria, quod quidem ratione Syriacorum, non autem ratione Græcorum ſcriptorum ob cauſſas ſupradictas probauerim: *Vtinam nobis liceret eſſe tam beatis, vt ſi non Syriacis, (quæ magno numero in Bibliotheca Bodleiana, Lugduno Batauа alibique reperiuntur) ſaltem Græcis tandem frueremur; atque ita ad fontes paullo propius accedendi, & de verſionibus, quas habemus, certius iudicandi, copia daretur.*

XIV. Maximum vero adiumentum Syri conferre poſſunt, quippe *apud quos nullius alterius plura præſtantioraque de rebus ſacris volumina haberi, quam Ephremi*, ex doctoris ſui, i.e. Moſis Mardeni fide refert Andr. Maſius Præfat. in Barcepham apud Hottingerum in Bibliothecario Quadripartito p. 226. 227. confirmatque ex Amiræ Præludio vltimo Waltonus. Quæ vt melius intelligantur, in gratiam Lectoris integrum capitulum LX. adſcribam ex Ebedieſu Catalogo:

ܐܦܪܝܡ ܓܒܪܐ ܕܐܬܟܢܝ ܢܒܝܐ ܕܣܘܪ̈ܝܝܐ ܡܠܝܠܘܬ ܡܫܡܠܝܢܘܬܐ
ܒܫܡܝܐ ܕܢܦܫܗ. ܘܡܫܡܫܢܐ. ܘܕܚܛܗܐ. ܘܕܢܫܝܐ ܕܢ: ܠܘܩܒܠ
ܘܕܡܕ̈ܒܪܐ. ܐܦ ܕܡܘܬܐ. ܘܕܫܡܝܐ ܕܡܠܟܐ. ܘܕܪܘܚ ܘܐܡܘܢܐ. ܐܦ
ܠܐܪ̈ܡܝܐ ܘܕܐܢܫܐ. ܘܕܥܠܡܢܘܬܐ. ܘܕܥܠܝܬܐ ܘܕܐܝܣܐ. ܘܐܦ ܠܗ
ܒܡܠܐ ܘܐܦ ܓܘܢ ܕܟܠ ܗܡܝܡܢܘܬܐ ܕܒܝܬܐ. ܘܐܦ ܠܗ ܡܐܡܪ̈ܐ
ܕܡܫܡܫܢܘܬܐ ܘܡܕܪ̈ܫܐ ܥܠ ܠܡܫܝܚܐ ܘܥܠ ܥܠܡܘܗܝ ܕܟܢܘܫܐ
ܘܡܢܝܢܐ ܕܠܐܠܗܐ ܟܠ ܕܪ̈ܫܐ ܕܥܠ ܣܘܪ̈ܝܝܐ. ܘܠܡܫܡܠܘܬܐ
ܡܠܟ ܕܡܪ̈ܝܢ. ܘܠܘܩܒܠ ܡܪܩܝܘܢ ܘܢܘܡܘܣ ܘܐܦܠܘܛܘܣ
ܘܡܢܝ ܘܒܪܕܝܨܢ ܘܡܣܠܝܢܐ

Ephrem

Ephrem Magnus, qui Propheta Syrorum cognominatus est, edidit commentarios in libros Genesios, Exodi, Sacerdotum seu Leuitici, Iosue filii Nun, Iudicum, Samuelis, libros Regum, Dauidis, Isaiæ, Duodecim, & Ieremiæ, Ezechielis & beati Danielis. Exstant etiam eius libri & epistolæ de fide Ecclesiæ, atque eiusdem orationes metricæ, adhortationes; cantica, officia defunctorum omnia, appositiones Alphabeti, disputationes cum Iudæis, nec non aduersus Manichæum, Bardaisanem, Marcionem, & Hophitas; demum, dissolutio impietatis Iuliani.

XV. Lubet his amplius insistere, capitulumque Ebediesu ex antiquis & recentioribus, quoad licet, scriptoribus illustrare. Nescio, an fides temere denegari possit Maronitarum testimonio, quod ex Cornelio a Lapide paullo ante protulimus, ac in vniuersam Scripturam Commentarios Ephremum edidisse perhibet, dubioque procul ex Amira itidem Maronita Waltonus adseuerat, *Magnum Ephremum vniuersam S. Scripturam Syriace illustrasse:* quanquam Ebediesu ne in totum quidem vetus Testamentum commentatum esse dixit. Omittit enim quartum quintumque Mosis librum, Iobum & Salomonis scripta, per *duodecim* Prophetas Minores indicans. Porro Commentarium Ephremi in Genesin adduxit in libro de Paradiso Moses Bar-Cepha, scriptor & Antistes Syrus sæculo decimo, quem latino idiomate edidit Masius, indeque in Bibliothecam Patrum transtulit Margarinus de la Bigne. Sic P. 1. Cap. 1. ait Moses Bar-Cepha: *vt affirmat Dominus Ephraim in eo Opere, quo librum Geneseos, hoc est, de rerum ortu interpretatur; & in iis etiam sermonibus, quos de Paradiso conscripsit.* Et paullo post: *Ita & Dominus Ephram in suo Commentario, quo librum Geneseos de rebus ipsis interpretatur.* Confer cap. 9. & 27. &c. Eundem Ephremi librum innuit T. Burnetius in Theoria Sacra Telluris lib. II. cap. 9. vnde hæc saltem exscribimus; *Non sine damno Philosophiæ & sacratioris literaturæ periit ille Ephremi commentarius de ortu rerum. Vti etiam tractatus de Paradiso a Tertulliano conscriptus, in quibus si superessent, doctrinam primæuæ terræ & Paradisi, quæ ob temporis diuturnitatem multum excisa est, veterumque imperitia sæpe distorta, pulchriorem & interiorem habuissemus.* Paucisque interiectis: *Fragmentum quod nobis conseruauit Moses Bar Cepha ex Ephremi opere maxime depromtum, antiquæ doctrinæ imaginem retinet, & hypothesi nostræ de diuersitate Telluris Paradisiaca ab hodierna tam quoad situm sublimiorem, quam quoad formam & qualitates respondet.* Quid de isthac opinione sentiendum sit, subinde in Theoriæ Burnetianæ recensione commonuerunt clarissimi Actorum Eruditorum apud Lipsienses collectores mense Martio anni 1682. videturque ea haud parum conuenire cum Antonii Gonzales de Salas equitis Hispani paradoxica Exercitatione de duplici viuentium terra, quam peculiari Dissertatione pridem refutauit Christianus Schotanus, & in nouissima Burnetiani operis editione Francofurtensi adiectam vidimus.

XVI. Sed ad Ephremum redeamus, cuius libros & Epistolas de fide Ecclesiæ ab Ebediesu ei tributos non memini a quoquam veterum aliorumue recentiorum expresse commemorari. Neque tamen ei abiudicauerim ob Sozomeni verba, quibus Ephremum φιλοσοφίας μὲν τῶν ἄκρων ἐφικέσθαι θεωρημάτων, *philosophia difficillima quaque theoremata facile percepisse scribit*. Non videtur hic Sozomenus philosophiæ vocem eo sensu sumsisse, quem ipsi alias solennem esse dicit Valesius in Notis ad lib. III. cap. 14. pag. 118. vt *philosophiam semper monachis attribuat*. Id enim hoc loco ratio loquendi a Sozomeno adhibita non videtur admittere, quæ Theologiam potius tractationemque de fide Ecclesiæ intelligendam suadet, vtpote eo nomine antiquis Patribus, Clementi Alexandrino, Chrysostomo, aliisque venientem, quos immerito propterea perstrinxit Tanaq. Faber Lib. I. Epistolarum Criticarum, Epist. 14. Interea non nego, Ephremum non pauca ad μοναχικὴν φιλοσοφίαν, quemadmodum ea Isidoro Pelusiotæ lib. I. Epist. I. audit, pertinentia scripsisse, quum ipsi πολλοὺς λόγους ἀσκητικοὺς, πλείστους δὲ καὶ δογματικοὺς adscribat Theophanes in Chronographia pag. 53. 54. Talia quidem pluscula exstant in hodiernis versionibus: in Bibliotheca autem Vindobonensi reperitur MStum, *Miscellanea quadam partim Arabica, partim Syriaca, vetustate detrita & lacera* continens, inter quæ primum locum occupat Ascetici cuiusdam scriptoris Institutio ad Monachos, qui Lambecio lib. I. Commentar. p. 171. *videtur esse S. Ephram Syrus*.

XVII. Priusquam ad alia progrediar, silentio haud prætereundam censeo controuersiam a nonnullis e Latinorum grege motam de versione Syriaca, qua vsus fuerit Ephremus. Cornelius a Lapide Prolegomenis in Ecclesiasticum pag. 21. nonnulla loca ex Siracidis libro ab Ephremo citata profert, quæ ab hodierna Syriaca versione multum differant. Operæ sane pretium fecisset Cornelius, si indicasset, qualia fuerint Syriacæ versionis exemplaria, a Sergio Risio Maronita Archiepiscopo Damasceno, & ab Hilarione Rancato, Abbate S. Crucis in Ierusalem secum communicata; eo enim tempore, quo ista scribebat, nondum typis expressa erat vlla Syrorum veteris Testamenti versio, quod postea demum in Heptaplis Parisiensibus & Polyglottis Anglicanis factum est. Vtebatur igitur is Codicibus Manuscriptis, de quibus probe notanda sunt verba Abrahami Ecchellensis in Notis ad cap. 66. Catalogi Ebediesu: *Ante hunc Marabam, aliam quoque antiquiorem ex Septuaginta exstitisse versionem, abunde testantur D. Iacobi Nisibensis & D. Ephrem Syri commentaria. Aliam habent præter has Syri versionem antiquissimam, ex Hebræo immediato concinnatam, atque ideo simplicem vocant: tametsi aliquando occurrant Codices pro scribarum studio aut commodis, ex vtraque versione contexti & interpolati*. Sed parum omnino negotii nobis facessunt Cornelii obiectiones, quum eæ depromtæ sint ex Latinis & Græcis Ephremi

mi verſionibus, non ex Syriaco textu. Maioris autem momenti videtur Maronitæ Ecchellenſis obſeruatio, cui germanus Ephremi ſermo & ſcripta non fuere ignota, quando Ephremum verſionem Syriacam ex Græca LXXvirali concinnatam adhibuiſſe ſcribit, contrariante Briano Waltono, viro pariter Syriace ad ſtuporem docto, qui *Ephremum verſionis ſimplicis ex Hebræo meminiſſe* teſtatur. Richard. Simonius Lib. II. Hiſtoriæ Criticæ Veteris Teſt. cap. XV. Ecchellenſi magis accedit, ſed lubrico Græcæ Operum Ephremi verſionis fundamento nititur: *Si quidem Græca Operum S. Ephrem, quæ Gerardus Voſſius Decanus Tongrenſis e Græca in Latinum vertit, fidelis eſt verſio, haud dubium eſt, Syros tum temporis verſione 70. in ſuam linguam conuerſa vſos fuiſſe.* Mihi præſertim diſtinguendum videtur inter veteris & noui fœderis Syriacam translationem. De poſteriori dubitare nihil attinet, quin eandem habuerit Ephrem, quæ multis hodie locis impreſſa eruditorum vſui inſeruit. Adſtipulor enim doctis viris, qui paullo poſt tempora Apoſtolorum confectam credunt, ſuamque ſententiam firmis adſtruunt argumentis a Waltono collectis, quibus Samuel Petitus lib. III. Obſeruationum cap. I. luculentum adiicit aliud, quo Syrum Paraphraſten fuiſſe σύγχρονον Iuſtini Martyris oſtendit. Nec contemnenda ſunt, quæ eandem in rem profert Guilielmus Beueregius Annotat. in Synodicum Magnum pag. 13. Non itaque licet verſionem Noui fœderis Syriacam *vix quinque aut ſex ſæculis antiquiorem* cenſere cum Iſaaco Voſſio de Septuaginta Interpretibus cap. XXIIX. Sed de veteris Teſtamenti interpretatione nihil certi adſeuerare audeo, ea præſertim de cauſſa, quod codices manu exarati hodie tantopere ſunt interpolati, vti Ecchellenſis aperte fatetur, confirmatque Simonius in Diſquiſitionibus Criticis p. 176. At ex huiusmodi libris expreſſa eſt tam Pariſienſis quam Londinenſis editio: quis igitur in iis germanam Syrorum quærat translationem Ephremi tempore vſitatam? Hinc patet, inſtituta collatione inter ſcripta Ephremi Syriaca & verſionem eiusdem idiomatis Biblicam elici quidem poſſe, quam noui fœderis verſionem is adhibuerit, ſed de veteri teſtamento certi nihil pronuntiari.

XIIX. Poſthæc Ebedieſu commemorat Ephremi Orationes metricas. Caue autem vt Chriſtophorſono auſcultes, qui ex Sozomeno carmina Ephremi exſculpere voluit. Dixerat Sozomenus, λέγεται τὰς πάσας ἀμφὶ τὰς τριακοσίας μυριάδας ἐπῶν συγγεάψαι, quas Chriſtophorſonus *myriadas carminum* interpretatur, *peſſime*, ſi Valeſium audias, qui ita vertit, *Dicitur pariter tricies centena verſuum millia in vniuerſum ſcripſiſſe*, & in Notis hanc reddit rationem, *ἔπη pro ςίχοις veteres dixerunt, & ad calcem cuiusque libri annotare ſolebant, quot verſibus ſeu lineis totum opus conſtaret.* Indicat igitur Sozomenus numerum verſuum, qui in omnibus Ephremi ſcriptis ſimul ſumtis occurrebat. Sed ad preces Ephremi metricas ſpectant forte illæ, quas in *gazophylacio* ſeu rituali

Syrorum exstare refert Hottingerus in Topographia Ecclesiæ Orientalis pag.129. seq. Habentur & quædam Ephremi orationes in formula ordinationis Maronitarum, apud Morinum de Ordinationibus pag.386.396. aliæ ad S. Eucharistiam spectantes in Liturgia Maronitica, quam cum libello Seueri Patriarchæ Alexandrini edidit Guido Fabritius Boderianus Antuerpiæ an.1572. In his Franciscus Feuardentius Theomach. Caluinist. Lib. xi. c. 7. se reperisse putat, non quod pueri in faba. Adscribam integrum locum, vtpote non vna castigatione dignum: *Seuerus Patriarcha Alexandrinus insigni libro complexus est omnes caremonias, quæ a Syris vsurpari solent in sacrorum mysteriorum administratione, atque ibi sex diuersis locis obseruat deuotas supplicationes, quas Deo pro requie defunctorum nuncupant, e quibus vna sic habet: Domine Deus, da illis pacem & memoriam beatam. Citat etiam B. Ephrem antiquum Syriæ doctorem, pro defunctis humiliter orantem ac offerentem.* Mirum est, Feuardentium tantum deferre liturgico scripto, cuius auctorem hæreseos Eutychianæ reum faciunt eius sodales, & in quo multa apocrypha falsaque notant, præeunte Posseuino in Apparatu, vti notauit Gisb. Voetius Polit. Eccles. P. 1. Lib. 11. Tract. 1. pag.348. quam in rem plura disquisiui in Dissertatione de ritu Lectionum Sacrarum num. xxxiii. addens nunc saltem epicrisin de eo Iacobi Goari, Notis in Euchologium Græcorum pag. 369. *Ignorauit hucusque Seuerum istum, & ritum Baptismi eius, inuentamque ab eo Confirmationis formam, Orientalis Ecclesia; quem siue Dom. Seuerum, siue S. Seuerum vocet Catumsyritus, parum interest: vt non desinat cruciari vbi est, licet honoretur, vbi non est. Fuit namque ementitus ille S. Seuerus, Eutychianæ hæreseos labe infectus, eiusque errores & apocrypha copiosa, demonstrant annotata in margine circa eius opus, tom. 6. Bibliothecæ P P. insertum, nec potuit parcere tituli illius auctor, quin caute legendum præmoneret, forsan præstolatus, vt alia in editione quidam alius peritus supprimendum curaret.* Frustra igitur est Feuardentius, frustraque Pontificium purgatorium & eo facientes preces pro defunctis ex Ephremi orationibus adstruere satagit quod infra exponemus.

XIX. Sequuntur apud Ebediesu adhortationes Ephremi, de quibus merito explicat Bebelius noster argumenta orationum 49. a Photio relata Cod. 196. qui addit, *Syros affirmare, quod orationes supra mille scripserit, quibus etiam testimonium reddat Eusebius Pamphili cognomento: ἁμάρτημα* Photii *μνημονικὸν, Eusebium pro Sozomeno laudantis,* notat Colomesius Paralipom. ad Cauii Chartophylacem pag. 9. Nihil autem est, quod maiori laude inter Ephremi scripta prosequantur antiqui pariter & moderni scriptores, quam Hymni eius & cantica. Occasionem ea concinnandi his verbis explicat Sozomenus ex versione Valesii: *Nec ignoro, olim quoque apud Osdroenos fuisse viros doctissimos, Bardesanem scilicet, qui hæresin ex ipsius nomine appellatam condidit, & Harmonium eiusdem Bardesa-*

nis

nis filium, qui cum Græcis disciplinis egregie institutus fuisset, primus patrium sermonem metris ac modulis subiecisse dicitur & choris tradidisse: qua ratione Syri etiamnum frequenter psallunt, non carminibus ab Harmonio scriptis, sed numeris eius vtentes. Nam cum a paterna hæresi non omnino alienus esset, neque ab iis quæ de anima & de ortu atque interitu corporis, deque regeneratione, Græcorum Philosophi sentiunt, scripta sua ad lyræ cantum composuit, & opiniones illas operibus suis inseruit. Ephraim vero, cum Syros & verborum elegantia & modulationis concinnitate delinitos videret, eaque ratione paullatim adduci, vt idem cum Harmonio sentirent, ipse licet Græcæ eruditionis expers, operam dedit, vt Harmonii numeros intelligentia assequeretur: & iuxta numeros scriptorum Harmonii alios composuit libros, Ecclesiasticæ Doctrinæ consentientes. Cuiusmodi sunt ea, quæ in Hymnis & in encomiis sanctorum virorum ab illo sunt elaborata. Ex eo tempore Syri iuxta numeros canticorum Harmonii, scripta Ephrem psallere solent. Hinc est, quod Theodoretus scribit, ταῦτα καὶ νῦν τὰ ἄσματα, φαιδροτέρας τῶν νικηφόρων μαρτύρων τὰς πανηγύρεις ποιεῖ. Idemque postea Syris placuisse ex Nicephoro, ni fallor, colligi potest, & in modernorum breuiariis Ephremi hymnos frequentes esse num. vi. ex Sionita audiuimus. Eiusmodi hymnum citat Andr. Masius in peculio Syr. pag. 36. col. 1. & sub Ephremi nomine Canticum de Maria & Magis ex versione Abrah. Ecchellensis prodiit Romæ an. 1645. studio Ioan. Bapt. Mari, vti ex Hippolyti Maraccii Bibliotheca Mariana obseruat Labbeus, quod tamen ob malam Ecchellensis in transferendo fidem admodum suspectum est, non minus ac aliud Latine tantum exhibitum a Cardinale Bona lib. 1. Rerum Liturg. cap. ix. n. 8. quanquam addi meretur consuetudo Maronitarum ab eo notata, *quod dum Sacerdos celebrat, Chorus subinde concinit hymnos quosdam S. Ephrem Syri, quos valde elegantes esse eius linguæ periti testantur.* Athanasius Kircherus in Obelisco Pamphilio lib. 11. c. 5. adserit, Hymnos Ephremi Syriacos de amore sapientiæ sibi Romæ lectos esse, cum quibus an idem sit tractatus Ephremi de amore sapientiæ a Ludouico de Dieu laudatus, videant alii, quibus vtrumque opus conferre licet. Huc faciunt Abrah. Ecchellensis Notata, in Catalogo MSStorum, quæ in Eutychio Vindicato laudauerat, num. 26. *S. Ephrem Magnus, qui Propheta Syrorum cognominatur, infinita propemodum edidit opera, quorum partem recenset Hebediesu Sobensis Metropolita, in Catalogo librorum Chaldæorum, siue Syrorum. Ex his citauimus Officium de obitu B. Virginis, cuius exemplar conseruatur in Bibliotheca Collegii Maronitarum de Vrbe. Rursus Canticum de Amore Sapientiæ, quod Latine redditum edidit Gerardus Vossius. Huius exemplar Syriacum cum Arabica versione exstat in eadem Collegii Maronitarum de Vrbe Bibliotheca. Editum etiam fuit Syriace ab Illustrissimo & doctissimo Viro, Isaac Sciadrensi, Archiepiscopo Tripolis Syriæ, in Syriacis Rudimentis. Quod*

quidem

quidem D. Ephrem Canticum pro sua eruditione & pietate, auctoribus Mohammedanis tribuit Hottingerus, vti videre est Hist. Orient. lib. 2. cap. 5. Cæterum in Codice Miscellaneorum Cæsareorum, cuius supra mentionem fecimus, habetur Syriace *Hymnus in S.Georgium Martyrem, & in S. Barbaram, Hymnus in B.Virginem Mariam, Carmen de vitiis & pœnis inferni, Hymnus in Natiuitatem Christi, & Hymni aliquot in B.Virginem Mariam,* quorum omnium Ephremum nostrum auctorem existimat Lambecius Lib. 1. Commentar. pag. 171. Repetat etiam Lector, si placet, quæ in Exercitatione proxime præcedenti num. VIII. de Iacobi Nisibeni Ephremique carminibus diximus.

XX. Ex officiis defunctorum, quæ Ephremo adscribit Ebediesu, conatur Ecchellensis in Notis purgatorium & preces pro defunctis Papisticas confirmare, duobus inprimis hymnis subnixus, quorum prior ita habet: *Res misericordiarum, qui a Patre missus est, & aspersit pueros in fornace Babyloniorum, ipsemet roret super defunctos in foveis tristibus inferni; & condonet delicta seruorum, qui obdormierunt super spe illius; & heredes constituat eos vitæ nouæ, quæ non deficit.* Posterior est eiusmodi: *Impetum ignis & flammæ dissipa, Domine, clementia tua, a defunctis, qui in te crediderunt, & obdormierunt & quieuerunt in spe tua.* Subscribit Kircherus p.1.Chinæ Illustratæ, cap. 5.p.38. Sed vana fuisse vtriusque molimina pridem monuit Hottingerus, in Bibliothecario Quadripartito pag. 239. *Ephremus defunctos & in abditis sepulcri foveis absconditos precibus commendat. Purgatorii nuspiam meminit.* חזה במרא רשיול *non sunt tristes foveæ inferni, sed sepulcri, prout Isa bar Ali in Lexico suo vocat* חזה דארעא *profunditates terræ: Impetus ignis non est purgatorius, sed infernalis. Ab hoc liberari voluit pie & in fide defunctos: non quod damnari tales possent, sed vt charitatis ille officium impleret.* Latius hæc omnia deducit Diecmannus num. 61. *Certe ne per ipsos quidem Pontificios, qui in Deum crediderunt & in eius spe quieuerunt,* (vt ab Ephremo vocantur) *id est vere pii ac fideles, purgatorii ignis lustratione indigebunt. Quin his quoque precibus subinnuitur, vt diuina clementia extremi iudicii rigorem lenire, nec ob residua peccata in infernalem ignem & flammam defunctos detrudere velit.* Atque hanc esse Syrorum sententiam probat ex eorum Gazophylacio apud Hottingerum in Analectis pag. 114. citato, ac paullo post merito Ecchellensi opponit Gabrielem Sionitam in libro de vrbibus & moribus Orient. qui Geographo Nubiensi additus est, cap. 14. p. 74. diserte scribentem: *Melchitæ & Græci, qui per totum Orientem longe lateque sunt sparsi, Spiritum Sanctum a solo Patre procedere, purgatorium nullum existere pessime crediderunt.* Equidem Sionitæ fidem Ecchellensis eleuare solet, sed frustra, vt euincit Diecmannus, & in Præfatione Lexici Harmonici notat Hottingerus, eum *epistola a suis monendum, vt tandem aliquando minus de se quam de aliis sentiret, &*

a Gr-

a Gabriele Sionita in Commonitorio Apologetico, viuis depingendum fuisse coloribus. Pari insolentia inuectus est in Arnoldum Bootium & Valerianum de Flauigny, occasione arrepta ex Appositionibus Alphabethi Ephremianis, de quibus ita commentari incipit: *Appositiones Alphabethi sunt duo puncta, quæ modo supra, modo infra, modo hinc inde apposita literis (vnde* siome *seu* appositiones *dicuntur) vocalium supplent vices. Quod quidem inuentum fuisse D. Ephrem, omnes cum nostro auctore (Ebediesu) fatentur Syri. Nam antea legebant vel diuinando, vel ex maiorum traditione; vti scribit Elias Nisibensis, Syrus celeberrimus, ac satis antiquus scriptor, initio suæ Grammaticæ.* Et post pauca; *Quoniam vero plura alia sunt apud Syros puncta, variis defungentia muneribus, non parua quandoque oriebatur confusio ex horum concursu. Hinc Theophilus Edessenus Maronita, princeps Astrologorum Almohdi Babylonis Chaliphæ, vir Syriacæ, Arabicæ & Græcæ linguæ peritissimus, alias excogitauit vocalium figuras, ad similitudinem Græcarum efficttas, vt huic occurreret difficultati. Is ex viuis excessit Hegiræ anno CLXIX; teste Gregorio Barbebræo, lib. IX. Chronicorum.* Diiudicet hæc prudens Lector, ac simul conferat Hottingeri animaduersiones in Bibliothecario Quadripartito pag. 242. 243. Non video, quid constanti Syrorum traditioni obiici possit, quum alias Arabum non respuantur narrationes, quod Abu Alim Ibn Mocla charactere Cufico abolito meliorem scribendi rationem Arabibus tradiderit, eamque Ebnolbovvab scriba ad perfectionem deduxerit, vti ex Elmacino & Ibn Chalican docent Pocockius Notis ad Specimen Historiæ Arabum pag. 154. num. 3. Waltonus Prolegom. XIV. in Biblia Polyglotta num. 3. & Hottingerus Histor. Eccles. Sæc. X. pag. 107. & Sæc. XI. pag. 449. Antiquior itaque apud Syros est vsus punctorum vocales designantium, quam figurarum ex Græcis detortarum, docetque id rei ipsius natura, vt quo simplicior sit, eo maiorem spiret antiquitatem.

XXI. Disputationes cum Iudæis præter nostrum Ebediesu aliis commemoratos non recordor: Quæ autem aduersus Manichæum, Bardaisanem, Marcionem atque Hophitas (vel Ophitas potius, a serpente, quem colebant, denominatos) Ephremum scripsisse idem refert, tum generali encomio comprehendit Theodoretus lib. IV. Hist. Eccl. cap. 29. πάσης αἱρετικῆς κακοτεχνίας ἐγύμνωσε τὴν ἀσθένειαν, tum sigillatim de Bardesane ab Ephremo refutato lib. I. Hæreticarum fabularum cap. 22. iudicat, quod eum γενναίως διήλεγξεν, idque hymnis quoque melioribus pro Bardesanianis substitutis præclare peregit, quemadmodum antea diximus. Tandem dissolutionem impietatis Iuliani de famoso Imperatore Apostata interpretor, & eo digitum intendisse suspicor Theodoretum quando citato Historiæ loco scribit: τῆς τε πολυειδοῦς τῶν ἑλλήνων διήλεγξε πλάνης. Nam per ἕλληνες Patres Græci Ethnicos signarunt, (docente

Ger. Io. Vossio lib. v. Historiæ Pelagianæ P. II. pag. 511. & Ioan. Dallæo lib. VII. de Cultibus Latinorum Religiosis Cap. XIII.) ad quorum errores execrandos Iulianus ὁ παραβάτης impie relapsus erat.

XXII. Sed Ebediesu nullam Apollinaris faciens mentionem, tacite videtur infringere Historiolam Gregorii Nysseni, quæ Iacobo Thomasio ansam dedit, præfationem Academicam quinquagesimam quartam adornandi. Dicitur nempe Ephremus accessisse fœminam, cui Apollinaris moriturus libros duos sancte custodiendos reliquerat, eamque prolixe tanquam Apollinaris discipulus rogasse, vt Præceptoris scripta sibi perlegenda concederet. Nactus vero libros istos, statim singulas paginas piscis glutino illinens legere volentibus plane intractabiles effecit, sicque mulieri reddidit. Paullo post de clandestinis Ephremi cum Hæresiarcha colloquiis rumor spargi cœpit; is autem in iudicium vocatus iussit afferri libros, quos delator aperire nequibat, turpiterque suffusus recedebat. Thomasius facti istius rationem prolixe exequtiens *metuit vehementer, ne fraudes ac mendacia, quibus in hanc rem Ephremus vtendum putauit sibi, factum alioqui laudabile turpiter corruperint*: proindeque lepide dicit, a Pontificiis cuilibet sancto sua delegantibus munera, Ephremo curam Indicum Expurgatorium posse demandari. Nos hæc omnia in medio relinquentes claudimus verbis *Masii*, præfatione in Bar-Cepham: *Inprimis maximi facere hic noster Bar-Cepha videtur ipsum Ephram, siue, vt Hebrai & Syri vocant, Ephraim: quem D. Hieronymus quoque ab acumine sublimis ingenii laudat in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. Mihi certe Doctor meus Syrus sæpe solebat dicere: nullius alterius Scriptoris plura præstantioraque de rebus sacris volumina apud Syros haberi; vt mihi cum Augustino nostro conferendus videretur, ἐν τῇ γε πολυγραφίᾳ. Hoc ergo certe affirmare possum, nihil elegantius, nihil suauius, nihil etiam acutius, barbara illa alioqui lingua dici posse, quam ea mihi visa sunt, quæ adhuc illius legi. Vt ex animo dolendum sit, diuini illius ingenii non maiorem ad nos fructum afferri, quo Bardesanæ, heretici acutissimi, & Harmonii eius discipuli, nugæ, quæ cum maxime Edessa, tum prope Syria vniuersa Ecclesias occupauerant, plane sunt expugnatæ atque profligatæ.*

EXER-

EXERCITATIO OCTAVA
SIUE
EXAMEN
FABVLÆ ROMANÆ
DE
DVPLICI BAPTISMO CONSTANTINI MAGNI,

aduerſus defenſionem

CLARISSIMI VIRI

D. EMANVELIS a SCHELSTRATE,

BIBLIOTHECÆ VATICANÆ PRÆFECTI,

VVittenbergæ ſuſceptum,

&

PRO LOCO

IN AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

rite obtinendo

publicæ Eruditorum cenſuræ

ſubmiſſum.

Ad d. VI. Nouemb. M DC XXCIII.

ILLVSTRISSIMO. COMITI.

AC. DOMINO.

DNO. ANTHONIO. GVNTHERO.

E. QVATVOR. SACRI. ROMANI. IMPERII.
COMITIBVS.

COMITI. IN. SCHWARTZBVRG. ET. HONSTEIN. DOMINO.
ARNSTETI. SONDERSHVSÆ. LEVTENBERGÆ. LOHRÆ. ET. CLETTENBERGÆ.

DOMINO. MEO. ET. PATRI. PATRIÆ. GRATIOSISSIMO.

PERENNEM. FELICITATEM!

ILLVSTRISSIME COMES, DOMINE GRATIOSISSIME,

QVum sæpe animi pendeo, quonam cultus genere pietatem ac subiectionem erga TE meam publice declarem, tum metus fiducia & veneratione mixtus conatum hunc identidem retardat, atque eo magis ancipitem incertumque me tenet, quod nihil vel industria, vel fortuna offerre mihi potuit, quin esset infra TVAM exspectationem. Equidem multa sunt, a quibus Principes Magnatesque commendari solent, siue generis splendorem, siue maximas virtutes consideremus, quibus supra communem hominum sortem euehuntur. Quæ vti in TE clarissime elucent, ita anceps dubiusque hæsi, vtrum illorum magis admirari debeam. Nunc enim animum subiit præclara stemmatis TVI antiquitas, quod alii a VVitekindo Nigro, alii ab Ernesto, Nobili Romano, alii a Comitibus Gleichensibus arcessunt. Nunc Arnstadia, in qua illustrem sedem TVAM collocasti, in mentem venit, quam vtut vulgo a Meruvigo, Thuringorum Rege, conditam esse sine certis documentis adseratur, Reges tamen non fuisse adspernatos maximus Suecorum Rex, Gustauus Adolphus, suo exemplo docuit, quando Patrum memoria vrbem arcemque Arnstadiensem præsentia sua illustrauit & plurima Regiæ grauitatis indicia reliquit: vt illud quoque prætereara, quod de dissidio inter Ottonem Magnum Imperatorem eiusque filium Luidolfum ad locum Aranstedt *anno DCCCCLIV. composito narrat vetus Chronici Augiensis scriptor; quodque Trithemius in Annalibus Hirsaugiensibus ex VVilhelmi Archiepiscopi Moguntini Chronica refert, eum anno sequenti DCCCCLV.* consensu cleri & populi eiusdem sanctæ sedis XVI. Calendas Ianuarii in loco Arnstettem electum esse. *Sed his omnibus missis in summarum virtutum TVARVM admiratione tandem acquieui. Etenim insignis zelus sedulaque cura primum omnium mihi commemoranda sunt, quando cum ILLVSTRISSIMO FRATRE TVO, DOMINO MEO GRATIOSISSIMO, nihil prius habes aut antiquius, quam vt purior doctrina, non intersperso nouitatis fermento, in Ecclesiis*

ſiis Scholisque VESTRÆ ditionis, vnice adſeratur & ad ſeram vsque poſteritatem incorrupta transmittatur: manetque VOS præclarum elogium, quo PROAVVM VESTRVM ſanctæ memoriæ, IOANNEM GVNTHERVM, publice commendauit Theologus magnæ famæ & conſtantiæ, Nicolaus Selneccerus, dum Exegeſin trium Oecumenicorum Symbolorum Illuſtriſsimo Nomini EIVS inſcripſit. Nec quenquam fore arbitror, quin collaudet maximam prudentiam, quam in regendis ſubditis oſtendis, ac rebus tam Eccleſiaſticis quam Politicis decenter ordinandis confers. Cæteras virtutes TVAS, quanquam nec adſequi ego, nec diſertisſimus ſat laudare poteſt, ſufficere tamen exiſtimo, ſi de tanta felicitate TIBI posſim gratulari, & voto meo conſequi, vt hoc decus, quod Illuſtrisſimæ Familiæ TVÆ tributum eſt, in TE & poſteris perpetuum ſit atque ſempiternum. Equidem hæc ſpes mihi cum omnibus eſt communis, qui & Nomen TVVM in oculis ferunt, & virtutes admirantur, optantes, vt Diuum PATREM cognominem meritis in rem publicam & litterariam omni parte exæques, & Coniugem piam reique publicæ fortunatam Domui TVÆ innectas, quæ gloriam pari exemplo ad poſteros transmittat. Quamobrem æternum illud præpotensque Numen ſupplex veneror, vt TE voti huius compotem in ſeram vsque ſenectutem ſaluum & incolumem, omnique bonorum genere adfluentem conſeruet ac tueatur: quando non dubito, quin hoc qualecunque obſequii mei pignus, quod ex Antiquitatis Eccleſiaſticæ monumentis ſumtum demiſſe & humillime adfero, perbenigne accipias, & clementia gratiaque TVA poſthac quoque me proſequaris. Perſcripſi VVittenbergæ VI. Nouemb. A. CIↃ IↃC XXCIII.

ILLVSTRISSIMI NOMINIS TVI

Obſequentisſimus religioſisſimusque
Cliens

M. VVilhelmus Erneſtus Tentzelius.

QVam hoc ineunte anno aduersus D. Emanuelem a Schelstrate orsi sumus telam, iubet nunc pertexere, præsertim quum mihi iussu Amplissimi Ordinis Philosophorum apertus est disserendi campus, & caussæ ratio a me exigit, quando is non desinit de Papa Romano bene mereri, eamq; ob caussam nuperrime *Acta* quædam *Concilii Constantiensis* in publicam protulit lucem, & se a Pontifice Præfectum Vaticanæ Bibliothecæ constitutum esse indicauit. Non vacat nunc in nouissimum illud scriptum inquirere, quod non tam Orthodoxos Doctores, quam Ecclesiæ Gallicanæ Clerum petit; sed aliam Schelstratii coniecturam perpendere animus est, quæ in Antiquitate Ecclesiæ Illustrata caput sextum Dissertationis tertiæ Partis secundæ occupat, ac in præfatione ad Lectorem his proponitur verbis: *Contentio maxima inter Orientis & Occidentis peritos adhuc vsque tempora manserat de Baptismo Constantini, quem plerique Orientales cum Eusebio Cæsareensi tuentur acceptum Nicomedia ad finem vitæ, Occidentales vero complures Romæ in Constantini baptisterio. Stant ab vtraque parte firma antiquitatis monimenta, ex quibus dicimus, & Romæ baptizatum fuisse a S. Siluestro, & iterum Nicomediæ ab eiusdem ciuitatis Episcopo & insigni Arianorum fautore Eusebio: adstipulare videtur S. Hieronymus, cum scribit Constantinum ab Eusebio in fine vitæ baptizatum ad dogma Arianum declinasse, Arianorum dogma fuit rebaptizare. Dum pro sapienda controuersia de Baptismo Constantini hanc mentem nostram proponeremus Parisiis, viri quidam docti vt rem nouam exceperunt, sed tantum abest, me nouitatem sapuisse, vt perscrutanti antiquorum opiniones hanc a sexcentis fere annis traditam reperierim a Mariano Scoto aliisque post ipsum.* Explosum quidem hoc figmentum in Sorbona Parisiensi est tum a Natali Alexandro Select. Histor. Eccles. Sæc. IV. Dissert. XXIII. tum a Ludouico Ellies du Pin in Noua Bibliotheca Auctorum Ecclesiasticorum Tom. II. pag. 25. & in Actis Sanctorum a Daniele Papebrochio, To. V. Maii ad diem XXI. in Commentario Historico de S. Constantino Magno cap. II. quem exscripsit sequutusque est Antonius Pagi in Critica Baroniana ad An. CCCXXIV. n. 4. & sqq. Quoniam vero hi omnia Schelstratii argumenta haud examinarunt, nosterque in Vindiciis Concilii Antiocheni Dissert. II. c. I. n. 7. infirmam coniecturam suam repetere non dubitauit, operæ putaui pretium, vel Schelstratii vestigia in hoc negotio presso pede sequutus ostenderem, quam irritus sit illius post Baronium Biniumque conatus, Constantinum Magnum Romæ a Syluestro Pontifice baptizatum defendendi; deinde examinarem modeste ac breuiter viri docti rationes pro rebaptizatione Constantini. Quo pacto veterum scriptorum saluabitur auctoritas, qui semel tantum Imperatorem baptizatum esse testantur, & Baptismus in fine vitæ Nicomediæ Constantino collatus tot hactenus telis a Baronii adseclis petitus sartus tectusq; manebit.

I. Controuerſiam de Baptiſmo Conſtantini delineaturus Schelſtratius, improbat primum ac reiicit epiſtolam de primitiua Eccleſia ac munificentia Conſtantini Magni, Melchiadi Romano Epiſcopo falſo tributam, ac obſeruat Labbeum Biniumque ſibi conſentire,& optat Binium in cæteris Decretalibus abiudicandis eandem viam ingreſſum fuiſſe. Quæ omnia vti reprehenſione nulla indigent,ita oſtendunt, aduerſarios victos veritatis vi tandem reprobaſſe merces illas fallaces & fucoſas, quas Iſidorus Mercator primis Romanæ Eccleſiæ Epiſcopis maxima fraude ſuppoſuerat, atque agnoſcere omnes Turriani conatus, quibus Centuriatores Magdeburgenſes impugnauit, fruſtraneos plane abſurdosque fuiſſe.

II. Poſthac Schelſtratius non ſolum quæſtionis ſtatum proponit, ſed primum quoque argumentum ad probandum Baptiſmum Conſtantini Romanum in acie collocat: *Quæſtio eſt*, inquiens, *cum hæc epiſtola ſuppoſita ſit, num auctor recte inſinuarit Conſtantinum Romæ a S. Silueſtro baptizatum? eſt antiquiſſimum inter Occidentales & Orientales Eccleſias diſſidium, quod Theophanes apud Anaſtaſium Bibliothecarium in Chronologia tripartita ſuo tempore exagitatum fuiſſe verbis lucidiſſimis deſcribit, & pro Baptiſmo Romæ ſuſcepto: Octauo decimo ſane imperii ſui anno (vt quidam dicunt) Conſtantinus cum Criſpo filio ſuo Romæ a Silueſtro baptizatus eſt, quotquot enim in Seniori Roma conſiſtunt, vsque hodie Baptiſterium habent in teſtimonium, quoniam a Silueſtro Romæ baptizatus eſt poſt tyrannorum peremptionem. Illud pro Baptiſmo Conſtantini Romæ ſuſcepto vrgendum duxit præterito ſæculo Reginaldus Polus, Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & Concilii Tridentini Præſes in ea quæſtione, quam de Baptiſmo Conſtantini conſcripſit, & nuperrime tomo 14. Conciliorum edidit Philippus Labbeus, vbi additur, vel hoc vnicum ſufficere, quod etiamſi rationes deficerent, lapides clament & teſtimonium reddant. Et hæc quidem de Baptiſterio nunc vsque exſtante, & iuxta ædes Lateranas omnium fidelium oculis expoſito.* Enimuero, quamuis eiusdem Baptiſterii Nicephorus quoque Calliſtus Lib. VII. c. 35. mentionem faciat: nec inficias iuerim, Baptiſterium aliquod Romæ iuxta ædes Lateranas hodienum exſtare; cuius inſcriptionem habet Nathan Chytræus in Monumentis pag. 27. & poſt eum alii, vix tamen vllus, qui rem omnem accuratius perpenderit, ſibi perſuadebit, id a Conſtantino M. eo repoſitum eſſe: quinimo etiamſi illud ab ipſo Conſtantino collocatum eſſet, nullo tamen modo conſequitur, Romæ illum eſſe baptizatum: vti aduertunt D. Caſp. Finckius in Diſp. de Baptiſmo, quæ decima tertia eſt To. V. Diſp. Giſſ. p. 313. D. Andr. Kunadus Conſtant. Euang. Diſſ. 1. p. 13. quemadmodum nec Hadrianum Imperatorem Chriſtianiſmo nomen dediſſe colligitur ex templis Ieſu Chriſto ab eo exſtructis: quod quidem Hadriani factum prolixe contra.

tra Casaubonum defendere nuper conatus est Petrus Daniel Huetius Demonst. Euang. Demonst. III. §.23. Nec aliter Pontificiæ religioni addictis videtur, quod Petri Halloixii confirmat testimonium, in Epistola ad Ioannem Morinum, quæ XXXIII. est in Antiq. Ecclesiæ Orient. nuper Londini publicatis, vbi Baptismum Romæ Constantino collatum pariter negat: *De Baptismo Constantini Magni, quem nemo unquam mihi persuadere potuit alias fuisse quam in extrema eius vita, lætor ita esse a te pertractatum, vt in mea confirmatus sim sententia. Nam ejus nomine Baptisterium in vrbe Roma non alia de causa sic est appellatum, quam quia ipse, vt alia multa, liberali are condidit.* Eadem est Alexandri sententia pag.377. *Baptisterium Constantini, ex quo argumentum sumit Nicephorus, non probat quod Romæ baptismo initiatus fuerit. Quidni enim Constantini baptisterium dicatur, quia ipsius magnificentia in aliorum vsum exstructum est?*

III. Videamus nunc ordine scriptorum testimonia a Schelstratio pro Baptismo Siluestri adducta. *Confirmatur vero,* inquit, *ex Baronio a Binio auctoritate actorum Siluestri, Liberii, Concilii Romani I. & Nicæni a Dalmatiano Cyziceno Episcopo collecti, vt videre est apud Baronium tom. 3. Annalium & apud Binium in notis ad Eusebium.* Supersedere quidem possem testimoniis hisce prolixe expendendis, quum id iam pridem præstiterint Abrahamus Scultetus in confutat. Disputationis Cæsaris Baronii de Baptismo Constantini an. 1607. Neostadii edita, D. Io. Georg. Dorscheus in Septenario singularium Angelicorum pag. 522. seq. & in Dissert. de tunica Christi inconsutili §.58. seq. D. Io. Christfried Sagittarius Dissert. de Constantino Magno §. 30. seq. aliique, vt aduersarii nihil habeant, quod reponant, ipseque Alexander eandem respondendi rationem cum Nostratibus ingressus sit. Mirum proinde videri possit, Schelstratium ad hæc talia prouocasse, quæ dudum reiecta erant & explosa. Quoniam vero id ei placuit, mihi etiam vestigiis eius insistenti incumbit, accuratius ea examinare, fucumque commissum in apricum producere.

IV. Primum testimonium Baronius, Binius, Schelstratius petunt ex Actis Syluestri, magnam procul dubio apud omnes fidem habituris, si vera essent ac germana. Atenimuero tantum hoc a veritate abest, vt ab ipso Baronio Binioque Schelstratii præcursoribus maximam partem conficta interpolataque censeantur. Ita enim Baronius An. CCCXI. n. LIX. *Vides igitur ex iis, Acta Syluestri non in omnibus sibi constare, sed aliqua eis superaddita, quibus cætera licet vera sint, FIDES VACILLET.* Quibus gemella inuenies An. CCCXV. n. X. & XIV. ac An. CCCXXIV. n. XXXIII. Mouit Baronii inconstantia Isaacum Casaubonum, vt in Prolegomenis Exercitationum in hæc eruperit verba: *Acta Syluestri maiori studio an damnet, an excuset, non possum dicere. Sed excusando nihil agit: semper enim ὁ πρωκτὸς τῦ λύτρυ περιγίνεται.* At Binius, pedissequus Baronii sedulusque

iusque compilator, To.I. Concil. fol.237. ingenue confitetur, *acta Syluestri, prout hodie exstant, pluribus mendaciis, quæ aliunde irrepserunt, scatere.* Vincit hos diligentia Alexandri, qui νοθείαν eorum prolixe ostendendo probat, *ex Actis S. Syluestri nullum erui posse alicuius ponderis argumentum.* Illud vero plane fabulosum est, quod Critici Gregoriani, qui Gratiano corrigendo operam nauarunt, in Notis ad Gelasii edictum, cumque iis Schelstratius Antiq. Illust. P. II. Diss. III. c. VI. num. 388. contendunt, *ab Eusebio gesta Syluestri Græce conscripta fuisse, quæ Gelasius postea probarit.* Nullius enim fidei est interpres Actorum a Correctoribus Gratiani productus, quippe qui sæculo demum nono & ex Schelstratii sententia post Isidorum Mercatorem an. 805. mortuum vixit, consensuque antiquiorum plane destituitur: quod pluribus ostendunt Ioan. Dallæus Libro I. de Vsu Patrum Cap. I. pag. 24. & D. Balthasar Bebelius Antiq. Eccles. Sæc. IV. Parte I. pag. 214. Eo faciunt quæ in Caroli Magni Libro II. de Imaginibus capite XIII. leguntur: *Libro actuum beati Syluestri, vbi de imaginibus Constantino Imperatori delatis scribitur, ideo obniti potest, quia quanquam a pluribus Catholicis legatur, non tamen ad ea quæ in quæstionem veniunt adfirmanda plene idoneus perhibetur: quod in libro beati Gelasii Romanæ vrbis antistitis, qui inscribitur decretalis de recipiendis siue de non recipiendis codicibus, apertius demonstratur.* Non quidem me latet, quanto molimine e Pontificiis libros istos impugnent Sanderi, Vazquezii, Bellarmini, Baronii, Posseuini, Raynaudi, alii: sed egregie prolixeque eos vindicant D. Io. Georg. Dorscheus Collat. Francofurt. Sect. II. cap. VI. D. Henr. Höpfnerus Saxon. Euang. p.385. Christ. Nifanius in libro, quo Carolum M. Euangelicæ Veritatis Confessorem ostendit pag. 88. seq. eiusque defensione pag. 83. seq. & inprimis Io. Dallæus lib. III. de Imag. cap. III. cuius vindiciæ adeo non displicuerunt nouissimis librorum Carolinorum editoribus, vt præfationi ad Lectorem integras ferme inseruerint. Quid? quod ex Pontificiis cordatiores nobiscum sentiunt, vt Iacobus Sirmondus To. 2. Conciliorum Galliæ p. 191. Alexander Sæc. IIX. Diss. VI. §. 6. alii. De Gelasii decreto vtut variæ sint eruditorum dubitationes a Schelstratio P. II. Diss. III. c. I. n. 240. & Alexandro Synops. Sæc. V. Cap. V. Art. 18. enumeratæ, de Actis tamen Syluestri idem Doctor Sorbonicus loco citato aliam suppeditat responsionem: *Id enim solum probat nil in eis fidei contrarium reperiri, quo ex eorum lectione metuendum sit Fidelibus: & aliunde non immerito dubitari potest, num Acta illa Syluestri quæ habemus, eadem sint cum illis, quæ sunt a Gelasio probata.* Nec incongruum erit, Papebrochii censuras adiungere, quippe quæ alibi non facile obuia continent, maximeque dignæ sunt, quæ a Schelstratio probe considerentur; dolendum vero est, Lambecii accuratiorem de his actis tractationem, quam lib. V. Commentariorum pag. 408. promiserat, fata viri nimis matura nobis inuidisse. Quare contenti simus doctissimis

Papebrochii obseruationibus num. 14. *Primum in contrarium afferuntur Acta S. Siluestri Papa, vt quidem nunc habentur ipsomet sæpius fatente Baronio* deprauata in nonnullis, *imo absurdissimis farta figmentis, antiqua tamen, & quæ Gelasius Papa, annis post Constantini obitum duntaxat CLVIII.* a multis in vrbe Romana Catholicis legi *testatur*, quod pro antiquo vsu multæ imitentur ecclesiæ. *Non tamen ex hinc recte confeceris, ea Acta Gelasii ætate non laborasse iisdem, quibus nunc, vitiis: nam etiam* scripta de inuentione sanctæ Crucis, *immediate post Actus Syluestri nominata a Gelasio, vt quæ* nonnulli Catholici tunc legebant, *non minus tunc, quam nunc habentur, fabulosa erant, vti patet ex Catalogo Pontificum a nobis edito ante Aprilem, vtpote paullo post Gelasii Pontificatum collecto. Qui Actis S. Siluestri credidisse videtur S. Gregorius Turonensis aliique post illum, similiter scriptis de Inuentione Crucis crediderunt: nec quidquam potest excogitari verisimilis rationis pro vnis, quod non etiam possit aptari aliis iure eodem, sic vt eatenus nihilo plus credi vnis quam alteris possit, contra euidentem auctorum antiquiorum & in ipsis rebus propius versatorum consensum.* Hinc constat, bene iudicasse Ottonem Frisingensem, sæculi XII. scriptorem, quem *a veritatis studio plurimum commendat Æneas Syluius*, obseruante Phil. Labbeo To. II. Dissert. de Script. Eccles. pag. 149. 150. quando Lib. IV. Chronici Cap. I. scribit: *Quæ in beati Siluestri vita de lepra & conuersione* (Constantini Magni) *leguntur, apocrypha videntur.*

V. Haud maioris fidei sunt acta Liberii, e quibus fabulas suas porro cum Baronio Binioque confirmare conatur Schelstratius. Baronius an. CCCXXIV. n. 42. hunc in modum commentatur: *Non contemnenda prorsus ducimus, licet multis obsita mendis, quæ veneranda præstant antiquitate, Acta Liberii, a maioribus non omnino neglecta, quæ a Cresconio in sua collectione, vetusta admodum, sunt intexta. In iis expressum habetur Cap. I. in fine & cap. 6. ex libro quodam, qui ibi citatur, Syluestri, Constantinum a lepræ morbo in baptismo crucis signo liberatum, indignatum vero esse Constantium eius filium longe post mortem Patris, quod Liberius sparsisset in vulgus, Constantinum a Syluestro lepra mundatum olim sacro baptismate: ob eamque caussam grauia in eum comminatum fuisse.* Superuacaneum puto quidquam reponere præter responsionem Alexandri: *Acta ista Liberii ex eadem officina prodiisse atque Acta Siluestri: eorum suppositionem arguere altissimum Veterum silentium, qui in Liberii gestis & colloquiis cum Imperatore Constantio colligendis diligentissimi fuerunt, vt constat ex præclaro illo Dialogo quem Theodoretus refert lib. I. Histor. Eccles. cap. XV. Illa Acta multis obsita mendis agnosci a Baronio, adeoque perperam vt monumentum certæ & inconcussæ auctoritatis laudari. Non esse denique verisimile, quod Liberii tempore, quo recens adhuc erat baptismi Constantini memoria, nec euanescere potuerat ex hominum animis tam celebre, de curata eius lepra miraculum, si verum fuisset, Constantium Liberio fuisse indigna-*

tum, quod illud sparsisset in vulgus: aut facti illius famam a Liberio primum fuisse vulgatam, quæ (si verum illud fuit, & in Vrbis Orbisque totius luce patratum) omnium aures & animos inuaserat. Quod vero Cresconium siue Crisconium Africanum Episcopum, ad quem prouocat Baronius, attinet, is recentior multo est, quam vt de rebus scriptisque sæculi quarti, scriptorum illius consensu destitutus, idoneum testimonium reddere possit: vixit enim sæculo septimo labente & initio octaui, vti calculos ponit Schelstratius noster Antiq. Illust. P. II. Differt. II. c. X. n. 211. & Eccles. Afric. Differt. IV. cap. VII. n. 3. adeoque quadringentis fermè post Constantini tempora annis, & ipsius fides in multis vacillat, sicut aliorum eiusmodi Collectorum, quibus solenne est, genuina, suspecta, supposititia nullo delectu habito, in vnam coniicere farraginem. De *νοθείᾳ* vero Actorum Liberii pluribus videndi Iacobus Cappellus Vind. Casaubon. L. III. c. 29. Bebelius Sæc. IV. P. I. p. 285. & Papebrochius num. 15.

VI. Tertium Baronii, Binii, Schelstratii, testimonium ex supposititiis Concilii Romani I. sub Syluestro Actis depromtum est. Quanquam enim nolim accedere Andr. Riueto, qui Cathol. Orthod. tr. II. q. 24. §. 3. censet, *Concilium istud nihil esse aliud, quam Coloniensium nouam inuentionem, qui antiqua Concilia confinxerunt, nouo stylo nouos errores commendantia:* quum id iam Hadriani Pontificis tempore videatur confictum, & ab eo citatum *inter capitula ex Græcis & Latinis Canonibus & Synodis Romanis desumta, quæ Ingilramno Mediomatricæ vrbis Episcopo dedit*, vti obseruat Schelstratius cap. VIII. num. 341. proindeque Christianus Lupus nostro itidem allegante num. 343. *confictorem* huius Synodi *sæculo octauo vixisse* coniicit. Fucum tamen commissum prolixe ostenderunt e Nostratibus B. Dorscheus Exercit. ad Diatyposin Concil. Nicæni p. 52. 53. B. Gerhardus Confess. Cathol. Lib. I. P. I. c. X. p. 416. 417. D. Bebelius Antiq. Eccl. Sæc. IV. P. I. p. 69. Io. Ludou. Ruelius To. I. Concil. Illustrat. pag. 1273. seq. e Reformatis Rob. Cocus in Censura pag. 444. Iacobus Cappellus Vindic. Casaub. Lib. III. c. XXXI. p. 366. Daniel Chamier Panstr. Cathol. To. II. Lib. XIII. c. XIIX. num. XI. Dauid Blondellus Prolegom. Pseudo-Isidori cap. XVI. Quare tandem ex ipsis Pontificiorum castris sapientiores fidem isti Synodo adhibere detrectant, vt videre est apud Coriolanum Summæ Conciliorum pag. 221. Henr. Spondanum Baronii epitomatorem an. 352. n. 51. Petrum de Marca Lib. I. de Concordia Sacerdotii & Imperii Cap. XI. num. 4. Natalem Alexandrum Sæc. I. Differt. XX. pag. 233. tum in Synopsi Sæculi quarti cap. II. p. 18. & alios. Nec opus est plura congerere testimonia, aut multum curare Iosephum Mariam Suaresium, Episcopum Vasionensem, qui Lib. II. Prænestes Antiquæ cap. X. in vindicando hoc Concilio aduersus Molinæum oleum operamque perdidit, quum ipse Schelstratius toto capite octauo Diss. III. P. II. *νοθείαν* eius diserte euincat: nam fucum saltem Lectoribus facit, quan-

do *secundam sub Syluestro Romanam Synodum* dicit, quam in nostra controuersia primam vocauerat, vt clare adparet ex verbis Ioan. Cabassutii, Notit. Eccles. pag. 123. *Post Romanum Concilium a Melchiade Pontifice in Laterano celebratum, duo alia memorantur Romana sub Syluestro, quorum vnum dicitur secundum, & perhibetur Nicaenam Synodum praecessisse; alterum recensetur numero tertium & perhibetur Nicaena Synodo posterius. Primum quidem illud sub Melchiade extra omnem dubii aleam constituitur, eiusque mentio legitur apud Eusebium, Optatum, Augustinum, duo vero insequentia sub Syluestro multas prae se ferunt inanitatis & suppositionis adulterinae notas, nec altiore quam Isidori Mercatoris auctoritate nituntur, qui circa Christi annum 619. suas propalabat merces. Ab hoc enim caeteri desumpsere, quotquot huiuscemodi mercimonia exposuerunt &c.* Paullo post rationes νοθείας profert, desumtas *a silentio Dionysii Exigui, celebris Canonum in ipsa vrbe collectoris: ab auctoritate Hincmari Remensis, Canonem tertium falsitatis arguentis: a consensu Labbei, Marcae, Lupi nostrique Schelstratii, confictum esse istud Concilium adseuerantium: a mentione Diaconorum & Sacerdotum Cardinalium, illi saeculo & succedentibus longe saeculis plane inaudita: denique ab hac ipsa Fabula de lepra & Baptismo Constantini Romano.* Certe eodem quarto saeculo aliter longe de Baptismo Constantini iudicarunt Patres Ariminensis Concilii, quod tantum ex Occidentis Episcopis constabat, & Imperatorem in fine vitae baptizatum adseruerunt. Vnde liquet, ista aetate fabulam a Latinis nondum fuisse confictam, sed Occidentales pariter & Orientales de Baptismo Constantini conformiter sensisse, quod magnum sententiae Baronianae adfert praeiudicium.

VII. *Acta* porro *Nicaeni Concilii a Dalmatiano Cyziceno Episcopo collecta* proferunt Binius & Schelstratius ex fide Baronii an. CCCXXIV. n. 49. dicentis, *eum recitare Orationem Constantini tunc coram Patribus habitam, qua saepius profitetur, sed plane Christianum esse sacroque Baptismate initiatum.* Vnde autem hausit Baronius hoc Dalmatiani testimonium, cuius *librum 2. Act. Nicae. Concil.* in margine solum citauit. Si ex Codice Bibliothecae Vaticanae, cur non more suo id indicauit? Si ex alio scriptore vetere, plagiarii notam merebitur, non minus ac Caelius Rhodiginus, qui etiam solebat deperditos auctores citare, suppressis eorum, ex quibus ipse hauserat, nominibus. Vid. Thomasius Diss. de Plagio liter. §. 261. Si ex Gelasio Cyziceno, cur alibi is scriptor tam exiguae apud ipsum est auctoritatis? Sed vndecunque Baronius Dalmatiani desumserit testimonium, certum est ex confessione Cabassutii pag. 122. nostrique Schelstratii pag. 490. Gelasio Cyziceno Dalmatiani acta ad manus non fuisse, quum opus suum exararet. Addimus Alexandri iudicium, aliter licet de Gelasio sentientis: *Ad Dalmatianum Cyzicenum respondeo, ipsum a Gelasio Cyziceno redargui, qui Acta Nicaeni Concilii exscripsit ex ipso Dalmaltiani Codice. Nam in sermone prosphone-*

tico

tico Constantini, quem ille describit, ne verbulum quidem est de eius baptismo. Et aliunde Eusebium in omnibus sequitur Gelasius Cyzicenus. Si vero Orationem Constantini ad Patres conscriptos habitam & a Gelasio etiam exhibitam intelligit Baronius, eam *immerito obiicit*, iudice Papebrochio num. 17. *quasi in ea plus dicat Constantinus, quam se Christianam tenere & prædicare fidem, cui omnem suam felicitatem acceptam referat, & cuius stabiliendæ caussa istuc pariter cum iis conuenerit.*

VIII. Nunc ad illos progrediemur testes, quos sigillatim laudandos sibi sumsit Schelstratius, primumque Prudentium ita produxit: *Et adstipulantur Prudentius apud Thomam Bozium lib. 2. de signis Ecclesiæ, cap. XI. qui ita introducit loquentem de Constantino super Maxentio triumphante Theodosium: Iamque ruit paucis Tarpeia in rupe relictis ad sincera virum penetralia Nazareorum, atque ad Apostolicos Euandria curia fontes.* Locus Prudentii libro 1. aduersus Symmachum versu 550. seq. ex cuius inspectione candidus quilibet Lector edocebitur, Poetam neutiquam de Constantini sed Senatus Romani conuersione & Baptismo agere. Non vrgebo nunc quatuor versus præcedentes, vbi canit:

> *Exultare Patres videas, pulcherrima mundi*
> *Lumina; conciliumque senum gestire Catonum*
> *Candidiore toga, niueum pietatis amictum*
> *Sumere & exuuias deponere Pontificales:*

multo minus inscriptionem huius pericopes, quæ in Aldina editione est: *Romanorum Senatum conuersum ad Christum*, in Weiziana vero: *de Senatus conuersione*: quandoquidem ex ipsis a se transscriptis verbis fraudem subolfacere potuisset vir doctus. Quid enim? nonne *Euandria curia* neutiquam vnam personam, sed totam σύγκλητον βȣλὴν (vti Senatus Romanus audit Eusebio Histor. Eccl. IX. 9. quando hanc ipsam Constantini aduersus Maxentium victoriam describit) denotat? *Euander* enim *primus fertur struxisse curiam*, quod habet Glossa Isonis Magistri ad hunc Prudentii locum. Hinc idem Virgilio libro IIX. Æneidos *Romanæ conditor arcis* dicitur. Sequentes quoque versus Schelstratio palam aduersantur. Declarat enim mox Prudentius, quinam *Euandriam curiam* constituerint, *Anniadum suboles & pignora clara Proborum &c.* Sed quid hæc ad Constantinum? Dixerit forte aliquis, Constantinum eo tempore secundum Romæ consulem fuisse, adeoque omnino pertinuisse ad Euandriam curiam. Verum hæc exceptio cum calculis Schelstratianis consistere nequit. Nam in Serie Chronologica Romanorum Pontificum, quam Antiquitati Illustratæ præfixit noster, ad An. 312. ponitur Constantini Augusti Consulatus secundus, vt respondeat anno imperii eius sexto & septimo, additurque ex Fastis Idatii & in Variis obser-

nationibus, *hocce anno die 24. Septembris Constantinum Maxentium deuicisse.* Primum vero Syluestri Pontificis annum cum Onuphrio, Antonio Augustino Baronio, Bellarmino, Petauio & Labbeo refert Schelstratius ad An. 314. siue octauum Imperii Constantini. Quod si itaque statim post victum Maxentium baptizatus est Imperator, vt verba Prudentii sensu Schelstratii intellecta euincunt, consequitur ex ipsa viri docti computatione, Constantinum sacro baptismatis fonte tinctum esse, antequam Syluester ad Episcopatum Romanum peruenerit. Has forte difficultates sentiens Schelstratius caussæque diffisus non ex propria obseruatione, sed Thomæ Bozii hominis inepti & in Critica Ecclesiastica haud versati fide ad istud Prudentii testimonium prouocare ausus est.

IX. Haud meliori successu Sulpitii Seueri auctoritate se tuetur noster, quando scribit: *Sulpitius Seuerus circa annum 400. lib. 2. Histor. cap. 47. finis Diocletianæ persequutionis fuit abhinc annis IX. & LXXX. a quo tempore Christiani Imperatores esse cœperunt, cap. 48. Namque tum Constantinus rerum potiebatur, qui primus omnium Romanorum Principum Christianus fuit. Christianum* (subiicit Schelstratius) *eum vocat sæpius ante narrationem de obitu Sulpitius, cum vero nemo Christianus nisi per Baptismum, etiam diu ante obitum baptizatum insinuat.* Atenimuero præterquam quod Sulpitius Seuerus apud Pontificios *alias in historia sacra non sit magna fidei*, vti ex Bellarmino & Posseuino monet B. Dorscheus Theol. Zachar. P. I. p. 187. multaque *errorum eius in re historica exempla* enumerarit Alexander Sæc. I. Differt. xv. tantum sane abest, vt Sulpitius Schelstratium iuuet, vt ei potius quam maxime eodem modo quo Prudentius contrarietur. Namque notationem temporis, quam Sulpitius in verbis a nostro prolatis commemorat, hoc modo ad annos Christi adplicat Carolus Sigonius in Adnotationibus: *Hic est annus CCCXII. quo Constantinus M. ex Galliis Romam profectus, tyranno extincto Maxentio Christianum se aperte professus est.* Non abit ab hac sententia Schelstratius, quando *circa annum 400.* Sulpitium hæc scripsisse ait. Ast eo anno, vti paulo ante vidimus, Siluester iuxta eiusdem calculos nondum erat Romæ Episcopus, nec proinde Constantinum baptizare potuit. Nec deerunt, qui cum Io. Drusio in Animaduersionibus ad Sulpitium negent, Constantinum primum omnium Romanorum Principum Christianum fuisse, & ante ipsum Philippum Arabem fidem nostram amplexum adserant, quorum sententiam nuper magno adparatu defendere adgressus est Io. Rodolf. Wetstenius Præfat. in quædam Origenis Opuscula pag. 8. seq. *Sed priuata fuerit professio, rem Christianam publice non auxit*, iudicio Io. Schilteri in nouissimo opere de Libertate Eccles. German. Lib. I. cap. v. num. I. Quo factum est, vt Paullus Orosius Lib. VII. cap. 28. cum limitatione de Constantino loquatur: *Constantinus Imperator est creatus primus Imperatorum Christianus, excepto Philippo &c.* Eadem est

est sententia scriptoris anonymi, e quo nonnulla de Constantino & aliis Imperatoribus excerpsit ac cum Ammiano Marcellino edidit Henricus Valesius, in Notis animaduertens, *hac & sequentia ex Orosio exscripta esse.* Vtcunque tamen hæc res sese habeat, falsum quoque est, *a Sulpitio sæpius ante narrationem de obitu Christianum vocari Constantinum*, quod ait Schelstratius. Mortem enim Imperatoris narrat initio capitis LI. ex editione Horniana. Non autem nisi semel in præcedentibus, excepto loco ab ipso viro docto producto, eum vocat Christianum, capite XLIX. *His per Helenam gestis, principe Christiano libertatem atque exemplum fidei mundus acceperat: sed longe atrocius periculum cunctis Ecclesiis illa pace generatum. Namque tum hæresis Arii prorupit, totumque orbem, inuecto errore turbauerat &c.* Agit de initio hæreseos Arianæ Sulpitius, ac de persequutionibus, quæ ante Synodum Nicænam cap. 50. descriptam motæ sunt in Orthodoxos. Videbimus an exinde caussa Schelstratii iuuari possit. Vtut enim adhuc sub iudice lis sit, quo præcise anno primum innotuerit Arii hæresis, nullus tamen negauerit, aute decimum octauum imperii Constantini annum eam emersisse cognitamque fuisse, siue id contigerit an. 315. vti cum Baronio statuit Ricciolus; siue an. 317. quæ Alexandri Synops. Sæc. IV. cap. III. Art. III. §. 2. & plurimorum eruditorum est sententia. Vide, quæ prolixe eam in rem disputat Mart. Hankius de Script. Byzant. P. I. cap. I. num. 61. seq. Iam octauo decimo imperii anno baptizatum esse Constantinum cum Crispo filio suo a Syluestro, vidimus supra ex Theophane adserentem Schelstratium. Vnde consequitur, si Sulpitius Christianum vocando Constantinum diu ante obitum baptizatum insinuat, quæ viri docti est opinio, ab alio quam Syluestro alioque tempore id peractum esse: quod quantum adferat nouitatis, facile colligitur. Videat etiam Schelstratius, quomodo ipsi conueniat cum Henrico Valesio, cuius Adnotat. in Lib. IV. Eusebii de vita Constantini cap. 61. hæc sunt verba: *Scio Athanasium in vita Sancti Antonii, vbi de literis a Constantino ad Antonium scriptis loquitur, & Augustinum in Epistola 162. & 166. Constantinum Christiani principis titulo affecisse. Sed responderi potest, eos hac in re vulgarem omnium opinionem ac famam sequutos esse: & Constantinum palam Christianum Principem adpellasse, non quod Christianæ fidei Sacramentis initiatus esset, sed quia Christianæ religionis cultum aperte profitebatur.* Ex quibus constat, quo sensu Christianum vocarit Sulpitius Constantinum, non, vt Schelstratius vult, quod diu ante obitum baptizatus fuerit, sed ob professionem Christianismi post victum Maxentium a reliquo vitæ tempore susceptam.

X. Audiamus nunc tertium testem a Schelstratio adductum, qui est *Antiquus Romanorum Pontificum Catalogus tempore Iustiniani Imperatoris circa annum 530. conscriptus in vita Siluestri: Hic in exilio fuit in montem Soracttem perse-*

perse-

persequutione Constantini concussus: & postmodum rediens cum gloria baptizauit Constantinum Augustum, quem cumuit Dominus pro Baptismo a lepra. Vnde autem nobis probabit vir doctus, Catalogum istum tempore Iustiniani esse confectum? neutiquam enim sufficiunt, quæ de eo coniicit in Dissertatione Seriei Chronolog. Pontif. præmissa cap. II. col. 19. *complectitur acta Pontificum ab Apostolorum Principe Petro vsque ad Felicem tertium tempore Iustiniani Imperatoris, quo consequenter confectus existimatur.* Vacillat plane consequentia, nec vlla nititur ratione, quum vel Codicis mutilatio, vel librarii negligentia, vel collectoris Catalogi mors impediisse potuerint, vt is vltra Felicem tertium productus non reperiatur. Certe qui res in eo contentas accuratius ad veritatis lancem trutinauerit, ac cum ratione temporis, quo scriptus perhibetur, diligentius contulerit, multa quæ figmenta olent posteriorum ætatum, procul dubio deprehendet. Nos vnico erimus contenti exemplo. In vita Cornelii Papæ narratur, *eum temporibus suis rogatum a quadam matrona, corpora Apostolorum Petri & Paulli de Catacumbis leuasse noctu. Primum quidem corpus B. Paulli acceptum B. Lucianam posuisse in prædio suo via Ostiensi iuxta locum vbi decollatus est. B. Petri Apostoli accepisse corpus B. Cornelium Episcopum, & posuisse iuxta locum, vbi crucifixus est inter corpora Sanctorum, in templo Apollinis, in monte aureo in Vaticano Palatio Neronis, III. Kal. Iulii.* Sic instruit suam fabulam anonymus, quæ neutiquam Iustiniani debetur æuo, sed recentiori: vti euincit Gregorii Magni, qui sexto etiam vixit sæculo, Epistola ad Constantiam Augustam, qua narrat, eo iam tempore quo passi sunt Apostoli, corpora eorum ad Catacumbas translata ac inde propriis locis restituta fuisse. Alia ergo de sepulcris Apostolicis sæculo sexto circumferebatur narratio, quam in Catalogo Schelstratii exhibetur: quanquam & illam veritati non esse consentaneam docere conetur Dallæus de Cultus Relig. Obiecto Lib. IV. cap. XII. Vtcunque vero ea se habeat, certe Baronius A. CCXXI. num. 3. seq. fabulam de Cornelio in Catalogo expositam procul abiecit, nec dubitat Alexander Synopsi Sæc. III. cap. IV. Art. 3. *mendacii* nomine eam insignire & epistolam Cornelii decretalem post Baronium νοθείας arguere, in quo consentit Schelstratius Antiq. Illust. P. II. Differt. III. cap. 5. num. 319. Quoniam itaque recentioris ætatis est Catalogus a viro docto productus fabulasque plurimas recenset, quæ eius erit auctoritas ad Baptismum Constantini Romanum adstruendum? inprimis, quum ex supposititiis Syluestri actis omnis narratio desumta sit, ipseque Schelstratius Catalogum ab omni interpolatione liberum non adseruerit, ac eius auctorem supposititiis nonnunquam monumentis inniti probauerit Concil. Antioch. pag. 494. Hinc etiam a Papebrochio num. 14. & 19. in hac ipsa controuersia reiicitur, tanquam *fabulosis interpolationibus inquinatus.*

XI. Quar-

XI. Quartum locum adſignat *S. Gregorio Turonenſi Epiſcopo ad finem ſæculi ſexti,qui dum agit de Baptiſmo Clodonei Francorum Regis : Procedit* (inquit) *nouus Conſtantinus ad lauacrum deleturus lepræ veteris morbum, ſordentesque maculas geſtorum antiquorum recenti latice deleturus. Hic alludit manifeſte S. Gregorius ad acta Silueſtri teſtantia de Conſtantini lepra & mundatione per Baptiſmum a Silueſtro ſuſceptum.* Sed Alexandrum velim audiat Schelſtratius, reſpondentem, *Gregorium Turonenſem vel ex actu Silueſtri iam confictu deceptum : vel de peccatorum lepra intelligi : cæterum de baptiſmatis Conſtantini loco & tempore non loqui.* Qualiſcunque autem fuerit Gregorii ſententia, exigua certe eius in hiſtoria fides eſt,& in vulgus notum,quid de illo ex Pontificiorum grege ſentiant cordatiores : vt vere Æthiopem lauare conatus ſit Labbeus,quando To. I. Differt. de Script. Eccl. pag. 399. in Lutheranos & Caluinianos, inprimis Riuetum, *vt virum omnium vere Francorum execratione digniſſimum*, inuehitur, quod *nonnulla in ſequentibus temporibus a maleferiatis monachis hinc inde fuiſſe adſperſa* dixerit,& *Gregorii ſimplicitatem ex Baronio & Hilduino notarit.* Prius quippe,quod in Riueto reprehendit Labbeus, ex ipſisFrancis adſerunt Auctores Ephemeridum Gallicarum, quando de Annalibus Francorum Eccleſiaſticis Caroli le Cointe To. II. Ephemer. 38. iudicium ferentes inter alia ex verſione latina Nitzſchii ſcribunt : *Cum Gregorio Turonenſi inprimis male ſe res habet. Nam hiſtoriæ ipſius non ſaltem plurima ſuppoſita ſunt adiecta, ſed etiam textus ipſius pluribus in locis immutatus eſt, ſub eo nempe prætextu,vt elegantior redderetur.* Eadem eſt ſententia Natalis Alexandri Synopſ. Sæc. VI. cap. IV. Artic. 12. & Latini Latinii in Bibliotheca Sacra, cui obſeruationes & coniecturæ in ipſam Gregorii Turonici hiſtoriam inſertæ ſunt. Simplicitatem vero Gregorii a Baronio agnitam pluribus exemplis confirmat idem Alexander Sæc. I. Diſſ. XV. eamq; hoc loco nominatim indicat Papebrochius n. 14. cuius verba ſupra dedimus, n. IV. cum de Actis Syluestri ageremus. Quamobrem non eſt,vt tanti faciamus ſimplicis creduliquе Gregorii auctoritatem,eumque præferamus aliis optimæ notæ Scriptoribus,qui figmentum de Baptiſmo Conſtantini Romano ſuo improbant ſilentio.

XII. Sequitur *Hadrianus Papa primus circa ann. 786. in epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem & Irenem eius matrem, lecta in Synodo Generali 7. & eius actioni 2. inſerta,vbi narrat Conſtantini conuerſionem, & ex Petri & Paulli præſcripto trina immerſione a S. Syluestro baptizandum : Hunc (inquit ex verbis Petri & Paulli,de Silueſtro in monte latente ad Conſtantinum) cum ad te adduxeris, ipſe tibi piſcinam oſtendet,in quam dum tertio merſerit,omnis de valetudo deſeret lepræ.* Ita quidem verba Apoſtolis ab Hadriano tributa recenſet Schelſtratius, aliter tamen leguntur in editione Conciliorum a Petro Crabbe adornata Tom. II. fol. 479. *Is tibi lauacrum pietatis,in quo lauaberis, præparabit, dabiturque tibi*

 non

non modo lepra, verum omnium morborum sanitas. Vtcunque vero hæc sese habeant, somnium illud Constantini vere somnium i. e. otiosi hominis figmentum esse dudum a nostris est ostensum, quibus post Canum, Schultingium, Launoium, alios, plane adsentitur Alexander, monstratque mendacium esse, quod de Syluestro in Soracte monte latitante refertur, ac luculento argumento totam fabulam subuertit: nam Iuliano τῷ παραβάτῃ obiicienti, baptisma neminem a lepra aliisq; corporis morbis mundasse, Cyrillus Alexandrinus non reponit hoc Constantini exemplum, *quo silentium Iuliano imposuisset, nec illud neglexisset ita obuium, si tam celebre in eius baptismate contigisset miraculum.* Idem vrget Papebrochius n. 15. præclareque simul refellit Baronium pro fictis Syluestri latebris pugnantem: *Multum hic Baronius vehementerque laborat, vt probet Syluestri Papa anno XI, Constantini XIX, vehementiorem aliquam, licet non diuturnam procellam persequutionis incumbere Christianis potuisse, etsi tot legum fauentissimarum promulgatione, post stabilitum victo Maxentio imperium, ornatis a Constantino munitisque. Sed quando nec vnus quidem Martyr nominatur tunc Romæ passus, nec alterius Romani Pontificis inuenitur exemplum, qui sauientibus quantumcunque tyrannis vrbem dimiserit, post Petrum ne id faceret, diuinitus monitum; nescio qui possit videri credibile, periculum illud tantum, quod compulerit Syluestrum ad quærendas latebras in monte Soracte XVIII. P. M. ab vrbe Roma.* Non alia ergo ratione Hadrianum a nobis ablegabimus, quam qua Nicolai primi auctoritatem (a Schelstratio quod miror omissam) declinauit Alexander, dicendo *eum pseudepigraphis Siluestri & Romani Concilii Actis falso persuasum.* Taceo, quod multa falsissime in ista sua Epistola proferat Hadrianus, enumerata a Io. Dallæo lib. III. de Imaginibus cap. III. *cur ergo hic*, vt eiusdem clarissimi Viri verba adcommodem, *vel falli non potuisse, vel fallere noluisse putabimus, quem in tam multis aliis peccasse manifestum est?*

XIII. Nec maioris auctoritatis sunt Theophanes & Anastasius Bibliothecarius, qui a Schelstratio his laudibus in medium producuntur: *S. Theophanes Abbas Græcorum & miraculis in Oriente clarus: Mihi autem verius adparet, quod Roma a Siluestro fuerit baptizatus, & quod nominatas constitutiones, quæ ad Melchiadem feruntur, ab Arianis fictæ sint, qui gloriam hinc sibi festinant acquirere, vel etiam piissimum Principem lacerare, dum scilicet ex hoc volunt eum non baptizatum ostendere, quod est irrationabile atq; falsissimum. Si enim non erat in Nicena Synodo baptizatus, ergo nec diuinorum participator mysteriorum: nec orabat cum Sanctis Patribus, quod nequissimũ est & dicere & sentire. Ita Theophanes in chronologia tripartita, quam compilauit Anastasius Bibliothecarius, vir suo sæculo eruditissimus, qui & Concilio Generali Oct. suo interfuit, nec solũ in Chronologia Theophanis sed etiam in Pontificali Damasi inseruit huius rei testimonium: Hic in exilio fuit in-*

mon-

monte Sorractensi (inquit in vita S. Siluestri) & postmodum rediens cum gloria baptizauit Constantinum Augustum, quem curauit Dominus à lepra. Verum hæc omnia vna litura delet Alexander, *respondendo, maiorem fidem adhibendã esse antiquis Auctoribus, nimirum Eusebio, Socrati, Sozomeno* &c. *quam recentioribus*, *Anastasio*, *Theophani, Nicephoro.* Theophanes Græcus scriptor sæculo octauo floruit, eiusque Chronographiam publicare incepit Iacobus Goarus, quo mortuo Franciscus Combefisius eam perfecit notisque illustrauit. Hanc postea nactus Cl. Vir, Io. Andr. Bosius, cum MS. Augustanæ Bibliothecæ contulit, *cuius ope cum scriptorem multo emendatiorem, alicubi & pleniorem, completis quibus passim fœdatus est lacunis aliquot*, se aliquando editurum promisit Ex. in Periocham Fl. Iosephi de Iesu Christo c. 11. §. 8. sed morte præuentus id præstare non potuit: spem tamen haud exiguam publicandarum obseruationum illarum orbi litterato fecit CL. Schubartus in Præfatione Operis Bosiani posthumi, quod Introductio in Notitiam Rerumpublicarum inscribitur. Quoniam autem Bibliotheca Bosiana in Academiæ Ienensis publicam peruenit, & ὁ μακαρίτης variantes Codicis Augustani scripturas ad marginem libri impressi manu sua accurate notauit, non ingratum erit Lectori, potissimas illarum, quas mihi celebrem Bibliothecam lustranti excerpere licuit, in loco a Schelstratio prolato adnotare. Exstat is pag. 14. editionis Parisiensis: Τούτῳ τῷ ἔτει, ὥς φασί τινες, Κωνσταντῖνος ὁ μέγας σὺν Κρίσπῳ τῷ υἱῷ αὐτοῦ ἐν Ῥώμῃ ὑπὸ Σιλβέστρου ἐβαπτίσθησαν (MS. Aug. melius ἐβαπτίσθη) ὅσοι (MS. Aug. melius ὡς οἱ) κατὰ τὴν πρεσβυτέραν Ῥώμην μέχρι σήμερον τὸν βαπτιστῆρα ἔχουσιν εἰς μαρτυρίαν, ὅτι ὑπὸ Σιλβέστρου ἐν Ῥώμῃ (in Cod. Aug. absunt duo postrema) ἐβαπτίσθη, μετὰ τὴν ἀναίρεσιν τῶν τυράννων. οἱ δὲ κατὰ τὴν ἀνατολὴν ἐν Νικομηδείᾳ φασὶν αὐτὸν περὶ τὸν θάνατον ὑπὸ Εὐσεβίου τοῦ Νικομηδέως Ἀρειανοῦ βεβαπτίσθαι, ἔνθα καὶ ἔτυχεν αὐτὸν κοιμηθῆναι. ἀναβαλλόμενος γὰρ ἦν τὸ βάπτισμα, φασὶν, ἐλπίζων ἐν τῷ Ἰορδάνει βαπτισθῆναι ποταμῷ. ἐμοὶ δὲ τὸ ἀληθὲς φαίνεται (MS. Aug. legit ἀληθέστερον, quod expressit Anastasius Bibliothecarius in Versione a Schelstratio producta) ὑπὸ Σιλβέστρου ἐν Ῥώμῃ βεβαπτίσθαι αὐτὸν, καὶ τὰς ἐπ' ὀνόματι αὐτοῦ φερομένας διατάξεις πρὸς Μιλτιάδην πεπλασμένας εἶναι τοῖς Ἀρειανοῖς, δόξαν ἐντεῦθεν (hanc voculam omittit Codex Augustanus) περιποιεῖσθαι σπουδάζουσιν ἑαυτοῖς, ἢ τὸν (MS. melius οἱ καὶ τὸν) πανευσεβῆ βασιλέα κακίζειν ἐθέλουσιν, ἀβάπτιστον δεικνύντες ἐντεῦθεν, ὅπερ ἄτοπον καὶ ψευδές. εἰ γὰρ οὐκ ἦν βεβαπτισμένος ἐν τῇ κατὰ Νίκαιαν συνόδῳ, λοιπὸν οὐδὲ μετελάμβανε τῶν θείων μυστηρίων, οὐδὲ συνηύχετο τοῖς ἁγίοις πατράσιν (hæc valde in notis exagitat Combefisius, legitque ita Anastasius, sed MS. habet συνήρχετο) ὅπερ ἀτοπώτατόν ἐστι (MS. modestius ἄτοπον) καὶ λέγειν καὶ φρονεῖν. Quod vero Theophanis attinet auctoritatem, is sane vltra quadringentos annos Constantini ætate

tate recentior est, sententiamque tantum profert, quæ ipsi visa est probabilior, imo ex fama tantum hausta, ὡς φασί τινες, & alias Latinis potius quam Græcis se adstipulari scriptis factisque ostendit. Quod si itaque Ioannes Garnerius in Dissert. de quinta Synodo c. 1. recte reiecit Theophanis auctoritatem Liberato contrariantis, vtpote duobus sæculis iunioris; quanto magis id nobis licebit, cum Theophanes quatuor sæculis a Constantino remotus fuerit? Non est ergo, quod hominem moremur, minusque multo eius interpretem Anastasium, qui *Pontificis Romani Bibliothecarius illiusque sedis palpo nobilissimus*, obseruante Dallæo, fuit, & liber Pontificalis a Schelstratio ipsi tributus dubiæ fidei & auctoritatis ab eruditis censetur. Non latet me singularis Schelstratii de isto libro opinio, quasi ex tribus Romanorum Pontificum Catalogis consarcinatus sit ab Anastasio Bibliothecario, *ita vt apertissime constet, ex antiquiore sæculi quarti Catalogo desumtos esse Consules, ex secundo sæculi sexti Catalogo acta singulorum Pontificum, & ex tertio sæculi octaui ordinem & annos omnium ad illud tempus Petri Successorum*, quemadmodum in Præfatione ad Lectorem docet ac repetit Annotat. in Can. x. Concil. Antiocheni, Cap. xi. Artic. 1. n. 1. Vnde autem hanc suam opinionem firmabit vir doctus? Si quis contrarium adsereret, & anonymos auctores ex libro Pontificali catalogos suos compilasse statueret, eadem frueretur probabilitate, solidisque argumentis a Schelstratio refutari haud posset: maxima enim incertitudine omnia sunt inuoluta. Quin si vera sunt, quæ Philippus Labbeus To. 1. Dissert. de Script. Eccles. pag. 252. obseruat, collectionem hanc ab Anastasio Bibliothecario confici non potuisse manifestum est, quum Henschenio & Papebrochio apud Schelstratium Dissertationis præuiæ col. xx. testibus, Catalogus tertius *deducatur vsque ad Stephanum tertium Papam, siue ad tempora Pipini & Caroli Magni Regum Francorum.* Labbeus autem editionem Operum Damasi Romanam laudans inter alia hæc scribit: *Scite omisit librum de Romanis Pontificibus, quem vulgo plerique hac ætate Anastasio Bibliothecario vindicant, licet immerito. Etsi enim librum illum adiectis ad priores multorum Pontificum Vitis auxerit ac locupletarit, non potuit tamen auctor esse prioris partis, quum viderim MS. Codicem optimæ notæ tempore Caroli Magni exaratum, in quo vitæ illæ Damaso iamtum tribuebantur, antequam aut natus esset Anastasius, aut saltem ex primis infantiæ crepundiis emersisset.* Quibus & similibus recensitis Natalis Alexander Synops. Sæc. ix. Cap. iii. Artic. ix. solenne illud dicterium subiicit: *Adhuc sub iudice lis est.* Digna etiam quæ perpendatur Dauid. Blondelli obseruatio, Prolegom. Pseudo-Isidori Cap. xii. *Libri Pontificalis scriptor vixisse videtur ante A. D. 700. citatur enim a Beda, Amalario Fortunato, Walafrido Strabone, & aliis, Anastasio Bibliothecario, quem Bellarminus, Baronius & alii auctorem credunt, antiquioribus.* Accedit maxima Codicum MStorum diuersitas,

de

de qua omnes eruditi conqueruntur, quibus celebrium Bibliothecarum forulos excutere datum est, censentque Anastasium incertum esse in gestis Pontificum auctorem. Quis enim in tanta discrepantia certum & ab ipso Anastasio confectum librum indicabit, & criteriis minime fallentibus dignoscet?

XIV. Octauo Leonem quoque nonum Pontificem Romanum aduocans Schelstratius, *Leo nonus*, inquit, *in auctoritatem admittens Constantini Imperatoris Donationem aut Decretum, ex quo epistola 9. ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum laudat: Baptismatis sui enucleatam commendationem.* At vero Papæ huius neutiquam nos mouet auctoritas; quandoquidem ea non obstante Schelstratius ipse confictam dicit donationem Constantini Magni, quæ ergo ipsius hac in re aduersus nos erit fides? vt taceam, quod iis iure optimo accensendus sit, *qui de rebus ante 700. aut 800. præteritis idonei testes esse nequeunt, nisi cum Auctoribus coætaneis aut supparibus consentiant, aut saltem ab eorum vnanimi consensu non dissentiant*, vti recte de eiusmodi hominibus iudicat Philippus Labbeus in Cenotaphio Ioannæ Papissæ euerso, p. 965.

XV. Nonum locum occupat *Nicephorus Callistus ante 360. annos, qui dum omnes historicos Græcorum perlegerat, scribit libro 8. cap. 3. de Constantino lepra percusso, ad quam abluendam Principes Apostolorum pro sanguine infantium aquam baptismalem suadent a Siluestro adhibendam &c. Latius hæc confirmat libro 7. cap. 35. & post fundamenta hanc ob rem proposita concludit, quod Ecclesia a Siluestro eum Romæ baptizatum esse certo prædicat. Quapropter testatum omnibus esse volo, vt hic sic etiam ipsi tuto & opinentur & credant. Hæc homo Græcus & Schismaticus in omni antiquitate versatissimus.* Ecquis huic homini non credat, qui tantis elogiis a Schelstratio ornatur? circumspiciendum nostro ante omnia fuit de aliquo encomio, vt incautos Lectores eo tutius circumuenire posset. Sane maiorem apud nos auctoritatem non obtinet Nicephorus, quam apud Alexandrum, a quo eum explosum esse supra notauimus. Quis enim credat homini tam remoti æui, narranti res vltra mille ante se annos gestas, & sectanti fabulosa Syluestri Acta, in tanto scriptorum sæculi quarti silentio? Quis tuto fidem adhibeat homini, quem Baronius sæpissime, etiam in Constantini historia, arguit *mendacii ac erroris*, Maldonatus *audaciæ*, Andradius *oscitantiæ*, Perronius *κακομυθίας*, *ἀβλεψίας*, Huetius *credulitatis, sapientiæ & fidei non satis spectatæ*; imo quem ipse Schelstratius plus semel in aliis rebus deserit?

XVI. Multo minus id confirmant *Georgius Cedrenus, Zonaras, Balzamon aliique Græci a Cardinali Polo relati.* Nam Cedrenus eadem culpa laborat qua Theophanes, ex quo & Syncello & Ioanne Curopalate confecit historiæ suæ corpus, obseruantibus Vossio, Miræo & Labbeo, a plagii tamen crimine alienus, iudicio CL. Thomasii Differt. de Plagio liter. §. 182. Zonaras itidem re-

centior est,& a Latinis scriptoribus deceptus. Balsamon pleraque omnia ex Zonara mutuatus est,aduertentibus Wetstenio Præf. in Origenem p. 18. Beueregio Proleg. in Συνοδ. num. 23. Meiero Relat. de Collect. Can. §. 32. & aliis: verum Alexandro Synopf. Sæc. xi. cap. 6. Art. 5. *Balsamonem ex Zonara mutuatum falso coniicere videntur,immo potius hunc ex Balsamone hausisse dicendum, quem ante ipsum floruisse verosimilius est.* Præterea quum omnes isti scriptores a Pontificiis ipsoque Schelstratio, prout caussa exigit,modo probentur, modo improbentur,quidni eadem nobis libertas concedenda? Nec mouent nos suffragia Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Baronii, Bellarmini, Iacobatii, ad quos prouocat Schelstratius. Sunt quippe ea hominum merito suspectorum, & fabulæ, quam oppugnamus, impensius addictorum, aduersus quos veritatem historicam defendimus: Ne iam dicam, quod iidem,Baronius inprimis, a Schelstratio nostro sæpissime deseruntur, quodque Bartoldus Nihusius Parte 1. Artis Nouæ num. 72. expresse pronunciat,*eos,vtpote scriptores priuatos, non vero fidei conditores,defendere teneri suorum neminem,qui non velit:* quanto minus ergo nos illorum auctoritate tenebimur?

XVII. Sed hauserunt sua adserta *ex antiquis Romanæ Ecclesiæ Codicibus & Breuiariis, iuxta quorum fidem hucusque Romana Ecclesia in Breuiario suo a pluribus Pontificibus recognito retinet Baptismum Constantini Romæ susceptum a Siluestro Pontifice*, inquit Schelstratius: quem rogamus,vt exponere dignetur, quinam sint antiqui illi Romanæ Ecclesiæ Codices & Breuiaria, vtrum veram antiquitatem, an falsam & fictam præ se ferant? Breuiarium enim Romanæ Ecclesiæ hodiernum & recens admodum est, & Pontificum cura in plerisque non tam recognitum, quam corruptum magis & interpolatum, vti ostenderunt, Io. Raynoldus de Rom. Eccles. Idol. Lib. 1. cap. 8. Andr. Riuetus Cathol. Orthodox. To. 1. Tractat. 11. quæst. 36. Ioan. Dallæus de Vsu Patrum pag. 93. D. Casp. Lœscherus Dissertat. de Latrociniis in Scriptores publicos, §. 40. aliique passim. Nec id inficiantur prudentiores inter Pontificios, quanquam mutationem in dogmatis factam fateri nolunt. Sic Natalis Alexander Sæc. 11. Dissertat. XVI. *In Missalibus & Breuiariis etsi quædam immutata sint, nihil tamen quod summam fidei spectaret, immutatum est.* Eiusdem sententiæ est Iesuita Zeidlerus in Epistola ad Andream Frommium Apostatam; sed contrarium demonstrauit Vener. Parens meus in Vindiciis Anti-Frommianis pag. 61. 62. Nec minor in historiis commissa est corruptio, quod vel vnicus conflictus de vera secessus Brunonis in eremum caussa aduersariis Launoii, Raynaudi aliorumque scriptis nobilitatus clarissime euincit; vt taceam ingenuas confessiones Launoii, Mabillonii,Maimbourgii,Quenellii,Papebrochii,Kargii & aliorum.Hinc est,quod Raynaudus in Syntagmate de libris propriis c. 47. scribit: *Multa sinuntur in Breuiario retine-*

retineri, quæ Ecclesia non præstat esse indubitata, & posse diligentia posteriori corrigi non diffitetur. Ex quibus omnibus conficitur, nullum in Breuiario Romano præsidium collocari posse, forteque futurum est, vt Pontificii rei veritate magis perspecta fabulam de Baptismo Constantini a Syluestro suscepto ex eodem deleant atque adeo obseruent *Ecclesiæ canones, quibus sancitur, vt quidquid a veritate alienum in sacrorum officiorum codices irrepsit, tollatur,* commemorante Io. Launoio in citato de secessu Brunonis libello p. 69.

XVIII. Examinauimus itaque omnia testimonia, quæ Schelstratius ad fictitium Constantini Baptismum Romanum probandum magno molimine conquisiuit, vidimusque, ea vel ex scriptis suppositiis ac adulterinis desumta esse, vel alia omnia ac ipsi viro docto contraria inferre, vel nulla etiam auctoritate fideque pollere. Quamobrem nemo non videt, quam inanis sit Schelstratii gloriatio, dum ea *firma antiquitatis testimonia, momentosa ac tam vrgentia vocat,* in quibus certe ne vmbra antiquitatis aut momenti ac grauitatis reperitur. Nec defuerunt iam olim in Papatu, qui de firmitate eorum dubitarunt. Sic ante quingentos annos Theodoricus Monachus Nidrosiensis in Historia de Regibus Noruagicis cap. XIII. refert, *quod quidam dicant, cum* (Constantinum) *Bithynia baptizatum fuisse in vltima senectute, alii Constantinopoli: quidam Romæ a Beato Syluestro Papa, & adhuc sub iudice lis est, quis verius scripserit.* Sic etiam Franciscus Guicciardinus, qui Leoni X. Papæ a secretis consiliis fuit, in Historia Papatus (quarto Historiarum libro inserta, in impressis olim exemplaribus mala fide omissa, sed nuper ex autographo Florentino, opitulante Guicciardini consanguineo, restituta & ab Heideggero Historiæ Papatus adnexa) notanter scribit: *Nec desunt, qui quicquid de Constantino & Siluestro dicitur (vsque adeo sæpe profundis in tenebris res vetusta demersa latent) redarguant, ostendantque, eos longe diuersis temporibus exstitisse.*

XIX. Subiicit Schelstratius *non minus vrgentia pro Baptismo Constantini Nicomediæ testimonia,* Eusebii lib. IV. de vita Constantini cap. 61. & 62. Theodoreti lib. I. Histor. Eccles. cap. 32. Sozomeni lib. II. cap. 34. Socratis lib. I. c. 39. Libelli Synodici apud Labbeum To. II. Conciliorum fol. 88. Ambrosii in sermone de obitu Theodosii: Hieronymi in Chronico: Patrum Ariminensis Concilii in Epistola Synodica apud Sozomenum lib. IV. cap. 18. additque Theologos Parisienses videri in hanc opinionem inclinare, ac eam ex Theophanis relatione Orientalibus communem esse, recentioresque, vt Cuspinianum in vita Constantini, Petauium lib. VI. Rationarii temporum, cap. I. An. 337. & Cardinalem Perronium amplexos esse: quæ omnia libenter admittimus, viro docto gratulantes, quod rei euidentia victus cum aliis suæ sectæ hominibus veritati manus dederit.

XX. Quam-

XX. Quamuis autem hæc nobis sufficiant, plura tamen & veterum scriptorum testimonia & recentiorum confessiones adferemus, vt cuilibet adpareat, quantæ certitudinis sit Baptismus Constantini Nicomediensis, frustra hactenus a Baronio eiusque pedissequis impugnatus. In ipso autem limine remouemus, quæ apud Christophorum Iustellum Not. in Codicem Canonum Ecclesiæ vniuersæ Can. νζ. ac duodecimum Concilii Neocæsariensis, ex Athanasio leguntur, *Constantinum voluisse morientem baptizari*, ἀποθνήσκων ἔδοξε βαπτίζεσθαι *vt docet Athanasius de Synodis Arimini & Seleuciæ.* Atenim Athanasius hæc non de Constantino, sed Constantio eius filio pronunciat, vt liquet ex editione operum Athanasii Parisiensi an. 1627. quæ reliquis communiter a Pontificiis præferri solet, To. 1. pag. 907. sed bene habet, quod Iustellus ipse in erratis *Constantium* reponit; proindeque mirum, in editione Codicis illius Helmstadiensi id non fuisse emendatum, nec licet coniicere, quamobrem Catalogus erratorum a Iustello editioni Parisiensi adiunctus, ibi omissus & pleraque illorum in Notis commissa relicta sint. Quanquam autem isto in loco de Constantio sermo sit Athanasio, consensu tamen eius in nostra controuersia non destituimur, quandoquidem in eadem de Synodis Arimini & Seleuciæ Epistola refert ac per omnia probat Epistolam Synodicam Patrum Ariminensium, quorum testimonium a Schelstratio quoque adducitur. Hinc Lambecius Lib. v. pag. 403. monet, *hanc epistolam in Latinum* (lege *Græcum*) *sermonem translatam ipsum S. Athanasium Magnum, Archiepiscopum Alexandrinum, approbasse:* additque in nota marginali: *Hinc testimonium hoc merito etiam appellari potest Testimonium S. Athanasii.* Gratis igitur obiicit Franciscus Combefisius in Notis ad Orientalium Synodicam de imaginibus, Manip. Orig. CPolitan. pag. 148. *Quid si Athanasius, illud ipsum Ariminensium voluit eleuare, quo præcipue istud baptisma sic in extremis susceptum sanctum innuunt, ac* οἰκονομοῦντας *ostendere, dum serio vtrumque Eusebium, Nicomediensem & Cæsariensem Arianæ hæreseos eo ipso libro infamat, quorum alter Constantini funesto illo baptismate initiator, alter vulgator extiterit?* Sed infra ex ipsis Pontificiis proferentur, qui negant ab Eusebio Nicomediensi baptizatum Constantinum; tum initiauerit eum Eusebius, nonne is adhibuerit orthodoxam baptizandi rationem, insignis quippe orthodoxiæ simulator, vtut intentionem non habuerit in orthodoxam fidem Constantinum baptizandi? Verba Ariminensium prout ex Latino sermone in Græcum apud Athanasium traducta sunt, ex pag. 878. transscribere operæ pretium est: ἐγνωκότες δὲ ἅμα καὶ τὸν μετὰ τελευτὴν ἄξιον μνήμης Κωνσταντῖνον μετὰ πάσης ἀκριβείας καὶ ἐξετάσεως, τὴν συγγραφεῖσαν πίστιν ἐκτεθεικότα. ἐπειδὴ δὲ ὡς ἐξ ἀνθρώπων ἐγένετο βαπτισθεὶς, καὶ πρὸς τὴν ὀφειλομένην εἰρήνην ἀνεχώρησεν, ἄτοπον εἶναι μετ' ἐκεῖνόν τι καινοτομεῖν &c. Proprio autem sermone Synodicam Ariminensem

serua-

seruatam habemus in Fragmentis Hilarii Pictauiensis, ex quibus depromtam Valesius Latinæ versioni suæ ter inseruit, nempe lib. II. Socratis cap. XXXVII. & lib. IV. Sozomeni cap. XIIX. & lib. II. Theodoreti cap. XIX. Verba ad nos spectantia hæc sunt: *In hoc igitur tractatu* (Nicæno contra hæresin Arianam) *cum magno examine fuisset conscriptum Constantino præsente, quod tenens baptizatus ad quietem Dei commigrauit, nefas putamus inde aliquid mutilare.* &c. Hinc profligatur eorum sententia, qui Constantinum octauo decimo imperii anno a Syluestro baptizatum fingunt, quum Patres Ariminensis Concilii & Athanasius noster diserte innuant post Nicænam demum Synodum baptismo Imperatorem tinctum esse.

XXI. Plures testes recenset Io. Cabassutius Notit. Ecclesf. pag. 124. *Quibus adstipulatur, qui fuerat Romæ Senator Romanaeque urbis præfectus Cassiodorus, lib. 3. historiæ tripart. Constantinum morti appropinquantem fuisse apud Nicomediam ab Eusebio Nicomediensi, qui gratia immodice apud eum præualuerat, baptizatum: cum pridem constituisset ad fluenta Iordanis baptismo initiari. Testificatur hoc idem Gelasius Cyzicenus lib. III. qui apud nos intercidit, sed eius testimonium adducit Photius in Bibliotheca. His conformia scribit Chronicon Alexandrinum.* Equidem Cassiodorus ex historicis Græcis ab Epiphanio Scholastico in latinum sermonem translatis Historiam tripartitam adornauit circa an. D. 545. coniectante Dauid. Blondello Proleg. Pseudo-Isid. cap. XII. pag. 68. & hoc loco Theodoreti ac Sozomeni verba adduxit, suoque suffragio comprobauit: quæ autem de Eusebio Nicomediensi tanquam ex Cassiodoro addit Cabassutius, in editione Hist. Tripartitæ a Beato Bildio, qui vulgo Rhenanus dicitur, adornata non reperio. Gelasius Cassiodoro antiquior est, ac paullo post Socratem & Sozomenum circa quinti sæculi finem vixit, eiusque auctoritatem, vtut paruam, apud nonnullos Pontificios, non tamen adeo spernendam esse docuerunt B. Dorscheus Exerc. ad Diatyp. Concil. Nicæni Sect. II. §. 22. & D. Bebelius Antiq. Ecclesf. Sæc. IV. P. I. pag. 65. 66. De fine Historiæ eius & suffragio circa Baptismum Nicomediæ a Constantino susceptum ita Photius Biblioth. Cod. LXXXIIX. Τελευτᾷ εἰς τὴν τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου τελευτήν, ἐν ᾗ καὶ τὸ τῆς ἀφέσεως ἐδέξατο θεῖον λουτρόν, τὰς ἐν βίῳ κηλῖδας, οἷς εἰκὸς ἄνθρωπον ὄντα ἐφελκόμενον ταύτας, ἀπολουσάμενος. τυχεῖν δέ, φησι, τοῦ βαπτίσματος, ὀρθοδόξου μυσταγωγήσαντος καὶ τελέσαντος, ἀλλ' οὐχ, ὥς τισιν ἔδοξε, τῶν αἱρετικῶν τινος χειρεπιτήσαντος. ἡ δέ γε ἀναβολὴ αὐτῷ τοῦ βαπτίσματος παρετείνετο ὅτι δι' ἐπιθυμίας πλείστης ἦν αὐτῷ τοῖς Ἰορδάνου βαπτίσασθαι. Ad finem sexti sæculi vixit Euagrius, Scholasticus Antiochiæ & Consul honorarius, qui lib. III. Historiæ Ecclesiasticæ cap. XLI. non solum Zosimi de Baptismo Constantini fabulas explosit, sed Theodoreti etiam verbis de Baptismo

eius Nicomediensi allegatis sponte adsensus est. Chronici denique Alexandrini a Cabassutio laudati locus exstat an. 1. Olymp. 279. vbi de Constantino: *ἐλθὼν ἕως Νικομηδείας, ἐνδόξως καὶ εὐσεβῶς μεταλλάττει τὸν βίον ἐν προαστείῳ τῆς αὐτῆς πόλεως, μηνὶ Ἀρτεμισίῳ ια΄. καταξιωθεὶς τοῦ σωτηριώδους βαπτίσματος ὑπὸ Εὐσεβίου ἐπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως.*

XXII. Ad recentiores nunc progredientes scriptores singulare fatum, quod Ioannes Morinus in hoc negotio expertus est, silentio minime prætereundum censemus. Ediderat is sub finem anni 1629. Gallico sermone Historiam liberatæ Ecclesiæ a Constantino Imperatore, ac supremæ summorum Pontificum in rebus temporalibus potestatis, quam a Christianissimis Franciæ Regibus acceperunt: quo Pontificis iram in se concitauit. Rem omnem exponit vir doctus, qui Morini vitam literis consignauit, præfixam Antiquitatibus Ecclesiæ Orientalis superiori anno Londini editis, & currente Lipsiæ recusis. Ibi pag. 13. edit. Londin. sequentia legimus: *Morino præterea stomachabatur Vrbanus VIII. quod de Baptismo Constantini agens in eorum sententiam propenderet, qui negant Romæ illum baptizatum; scilicet opponebat Imperatoris illius baptisterium, quod in Basilica Lateranensi visitur.* Qui Gallica delectantur lingua, legant Epistolam 28. & 35. quarum vtraque a Renato Gœzaldo ad Morinum scripta est, & plura ea de re cognoscent. Cardinalis Barberinus in mandatis dedit Iosepho Mariæ Suaresio, vt Morini opus examinaret, qui inter alia minus recte dicta nostram quoque sententiam atro carbone notauit, ac Morinum publice eo nomine reprehendit Libro III. Prænestes Antiquæ cap. 7. pag. 142. Iniuncta itaque Morino est noua Libri editio, qua corrigeret, quæ aulæ Romanæ displicebant. Hinc est, quod narrat Gœzaldus in posteriori Epistola de Suaresio: *& me reitem ce qu' il m' auoit dit autrefois comme Monseigneur le Cardinal Barberin luy auant commande de voir vostre liure mesme pour satisfaire au Pape qui en estoit un peu esmeu a cause de son Baptistaire de St. Iean de Latran &c.* Morinus *ea omnia in noua operis sui editione, quam paraturus erat, ad mentem aulæ Romanæ se reformaturum libenter pollicitus est: etsi promissis suis minime steterit: nunquam enim visa est secunda libri illius editio,* obseruante vitæ eius descriptore pag. 15. Præterea quantascunque Morinus apud Romanos simultates sustinuerit, egregios tamen ex suæ religionis hominibus adstipulatores nactus est. Nam *tunc etiam Romæ non defuere viri Illustrissimi, atque inprimis Cardinalis Bagnius, qui contra summi Pontificis & Cardinalis Barberini sententiam Morini Librum suffragiis suis adprobarent,* vt idem auctor refert, additque Petr. Halloixium Iesuitam Duacensem Morino per literas consensum suum testatum esse, cuius verba nos supra attulimus, vbi de Baptisterio Constantiniano egimus, ad quod sine fraudis suspicione conseruandum Pontifex vnice has mouerat turbas. Post ea tempora

ra plures Latinarum partium veritati subscripserunt, inprimis Gallicanæ Ecclesiæ libertatibus innutriti, Henricus Valesius Adnotat. in Lib. iv. Eusebii de vita Constant. Cap. 61. & in Socratis Histor. Eccles. Lib. 1. cap. 39. Anton. Godellius Histor. Eccles. Lib. 4. pag. 491. Ioannes Cabassutius Notit. Eccles. pag. 124. qui Baronio alios tres opponit Cardinales, *Cusanum, Æneam Syluium, postea Pium II. Papam & Perronium*; Natalis Alexander, Doctor Sorbonicus, sæpius hactenus Schelstratio oppositus, Synops. Sæc. iv. cap. vii. §. 1. & Dissert. xxii. qui præterea commemorat, *eandem sententiam propugnare virum doctissimum, Hermannum Doctorem Sorbonicum, in obseruationibus ad vitam S. Athanasii, quam Gallico sermone tam accurate, quam eleganter conscripsit, & quotquot sunt, vt plurimum, eruditos.* In quibus haud postremi sunt Petrus Lambecius, Daniel Papebrochius, & Ludouicus du Pin, aliquoties hactenus allegati. Certe Lambecius adeo firmiter sententiæ nostræ adhæsit, vt eam non solum in Notis ad Gualdonem de vita Anscharii pag. 359. & lib. iv. Commentariorum de Bibliotheca Cæsarea pag. 46. obiter adduxerit, sed prolatis etiam Veterum testimoniis confirmarit lib. v. Commentariorum Additamento iii. a pagina 398. eademque fundamenta repetierit in Catalogo librorum suorum pag. 39. 40. His iungimus Antonium Pagium in Critica Baroniana A. 324. n. iv. & sqq. qui Papebrochium sequitur, plurimaque ex eo describit.

XXIII. Non inepte itaque scripsisse videtur Auctor Dissertationis de Trisagii Origine cap. iix. *Certe per plura sæcula nullus fuit inter Latinos, qui Constantinum Romæ Syluestri Romani Pontificis opem baptizatum esse non existimauerit. Tam celebris narratio diu nullo contradicente in Breuiario lecta est; Miracula quibus scatet, adhuc audit plebs mirabunda. Quid? quod id ipsi Græci Scriptores nunquam certum a nono, vt videtur, sæculo habuisse videntur, Theophanis in Chronographia hallucinationes & absurdas rationes sequuti, quas eo de argumento habet ad Annum Constantini XVIII. Quis tamen iam credit Constantinum, non Romæ, sed Nicomediæ, non Syluestri manu, sed Eusebii Nicomediensis opera fuisse lotum? Quod monstratur peregrinis & cernitur Romæ Constantini baptisterium, id ineptam vulgi credulitatem arguit, non istius fabulæ & miraculorum commentitiorum fidem valet confirmare.* Vnde satis liquet, testes nostros, non modo, si antiquos spectas, omni exceptione maiores existere, quippe vel coæuos, vel proximæ ætatis; si recentiores, nec iudicii nec eruditionis felicitate destitui: verum vtrosque etiam comparatos cum iis, quos pro fictitio Baptismo Constantini Romano adfert Schelstratius, & numero & auctoritate istos maxime antecellere.

I.

PRofligatis hactenus testimoniis, quæ ad Baptismum Constantini Romæ a Syluestro susceptum confirmandum protulit vir doctus,& ex aduerso veritate Baptismi Nicomediensis euicta,supersedere quidem possemus refutatione peculiaris illius de Rebaptizatione Constantini sententiæ,quando ex superioribus sponte consequitur,laudatum Imperatorem semel tantum Nicomediæ in fine vitæ baptismo initiatum esse. Quoniam vero examen nouantiquæ istius coniecturæ primario propositum mihi fuit,statim ad id me accingam,ea quidem ratione,vt primum in scriptorum testimonia,tum in argumenta ac deniq; in exceptiones Schelstratii breuiter inquiram.

II. Antea vero considerabimus verba,quibus §.328. suam opinionem proponit vir doctus: *Grauis vt patet ex vtriusque sententiæ fundamentis & antiquissima est de Baptismo Constantini difficultas,pro qua dum anxie in vtramque partem a Theologis Parisiensibus quæri,vnumque ex præcipuis punctis in quotidianis eorum disputationibus ventilari animaduerterem, incidit possibile fuisse, Constantinum & Romæ & Nicomediæ baptizatum,quum pro vtroque tam vrgentia militent testimonia, & vnum cum alio possimus admittere, si baptizatum Romæ, rebaptizatum Nicomediæ velimus defendere.* Duo hic inprimis censuram merentur. Mirum enim est, circa controuersiæ momentum adeo diuersa sentire Schelstratium, vt infra §.332. ceu *parui momenti controuersiam* traduxerit, quam antea *grauem & antiquissimam difficultatem*, & alibi *antiquissimum inter Occidentales & Orientales Ecclesias dissidium* dixerat, quæ certe inuicem consistere nequeunt: quare Baronio etiam Anno CCCXXIV. num. 31. *res permagni ponderis* & Valesio Adnotat. in Euseb. pag. 251. *magna quæstio* audit. Deinde in rebus Historicis non solet in controuersiam vocari, quid fieri potuerit, sed quid factum fuerit, ac semper iudicium ferendum secundum id, quod æquales supparesque scriptores memoriæ prodiderunt. Ineptum itaque est, solicite quærere de iterato Constantini Baptismo, quem semel saltem Nicomediæ ipsi collatum sæculi quarti quintique scriptores vnanimi consensu referunt.

III. Pergit Schelstratius: *Fateor quidem, cum istud viris eruditis Parisiis proponebam, tanquam nouum ac inauditum aliquid fuisse susceptum, at re grauiori lance perpensa inueni, quam verissimum sit illud sapientissimi Salomonis diuinitus inspiratum: nihil esse noui sub sole. Enimuero quod & ego nouum quid existimabam, ante centum annos retulit Eminentissimus Cardinalis Iacobatius libro 10. de Concilio, sese ex Iacobo Zeno, Patauino Episcopo adducere,*

&

ex tribus, quas refert de Baptismo Constantini peritorum sententiis, vnam esse eorum, qui Constantinum a Siluestro quidem baptizatum admittunt, sed dicunt eum postea in Arianam hæresin lapsum fuisse ab Eusebio Nicomediensi rebaptizatum. Et hoc consonat iis, quæ tunc plures viri Catholici dicebant, qui volebant ab hæresi reuersos esse rebaptizandos, vt fuit Cyprianus Martyr. Vltimis verbis ab ea sententia se non abhorrere insinuat Iacobatius, & licet ratio, quam allegat, explodenda sit, auctor tamen Zeno, magnæ auctoritatis Episcopus, floruit tempore Martini V. ante ducentos quinquaginta annos, vt ad illum & citatos ab ipso auctores respicere potuerit Platina in vita Felicis II. scribens, a nonnullis rebaptizationem per Eusebium Nicomediensem magno Constantino adscriptam, idq; ante hos Marianum Scotum retulisse ab annis sexcentis ostendemus infra. Videri posset, primum figmenti enarratorem esse Marianum Scotum, sed quum id parum verosimile esse mox ostendendum sit, adiungemus prius aliud a Schelstratio in præfatione ad Lectorem adductum testimonium; *Idque vt maiorem confirmationem acciperet, dignum iudico, vt adnectatur, quod ad me perscriptum est a doctissimo Viro Ioanne Mabillonio Parisiis anno 1676. ratio scribendi vt puto, non ingrata futura est in gratiam operis, quod moliris. Quippe in libro Anselmi Hauelbergensis Episcopi aduersus Græcos, sententia tua de duplici Constantini Baptismo, vno per Siluestrum Pontificem, altero per Eusebium Nicomediensem diserte adseritur. Floruit hic auctor ante annos quingentos, opusque suum dedicat Eugenio Papæ tertio. Porro opus istud hactenus ineditum profert in lucem noster D. Acherius in Spicilegii sui tomo XIII. qui sub finem huius anni venalis erit. Id te monuisse visum est aliquod operæ pretium. Hæc vir in Gallia celebris.* Meminit huius Auctoris Schelstratius Concil. Antioch. Dissert. 1. cap. v. num. 10. aitque, *celebrem illum disputationem habuisse Constantinopoli cum Nichete Nicomediensi Archiepisco, eamque postmodum Alexandro III. nuncupasse, ad cuius instantiam ab Anselmo etiam edita fuerit.* Mihi non licuit esse tam felici, vt tomum illum Spicilegii Dacheriani oculis vsurpare potuerim, proinde iudicare nequeo, vter verum dicat, Mabillonius an Schelstratius, opusne suum Eugenio III. an Alexandro III. inscripserit Anselmus? inprimis quum Mabillonio adstipuletur Natalis Alexander pag. 388. qui pluribus Anselmum nobis depingit: *Floruit Anselmus Hauelbergensis Episcopus tempore Lotharii Imperatoris, cuius exstitit Apocrisiarius ac legatus Constantinopolim missus ad Græcorum Imperatorem, vbi a Græcis Episcopis prouocatus, celebrem Conuentum institui curauit, in quo de Controuersiis Græcos inter & Latinos vltro citroque disputatum est: quod Eugenio III. narrat ipse Anselmus.* Verba illius Episcopi de rebaptizatione Constantini addita responsione refert idem Natalis, a quo ea in gratiam Lectoris mutuabimur: *Eusebius quondam Nicomediæ Episcopus, totus Arianæ hæresi*

fermentatus, ficut narrat Hiſtoria a Theodorito venerabili Epiſcopo Græco ſermone conſcripta, & a Caſsiodoro per Epiphanium Scholaſticum in Latinum noſtrum tranſlata, magnum Conſtantinum Imperatorem in Arianum dogma rebaptizauit. Ita enim ibi legitur: Conſtantinus ægritudine captus, ex vrbe Conſtantinopolitana quaſi ad calidas aquas egreſſus eſt; qui cum Nicomediæ degeret, languore grauatus, nec ignorans vitæ huius incertum, gratiam ſacri baptiſmatis eſt adeptus. Hunc eundem Conſtantinopolitanum Imperatorem, ficut narrat Hiſtoria Eccleſiaſtica ab Euſebio Cæſarienſi Palæſtinæ Epiſcopo conſcripta, beatiſsimus Papa Silueſter prius in initio ſuæ conuerſionis Romæ intra Palatium Lateranenſe baptizauerat. Subiicimus Alexandri reſponſionem, *Nullius ponderis eſſe Anſelmi Hauelbergenſis teſtimonium, qui circa medium ſæculi XII. duntaxat floruit. Ipſum falſo laudare Euſebium Cæſarienſem, vt teſtem baptiſmi Conſtantino Imperatori Silueſtri Papæ miniſterio collati. Falſo item laudare Theodoretum velut adſerentem in Hiſtoria Eccleſiaſtica, Conſtantinum in Arianum dogma fuiſſe rebaptizatum. Hunc Epiſcopum in Hiſtoria Eccleſiæ & Arianæ hæreſeos peregrinum & hoſpitem fuiſſe. Aliis Pſeudepigraphis Silueſtri fidem imprudenter adhibuiſſe, illiuſque adductum ad nouum illud Syſtema de Conſtantini rebaptizatione fingendum, quo Acta illa eum veteribus Auctoribus Eccleſiaſticis conciliaret. Nullo antiquorum teſtimonio nixum commentum illud ſponte ſua ruere.* Hæc ibi Alexander, quem mirari ſubit in Hiſtoria Eccleſiaſtica Sæculi XII. C. VI. Art. II. *eximiam eruditionem cum ſumma pietate & modeſtia coniunctam* in hoc auctore laudaſſe.

IV. Quum itaque præcipuus Schelſtratii teſtis tam exiguæ fidei ſit & auctoritatis, de cæteris breuiter diſpiciemus. Inter eos antiquiſsimus eſt Marianus Scotus, ſcriptor ſæculi vndecimi, tanti a Schelſtratio æſtimatus, vt non ſolum Antiq. Illuſt. num. 329. ſcripſerit, *Legere Marianum Scotum in Chronico, quod anno 1083. conſcriptum ex Bibliotheca Gemblacenſi ad ſe miſſum teſtatur Aubertus Miræus, rebaptizatus ad dogma Arianum declinat;* ſed in Concilio etiam Antiocheno Diſſert. II. cap. I. num. 7. idem inculcarit: agens enim ex Hieronymo & Iſidoro Hiſpalenſi de Baptiſmo Conſtantini Nicomedienſi, inquit: *eadem habet Marianus Scotus in chronico, quamuis, vt alibi monuimus ex Auberto Miræo, Codex Bibliothecæ Gemblacenſis loco Baptizatus, legat Rebaptizatus, rebaptizaſſe autem Arianos nemo peritorum ignorat.* Nec quenquam tamen eruditorum latet, paſsim a Pontificiis errorum ac inſcitiæ Marianum poſtulari, & acriori cenſura notari a Labbeo in Cenotaphio Ioannæ Papiſſæ, Rob. Bellarmino Lib. II. de Pontif. Roman. cap. V. & aliis; vt mirum ſit, huic ſcriptori tantum tribuiſſe Schelſtratium. Tum Codicis Gemblacenſis lectionem interpolatoris fraudibus, quas idem Labbeus alibi in Mariani Opere conſpici obſeruat, tribuendam eſſe, cæterorum Codicum tam manu exaratorum quam typis impreſſorum vniuerſalis

arguit

arguit consensus, vnde nec Miræus diuersam hanc lectionem textui inserere ausus est, nec ipse aut Schelstratius vllum præterea proferre potuerunt Codicem, quo ea confirmaretur. Eadem itaque libertas nobis est concedenda, qua vir doctus ipse vtitur Eccles. Afric. Dissert. 1. cap. vi. de sensu Epistolæ Siricii aduersus Quesnellium disputans, qui dum Codicis Oxoniensis præferebat lectionem, hoc a Schelstratio retulit responsum: *Quisnam certo dicet, lectionem Oxoniensis Codicis esse genuinam?* Quod & nos de Codice Gemblacensi reponimus, quum Criticorum consensu certum sit, vnius Codicis discrepantiam tot cæteris nihil præiudicare. Rogatum vero volumus Schelstratium, vt Mariani autographum, quod in Bibliotheca Vaticana seruari adserit, euoluat, ac quomodo ibi legatur, integra fide nos edoceat: nisi potius ex ipsius silentio in præfatione Dissertationis Apologeticæ de arcani disciplina, vbi Mariani autographum laudauit, colligere liceat, non aliter ac in vulgatis Codicibus ibi haberi; inprimis, quando Alexander haud ex vano coniicit, Anselmum Hauelbergensem, Mariano vtique iuniorem, duplicem baptismum Constantini primum effinxisse, subscribente, Papebrochio num. 36. dum non dubitat, Anselmum *primum assertorem iterati a Constantino baptismi* appellare. Adiicimus vero alium incertæ ætatis fideique scriptorem, a Schelstratio nostro prætermissum, quanquam eius testimonium hanc ipsam ob caussam parui sit momenti, Benedictum Presbyterum in vita Damasi, ab insigni Arianorum fautore, Christophoro Sandio, initio Libri secundi Enucleatæ Historiæ Ecclesiasticæ in medium productum: *Constantinus non integre Christianus, sed quasi tentator baptizatus est (a Siluestro) in Trinitate, non tamen integre confitebatur vnitatem, baptizatus autem est ab Eusebio Nicomediæ, in Aquilonia villa. Hic autem dicebat Mariam de Ioseph alios filios habuisse.* Item: *Constantinus clarum adeptus victoriam, sed sensu alienatus, dicebat: vadam Nicomediam; & illo transiens, in Aquilone villa ab Eusebio Episcopo Nicomediæ rebaptizatus est, declinans in dogma Arianorum, eodem loco mortuus est, & sepultus, & cessauit persequutio.* Benedictus ille Presbyter ex Codice Constantini Caietani editus est cum Damasi opusculis a Martio Milesio Sarazanio, totusque in mendo cubat, & incredibiles admittit confusiones, quas callide omisit Sandius, vt Lectoribus facilius imponeret. Ita enim incipit Benedictus: *Anno igitur Regni Constantini Regis, nepotis Constantini magni viri, erat quidam Sacerdos, post Episcopus; nomine Liberius, Christum prædicans.* Non dicam, numerum anni deficere, qui librarii culpa excidisse potuit: sed quis ille Constantinus, nepos Constantini, sub quo vixit Liberius? Constantium, filium Constantini dicere debuit. Sequitur prior locus a Sandio productus pag. 44. *Hoc eum legisset* (Liberius) *ex libro antiquo, edoctus a libro Siluestri Episcopi Romanorum, & quod publice prædicaret; quia in nomine Iesu Christi crucifixi a lepra mundatus est per Silue-*

strum

strum Constantinus patruus Constantini, non integre Christianus, sed quasi tentator baptizatus est in Trinitate, non tamen integre confitebatur vnitatem, baptizatus autem est ab Eusebio Nicomediæ, in Aquilonia villa. Hic autem dicebat, Mariam de Ioseph alios filios habuisse. Hoc cum audisset Liberius Episcopus Vrbis, cæpit eum clam voce accusare dicens; regnum hoc tuum non erit, quia non times Dominum Deum tuum. Hoc cum multi Regi Constantino referrent, vehementer iratus iussit eum extra ciuitatem habitare. Bone Deus, quanta sunt hæc fabularum portenta! Quis in genuinis illorum temporum scriptoribus adeo hospes est, vt ea primo statim intuitu non damnet? Quanquam eiusmodi fabulatores quondam plures extitisse videntur, qualis fuit ille, vnde accepit Abulpharagius, quæ narrat Dynastia VII. pag. 84. de Constantio, Constantini Magni Patre, quem *Constantinum seniorem* vocat. Verba dabimus ex Latina Pocockii versione: *Lepra autem affectus cum esset, suaserunt ei idolorum æditui, vt infantibus, qui in vrbe erant, occisis, eorum sanguine lauaretur, hoc pacto a morbo sanatum iri. Comprehendit ergo infantes multos, eos occisurus; at cum magnus in vrbe luctus obortus esset, ab eorum cæde abstinuit. Ea autem nocte in somnio vidit Petrum & Paullum, qui ei dicerent, Mittas ad Syluestrum Episcopum Romanum, ipsum adducendum cura, qui morbum tuum sanabit. Mane igitur facto ipsum accersitum misit, qui adductus Imperatorem instituit, ipsique mysteria Christianismi aperuit, & pro eo preces fudit. Baptizatus ergo est, abiitque morbus ipsius. Tum restaurare iussit Ecclesias Christianorum dirutas; fidei nihilominus haud firmiter adhæsit.* Verum ne hoc quidem figmentum consistere potest, cum Constantius Chlorus obierit A. C. 306. octauo Kalendas Augusti, adeoque integro octennio ante, quam episcopus factus est Syluester. Alium igitur quæramus, qui *patruus* Constantii fuerit. Is est ὁ Γάλλου πατὴρ Κωνστάντιος, ἀδελφὸς Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου, *Constantius, Galli* Cæsaris *pater, frater Constantini Magni*, obseruante Philostorgio lib. III. Cap. 25. Sed eius res gestæ tam obscuræ sunt, vt vix mortem memorauerit Zosimus lib. II. pag. 692. de Constantio Imperatore verba faciens: καὶ πρῶτον μὲν Κωνσταντίῳ πατρὸς ἀδελφῷ διὰ τῶν στρατιωτῶν κατεργάζεται θάνατον. *Ac primum quidem Constantium patruum a militibus interfici curat.* Hunc forte dixeris a Syluestro baptizatum, postea cum fratre, Constantino magno, confundi cœptum, indeque fabulam de baptizato Romæ Constantino originem traxisse. Vtcunque sit fallitur etiam Benedictus in bello minisque Constantini, potius Constantii, describendo: *Cum autem portas ciuitatis exiret, dixit: Sacrilegum Liberium, qui dixit, patruum meum fuisse leprosum, & baptizatum a Syluestro Episcopo, & mundatum, dum abiero super ripas Danubii, & concidero barbaros, rediens ad vrbem, eum illico interficiam* &c. At nullum eiusmodi bellum apud meliores scriptores memoratur, qui præterea

docent,

docent, Liberium a Constantio exilio damnatum, & triennio post reuocatum. Noster autem fabulator instar soricis se prodit, historiamq; Constantini Magni & Constantii misere confundit p. 49. *Alia autẽ die, quæ est secunda feria* (Pentecostes) *audiuit vniuersa plebs, quod Constantinus clarum adeptus est victoriam, sed sensu alienatus dicebat: vadam Nicomediam, & illo transiens, in Aquilone villa ab Eusebio Nicomediæ rebaptizatus est, declinans in dogma Arianorum: eodem loco mortuus est, & sepultus, & cessauit persequutio.* Atqui Constantinum Magnum Nicomediæ baptizatum nouimus & mortuum. De Constantio autem longe aliter Veteres, in primis Socrates, Lib. II. Cap. XLVII. cuius verba dignissima sunt, quæ Benedicto opponantur.

V. Sæculo quinto decimo plures Patronos hoc figmentum de rebaptizato Constantino Magno nactum est. Non solum enim Iacobus Zenus, Patauinus Episcopus, id adoptauit, sed suos etiam, quos sequeretur, habuit auctores, referente, sed eos non nominante Schelstratio, cuius coniecturam non improbamus, quando Platinam in vita Felicis secundi hos respexisse putat, pag. 52. edit. Onuph. ita scribentem: *Felix autem, quem diximus in Liberii locum a Catholicis surrogatum esse, licet id factum ab hæreticis Eusebius & Hieronymus adfirmant, quod certe ego miror, statim vbi Pontificatum iniit, Constantium Magni Constantini filium, hæreticum & secundo rebaptizatum promulgat ab Eusebio Nicomediensi episcopo in Aquilone villa non longe a Nicomedia. Hinc autem deprehendi error potest, quo ducuntur nonnulli, qui hanc hæresin Magno Constantino adscribunt. Quod profecto (vt ex historia vides) in tantum Principem, tamque religionis Christianæ amantissimum, nec debuit cadere nec potuit.* Equidem in eo facile adsentimur Platinæ, quod Constantinum a Rebaptizationis crimine purgat, sed in iis, quæ de Felice & Constantio librum Pontificalem sequutus narrat, falsus est, vti non modo Iacobus Gothofredus Dissert. in Lib. IV. Philostorgii Cap. III. sed & ex Pontificiis Onuphrius Panuinius, Hermannus in vita Athanasii citatus a Petro A. Dissert. de Trisagio Cap. IX. Nat. Alexander Sæc. IV. Dissert. XXXI. Artic. 3. & Papebrochius num. 19. eninent, ad quos Lectores cupidos remittimus, notantes tantum, Papebrochium recte quidem monere, ea ex apocrypho quodam S. Felicis martyrio sumta esse, non tamen inficiari debuisse, scriptum hoc hodienum exstare, quum non tantum a Bonino Mombritio editum sit, sed in nonnullis etiam locis ex antiquis Codicibus emendatum a Stephano Baluzio lib. II. Miscellaneorum pag. 497. vbi hæc ipsa verba legas, quæ Papebrochius quærit: *Hic declarauit Constantium filium Constantini hæreticum & secundo rebaptizatum ab Eusebio Nicomediense iuxta Nicomediam in Aquilone villa.* Ceterum Papebrochius optime notat, auctorem illius Martyrii sæculo quinto vixisse & Luciferianorum discipulum fuisse.

VI. Cæterum Schelstratius ostendere conatur, ex ipso Eusebio Cæsariensi colligi posse duplicem Constantini Baptismum, prius vero quam id adgreditur, Eusebii fidem eleuare laborat, quod ministri baptizantis nullam fecerit mentionem: *Scribit Eusebius lib. 4. de vita Constantini, cap. 61. & 62. Constantinum Nicomediæ circa finem vitæ baptizatum: sed cur quæso non indicauit Eusebius, quis eum baptizauerit? & vel ex hoc vnico patet, Eusebium non omnes circumstantias Baptismi circa finem vitæ suscepti voluisse exprimere, quod sciret ex Eusebii Nicomediensis ministerio hunc Constantini Baptismum apud posteros suspectum fore, & reprobatione dignum.* Hinc est, quod num. 332. monet, *non adeo adhærendum esse testimonio Eusebii, quem ex silentio de Baptismi ministro vafre hic scripsisse constet, vt merito ipsius hac in re fides de liberato per Baptismum in fine vitæ a peccatis Constantino suspecta esse possit.* Non opus est prolixis fidei Eusebianæ in hac historia vindiciis, quas non modo Dorscheus, Scultetus & alii parte priori citati, sed ex ipsis quoque Pontificiis Alexander & Cabassutius prolixe & sufficienter instituerunt: id saltem animaduertisse satis erit, secundum Schelstratii hypothesin vafros etiam dicendos Theodoretum, Sozomenum, Socratem, Euagrium, Ambrosium, ac vniuersum Concilium Ariminense quadringentorum Occidentis Episcoporum, quorum certe nullus Eusebium Nicomediensem vt Baptismi Constantini administratorem commemorat, sed ad vnum omnes sufficere putarunt, si Constantinum in fine vitæ baptizatum adsererent, nulla ministri baptizantis mentione facta: horum vero omnium fidem eleuare non nisi insani esset, *præsertim, quum historico quædam interdum præterire liceat, quatenus eiusmodi sunt, vt salua historiæ tractatione omitti possint*, docente CL. Viro & Doctore meo Conr. Sam. Schurzfleischio Dissert. qua primi Christianorum Imperatoris antiquitates illustrauit, thcm. 4. Nec est, quod cum aduersariorum nonnullis excipias, citatos scriptores cœco impetu Eusebium sequutum esse. Vt enim non tangam controuersiam a Iacobo Gothofredo motam, sed ab Henr. Valesio Annotat. in Euseb. pag. 216. 237. Ioan. Andr. Bosio Exerc. poster. de Pontificatu Maximo Imperatorum Romanorum Cap. i:x. §. 5. & inprimis Martino Hankio de Scriptoribus Byzantinis Cap. 1. §. 174. seq. dudum sopitam, qua dubitatur, an Eusebius sit Auctor librorum de vita Constantini hodie sub ipsius nomine exstantium? quos proinde male Macario Hierosolymitano tribuit Christophorus Sandius Tractat. de Script. Eccles. pag. 48. notatus Bebelio nostro Sæc. IV. Part. I. p. 213. 214. id sane nemini incredibile videbitur, Theodoretum cæterosque historicos, vtut præ manibus habuerint Eusebium, non tamen in illius gratiam quidquam de Baptismo Constantini adseruisse, sed integrum veritati testimonium reddidisse. Quo faciunt verba Alexandri Eusebium aduersus Baronii ἐγκλήματα defendentis: *Sed esto, Eusebius tam impudenter mentitus sit* (in Baptismo Constantini

Nico-

Nicomedienſi enarrando) *cur nullus veterum ſcriptorum mendacium illud ſubodoratus eſt? cur omnes in Euſebii ſententiam deſcenderunt, & cum ipſo adſirmarunt, Conſtantinum morti proximum in ſuburbanis Nicomediæ baptizatum fuiſſe?* De Occidentalis vero Eccleſiæ Patribus, qui in Synodo Ariminenſi congregati fuere, ac de Ambroſio res aliter ſe habere videtur. Neque enim ad illorum manus perueniſſe videntur Libri Euſebii de vita Conſtantini, vt adeo illum ſequuti ſint, & non potius baptiſmum Conſtantino in vitæ fine collatum ex propria ſententia & auctoritate confirmauerint. Vtcunque vero iſtud ſe habeat, maioris certe momenti eſt dubitatio, ex illorum ſcriptorum exorta ſilentio, qui teſtamentum a Conſtantino factum, cui interfuit Euſebius Nicomedienſis, referentes, nullo tamen verbo innuunt, ab hoc Euſebio Imperatorem eſſe baptizatum, ſed prima illius mentio occurrit in Chronico Hieronymiano. Rem exponam verbis Ioan. Iacob. Mulleri in Appendice συγκρίσεως Concilii Nicæni & Tridentini pag. 95. 96. *Quod Euſebius Nicomedienſis Conſtantini baptiſmo adfuerit, non nego, videtur id indicare Theodoretus L. I. in fine, qui cum breuiter expoſuiſſet, Conſtantinum lauacro aquæ baptiſmatis fuiſſe purgatum, ablutumque a peccatorum ſordibus, de teſtamento exequitur, quo tribus filiis hæreditatis cernendæ leges conſtituerit; additque de Magno Athanaſio, quem rex poſtliminio in Ægyptum ſe referre ad Alexandrinum Epiſcopatum iuſſerit, idque præſente Euſebio Nicomedienſi, fruſtraque dehortando conante. Breuiſſime hæc Theodoretus, vt facile videas, non hæc omnia eodem temporis tenore illicoque geſta eſſe, vt adeo nec ex hoc hiſtorico neceſſario cogas, Euſebium, qui teſtamento condendo adfuit, interfuiſſe & ſacris illis: fac tamen interfuiſſe, num. nam, quia princeps eius loco epiſcoporum fuit, certum omnino fit, cum baptizaſſe? quod ſi Euſebius Pamphili tantopere voluit Arianæ cauſſæ, vti iudicat Baronius, non ego mihi perſuadere poſſum, plus potuiſſe in hiſtorico illo pudorem, vt Annalium conditori placet, ad diſſimulandum aut quocunque modo inter cætera figmenta reticendum nomen Euſebii Nicomed. quam ſtudium fauorque in Arianam hæreſim, ad celebrandum eum huius tanti negotii adminiſtrum; quandoquidem, ſi illa cætera tam enormia aduerſum apertam veritatem protrudere ſuſtinuit, eccur id, vnde ſummus fauor ſuarum partium hominibus quæreretur, in publicum edere erubeſceret?* Hæc erudite Mullerus, quæ expendenda Schelſtratio noſtro relinquimus, inprimis, quando nouimus, Spondanum in Epit. Annal. Baron. An. 324. num. 18. fateri, *non conſtare, an ab Epiſcopo Ariano baptizatus ſit Conſtantinus:* idemque prolixius oſtendere Alexandrum pag. 387. 388. qui ab Oſio Imperatorem baptizatum coniicit, non inepto, vt videtur, vſus ratiocinio, *quod is in comitatu frequens verſaretur, & adeo Imperatori charus erat, totque meritis ſpectabilis, ac præſertim nomine Ægyptii, id eſt Magi cuiusdam ex Iberia oriundi, a quo luſtrationem ſuſcepiſſe ipſum dicit Zoſimus, auctor maximi*

apud Baronium pretii, designatus videri posit. Nec aliter Papebrochius iudicat num. 18: insuperque monet, *Eusebii Caesariensis silentium praebere argumentum idoneum adserendi Constantinum moriturum baptizatum ab orthodoxorum aliquo, non ab Eusebio Nicomediensi, ad cuius laudem id cessisset, adeoq; ab eius amico minime tacendum fuisset.*

VII. Videamus nunc, an recte Schelstratius Eusebii consensum sibi fuerit pollicitus? *Quidquid sit*, inquit, *non ita se moderari potuit Eusebius, quin alibi hunc Baptismum iterato collatum insinuare visus sit. Enimuero lib. 4. de vita Constantini c. 17. scriptum reliquit de eiusdem Imperatoris pietate, qua frequenter constitutas cum vniuerso Ecclesiae coetu preces reddebat, quod solo baptizato competiisse, lucet ex antiqua Ecclesiae regula, qua Catechumenos, multo magis Ethnicos, cum fidelibus orare vetabat, vnde & Tertullianus libro de Praescriptionibus cap. 40. haereticos refellit, quod apud eos, quis Catechumenus, quis fidelis, incertum est: pariter adeunt, pariter orant, etiam ethnici, si superuenerint. Idque vsque ad saeculi quinti finem obseruatum fuisse, testatur Magnus Chrysostomus homilia 79. ad populum Antiochenum, docens ab Ecclesia pro Petro orationem sine intermissione factam, & inquit, Catechumenis permissum hoc nondum est, sic in Ecclesia scilicet cum fidelibus orare. Et haec quoque caussa fuit, quod ipse Constantinus lege sanxerit, vt qui ex militibus fidem sequuti erant, diebus Dominicis possent Ecclesiam Dei frequentare, quo sine vllo impedimento preces Deo persoluerent. Qui vero nondum diuinam degustarant doctrinam, vt diebus Dominicis in campos suburbiorum exirent, atque ibi eadem precationis forma omnes simul vterentur. Haec ipse Constantinus apud Eusebium Caesariensem lib. 4. de vita, cap. 19. vt vel ex hoc pateat, quod dum Constantinum saepius cum fidelibus publice in Ecclesia orasse scribit, simul & Romae a Syluestro baptizatum fuisse insinuet.* Miramur non immerito, Schelstratium potuisse hunc iterum mouere scrupulum, quem totiens a Theophane, Baronio eorumque pedissequis iniectum & a Nostratibus exemtum nouerat. Nec ego prolixe in eo amouendo ero occupatus, quum ex Schelstratii gregalibus id praestiterit Alexander p. 354. cui praeluxerat Henricus Valesius Annotat. in Euseb. p. 251. 252. Fontes saltem responsionis, vestigiis Doctoris mei CL. Schurzfleischii tmem. 16. laudatae Dissertationis insistens, aperiam. Notissimum est discrimen Catechumenorum in veteri Ecclesia institutum, quo alii rudiores, alii prouectiores in rebus fidei erant. Ab vno ordine ad alterum quin Constantinus progressus sit, nemo dubitauerit. Mos autem ista aetate erat peruulgatus, vt baptismum in vltimum vitae tempus differrent. Hunc vtut forte imitandum sibi non proposuisset Constantinus, quippe fatalem horam tam cito impendere non cogitans, sed in aquis Iordanis baptizari desiderans, vltimo tamen die inopinato superueniente necessitatis vi coactus consuetudinem aliorum sequutus est

eoque

eoque tempore per ritum imponendæ manus perfectior Catechumenus euasit. Id volunt verba Eusebii lib. IV. de vita Constantini Cap. 61. γόνυ κλίνας ἐπ᾽ ἐδάφους, ἱκέτης ἐγίγνετο τοῦ Θεοῦ: Ita enim se gerebant Catechumeni classis præstantioris, qui Baptismi capaces iudicabantur, exindeque Competentium nomine veniebant. Res patet ex Scholiaste Harmenopuli, cuius verba recitat Io. Hoornbeeck Miscellan. Lib. I. cap. 7. pag. 213. *In epitome Canonum Harmenopuli Sect. V. tit. III. Scholium ad Canonem, non XXV. vti præscribitur, sed V. Synodi Neocæsariensis*, δύο τῶν κατηχουμένων ἦσαν τάξεις. ἡ μὲν, τῶν γόνυ κλινόντων, ἡ τελειοτέρα, ἡ δὲ, τῶν ἀκροωμένων, ἡ ἀτελεστέρα. *Duo Catechumenorum erant ordines. Vnus eorum, qui genu flectebant, perfectior scilicet: alter imperfectior eorum, qui audiebant.* Equidem instat Schelstratius ex Tertulliano hæreticos redarguente, quod *apud eos quis catechumenus, quis fidelis, incertum est: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant, etiam ethnici, si superuenerint.* At facile tollitur hæc difficultas obseruatis diuersis Catechumenorum ordinibus antea commemoratis, *ex quibus plurimum lucis his Tertulliani verbis accedere* iudicat Gabriel Albaspinæus in Notis ad hunc Tertull. locum pag. 461. Ab homiliis vero Chrysostomi ad populum Antiochenum, e quibus morem hunc in Ecclesia vsque *ad sæculi quinti finem* (*initium* dicere voluit, saltem debuit, quum initio quinti sæculi Chrysostomus obierit) obseruatum probare conatur vir doctus, omnis νοθείας suspicio non plane abest: eas quippe ex variis, tum locis, tum auctoribus, consutas esse ostenderunt Mart. Chemnitius Part. III. Exam. Conc. Trident. pag. 336. Io. Gerhardus Lib. I. Confessionis Catholicæ Part. II. pag. 549. Andr. Riuetus Lib. IV. Critici Sacri cap. I. non adeo dissentientibus Rob. Bellarmino in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis & Anton. Posseuino in Adparatu. Ex Constantini denique Edicto militibus dato colligi nequit, eo iamtum tempore ipsum fuisse baptizatum. Nam & filius eius Constantius plurimas eiusmodi leges promulgauit, vt ex Libro XVI. Codicis Theodosiani patet, baptismum tamen non minus ac Pater in fine demum vitæ suscepit, nam ἀποθνήσκων ἔδοξε βαπτίζεσθαι, vti supra ex Athanasio docuimus, confirmantque Lucifer Caralitanus in Apologia ad ipsum Constantium; Socrates Histor. Eccles. Lib. II. cap. vlt. & Philostorgius Lib. VI. cap. 5. Notabilis præsertim est eius ad milites oratio, quo ad baptismum suscipiendum illos hortatus est apud Theodoretum lib. III. Historiæ Ecclesiasticæ cap. III. quam quidem narrationem in dubium vocat Valesius, quia Constantius ipse nondum fuerat baptizatus; sed hoc non sufficit ad eleuandam Theodoreti fidem. Immo Valentinianus Imperator non minus graues & salutares Constitutiones in Christianorum gratiam publicauit, qui tamen ne quidem baptismo tinctus est, quum hac fini Mediolanum ad Ambrosium proficiscens

in itinere diem obierit ſupremum, teſte ipſo Ambroſio in Oratione de Obitu Valentiniani.

VIII. Miſſo Euſebio Hieronymum etiam ad partes vocat Schelſtratius: *Coniecturam ex ſcriptis ipſius Euſebii deſumtam egregie confirmat eodem ſeculo magnus Eccleſiæ Doctor Hieronymus, qui in Euſebiani Chronici ſupplemento ſcribit: Conſtantinus extremo vitæ ſuæ tempore ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo baptizatus in Arianum dogma declinat, a quo vsque in præſens tempus Eccleſiarum rapina, & totius orbis eſt ſequuta diſcordia. Silentio obuoluerat Euſebius, quinam Conſtantinum baptizarat, at illum in memoriam reuocat S. Hieronymus. Scripſerat Euſebius Conſtantinum per Baptiſmum in fine vitæ a peccatis liberatum, & de cæleſti gratia gauiſum; at Hieronymum, qui tam conſtanter Euſebium ſequi ſolebat, tantum abeſt, hic fidem ipſius amplexum fuiſſe, vt potius contrarium prædicet, & hoc Baptiſmo Conſtantinum in deteriora lapſum inſinuet.* Atenimuero verba iſta ab Hieronymi manu eſſe profecta apud pleroſque Schelſtratii anteceſſores exploratæ veritatis non eſt. Præterquam enim quod Binius ea pro ſuppoſititiis habet, proindeque a noſtro perſtringitur pag. 470. certe cui malitia & fraus interpolatorum in Chronico Euſebii ac Hieronymi commiſſa & a Ioſepho Scaligero in Animaduerſionibus Euſebianis paſſim obſeruata non prorſus ignota eſt, verba iſta dubia ſaltem aut ſuſpecta videbuntur. Vnde enim conſtat, illa de Conſtantino in Arianum dogma declinante non eſſe otioſorum & maleferiatorum hominum additamenta, ſed ab ipſo Hieronymo ſcripta? Quonam certo & infallibili criterio genuina a ſuppoſititiis diſcernes? Vnde docebis, non eſſe hoc loco & hac parte Chronici Hieronymiani factum, quod toties alibi? Cauſſam dubitandi præbent ipſi Theologi Moguntinenſes in iudicio æquitatis (vel potius iniquitatis) aduerſus B. Dorſcheum pag. 52. 53. quibus reſpondeat, velim, Schelſtratius: *Quod autem in Chronico Hieronymi de Conſtantino legitur, ab Euſebio Nicomedienſi tinctum, ad Arianum perfidiam deuiaſſe, perfidia alterius manus ex Euſebiana vel factione vel credulitate adpinxit. Quid enim? annon Hieronymus aduerſus Vigilantium de ſumma pietate commendabat Conſtantinum? annon ſacrilegi nomen longius ab eo repellit? Atqui ſi ſciebat in perfidiam hæreticam lapſum, quomodo laudibus extollit? Non eſt is Hieronym. vt hæreticos palpet, quo nemo acerbius in illos inuehi conſueuit: quocirca alia manus ſit oportet, quæ iſtud de Conſtantino Chronico inſcripſit.* Neque diſſimulo, eſſe inter Pontificios noſtræ ſententiæ propugnatores, qui Hieronymi quidem verba eſſe credunt, ea tamen vel cum Caballutio *ſecundum exteriorem ſpeciem duntaxat & apparentes effectus intelligenda eſſe* dicunt: vel cum Alexandro alios Eccleſiæ Patres maximæ auctoritatis Hieronymo opponunt & præferunt. Quod eo facit, vt intelligatur, fruſtra tricari Schelſtratium, vt verbis Hieronymi de *dogmate Ariano* figmen-

tum

tum de rebaptizatione Constantini stabiliat: *Notanda sunt verba Hieronymi*, inquit, *quantum enim ex toto contextu adparet, Constantinus ab Eusebio Nicomediensi baptizatus, ad dogma Arianum declinat in extremo vitæ: at quæso quonam dogmate Ariano tunc potuit maculari Constantinus? sane damnatione Athanasii non potuit, quia nec illa dogma fuit, nec in extremo vitæ Constantini contigit, sed anno integro ante obitum & morbum lethalem: errore circa Filii Diuinitatem quoque maculari non potuit, quum illi semper Constantinum restitisse certum sit, & hoc proprie voluerint Patres Ariminenses supra. Communione etiam Arianorum tunc non potuit, quia sic non in fine vitæ tempore, quo cum Eusebio communicarat, redarguendus esset, cui adde hanc communionem non recte vocari Arianorum dogma, in quod circa finem vitæ lapsum fuisse Constantinum scripsit Hieronymus. Aliud itaque dogma est, quod teste Hieronymo in Baptismo consistebat:* Baptizatus ad dogma Arianum declinat, *legit vero Marianus Scotus in Chronico, quod anno 1083. conscriptum ex Bibliotheca Gemblacensi ad se missum testatur Aubertus Miræus*, rebaptizatus *ad dogma Arianum declinat. Idem annotat Miræus in Chronico Eusebii & Hieronymi a se edito, & hoc sensu neque alio verificari videntur verba D. Hieronymi. Enimuero dogma Arianum fuit, si non tempore Constantini, saltem tempore Hieronymi, rebaptizare Catholicos, cumque Eusebium Arianum fuisse constet, nihil vetat, rebaptizatum ab eo Constantinum.* Non opus erat tanto molimine ad verba Hieronymi explicanda: Etenim dogma Arianum aliis indicatur eiusmodi, *a quo vsque in præsens tempus Ecclesiarum rapina, & totius orbis est sequuta discordia.* Quis vero hæc tribuerit dogmati de rebaptizatione, quatenus ab Arianis suscipiebatur? quis in Historia Ecclesiastica paullulum versatus ignorat, errorem circa Filii Dei Diuinitatem & proprie dictum Arianorum dogma fuisse & tot in vniuerso mundo turbas concitasse? Atuero ab isto errore immunis semper fuit Constantinus, Schelstratio diserte confitente, ab omni igitur apostasia alienus fuisse censendus est, quandoquidem aliud nullum fuit Arianorum dogma κατ᾽ ἐξοχὴν tale, quale in Chronico Hieronymi indigitatur. Quamobrem Cabassutio consentiens Alexander Differt. XXIII. pag. 396. ait, *nimiam illam Constantini facilitatem & propensionem in Arianos sub Catholici nominis larua delitescentes S. Hieronymum impulisse, vt scriberet ipsum in Arianum dogma declinasse.* Perpendi etiam merentur Papebrochii obseruata num. 18. qui hunc in modum Hieronymi verba exponit: *inclinare visus est in eorum sententiam, qui ὁμοουσίου vocabulo abstinendum censebant, non vt hæretico, sed vt nouo, ideoque scandalum generante apud eos, qui Nicænæ fidei omnino se adhærere profitebantur, persuadebantque Imperatori, vt crederet, eos qui vocabantur Arianos, voce illa suppressa, ad concordiam redituros.*

IX. Du-

IX. Duplici tandem exceptioni satisfacere conatur vir doctus, quarum prior rebaptizationem Arianorum, posterior Constantini in fide Orthodoxa perseuerantiam complectitur. Vtut autem concederemus, Arianos initio statim rebaptizasse, non tamen protinus valeret collectio, Constantinum quoque esse rebaptizatum: Namque Ariani neminem rebaptizabant, nisi ad castra ipsorum transfugeret, ac horrendum inprimis ipsisque proprium ac primarium circa diuinitatem Christi errorem amplecteretur, quod aperte colligitur ex verbis Breuiarii fidei infra proferendis. Hoc autem de Constantino nunquam probabitur. Certe illum dogmate isto Arianorum commaculari non potuisse, sed semper tanto errori restitisse lubens concedit Schelstratius; hinc Constantinum transfugisse ex Orthodoxorum ad Arianorum castra a nullo vnquam veterum in genuinis & non interpolatis scriptis dicitur. Potius ex Ambrosio & Synodica Ariminensi inuictum argumentum aduersus duplicem Constantini baptismum depromi potest, idque tanto magis valere debet, quanto præstantior est coæuorum hominum auctoritas. Ambrosius enim *Constantino in vltimis constituto baptismatis, gratiam omnia peccata dimisisse* adfirmat. Synodus autem Ariminensis eundem fidem Nicænam *tenentem baptizatum ad quietem Dei commigrasse* testatur, siue, vt Papebrochius num. 13. enuntiat, *Nicænæ fidei mox atque baptizatus erat, immortuum.* Quis vero Orthodoxorum, cui sanum est synciput, diceret, hominem ab Arianis rebaptizatum ad quietem Dei venisse, eique per baptismi gratiam peccata omnia dimissa esse? Adde, nullum Arianorum nunquam Constantinum pro suæ religionis socio habuisse, multo minus adfirmasse, eum in secta sua diem supremum obiisse. Vnde luculentissime consequitur, Imperatorem non rebaptizatum esse, etiamsi Baptismus ei sit collatus ab Eusebio Nicomediensi, quod tamen apud Latinæ etiam sectæ homines dubium adhuc esse supra notauimus: addentes nunc Alexandri ἐπίκρισιν: *Etsi baptizatum fuisse ab Ariano concederemus, Hieronymum & Isidorum sequuti, non sequeretur, ipsum Arianum factum fuisse: quia Eusebius Nicomediensis Catholicum sese simulabat, & Concilio Nicæno subscripserat. Vnde Constantinus decipi potuit, vt ab ipso baptismum susciperet, quem existimabat orthodoxum.* Nihil certe baptismo Constantini decedit, quo minus pro legitimo rectoque habeatur, quum plurimorum veteris Ecclesiæ Doctorum consensu Arianorum Baptismus non reiterandus fuerit, si in legitima forma esset collatus, docente Schelstratio ipso Antiq. Illustrat. Dissert. 1. c. 5. art. 4. Conf. ICtus Summus, D. Casp. Zieglerus, Auus ac Hospes meus omni obseruantia colendus, Dissert. de Baptismate non iterando §. 74. 75. 76. & D. Bebelius Sæc. IV. P. II. p. 294. 295. Proinde Alexandro *non est verisimile, quod Eusebius Nicomediensis, aliique Ariani, qui ab Ecclesia, externa professione, non recesserant, eiusq; fidem se sectari exterius mentiebantur, Baptisma in Ecclesia collatum iterarint.*

X. Sed

X. Sed videamus tamen argumenta, quibus inductus Schelstratius Arianos initio rebaptizasse adseruerit: *Scio reponi posse ex Christiano Lupo, Arianos initio non rebaptizasse; at præterquam quod sufficiat pro testimonio Hieronymi, hoc dogma de rebaptizatione suo tempore ab Arianis fuisse propugnatū, sciendum est, non solos Donatistas olim in Africa rebaptizasse, vt exclamat Magnus Augustinus, eos arguens in Psalmo contra partem Donati, quod Donatum imitentur, qui vbique victus cœpit Christianos vbique rebaptizare, sed etiam Nouatianensium Schismaticorum imitatores Arianos, vt lucide testatur D. Augustinus libro de Heresibus cap. 48. Ab Arianis rebaptizari Catholicos, nouimus, vtrum & non Catholicos, nescio. Et ignotus authentici Fidei Breuiarii auctor: Ariani, si quos de nobis subducere possunt, inconsideranter rebaptizant. Et D. Ambrosius in sermone aduersus Valentiniani secundi de tradendis Basilicis edictum, vbi de Auxentio in Mediolanensium Ecclesiam intruso Arianorum Episcopo: Cur rebaptizandos Auxentius fideles populos putat, baptizatos in nomine Trinitatis? Et D. Epiphanius in Panario de Eunomio Cyziceno Episcopo Arianorum audacissimo: Eunomius, qui ad hac tempora superest, eos, qui baptizati iam fuerunt, iterum baptizat. Et vita Liberii Papæ temporibus Iustiniani Imperatoris conscripta tractans de Constantii Ariani Imperatoris in laudatum Pontificem tentamentis circa rebaptizationem, testatur Liberium quidem subscripsisse damnationi Sancti Athanasii, non tamen rebaptizatum fuisse: Et canon 19. Nicænus solos Paullianistas baptizari concedens, quod forsan Ariani ex tunc rebaptizationem introducere tentassent, amplexi errorem Donati, contra quem positus est canon Concilii Arelatensis: De Afris, qui propria lege vtuntur, vt rebaptizent, quem canonem antiquiores expressum habuerunt,* de Arianis, *quod scilicet existimatum sit, Arianos ab initio rebaptizasse. Ex quibus omnibus verisimile sit, Eusebium Nicomediensem rebaptizasse vt Arianum, cum baptizauit Constantinum, qui seductus existimare potuit, vt insinuat ex Eusebio D. Ambrosius, peccata sua hoc modo plene fuisse remissa, quum tamen augerentur, vt indicat Hieronymus cum S. Prospero.* Atenimuero dogma de rebaptizatione in Chronico Hieronymi nequaquam innui paullo ante ostendimus, nec vllum vir doctus pro sua sententia protulit testimonium, quod Constantini accederet temporibus, si Canonem 19. Concilii Nicæni & Octauum Arelatensis excipias. Etenim de Arianis suorum temporum diserte loquuntur Augustinus, Ambrosius, Epiphanius. Videntur enim Ariani iterationem Baptismi iniisse, ex quo apertius ab Orthodoxis secesserunt, quod Constantini ætate factum non est, quamquam insignes simulandi artifices in omnibus se Catholicis conformare conabantur. Quæ innuit Breuiarii fidei auctor, quando de Arianis suorum temporum loquitur pag. 131. *Dicere etiam solent de baptismo, quod in eo melius sit eorum baptismum, quam nostrum; quia qui de illis ad nos conuertuntur, non eos rebapti-*

zamus, sed per manus impositionem reconciliamus. Illi vero si quos de nostris seducere possunt, inconsideranter rebaptizant. Edidit hoc Breuiarium Iacobus Sirmondus, coniicitque in præfatione, *haud abs re breuiarium fidei credi id posse, quod a Iuliano Coënsi Episcopo missum Leo Papa nondum ad se peruenisse significat epistola LX. cum Leonis Operibus in vtroque Codice intextum sit, auoque non impar videatur.* Hinc in Magna Bibliotheca Patrum Editionis Lugdunensis Anissonianæ anno 1677. inter scriptores sæculi quinti Tomo VII. exhibetur. Sed istam Sirmondi coniecturam Paschasius Quenellius Notis in epistolam XXCVIII. Leonis pag. 887. repudiat, nec obscure accedit Chiffletio, in præfatione ad Ferrandum Breuiarium illud Alcuino Diacono ex fide MS. Codicis vindicanti; cui plane pollicem premit Casimirus Oudinus in Supplemento de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 211. Quo posito, luculenter apparet, Alcuini testimonium nihil facere ad probandum, Arianos ab initio rebaptizasse, cum is octauo demum sæculo vixerit. Quæ porro de Liberio refert Schelstratius, nescio an admitti queant, quum desumta sint ex Catalogo Pontificum, quem Iustiniani temporibus non conuenire supra monuimus. Papebrochio sane iudice num. 19. *frustra hic Catalogus antiquorum Pontificum, fabulosis interpolationibus inquinatus, pro stabilienda secundi baptismi apud Arianos vetustate allegatur.* Quod si vero iamtum Synodi Nicænæ tempore rebaptizationi studuerint Ariani, mirum est, Can. 19. non refelli hunc errorem, quo optima obferebatur occasio, quando præsertim constat, maxime ob Arianam hæresin Concilium fuisse coactum. Præterea non est verosimile, Athanasium, Hilarium aliosque e primis Arianorum malleis dogma de rebaptizatione in Arianis non reprehendisse, si initio statim hæreseos id fouissent. Certe non potuit a Schelstratio vllus produci scriptor, qui vel Arium ipsum, vel saltem Eusebium Nicomediensem rebaptizationi operam dedisse obseruarit. Nec Concilium Arelatense pro eius opinione quidquam facit. Id enim non aduersus Arianos, sed Donatistas in caussa Cæciliani coactum, & aduersus hos Canon citatus constitutus est, quidquid de antiquioribus obuertat Schelstratius, qui *de Arianis* expressum habuerint, errore ex historiarum ignorantia originem trahente. Communis enim optimorum Codicum consensus lectionem *de Afris* confirmat, obseruante Iac. Sirmondo Not. ad Tom. I. Concil. Gall. pag. 593. *Certa lectio, quam adserunt Codices antiqui & epistola Synodica. Male in Vulgatis & apud Gratianum legitur, de Arianis. Ariani siquidem exorti hoc tempore nondum erant.* Idem pluribus exponit Sirmondus in Commentario ad hunc Canonem ex Labbeana Conciliorum editione a Schelstratio nostro Antiq. Illust. P. II. Differt. I. cap. 5. Artic. 3. num. 69. prolato, quo in loco ipse quoque vulgarem illustrat lectionem. Ex quibus omnibus colligitur alucinari Alexandrum, quando negat, *tempore Constantii Imp. Arianos rebaptizasse, & Epi-*

Epiphanium hunc Arianorum errorem retulisse, adfirmatque *tempore primum Wandalicæ persequutionis rebaptizationem huiusmodi ab Arianis Wandalis & Hunnis tentatam & vsurpatam*, quam antea in Oriente Eunomius, in Occidente Auxentius tentarant atque vsurparant. Falsum quoque est, quod idem Natalis Synopf. Sæc. IV. c. III. Art. III. §. 2. scripsit, *Arianos Catholicos rebaptisasse scribit S. Augustinus lib. de Heres. sed id ipsis a nemine præterea veterum exprobratum lego.* Papebrochius etsi num. 19. pariter alucinatur, quando negat, rebaptizationem tentatam ab Arianis ante Wandalicæ persequutionis tempora, optime tamen tempore Constantini vsurpatam non esse defendit. *Quis enim eo viuente ausus fuisset Nicænæ fidei professores, quam ille semper & vbique spectabat & omnino sartam tectam volebat, affirmare hæreticos, quorum proinde baptismus inualidus crederetur? Vt autem Ariani iamtunc tale quidpiam clam ausi concederentur, necdum posset dici, quod Eusebius, Arianismi notam conatu omni a sese tunc adhuc amoliri studens, partem habuerit in ea impietate.*

XI. Reuertimur ad Schelstratium, qui Constantini in fide perseuerantiam impugnaturus pergit: *Ne vero quisquam putet, in Constantinum cadere non potuisse tam enorme delictum: respondeo, incredibilius non videri, potuisse ab Eusebio Nicomediensi ad rebaptizationem induci, quam ad subscriptionem damnationis magni Athanasii. Enimuero Athanasium toties ab Arianorum insidiis liberandum statuerat vt innocentem, vbi rebaptizatio vtilis persuaderi potuit, sicut vtilem existimauit Basilius erronee existimans, cuncta in contrarium decreta esse alicuius œconomiæ gratia, vt suo loco ostendimus.* Vtcunque autem Basilii se habuerit sententia, in quam accuratius inquirere huius non est loci, certe nobis cum Alexandro *non est verisimile, quod Constantinus, cuius auctoritate compressi fuerant Schismatici Donatistæ rebaptizantes, se rebaptizari passus esset.* Nec est similitudo inter baptismum & damnationem Athanasii: neque Athanasium damnauit Constantinus, sed longe alia de caussa ipsum in Gallias relegauit, si audimus filium, Constantinum iuniorem, in Epistola ad Alexandrinos, quam conseruarunt Sozomenus lib. III. cap. 2. & Theodoretus lib. II. Histor. Eccles. c. 2. Vnde constat, num vera sint, quæ de lapsu Constantini in fine vitæ subiicit Schelstratius: *Deinde magnum Constantinum non semper in Catholicæ Religionis defensione æque firmiter perseuerasse, clamat cum D. Hieronymo S. Prosper in Chronico & scriptum Elipandi Toletanæ ciuitatis in Hispania Episcopi, ad quod reponit Carolus Magnus in adducto a Concilio Francofurtensi rescripto: Exemplum mihi Constantini Imperatoris proposuistis, cuius initium Beatum Isidorum laudasse dicitis, & finem doluisse: quod ne mihi accidat, per quendam beatum,*

 quem

quem Antiphonsium cognominastis, benigne suadetis. *Hoc etiam diuina miserante gratia praecauere satago: non ab illo tantummodo, sed etiam ab omnibus, qui rectae fidei contrarium docere videntur, adsiduaque deuotione Dominum deposco, & quoscunque ex filiis sanctae matris Ecclesiae valeo, mibi in hac petitione adiutores conuoco; ne me alicuius verbosa adulatio, vel fraudulenta laudatio decipiens, a via veritatis auertat.* *Haec cum ad propositum sibi Imperatoris Constantini exemplum rescripsit Carolus Magnus, sufficienter indicat, Constantinum alicuius verbosa adulatione, in fine deceptum circa aliquod rectae fidei contrarium.* *Et cuius quaeso adulatione, quam Eusebii Nicomediensis, Imperatori familiarissimi, adeo vt ad rebaptizationem eundem induxerit, & sic tantum excusari possit verbis Theodoreti Cyrensis Episcopi libro II. historiae cap. 33.* *Episcopis enim decipientibus credidit, qui malitiam quidem suam tegebant, sed alioqui clari atque illustres erant.* Non opus est his prolixe refutandis immorari, quum Schelstratius inter suae sectae homines habeat, qui contrarium sentiunt, ostendentes, Constantinum in vera fide diem supremum obiisse. Vid. Baronius An. CCCXXIV. num. 47. 48. Alexander Saec. IV. Dissert. XXIII. Egregium sane testimonium de Constantini perseuerantia perhibet Galla Placidia Augusta in Epistola ad Æliam Pulcheriam, quam ab interitu vindicauit Ioan. Baptista Cotelerius To. I. Monum. Eccles. Graecae p. 62. vbi de sermone Leonis Papa loquuta, *ἐν ᾧ λόγῳ διέγνωμεν*, inquit, *ἐν τοῖς ἡμετέροις καιροῖς τὴν καθολικὴν πίστιν τεταράχθαι, τὴν ἐκ τοῦ θείου πατρὸς ἡμῶν Κωνσταντίνου μέχρι τῆς σήμερον οἱ τοῦ ἡμετέρου γένους ἐφύλαξαν πρόγονοι.* *In quo sermone cognouimus, nostris temporibus Catholicam fidem esse turbatam, quam a patre nostro Constantino nostri generis parentes hactenus seruauerunt.* Nec desunt alii antiqui Doctores ab Alexandro laudati, qui eximiam Imperatoris pietatem ac in vera fide constantiam depraedicant. Si qui autem de ea dubitarunt, communione Constantini cum Arianis decepti sunt, quum tamen constet, eo tempore passim Orthodoxos cum illis communicasse, quod orthodoxam fidem callide simularent, confitente & probante Schelstratio Concil. Antioch. Dissertat. II. cap. I. & II. vbi de ipso Constantino lemmate 7. capitis primi scribit: *Eusebius, quantumuis Arianis se fautorem praebuit, malitiam tamen suam ita tegebat, vt ipsius communionem in fine vitae non vitarit Constantinus M.* Proinde quamuis Constantinus incaute cum Arianis communicarit, non tamen fidei naufragium fecisse dicendus est, nisi plerique illius temporis Orthodoxi ipseque Iulius Papa, qui cum Eusebio Nicomediensi communicauit, eiusdem apostasiae insimulandi fuerint, quod maxima absurditate laborare nemo non videt. Facit eo ipsius Schelstratii confessio, quando Constantinum errore Arianorum circa Filii Dei Diuinitatem maculari non potuisse

iſſe adfirmat,nec toto vitæ tempore,quo cum Euſebio communicarat,redarguendum loco ſupra prolato iudicat.

XII. Confecto Examine coniecturæ de rebaptizatione Conſtantini Magni, a Schelſtratio magno quidem ſed vano molimine propugnatæ, clariſſime liquet I. Baptiſmum Conſtantini Romæ a Syluestro collatum fabuloſum eſſe commentum, & a nullo ſcriptorum ſæculi quarti adſeri : Ac certe mirum eſt, fabulam hanc Schelſtratio placuiſſe, quum famoſam Conſtantini donationem vniuerſæ Antiquitati ignotam cum Baronio, Maimbourgio, Alexandro ac recentioribus Pontificiis pleriſque omnibus pro ſuppoſititia habeat: ea enim tota hoc Conſtantini nititur Baptiſmo, ac Syluestro ob beneficium miraculoſæ ſanationis facta fingitur : cadente itaque illa, hunc quoque cadere neceſſe eſt. II. Veritas Baptiſmi Nicomediæ in fine vitæ a Conſtantino ſuſcepti, communi antiquiorum conſenſu roborata intelligitur, toties quidem hactenus a Baronio ac ſequacibus impugnata, ſed a Schelſtratio ſponte agnita, vtut incertum ſit, vtrum ab Euſebio Nicomedienſi, an ab alio & Orthodoxæ fidei addicto baptizatus ſit. III. Figmentum de duplici Baptiſmo neutiquam a Græcis, quorum nullum pro eo adducere potuit Schelſtratius, ſed a Latinæ ſiue Romanæ fidei hominibus hac fini excogitatum eſſe videmus, vt ſalua perſiſteret fabula de Baptiſmo Imperatoris Romano; nullo tamen id innititur veritatis fundamento, notandumque eſt, argumentorum ſuorum infirmitatem ipſum tandem agnoſcere Schelſtratium in fine capitis: *Propoſuimus hactenus dicta ad ſopiendam de Baptiſmo Conſtantini controuerſiam, quam licet cum eruditiſſimis noſtri Belgii Viris vt parui momenti omittendam quandoque cenſuerim, hic tamen parum fuſius pertractare volui, quod ea forſan ex dictis elucidari poſſit ab aliis, quorum vlteriori indagini hanc de rebaptizatione Conſtantini coniecturam relinquo, hoc addito, me nihil hac in re vt certum poſuiſſe, ſed potius vt dubia omnia, donec re iſta accuratius examinata peritorum iudicium æquam ſententiam pronunciet.* Nos quoque Schelſtratium ſequuti eruditorum iudicio disquiſitiones noſtras relinquimus, nulli dubitantes, quin omnibus ad veritatis lancem trutinatis noſtræ ſententiæ ſint acceſſuri.

GVILIELMO ERNESTO TENTZELIO,

Phil. Mag. & Ordinis Philosoph. Adscripto,

Disputationem Auspicalem

ingressuro

C. S. SCHVRZFLEISCHIVS.

ARgumentum de initiato mysteriis Constantino M. difficile impeditumque est, & dissimilima ratione tractatur, in quo nemo vnquam minus mihi satisfecit, ac Belga iste, doctrina ceteroquin eximius vir, cuius sententia abs te in disceptationem vocatur. Equidem te non fugit, ex ingenio magis, quam ex annalibus esse depromtam, nec posse huius causæ præsidium constitui in tabulis monumentisque idoneis, quæ passim suppeditant, & fidei faciendæ causa prætermitti non debent. Atenimuero ex Eusebio Cæsariensi, Ambrosio, Hieronymo, Socrate, Sozomeno, Theodoreto, Gelasio Cyziceno, atque imprimis ex illustri Patrum Ariminensium epistola constat exploratumque est, Constantinum M. in extremo vitæ, & semel, nec iterum, neque alibi, quam Nicomediæ, primum sanctissimumque religionis diuinæ ritum suscepisse. Nemo prudens cordatusque suspicari ausit, Eusebium de veritate huius rei detrahere voluisse, præsertim cum eo tempore historiam conderet, quo multi erant superstites, qui & Constantinum, & Constantini acta euentaque omnia familiariter norant, reprehensuri auctorem, si tam aperte, & parum verecunde falsum commemorasset. Illis prope subirascor, qui de vita Constantini ab Eusebio tradita idem existimant, quod docti alias de Cyripædia Xenophontis solent, & sibi in re tam seria tantum non

ad

ad ineptias vsque indulgent. Dispar vtriusque ratio est, & instituto Eusebii repugnat ista fingendi licentia, quam Grylli filius concessam sibi putabat, cum libros de Cyro maiore ad boni iustique imperii effigiem scriberet, eosque non fide gestorum, sed vitæ morumque doctrinis, & Attica suauitate metiretur. Non hæc styli cura, neque hoc scribendi consilium Eusebio fuit, multo minus fabulis fidem conciliare voluit, contentus veritate rerum, quas ex Constantini ore, & tabulis publicis expressit, diligenterque exprompsit. Multa in profanis scriptoribus reperias, quæ Eusebio lumen adferant, adeo quidem, vt Zosimus illud densa inuidiæ caligine, non obscurare, nedum extinguere potuerit, quamuis id maximopere vellet, & summo studio niteretur. Non mihi vacat refellere contumelias, quas de noctuarum spectaculo, & Ægyptio ex Hispania profecto effutiuit, quarum altera ad labari *in aere conspecti memoriam obliterandam, altera ad Hosii Cordubensis pietatem plane obterendam spectabat. Nolim vero inde colligas, initiandi & abluendi Constantini munus officiumque peregisse Hosium, quippe quod interpretandi leges, & rationes temporum prorsus vetant. Plura tibi darem, & rationes momentaque dissidentium de* Baptismo *Constantini opinionum libenter exponerem, & quæ cuiusque occasio & causa fuerit, inuestigarem, maxime autem Natalis Alexandri sententiam excuterem, & quam sæpe is in conatu probandi expectatione minus probauerit, commonerem: sed quia tibi hæc opera sumenda est, nec mihi otium suppetit, volo id præclare conficias, & vitæ studiorumque consuetudinis, conuictusque pariter fiducia credas, me tibi ad omnes res nomini & existimationi tuæ bonorificas, certum sincerumque adiutorem fore. Vitembergæ Kal. Nouemb. A. CIↃ IↃ C XXCIII.*

EXER-

EXERCITATIO NONA

SIVE

SCHEDIASMA

DE

NATALITIIS EPISCOPORVM,

VENERANDO PARENTI

NATALEM

QVINQVAGESIMVM QVINTVM

KL. AVGVST. AN. cIↃ IↃC XXCIV.

FELICITER CELEBRANTI

WITTENBERGA TRANSMISSVM.

I.

LVculentis scriptorum testimoniis clarissime constat, Principes Romanos diem illum, quo ad honorum fastigia adscendissent, quotannis celebrare solitos fuisse. Originem huius moris eleganter edisseruit Isaacus Vossius Obseruationibus ad Catullum pag. 306. 307. Postquam enim adnotasset, *Natos vocatos a Romanis, qui clari & nobiles essent, vt contra qui obscuri, illos ne natos quidem dictos fuisse*; subiicit: *Est autem inprimis obseruandum, ex hoc loquendi genere prouenisse, vt si qui ad honores olim promouerentur, eos diem, quo melior ipsis affulsisset fortuna, pro natali coluisse, ac proinde regum & imperatorum natales dies habitos potius fuisse, quo imperium essent consequuti, quam quo lucis facti essent participes.* Eandem consuetudinem imitati sunt postea Episcopi Christiani, ab eo inprimis tempore, quo reddita a Constantino Ecclesiæ pace auctoritas eorum non minus apud populum, quam Principes valebat. Neque enim vnquam obseruasse memini, tribus prioribus sæculis tanta celebritate primum Episcopatus diem illos recoluisse, quanta deinceps vsi sunt. Quod inprimis exemplo Romanorum Episcoporum confirmatur, quorum priores ante Constantinum vti nulla re magis sese commendarunt, quam pietate & constantia, posteriores autem ex indulgentia Imperatorum Græcorum, Francorum & Germanorum, ad summam potentiam peruenerunt, quod egregie superiori sæculo monstrauit Franciscus Guicciardinus, cuius testimonium ex editis libris erasum,

erasum, autographi ope nuper restituit & Historiæ Papatus inseruit Ioan. Henr. Heideggerus: ita nemini mirum videbitur, eos præ aliis Imperatorum mores adfectasse, illumque diem albo signasse lapillo & quotannis festum habuisse ac sacrum, quo celeberrimam sedem occupauerant. Non desunt inter scriptores Pontificios, qui id sponte adserunt & confitentur, e quibus Heribertum Rosvveydum Notis ad Paullinum pag. 801. Ioan Ludouicum de la Cerda Aduersar. Sacr. cap. CLXVII. num. XIIX. & Io. Chokier Fac. Histor. Centur. II. cap. X. adduxisse, primique verba protulisse sufficiat: *Vti olim Imperatores imperii sui ortum, seu natalem celebrabant, ita Romani Pontifices cathedræ seu Episcopatus sui natalem celebrare sunt soliti.* Equidem Bollandus in Actis Sanctorum ad XVIII. Ianuarii To. II. pag. 181. aliam huius moris originem quærit: *Consueuere Christiani Antistites anniuersarium suscepti episcopatus diem, laudabili & iis, quæ diuinitus Ebræis sancita olim erant, consentaneo ritu, publica lætitia, & curatiore sacrorum pompa peragere. Id passim in Actis Diuorum licebit animaduertere.* Quo autem fundamento nixus ad Iudæos prouocet Bollandus, non video. Certe Ioan. Fronto Differt. de diebus festiuis §. I. num. 2. probat, *Ebræos Natalitia inter se non celebrasse.*

II. Duplicis generis Natalitia Episcoporum fuisse deprehendi. Fuerunt enim, qui ipsi diem, quo in Cathedra Episcopali collocati, vt Natalem celebrarunt: Aliorum dies ordinationis tum Orientalis tum Occidentalis Ecclesia quotannis grata memoria recoluit. Inter priores præcipue eminent Romani Pontifices. Horum primus, cuius vt Natalem celebrantis in indubitatis veterum monumentis mentionem reperio, est Damasus, de quo ad finem præfationis Libelli precum a Marcellino & Faustino, Imperatoribus Valentiniano, Theodosio atque Arcadio circa an. 384. oblati sequentia legimus: *Vnde cum ad sanctam Agnem multi fidelium conuenissent, armatus cum satellitibus suis Damasus irruit, & plurimos vastationis suæ strage deiecit. Quod factum crudelissimum nimis Episcopis Italiæ displicebat. Quos etiam cum ad natale suum solenniter inuitasset, & nonnulli conuenissent ex eis, precibus apud eos molitur & pretio, vt sententiam in sanctum Vrsinum proferant. Qui responderunt, Nos ad natale conuenimus, non vt inauditum damnemus. Ita praua eius intentio caruit, quo nitebatur effectu.* Constat quidem, Faustinum & Marcellinum in atrocissimo schismate contra Damasum stetisse a partibus Vrsini, siue Vrsicini: in his tamen verbis nihil falsi memorant, cum & Ammianus Marcellinus, gentilis scriptor, cædis *in Basilica Sicinini* mentionem faciat Lib. XXVII. protinusq; subiungat, quæ fastum Episcoporum illius temporis Romanorum clarissime ob oculos ponunt, *quum id adepti, futuri sunt ita securi, vt ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis insidentes, circumspecte vestiti, epulas curantes profusas, vt eorum conuiuia regales*

superent mensas. Quod adeo verum est, vt Viuentius Præfectus Vrbi, Ammiano ibidem laudatus, ludens Damaso dicere consueuerit: *Facite me Romanæ Vrbis Episcopum, & ero protinus Christianus;* quod ipse Binius in Notis ad Librum Pontificalem ex Hieronymo adnotauit. Sed hisce missis progredimur ad Anastasium, qui Damasi post Siricium successor fuit ac circa confinia sæculi quarti & quinti Romanam cathedram obtinuit. De eo enim Pullinus, Episcopus Nolanus in Epistola XVI. (quæ est secunda ad Delphinum Episcopum Burdigalensem, non ad Seuerum, quod Cerda ex lapsu memoriæ adserit) hunc in modum scribit: *Postea quoque interposito tempore etiam ad natalem suum, quod consacerdotibus suis tantum deferre solet, inuitare dignatus est: nec offensus est excusatione nostra, sed officium sermonis nostri, quod inuicem præsentia reddidemmus, acceptans, animo nos paterno & absentes recepit.* Sic Natalem quoque ordinationis suæ celebrauit Sixtus III. qui triginta post Anastasium annis Pontificatum Romæ tenuit, vti patet ex Epistolis eius ad Cyrillum Alexandrinum & Ioannem Antiochenum missis, Tomisque Conciliorum insertis. Porro Leonem Magnum Sixti successorem istius moris tenacem fuisse, sacri Sermones Natali die ab ipso habiti abunde testantur. Nec silentio prætereundus est Hilarus Papa, qui Leonem sequutus est, de quo Paschasius Quenellius Dissertat. I. ad Opera Leonis M. ad A. C. 461. num. 4. scribit, *Hilarum Leonis successorem eidem subrogatum esse mense Nouembri an. 461. quo Leo decessit e vita. Huius rei testem habemus Marianum Scotum, insignem Chronographum:* Hilarus Papa 46. post Petrum ordinatur 2. Idus Nouembris. *Sed & antiquius & locupletius testimonium Hilarus ipse suppeditat. Concilium enim Romanum A. C. 465. celebratum, sub die XV. Calendarum Decembrium, vt habent acta vulgata, vel XIII. vt in appendice Codicis Dionysiani & in Moguntino, vel XVI. vt iidem ad marginem; hoc inquam Concilium Hilarius ipse in Epistola ad Ascanium &c. Cap. 2. habitum esse testatur a fratribus, seu Coepiscopis, in anniuersaria assumtionis suæ festiuitate congregatis. Iam vero cum die Dominica consecrari debuerit Pontifex; non incommode ordinationem Hilari in præcedentem Dominicam reiiciemus, quæ fuit XV. Calendas Decembris, siquidem litera F. eo anno Dominicam designabat.* Hæc a nobis examinanda veniunt, quoniam maximam in iis fiduciam collocat Quenellius ad confirmandam sententiam suam de die ordinationis Leonis M. infra latius discutiendam. Equidem Concilium istud Romanum habitum est Basilisco & Herminerico VV. CC. CoSS. citaturque a Iosepho Maria Suaresio Lib. II. Prænestes antiquæ Cap. VII. ex *Codice Romanæ Ecclesiæ* nescio quo. Etenim *Codicem Canonum & Constitutorum Romanæ Ecclesiæ* Leonis M. ipsiusque Hilari ætate receptum cum Leone edidit Quenellius, in quo nihil de hac Synodo Romana reperitur. Nisi forte Suaresius intellexerit Codicem Vaticanum, ex quo *Titulos decretorum Hilari Papæ* non ita

pri-

pridem eruit Christianus Lupus, acerrimus Quenellii aduersarius, & post eius mortem cum variorum Patrum Epistolis ad Concilium Ephesinum ab eodem Lupo ex Codice Casfinensi descriptis a. 1682. ediderunt Louanienses. Hinc discimus *Synodum habitam Flauio Basilisco, & Hermenrico Viris Clarissimis, sub die 16. cal. Dec. residente Viro venerabili Papa Hilaro in Basilica S. Mariæ:* ex quibus corrigi possunt, quæ de die huius Concilii adfert Quenellius. Descriptis Actis eiusdem sequitur *Præceptum Hilari Episcopi Ascanio & vniuersis Episcopis Tarraconensis, Ecclesiæ,* ad cuius calcem legitur: *data III. Kal. Ianuar. Basilisco & Hermenrico VV. CC.* In eo reperimus hæc ad nostram controuersiam facientia: *Lectis ergo in conuentu Fratrum, quos Natalis mei festiuitas congregamt, literis vestris, quæ de ordinandis Episcopis secundum Statuta canonum, vel Prædecessorum meorum decreta sunt, perlecta sententia, Gestorum, quæ pariter direximus, tenore discetis.* Equidem ex his Hilari verbis certi esse non possumus, quo die ante quadriennium is per solennem ordinationem in sede Romana fuerit collocatus. Epocha tamen Synodi clarissime euincit, veram esse Mariani, falsam Quenellii chronologiam. Nam A. C. 461. litera Dominicalis non erat F. quod male opinatur Quenellius, sed A. proindeque 2. Idus Novembris in diem Dominicam incidebat, qua ex veteri consuetudine consecrari solebant Romani Episcopi. Itaque ad anniuersariam adsumtionis Hilarianæ memoriam recolendam conueniunt fratres seu Coëpiscopi an. 465. quo diem Dominicam signabat litera C. adeoque in sextam hebdomadis feriam incidebat 2. Idus Nouembris. Initium faciunt a diuino cultu, eo quem infra exponemus modo, in eoque perseuerant duobus sequentibus diebus peraguntque, quæ ieiunium Sabbathi ista ætate in Romana Ecclesia receptum & dies Dominicus pro more antiquo poscebant. Quibus confectis *hortantur* Papam, *vt quæcunque pro disciplina Ecclesiastica sunt cum diligentiore tractet*, quemadmodum initio Actorum Synodalium legitur; iterumque coeunt XVI. Kalend. Decemb. & ea constituunt ac decernunt, quæ in Epistola ad Tarraconenses exponit Hilarus. Istum *maiorum morem* egregie illustrauit Ioan. Garnerius Dissert. IV. de Synodo V. Generali Cap. V. num. 2. quæ Auctario Theodoreti inserta est, pag. 510. *In Codicibus editis initium datum Synodo legitur IV. Nonas Maii, in Bellouacensi MS. III. Nonas. Hæc potior lectio: siquidem anno 553. litera Dominicalis erat E. & proinde dies quartus Nonas fuit Dominicus, atque ita tertius Nonas fuit feria secunda, qua more maiorum, post rem diuinam die Dominico rite procuratam, inchoabantur Synodi. Sic Chalcedonensis die 8. Octobris, quo anno litera Dominicalis G. Sic Ephesina d. 22. Iunii an. 431. lit. Dom. D. Sic Constantinopolitana I. die 14. Maii an. 381. lit. Dom. C. Sic Nicæna die 14. Iun. an. 325. lit. Dom. C.* Quis ergo non videt, cum rei veritate optime congruere Marianum, sed plane ab eadem recedere Quenellium, qui temporum ordinem in-

uer-

uertit, nec attendit, Natalis Hilariani festiuitatem prius fuisse celebratam, quam Concilium ad res Ecclesiasticas ordinandas habitum. Eundem consecrationis suæ celebrandæ morem seruarunt postea constanter Romani Pontifices, vt Bonifacius IV. de quo ex Baronio an. 614. vide Aringhum Lib. II. Romæ subterraneæ Cap. IIX. pag. 163. Adrianus I. de quo infra dicemus, Adrianus II. qui Natalis ordinationis suæ meminit Epist. XI. ad Actardum, ac cæteri plerique omnes.

III. Quon Romani fecerunt Episcopi, id alii quoque sibi licitum esse existimarunt. Hinc est, quod Ambrosius in Epistola ad Felicem Comensem Episcopum scribit: *Celebrem vtrique nostrum annuncias diem adfore, quo suscepisti summi gubernacula sacerdotii, de quo paullo ante cum fratre nostro Basiano loquebar, - - fabulis nostris intexens diem Natalis Tui, qui foret in exordio ipso KL. Nouembr. eumque si non falleret appropinquasse & crastina celebrandum die: Prosequemur Natalem hunc tuum nostris orationibus & tu nostri in tuis votis ne obliuiscere.* Hunc locum citat Rudolphus Hospinianus, de Origine festorum Christianorum Cap. IV. pag. 15. sed paullo aliter, ac par est, exponit. Verba eius sunt: *Videntur & Natalium dies apud quosdam, sed priuatim solennes & festiua fuisse sæculo quarto regni Christi. Sic enim Ambrosius ad Felicem Episcopum Comensem, lib. I. Epistolarum, epistola 5. Natalem, inquit, tuum prosequamur nostris orationibus, & tu nostri in tuis votis ne obliuiscaris. Dierum item, quibus dignitates ingressi sunt. Sic enim ad eundem Ambrosius: Celebrem, inquit, vtrique nostrum annunciasti diem affore, quo suscepisti gubernacula summi sacerdotii.* Vbi primo alucinatur Hospinianus, quod Ambrosium vno in loco de duobus Natalibus, altero vitæ, altero Episcopatus, loquutum putet, quum de posteriori solo sermonem ipsi esse clarissime pateat ex verbis integre a nobis antea descriptis. Deinde non *priuatim*, sed publice solennes fuerunt, quod non solum allata Damasi ac Anastasii exempla probant, sed ipse rursus confirmat Ambrosius, Commentario in Lucam To. V. pag. 138. edit. Costerianæ Natalis sui mentionem facit: *Pulcre mibi hodie legitur Legis exordium, quando mei natalis est sacerdotii. Quotannis enim quasi de integro videtur incipere Sacerdotium, quando temporum renouatur ætate.* Tanti viri studio ac informatione ex Manichæorum erroribus ereptus est Augustinus, qui in Episcopatu postea Hipponensi collocatus non tantũ Aurelii, Carthaginensis ea ætate Antistitis meritissimi, sibique amicissimi, Natalem indicauit celebrandum, sermone 32. de Verbis Domini, Carthagini habito: quando Concione absoluta populum Carthaginensem ita alloquitur: *Quod nouit charitas vestra, suggerimus, dies anniuersarius Domini senis Aurelii crastinus illucescit: rogat & admonet per humilitatem meam charitatem Vestram, vt ad basilicam Fausti deuotissime venire dignemini.* Sed idem quoque Augustinus suum ipsius etiam anniuersarium ordinationis diem celebrauit Homilia 24. & 25. libri quinquaginta Homiliarum, vti post Baronium obseruat Rosvveydus; quo pacto longe melius se

ges-

gessit, quam ante Baptismum, quo diem natalem transegit aliquando cum amicis de beata vita philosophice disputando, vti partim ex ipso libro huius argumenti adhuc superstite, partim ex Lib. I. Retractationum Cap. II. liquet. Quemadmodum vero Aurelii Natalem celebrauit Augustinus, *sic*, teste Rosvveido, *XXX. anno Natali sacerdotii seu Episcopatus Epiphanii dictio IX. dicta apud Epiphanium, lib. 1. Carminum. Vide Ferrarium lib. II. de ritu sacrarum concionum Cap. XXXV.* Irrepsit pro *Ennodio* Epiphanius typographi vitio, quod in Erratis monuit Rosvveydus. Epiphanius autem, cuius ibi Natalem celebrat Ennodius, fuit Episcopus Ticinensis, eiusque vitam ab Ennodio pariter concinnatam cum cæteris huius scriptis Parisiis edidit Iacobus Sirmondus. Præterea Aldricus Cenomanensis Episcopus tempore Ludouici Pii quotannis diem ordinationis suæ celebrauit. Etenim Stephanus Baluzius Libro III. Miscellaneorum edidit *Gesta Domni Aldrici Cenomanicæ vrbis Episcopi, a discipulis suis* conscripta, in quibus cap. XXXIII. multa occurrunt argumentum nostrum præclare illustrantia, dum præsertim ob oculos ponunt varios ritus in festiuitate ista vsitatos. *Sanxit quoque ante dictus Domnus Aldricus Episcopus vna cum fratribus & coepiscopis ac Canonicis suæ sedis Ecclesiæ considerauit, vt in die ordinationis eius omnes Presbyteri tam vrbani quam & suburbani siue monasteriales reliquusque clerus ad vesperas & vigilias ipsius festiuitatis, sicut in natalitiis Episcoporum constitutum est solemniter agere, pariter & solemniter conuenirent, & ipsa officia solemniter cum ipsis Canonicis & deuotissime peragerent & post vesperas peractas in refectorio vna cum ipsius Ecclesiæ Canonicis ter biberent, & ad nocturnas vel ad matutinas pleniter postea venirent, & matutinalem synaxim vna cum ipsis Canonicis solemniter & decenter peragerent. In ipsius quippe solemnitatis die constituit atque sanxit vna cum sapientissimis Episcopis atque sacerdotibus, vt mane prima omnes sacerdotes tam vrbani quam suburbani reuestiti infra ipsam matrem & seniorem Ecclesiam conuenirent, & reliquus clerus vna cum eis adueniat, & vnusquisque Presbyter pro iam dicto Aldrico Pontifice missas deuotissime decantet tres & vnusquisque Clericus pro se Psalterium decantet vnum, aut simul omnis clerus versa vice vnum decantet in choro psalterium, hæc vero officia & Missarum solemnia pro Aldrico venerabili Episcopo deuotissime completa, simul omnes ad legitimum & Canonicum tempus in publicum & solemne introeant officium, sicut in natalitiis Pontificum facere constitutum est. Post actum quoque publicum atque solemne officium, simul tam ipsi Canonici quam & omnes Clerici ad prædicta officia peragenda conuenientes in refectorium pariter & sufficienter solemniterque reficiant de prabenda quæ eis ad prædicta officia peragenda & ad ipsam solemnitatem complendam a præfixo Aldrico dare de villa cuius vocabulum est Buxarias decretum est: -- Prædicta vero festiuitas & antedicta refectio fratrum, quæ modo agitur in XII. Kalendarum Ianuariarum die, quæ & vna die anticipatur propter*

dedicationem præfixæ matris & senioris ciuitatis Ecclesiæ, decretum & considera-tum est a iamdicto Aldrico Episcopo & a prædictis sanctis coepiscopis & suis sacerdotibus & canonicis vniuersis, vt transferatur in diem depositionis eiusdem, quando eum Dominus de hoc sæculo vocare voluerit, & in ipsa die agatur tam refectio prædicta quam & ante dicta solemnitas, tantum enim vt hoc quod modo pro viuo in Missis & psalmodiis & ceteris orationibus & ceremoniis agitur, tunc pro defuncto similiter, & prædicto numero adimpleto, id est, vnusquisque sacerdos Missas tres, & vnusquisque Clericus psalterium vnum, in die depositionis eius agatur pro defuncto Episcopo, &c.

IV. Hæc prolixius describere operæ putaui pretium, quoniam consulto prætermissa sunt a Ioanne Mabillonio, qui Acta cæterorum Cenomanensium Episcoporum tomo tertio Analectorum publicauit. Adiiciam tamen nonnulla tum ad illustrationem eorum facientia, tum inseruientia intelligendo *publico solemnique officio*, quod in natalitiis Pontificum constitutum auctor ille commemorat. Primum enim conuenire solebant coepiscopi & consacerdotes: vnde Sixtus in Epistolis ad Cyrillum & Ioannem meminit *vniuersæ fraternitatis quæ ad Natalis sui conuenerit diem:* & Leo in allegato sermone secundo, *venerabilium fratrum & consacerdotum suorum:* ac illustre exemplum præbent nomina Episcoporum in natali Hilari Papæ congregatorum, quæ in Conciliorum Tomis, & Lupi editione recensentur. Hi inuitabantur epistolis, quarum memorabile exemplum occurrit in Libro Diurno Romanorum Pontificum Parisiis an. 1680. edito per Ioannem Garnerium. Nam *titulus XIII.* Capitis III. inscribitur *Inuitatoria ad Episcopum, in natali Papæ*, ipsaq; epistola ita habet: *Dei nostri misericordia fauente, Ill.* (id est, *ille*, quomodo in antiquis formularum libris signantur personæ vel numeri pro re nata explendi, quos hodie per N. notare solemus) *dies, in quo Episcopatus mei est natalis, adproperat, ad quem ex more missis a me litteris inuitaris: decet enim, frater carissime, vt eiusdem particeps festiuitatis existas, & fraternæ congregationi præsentiam tuæ dilectionis accommodes, vt ea inter nos, quæ mos Ecclesiasticus exigit, confirmemus.* Quo breuior est hæc epistola, eo longioribus annotationibus illustratur a Garnerio pag. 78. 79. vnde pauca hausit Larroquanus in Aduersariis Sacris Lib. II. Cap XV. nos plura repetemus. *Conueniebant*, inquit, *Episcopi Italiæ ad diem natalem summi Pontificis*, allegatisque Paullini verba num. II. a me descriptis subdit: *Hinc obserua, consacerdotes tantum, id est Episcopos* (*suburbicarios* puto intelligendos) *iure ordinario vocatos, reliquos priuilegio.* Quod de suburbicariis dixi, ex ipso Garnerio liquet, qui argumentum Capitis tertii (quod *de ordinatione Episcopi suburbicarii a summo Pontifice* inscribitur) edisserens, statim num. I. profitetur in eo agi *de Episcopis, qui sedis Apostolicæ ordinationi suberant*, & num. 16. ait: *In Ecclesia sua sedentes*

sedentem Episcopum inuitare solebat summus Pontifex ad natalem suum Romæ solennius celebrandum. Clarius se explicat pag. 58. *Episcopi non quarumcunque regionum, sed illarum, quarum Episcopi sedis Apostolicæ ordinationi subessent: suberant vero, qui nulli alteri Metropolitæ subiacebant, cuiusmodi Latini, Brutii, Lucani, Apuli, Siculi &c.* Hos igitur iure ordinario ad Papæ natalem vocatos putat, reliquos priuilegio; inter posteriores Paullinum quoque collocans, in quo tamen alucinatur, siquidem constat, Campaniæ, in cuius ciuitate Nolana Paullinus Episcopus erat, non aliam fuisse metropolim, quam Romam. Itaque Paullinus etiam iure, non priuilegio ab Anastasio Papa vocatus fuit. At, inquies, Paullinus ipse se distinguit a *consacerdotibus*, quibus inuitandi honorem *tantum deferre solebat* Anastasius. Agnosco dubium, nec aliam video conciliandi rationem, quam vt dicamus, Anastasii ætate propinquiores tantum Romæ episcopos inuitatos, quod postea non solum ad omnes suburbicarios, sed ad alios quoque, etiamsi longius dissitos extensum fuit. Vtcunque sit, Garnerius porro Sixti, Leonis & Hilari verba profert, nos primi tantum nunc describemus: *Sixtus in epistola, qua gratulatur Cyrillo initam inter Ecclesias dissidentes pacem*, scribit: *Ad beatum Petrum fraternitas vniuersa conuenit: ecce auditorium conueniens auditoribus, conueniens audiendis: habuerunt Coepiscopi nostri congratulationis testem, quem habemus honoris exordium: sanctæ namq; & venerabili Synodo, quam natalis mihi dies fauente Domino congregarat, quia sic credendum est, ipse præsedit*, &c. Ad hæc Garnerius: *Obserua concursum Episcoporum appellari Synodum, & in ea de rebꝰ, quæ inciderent, tractatum.* Idem post citata verba Leonis, quæ nos commodiori loco reseruamus, & Hilari, quæ partim supra dedimus, partim mox dabimus, sequentia subiicit apprime notanda: *Obseruanda hic tria: mos conueniendi, mos inuitandi, & forma inuitationis. Discimus veterem morem conueniendi, tum ex his testimoniis, tum ex Diurno: morem inuitandi per litteras, ex epistola Paullini, & longe clarius ex his Diurni verbis*, ex more missis a me litteris inuitaris: *formam litterarum ex Diurno solo. Quare formula hæc singularis est: neque enim apud curiosos litterarum Ecclesiasticarum indagatores, Baronium Sirmondum, & Ferrarium, reperitur, quemadmodum nec excusatoria duæ: quanquam possent omnes ad tractorias non absurde reuocari; siquidem conuentus ille, ad quem inuitabantur, Synodus erat, in qua de rebus Ecclesiasticis, si qua vrgerent, agebatur. Id partim exemplis Sixti & Hilari, partim Diurni verbis edocemur. Etsi vero soli illi, quos dixi, Episcopi ordinationi sedis Apostolicæ subiecti euocarentur, ex omnibꝰ tamen Italiæ prouinciis imo ex aliis remotioribus concurrisse Præsules, discimus ex epistola vtraq; Hilari.* (Verba prioris vide supra n. 2. nunc alteram citabo, quæ octauum in ordine locum obtinet: *Præsidente fratrum numeroso concilio, & ex diuersis prouinciis ad diem nata-*

natalis nostri in honorem beati Petri Apostoli per Dei gratiam congregato &c.) respiciunt enim amba Concilium Romanum anno 465. habitum XV. Kalend. Decembris. Huic vero interfuerunt, præter suburbicarios, Ingenuus Ebredunensis, Sabinus Auenionensis, Maximus Taurinensis, & ex Africa Restitutus & Octauius. Quorsum vocarentur Episcopi, docet non solum Diurnus, sed etiam S. Leo: nempe, vt in cætu Sacerdotum Pontifex de sua assumtione ageret Deo gratias: deinde, vt qua mos Ecclesiasticus exigit, communiter confirmarentur: denique vt eiusmodi obsequio suum Episcopi Principem agnoscerent. Primates alios id etiam habuisse in more, vt vocarent ad sui natalis festiuitatem Coëpiscopos, coniicere licet ex alloquutione Augustini ad populum Carthaginensem: post concionem enim absolutam, Quod nouit caritas vestra, inquit, suggerimus &c. Equidem hæc Augustini verba num. 3. descripsi, sed quod inde coniecturæ suæ fundamentum petit Garnerius, non satis possum penetrare, nisi forte putauerit, Augustinum ea de caussa Carthaginē venisse, vt Aurelii natalē celebraret; de quo tamen ipse Augustinus nihil dicit, nec in sua alloquutione vl ā aliorū episcoporū facit mentionem. Sed vt ad Episcopos suburbicarios reuertar, si quis eorū impediretur, atq; apud Papā sese excusaret, hic excusationē accipiebat, atq; in hunc modū rescribebat, qui in Diurno tit. xiv. legitur: *Scripta fraternitatis tuæ, qua transmisisti, oblata nobis relegimus, veniamq; imbecillitati ac senectuti fraternitatis tuæ, quam expetiisti, ob id, quod venire non potuit, concessimus: cognoscentes, quia non studio excusationis peractum est, vt ad nos minime fraternitas tua peruenisset.* Formula hæc *excusatoria* inscribitur, *non qua inuitatus Episcopus se excuset, sed qua summus Pontifex imbecillitatis ac senectutis excusationem accipiat*, docente Garnerio. Aliam *excusatoriam, quando Episcopus infirmatur*, exhibet titulus xv. *Et natalis nostri festiuitas & consuetudinis solemnitas exigit, vt de profectu nostro omnipotenti Deo, qua debentur gratiæ, sub cunctorum Sacerdotum frequentatione & præsentia redderentur: sed quia caritatem tuam ad deuotionis occursum inæqualitate corporis perhibes impeditam, necesse est, vt concedamus veniam, quidquid infirmitas exigit corporis: quia vbi necessitas interest, voluntas non vocatur ad culpam: cupimus tamen, recuperata sanitate, pro tempore ea, quæ oportet, affectione pensetur.* Illustre huius excusationis ab Episcopo factæ & a Pontifice receptæ exemplum præbent Anastasius Papa & Paullinus Nolanus, de quibus antea vidimus. Priusquam vero ad alia progredior, non ingratam Lectoribus operam me præstituram confido, si librum istum Diurnum paucis cognitum breuiter descripsero. Quid illo comprehendatur, in præfatione num. 11. exponit Garnerius: *Romani Diurni nomine appellatur Codex, in quo præter formulas scribendi, quibus sexto septimoque & octauo sæculo, atque etiam nono; summi Pontifices vti solerent; continentur insu-*

insuper ordinationes summi Pontificis & Episcopi suburbicarii, cum suis omnibus adiunctis; professiones fidei; priuilegia, præcepta, concessiones, aliaque huiusmodi non pauca. Idem refert, editionem a plurimis eruditis desideratam se adornasse ex duobus Codicibus MSStis, quorum alter *Roma multis abhinc annis transmissus* fuerat. Quæ dum lego, mirari subit, quare Garnerius nullam fecerit mentionem Lucæ Holstenii, qui apographũ istud in Galliam procul dubio miserat. Constat quippe, illum & alios eruditos Romæ degentes, si quos libros ob acriorem ibi censuram publicare nequiuerunt, in Galliam destinare consueuisse. Atqui Holstenius librum diurnum Romæ imprimi curauerat, sed omnia exemplaria supprimi videns, quin apographum saltem Lutetiam miserit, nullus dubito. De illa autem suppressione Stephanus Baluzius, Notis in Antonii Augustini Dialogos de Emendatione Gratiani pag. 433. Parisiensis, & pag. 692. 693. Arnhemensis editionis, post tria Diurni MSta indicata, hunc in modum nos docet: *Vaticanum ediderat vir de antiquitate ecclesiastica optime meritus Lucas Holstenius anno M DC LX. prioraque & postrema editionis folia miserat ad Illustrissimum virum Petrum de Marca Archiepiscopum ea tempestate Tolosanum; e cuius manibus illa recuperauit Coelius Piccolomineus Nuntius tum Apostolicæ sedis in Gallia, nunc vero eminentissimus Cardinalis. Suppressa autem statim est editio illa Diurni, nescio quam ob caussam. Fortassis quia in initio nimium multa circa electionem Romani Pontificis tribuuntur Imperatori & Exarchæ apud Rauennam commoranti.* Grauissime in hanc suppressionem inuehitur Ioannes Launoius variis epistolis, quas ex elegantissima editione Anglicana citabimus. Primus locus exstat P. I. epist. IV. pag. 19. *Concludit omnia Romanæ ecclesiæ Diurnum vetus, quod non ita pridem Romæ editum est, & ibi nescio qua de caussa captiuum detinetur. Vtinam iniusta non sit, nec cognitioni antiquitatis Ecclesiasticæ inopportuna!* Secundus Epist. VIII. pag. 53. *Hæc in veteri Romanæ ecclesiæ diurno, quod editum est Romæ, sed ibi captiuum adhuc detinetur; non in Sede Apostolica, sed in Curia, quæ nec priscas Sedis illius traditiones, nec illarum defensores pati potest: Quo facto Romanam Ecclesiam apud eos, qui seorsum a nobis per religionem sentiunt, pro ludibrio abire permittit, & vna impedit, ne hi ad illius communionem accedant facilius.* Tertius P. III. Epist. III. pag. 191. *Hactenus ex veteri Romanæ Ecclesiæ Diurno, quod Romæ annis superioribus editum est, & captiuum ibi detinetur a Curialibus magistris & Inquisitoribus. Nimirum antiquæ veritatis lucem ferre non possunt viri in Sedem Apostolicam contumeliosi.* Quartus P. IV. Epist. V. pag. 317. obseruat, *Franciscum Combefisium in Vindiciis, quas pro Actis Synodi VI. diligenter & sincere repetiit*, citasse etiam *vetus Romanæ Ecclesiæ Diurnum, quod Romæ editum est studio & opera Lucæ Holstenii, sed ibi a Romana Curia adulatoribus captiuum detinetur.* Quintus denique P. VIII. Epist. III.

pag. 708. *Hæc in diurno Romano, quod Romæ editum est; sed ibi captiuum detinetur: Parisiis manuscriptum habetur.* Vltima harum epistolarum anno M DC LXXIII. exarata est, neque vel tum, vel postea Romani inquisitores libro isti captiuo libertatem prodeundi permiserunt: quare maximæ Garnerio debentur gratiæ, quod cum orbe erudito eum communicauit. Idem Holstenianæ editionis fatum indicauit Ioannes Mabillonius in Itinere Italico pag. 77. sed aliquot sphalmata μνημονικὰ commisit, quæ in Museo Italico Tomo I. pag. 35. & To. II. pag. 593. ipse emendauit. Potius commemorari meretur eius diligentia, qua ad veterrimum Codicem in itinere isto repertum contulit Diurnum, & Supplementum variasque lectiones vulgauit Tomo I. Musei, a pagina 32. vsque ad 44. Operæ itaque pretium faciet, qui librum præstantissimum cum insigni hoc augmento denuo publicæ luci exponet. Launoius exiguum fragmentum, duas nimirum fidei professiones, quas partim ipse Papa, partim Episcopi suburbicarii edere tenebantur, nactus est, easque tam fortiter contra Curiæ Romanæ adseclas vrsit: quid putas eum facturum, si integro libro potitus fuisset?

V. Cultus diuinus ab Episcopis congregatis plebeque præstitus, iisdem partibus, quibus in aliis diebus festiuis, constabat. Primo enim certæ Scripturæ pericopæ prælegebantur, quas ex antiquis Lectionariis & Capitularibus Euangeliorum cognoscere licebit. Pro vetustissimo habetur liber ille, qui iam sæculo quinto sub *Comitis* nomine cognitus fuit, (quod post alios notaui in Dissertatione de ritu Lectionum Sacrarum num. 47.) & lectiones ad vsum Ecclesiæ Romanæ indicat, nouissimeque a Iosepho Maria Caro cum aliis antiquis Missarum libris Romæ editus est, vnde excerpemus, quæ ad propositum nostrum faciunt. Titulus CCXVI. pag. 17. inscribitur *De Natale Papæ*, additurque *Lectio epistolæ B. Pauli Apostoli ad Hebræos. Fratres, omnis Pontifex ex hominibus assumtus* &c. vsque: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Titulus CCXVII. inscribitur *Item vbi supra*, additurque *Lectio libri Tobiæ. In diebus illis, Benedicens Tobias filio suo ait; Reædificet Dominus Deus temporibus tuis tabernaculum suum, & reuocet ad te omnes captiuos: & gaudeas in omnia sæcula sæculorum. Luce splendida fulgebis: & omnes fines terræ adorabunt te: nationes ex longinquo ad te venient; & munera deferentes adorabunt Dominum in te: & terram tuam in sanctificatione habebunt; nomen magnum inuocabunt in te. Maledicti erunt, qui contempserint te; & condemnati erunt, qui blasphemauerint te. Tu autem lætaberis in filiis tuis: quoniam omnes benedicentur; & congregabuntur ad te. Beati omnes qui diligunt te, & qui gaudent super pacem tuam. Anima mea benedic Dominum; quoniam liberabit ciuitatem istam a cunctis tribulationibus eius.* His addimus Capitulare Euangeliorum, ab eodem Caro editum pag. 214. *In Natali Papæ. Secundum Lucam. cap. CCLXX.* (Nota, omnia Euangeliorum Capitu-

pitu-

pitula secundum Canones Eusebianos numerari, de quo vide, si placet, allegatam Dissertationem nostram num. 44.) *In illo tempore, Facta est contentio inter discipulos Iesu.* vsque. *Iudicantes duodecim tribus Israel.* *Item alia vt supra.* *Secundum Lucam. cap. CCXXVIII.* *In illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam. vsque. Omni habenti dabitur & abundabit.* *Item vbi supra in Natali Papæ.* *Secundum Matthæum. cap. CLXVI.* *In illo tempore, Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. vsque. Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* *Item alia vt supra.* *Secundum Lucam. cap. CCXXV.* *In illo tempore, Egressus Iesus perambulabat Iericho. vsque. Et saluum facere, quod perierat.* In fine paginæ Carus notabilem locum ex Leonis M. sermone II. quem is in anniuersario die assumtionis suæ habuit, & pericopam tertiam exposuit, diserte inquiens: *Cum enim sicut Euangelica lectione reseratum est, interrogasset Dominus discipulos, quem ipsum (multis diuersa opinantibus) crederent; respondissetque beatus Petrus* &c. Cum Cari Capitulari consentit illud, quod sub titulo *Kalendarii Romani* Parisiis edidit Ioannes Fronto, licet non tam decenti ordine lectiones illæ se inuicem consequantur, sed duæ priores pag. 159. posteriores pag. 161. signentur. Alias autem lectiones in Galliis receptas Lectionarium Gallicanum Mabillonii exhibet, pag. 165. 166. tres nimirum Epistolicas & duas Euangelicas. Prima illarum desumta est ex Epistola Pauli Apostoli ad Hebræos, Cap. XII. v. 28. ad 21. capitis sequentis: secunda ex Cap. 34. Ezechielis, v. 1. ad finem capitis: tertia ex epistola Petri priori Cap. 1. v. 3. ad 20. tum cap. 5. v. 1. ad v. 4. Euangelium prius ex Ioannis Cap. X. v. 1. ad 16. posterius ex Matthæi V. v. 13. ad 19. quibus omnibus hic præmittitur titulus: *Legenda in Natale Episcopi.*

VI. Inter Cantica & hymnos quin notissimus ille eucharisticus, *Te Deum laudamus*, Romæ saltem decantatus fuerit, dubitare nos non sinit Amalarius, minime quidem Archiepiscopus Treuerensis, quanquam ita etiam nouissime illum vocat Ioan. Ciampinus in Coniecturis de Azymo Cap. X. sed Diaconus Metensis, vt contra vulgarem opinionem adplaudentibus eruditis singulari epistola docuit Sirmondus. Amalarius ille sub Ludouico Pio Imperatore floruit, & ab eo missus est Romam An. 831. ad Gregorium quartum, qua legatione confecta librum edidit de Ordine Antiphonarum, post cuius prologum adgreditur narrationem *de his, quæ meo interrogatui responsa sunt a Magistris Romanæ Ecclesiæ*, vbi inter alia hæc legimus: *Interrogaui si canerent per Dominicas noctes:* Te Deum laudamus. *Responsum est, Tantum in natalitiis Pontificum, Te Deum laudamus, canimus.* Quæ tali commentario illustrat Theoph. Raynaudus Partit. 1. de bonis & malis libris Erotem. 10. num. 189. *Ambrosio communiter ac S. Augustino tribuitur* hymnus Dominicalis; *sic enim Alcuinus lib. de officiis, appel-*

lat Canticum vulgatum : Te Deum laudamus,*quod olim ex vsu Romanæ Ecclesiæ in solis Pontificum natalitiis concini solitum, teste Amalario lib. de ordine Antiphonarii cap. 2. postea ex S. Benedicti præscripto,in quibusuis Dominicis,etiam Aduentus & Quadragesima decantatum est, non sine aliqua offensione Præsulum,vt scribit Radulphus Glaber lib. 3. Histor. cap. 3.* Bis alucinatur Raynaudus. Primo,quod Alcuino tribuit librum de officiis,quem ei ab impostore suppositum esse discere potuisset ex Sirmondi sui Notis in Theodulfum pag. 284. & Andreæ du Chesne Præfatione in Alcuinum num. 17. quibus hodie adstipulantur Ioan. Mabillonius To. 1. Sæculi quarti Benedictini in vita Alcuini pag. 145. Natalis Alexander Synopsi Sæc. IIX. c. III. Art. 7. & Anton. Pagi Dissert. Hypat. P. III. cap. 1. num. 3. Deinde Amalarius non capite secundo libri sui, sed post Prologum, vt dixi,ea recitat,quæ commemorat Raynaudus. Ex illa autem Romanæ Ecclesiæ consuetudine profectum videtur, vt idem hymnus in electionibus Episcoporum caneretur, quemadmodum ex Nicolao Suessionensi Sæculi XIII. Scriptore obseruat Franc. Longus a Coriolano Summæ Conciliorum pag. 492. quod etiam in constitutione Abbatissæ Diniensis factum esse refert Petrus Gassendus in Ecclesia Diniensi cap 21. Præterea recte vulgarem opinionem reiecit post Menardum Raynaudus,quasi Ambrosius & Augustinus fuerint illius hymni auctores. Equidem Radulphus Decanus Tungrensis, qui initio Sæc. XV. obiit, lib. de Canonum obseruantia,Propositione XII. ait, *id probari in proœmio Milleloquii :* sed dubito, an meliores sint illæ probationes aliis,quas adferunt Bellarminus de Script. Eccl. in Ambrosio,eiusque sequaces,Ioan. Bapt. Casalius de Rit.Christ. cap. 46. Oliuer. Bonarsius Lib. de horis Canon. cap. 29. num. 26. aliique, ex Dacii Episcopi Mediolanensis,qui Iustino imperante floruerit,Chronico,*in cuius lib. 1. cap. 10. scribatur,completo baptismo S. Augustini,toto obstupescente populo, repente canticum illud a sanctis Ambrosio & Augustino alternatim fuisse cantatum.* Atenimuero illud Dacii Chronicon νοθείας arguunt non modo Menardus & Raynaudus, sed & alii in controuersia de Azymo apud Alexandrum Sæc. XI. Diss. XI. pag. 331. Labbeus quidem in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiast. notat Bellarminum & alios de ætate Dacii,eumque vult sub Iustiniano vixisse, ac simul dubitat,an vllibi typis Chronicon illud sit mandatum,ideoque ἐπέχει. Certe tanquam MS. *Mediolani in Bibliotheca Ambrosiana exstans* id citari loco prox me citato monet Alexander: & de eodem in Animaduers. ad Vossium de Historicis Latinis pag. 21. 22. ita commentatur Christoph. Sandius: *Chronica Datii dicta non sunt huius auctoris, sed longe iunioris, ceu qui non potuerit vixisse ante saculum vndecimũ, cum in illis dicatur Arnulphus archiepiscopus Mediolanensis ab Imp. Otthone CPolim missus. Quamobrem statuere cogimur relationes seu annales Datii allegatos ab Anastasio Bibliothecario vita Sylverii, & Miscell. lib. 16. cap. 15.*
diuer-

diuersos esse a Chronico dicto Datii, quod aliqui cum Idacii confundunt. Ex quibus omnibus facile elicitur, quam exiguæ fidei sit opusculum istud, quod si Dacii etiam esset, nullum tamen adsensum mereretur, vtpote hominis recentioris, & *eo loco allegato narrans de gestis in SS. Ambrosii & Augustini alloquio, quæ plane aduersatur ipsi S. Augustino atque Possidio*, vt Raynaudus obseruauit. Sed hac de re plura in proxima Exercitatione disquiremus.

VII. Sicuti autem hymnus ille inter Antiphonas haud postremum locum occupauit, ita reliquas in Natali Pontificis vsitatas cum cæteris hymnis ex Antiphonario, quod sub Gregorii M. nomine Carus vulgauit, discimus. Nam pag. 222. 223. varias legimus Antiphonas & Responsoria Gradalia, ex Psalmis plerunque desumta, præter quæ integri Psalmi XIX. & CXXXII. decantati fuerunt, quorum ille in Ebræo est XX. hic CXXXIII. Porro, si quis consuluerit Librum Sacramentorum Gregorii Magni ex editione Menardi, pag. 240. 241. reperiet *Orationes in Natali Papæ*, ab ipso ante, in & post consecrationem oblatarum dicendas, vna cum *Missa propria in die Ordinationis suæ*. Denique Lambecius Lib. II. Commentariorum ex Codice MSto Caroli M. integrum descripsit *Benedictionale Gregorii*, in quo pag. 314. 315. Benedictio *in Anniuersario Consecrationis Episcopi* talis exstat: *Omnipotens Deus, qui me, quamuis indignum, per immensam suæ pietatis affluentiam, intra numerum Antistitum, ad ministrandum Altari suo, laudis hostias immolando dignatus est deputare, atque tam ad cælestis Mensæ Sacramenta, quam etiam ad perennis vitæ alimenta populo suo eroganda destinare, ipse benedictionis copula dignetur locupletare, & sanctificando gratia S. Spiritus corda Vestra misericorditer vegetare, Amen. Dignetur etiam vos ab omnimoda nequitia clementer expiare, & in sua pietatis excellentia potenter confirmare, Amen. Concedat quoque vobis, de malis ad bona, & de bonis ad meliora quotidie proficiendo transmigrare, & post huius terminum vitæ ad æternorum gaudia præmiorum feliciter transmigrare, Amen. Quod ipse præstare dignetur &c.*

VIII. Restat Concio, siue sermo sacer, habitus vel ab ipso Episcopo, cuius Natalis celebrabatur, vel ab aliis in laudem eius. Prioris antiquissimum, quod superest, exemplum suppeditant Ambrosius & Augustinus; Ille Commentario in Lucam, vt vidimus num. III. Hic homilia 24. & 25. ex quinquaginta, quas ibidem nude allegauimus, nunc verba quædam excerpemus, quæ non potuerunt non maximum pondus in auribus animisque auditorum habere. Ita enim incipit prior homilia: *Die quidem omni & omni hora & cura omnino continua, dilectissimi, cogitare debet episcopus, quantæ dispensationis sarcinam gerat, qualem de illa rationem Domino reddat suo. Veruntamen cum dies anniuersarius nostræ ordinationis exoritur, tunc maxime honor huius officii, tanquam primo imponatur, attenditur, &c.* Ad eundem modum posterior inchoatur: *Hodiernus*

nus dies iste, fratres chariſſimi, admonet me attentius cogitare ſarcinam meam. De cuius pondere etiamſi mihi die noctuque cogitandum ſit, neſcio quo tamen modo anniuerſarius iſte dies impingat eam ſenſibus meis, vt ab ea cogitanda omnino diſſimulare non poſſim. Et quanto anni accedunt, imo decedunt, noſque propinquiores faciunt diei vltimo, vtique quandoque ſine dubitatione venturo, tanto mihi eſt acrior cogitatio, & ſtimulus plenior, qualem Domino Deo noſtro rationem poſſim reddere pro vobis. His Roſvveydus addit Leonem M. Sermone I. II. & III. Gregorium Nazianzenum Orat. VII. Nyſſenum tomo II. Operum, Chryſoſtomum To. V. Operum: ſed Ducæanam Chryſoſtomi editionem euoluere nunc non datur, quæ rariſsima eſt, planeque a Germanis noſtris Bibliopolis recudi meretur cum additamentis, quæ Cotelerius aliique poſtea dederunt. Neque Roſvveydus ſatis expendit, vtrum primo, vel anniuerſario Epiſcopatus die habitæ ſint illæ homiliæ a tribus iſtis Græcæ Eccleſiæ Patribus. Primo enim die habitas allegatus ab ipſo Roſvveydo Franciſcus Bernardinus Ferrarius lib. III. de ritu Sacrarum Concionum Cap. XII. claris verbis adfirmat: *Gregorius Nazianzenus concionatus eſt, quo primum die Saſimorum eſt creatus Epiſcopus. Gregorii Nyſſeni elegans oratio, habita primo ſui Epiſcopatus natali die. Chryſoſtomus concionatur, cum primum Epiſcopus ordinatus eſt.* Certe Nyſſeni ſermonem editum ſeorſim cum aliis eius opuſculis habemus a Franciſco Ducæo, Ingolſtadii an. 1596. ſed ex primo ſtatim initio patet, dictum non eſſe die anniuerſario, ſed primo epiſcopatus natali: vnde etiam inſcribitur: εἰς τὴν ἑαυτοῦ χειροτονίαν, *in ſuam ordinationem.* Sed die anniuerſario Leo Magnus ſermonem ſecundum dixit, vnde hæc adſcribemus: *Venerabilium fratrum & conſacerdotum meorum deſiderata mihi & honoranda præſentia hinc ſacratior eſt atque deuotior, ſi pietatem huius officii, in quo adeſſe dignati ſunt, ei principaliter deferunt, quem non ſolum huius ſedis Præſulem, ſed & omnium Epiſcoporum nouerunt eſſe Primatem &c.* Cæterum panegyricorum ab aliis in laudem Epiſcopi Natalem celebrantis dictorum duo exempla idem adfert Roſvveydus, Petri Epiſcopi a Chryſologo laudati ſermone CVII. & Laurentii Mediolanenſis Epiſcopi ab Ennodio, prima ſacrarum dictionum; quorum poſterioris etiam meminit Mabillonius, Notis in Lectionarium Eccleſiæ Gallicanæ pag. 166. & cumprimis *præclara hæc verba* indicat: *Tibi ergo debetur venerabilium cuſtodia canonum* &c. His adde tertium exemplum Epiphanii Ticinenſis, de quo antea diximus. Dictio enim Ennodii nona hunc habet titulum: *Dictio, quæ habita eſt in Natali ſancti ac beatiſſimi Papæ Epiphanii in annum XXX Sacerdotii.*

IX. Quanquam autem ex hactenus dictis colligi facile poſſit, inter præcipua feſta in qualibet vrbe Epiſcopali reputatum eſſe Epiſcopi Natalem anniuerſarium: iuuat tamen, aliis argumentis id confirmare, in quibus haud poſtre-

ſtremum eſt, quod Papa Archiepiſcopis pallium mittens, vſumque eius ſolennioribus tantum feſtis concedens, Natalitium quoque illorum diſerte numerat. In libro diurno Romanorum Pontificum quatuor exſtant formulæ mittendi pallii, quarum primam ex Gregorii Magni diuerſis locis deſumtam probat Garnerius pag. 82. & quanquam in ea vſus pallii non niſi his deſcribitur verbis: *Pallium autem fraternitati tuæ ex more, ad Miſſarum ſolemnia celebranda, transmiſimus, quo, non aliter, Eccleſiæ tuæ priuilegiis in ſuo ſtatu manentibus, vti largimur, quam deceſſores prædeceſſoresque tuos vſos eſſe incognitum non habes:* ſequentibus tamen temporibus Pontifices nonnulli hac formula vſi tempus ſpecialius determinarunt. *Formulam hanc* (ait Garnerius in Notis) *magna ex parte Ioannes VIII. adhibuit, cum anno 878. Walloni Metenſi Epiſcopo pallium mitteret: deſcripſit enim verbo ad verbum ad hæc vsque*, indiſcretus inueniat. *Adhibuit etiam Leo VII. anno 935. cum pallium tribueret Gerardo Lauriacenſi: ſicut & Alexander II. anno 1062. cum pariter pallium Petro Dalmatiæ Epiſcopo dirigeret. Iuuat Ioannis, Leonis & Alexandri epiſtolas cum forma Diurni componere: inde enim & vſus manifeſtior fiet, & eccleſiaſticæ eruditionis nonnihil exiſtet.* Mihi nunc ſufficit, Leonis VII. epiſtolam priorem, poſt Chronicon Reicherſpergenſe a Gevvoldo editam, *ad Gerardum ſanctæ Lauriacenſis eccleſiæ Archiepiſcopum*, conferre, in qua hæc legimus pag. 6. 7. *Pallium autem fraternitati tuæ ad Miſſarum ſolemnia celebranda concedimus, quo tibi non aliter Eccleſiæ tuæ priuilegiis in ſuo ſtatu manentibus, vti largimur, non ſolum in die conſecrationis chriſmatis, ac ſanctæ & venerandæ reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſeu in natalitiis ſanctorum Apoſtolorum, atque beati Ioannis Baptiſtæ, nec non in feſtiuitatibus ſanctæ DEI genitricis Mariæ, ſimulque in Domini noſtri Natiuitatis die: pariterque in ſolemnitatis Eccleſiæ tuæ die, & NATALITIO TVO DIE, verum etiam in conſecratione Epiſcoporum & Presbyterorum, & quando a te Synodus celebratur &c.* Idem Gevvoldus aliam Symmachi Bullam præmiſit, *ad Theodorum ſanctæ Lauriacenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum*, vbi hæc verba: *Idcirco pallio, quod ex Apoſtolica Caritate tibi deſtinamus, quo vti debeas ſecundum morem Eccleſiæ tuæ, ſollerter ammonemus &c.* Symmachus initio ſexti ſæculi vixit, & teſte Garnerio in Notis pag. 88. tertiam Diurni formulam vſurpauit, vbi tamen hæc paullo aliter leguntur: *& ad oſtendendam in te tuamque Eccleſiam, eiusdem ſedis Apoſtolicæ caritatem, ex noſtri etiam tibi vſu pallii, quo ſecundum tuæ morem vti poſſis Eccleſiæ, illud deſtinaſſe ſignificamus.* Sed qui in ſcriptoribus medii æui verſati ſunt, & vocabulorum transpoſitionem illis ſolennem norunt, facile iudicabunt, formulam Diurni recentiorem eſſe illa, quam Symmachus adhibuit, licet *morem eccleſiæ* nominans omnia feſta celebriora ſuis temporibus recepta indicauerit, quod etiam fit in reliquis duabus formulis. Secunda enim pag. 87. ita habet:

Pal-

Pallium præterea, iuxta antiquam consuetudinem, fraternitati tuæ transmisimus, quo im uti memineris, sicut prædecessores nostri tuis prædecessoribus concessere, priuilegiorum tuorum scilicet integritate seruata. Quarta autem *Episcopis Siciliæ* propria pag. 90. incipit: *Apostolicæ sedis beneuolentia, & antiqua consuetudine prouocati, fraternitati tuæ, quam in III. Ecclesiæ gubernationis suscepisse constat officium, pallii vsum prauidimus concedendum, illis videlicet temporibus, atque eo ordine, quibus decessorem quoque tuum vsum esse non ambigis.* Vtraque hæc formula ex Gregorio Magno, probante Garnerio, depromta est, vsumque pallii die Natalitio Episcopi supponit, quem sequentium sæculorum Pontifices clarius expresserunt, vti supra in Leone VII. vidimus. Nunc aliud ex Antiquitate Germanica exemplum addemus, quod Garnerium fugit, sed a Celeberrimo Sagittario in Magdeburgensis Archiepiscopatus Antiquitatibus ex elegantissimo Museo Oleariano detectum fuit. Adelbertus, primus illius sedis Archiepiscopus, ab Ottone Magno an. 968. Romam ad pallium impetrandum missus fuit ad Papam Ioannem XIII. ab eoque XV. Kal. Nouembr. qui Lucæ Euangelistæ sacer est, ordinatus, Bullam impetrauit, num. CVIII. a Sagittario insertam, cuius initium & finis manifeste primam Diurni formulam paullo ante indicatam sapit. Conferat, qui volet, verba Bullæ, *si pastores ouium solem geluq, &c.* vsque, *sublimiores inter cæteros iudicamur.* Sequitur deinde narratio de Adelberto ab Ottone Romam misso & a Papa in Archiepiscopum ad conuertendos Slauos ordinato, deque pallio hæc subiiciuntur: *ipsi pallium tibi ad missarum solemnia damus*, (non *transmisimus*, vt in diurno legitur, quia præsens erat Adelbertus,) *ipsi nimia dilectione commoti circa te ponimus, & eo te, sicut Archiepiscopum Moguncienfem & Treuirensem, vti concedimus. Præterea statutis his diebus, Natalis Domini, Epiphaniæ, Resurrectionis Domini, Ascensionis, Pentecostes, Natalitiis Apostolorum, S. Laurentii, & festiuitate S. Virginis Mariæ & eorum sanctorum, qui Magdeburgi requiescunt, & in consecratione suffraganeorum tuorum Episcoporum, & dedicationibus Ecclesiarum, IN DIE NATALITII TVI, & ita tuis impofterum successoribus ex auctoritate Apostolicæ sedis præsenti priuilegio concedimus, & confirmamus, ita tamen, vt vnusquisque, qui pro tempore fuerit, ab Apostolica sede, secundum morem illud recipiat.* Quæ posthæc in Bulla adduntur, ex formula Diurni sumta, indeque corrigenda sunt, h. m. *Itaque vita tua filiis tuis sit regula: in ipsa, si qua torpitudo illis inuecta est, se erigant: in ea, quod imitentur, aspiciant: in ipsa semper considerando proficiant, vt tuum, post Deum, videatur esse, bene quod vixerint. Cor ergo neque prospera, quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque aduersa deiiciant; sed quidquid illud fuerit, virtute patientiæ deuincatur. Nullum apud te locum odia, nullum fauor indiscretus inueniat: benignum te boni sentiant, districtum mali cognoscant: insontem apud te sug-*

gestio

gestio mala non faciat, nocentem gratia non excuset. Reliqua omnia formulæ desunt in Bulla, vsque ad conclusionem, in qua pro *nostram* scribe *vestram*. Ita enim Diurnus: *Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratiæ suæ protectione circumdet, atque ita in timoris sui via nos dirigat, vt post vitæ vnius amaritudines, ad æterna simul peruenire dulcedinem mereamur.* Cætera Bullæ adiecta ad scriptionem tempusque pertinentia ipsi sunt propria, neque a me nunc attenduntur, cui sufficit, ex hac Bulla ostendisse, tribus antiquissimis in Germania Archiepiscopis, Moguntino, Treuirensi & Magdeburgensi, solenne quondam fuisse, Natalitium dignitatis diem quotannis celebrare.

X. Ioannes Bollandus in Actis Sanctorum To. II. Ianuarii p. 181. festiuitatem hanc *parem maximis festis* fuisse, optime concludit ex ritu singulari ab Adriano Papa instituto, quem commemorat liber Pontificalis Anastasio Bibliothecario vulgo tributus: *Deniq; eius beatitudo fecit & pharum maiorem in eadem B. Petri Ecclesia in typum Crucis, qui pendet ante presbyterum, habentem candelas mille trecentas & septuaginta. Et constituit, vt quatuor vicibus in anno ipsum pharum accenderent, id est, in Natiuitate Domini, in Pascha, in Natali Apostolorum, & in Natali Pontificis.* Pharus sequioris æui scriptoribus nihil aliud est, quam *Lucerna, siue Lychnuchus orbicularis & circularis cum certo lucernarum aut candelarum numero, cuiusmodi passim in templis nostris visuntur,* vt exponit Carolus du Fresne in Glossario post Ioan. Ludou. de la Cerda Aduers. Sacr. Cap. XXXVI. num. 15. & Cap. XCIV. num. 22. *Laternam* vocari dicit Mabillonius To. IV. Analectorum pag. 10. II. Imitatus est Adrianum Aldricus constituitque, vt cum in aliis festis, tum *in natale Episcopi, ardeant luminaria triplicata, id est, de oleo XC. & cera X. hoc scilicet centum vel eo amplius, prout opportunitas & locus fuerit.* Vid. cap. XLVI. Gestorum, quo continetur *Constitutio Aldrici de luminaribus & incensibus Ecclesiæ senioris ciuitatis.* Tandem Clericorum *refectio* describitur cap. IV. & ab ipso Aldrico in Testamento capiti XXXI. inserto his verbis proponitur: *In ipsa ergo festiuitate habeant iamdicti fratres de frumento optimo modios quatuor, insuper & de costo optimo modum vnum, & ad pisces emendos solidos quinque, de caseo vero modium vnum, & de legumine similiter modium vnum.* Illa Clericorum refectio festis eiusmodi solennis erat, quod ex *Caroli Crassi commemoratione apud Augienses instituta a Cadoldo Episcopo Nouariensi*, apud Mabillonium To. IV. Analectorum pag. 340. in qua *Chaldoltus* (vt in ipso textu vocatur) ad præstandum animum gratum pro tot beneficiis a Carolo in se collatis, cum consensu Abbatis & capituli Augiensis instituit annuum eius recordationem, missis & psalmis *pro anima Imperatoris perficiendam a fratribus, qui eadem die pro illius amore in refectorio plena charitate hilares atque gaudentes efficerentur; & hæc commemoratio fiat in die consecrationis suæ, id est Epiphania.*

phaniarum die. Post obitum vero Augusti volumus atque disposuimus, vt in illo Kalendario obitus illius omni tempore, de anno in annum in ipsa anniuersaria die prædictum seruitium in commune fratribus fiat, ac præfatæ commemorationis orationes pro anima illius procul dubio perficiantur. Quibus addit: *Statuimus etiam in eodem conuentu, vt ego & frater meus, videlicet Liutvvardus Episcopus, pro bona voluntatis studio aliquam commemorationis mercedem reciperemus: ac disposuimus, vt post obitum meum in ipso Kal. obitus mei singulis annis dies anniuersarius omni tempore celebretur, &c.* In eadem Constitutione Liutvvardus appellatur *Archicapellanus*, de qua functione consuli meretur Bernardus a Mallincrot de Archi-Cancellariis Imperii pag. 17. 18. vbi plura de eius Episcopatu Vercellensi, satisque apud Cæsarem sinistris reperient harum rerum studiosi.

XI. Singularia sunt, quæ de Thoma Cantuariensi narrauit Geruasius Dorobernensis monachus, in Chronico Henrici secundi, *Thomam* nempe, *consecratum Cantuariensem archiepiscopum, instituisse A. D. 1162.* apud suos *festiuitatem principalem sanctæ Trinitatis singulis annis in perpetuum die octauarum Pentecostes celebrandam.* Ioannes Dallæus Lib. II. de Religiosi Cultus Obiecto Cap. XVII. hoc Geruasii loco vtitur ad infringendam Perronii sententiam, quasi festum illud ad celebrandam de Arianismo profligato victoriam institutum fuerit. *Sed* inquit, *neque ille* (Geruasius) *quicquam habet de exstincti Arianismi memoria. Potius significat, eam Thomæ diem noui festi accessione ornare placuisse in sui pontificatus memoriam, quod illa ipsa scilicet Pentecostes octaua Cantuariensis Præsul esset ordinatus. Fortassis hominis auctoritas, quem Latini præ eximio Martyre colunt, festum hoc iis commendauit. Vtcunque sit, Guilielmus quidem Durantus, quem anno 1280. floruisse constat, cum in suo diuinorum officiorum Rationario ad hunc locum venit, ne tum quidem vbique obtinuisse hoc festum, sed in plerisque locis fieri scribit; & mox docet variam fuisse consuetudinem eos diserte memorans, qui non vtuntur hoc festo*, sequentes reprobationem Alexandri Papæ; *quam scilicet ex Micrologo descripsimus. Quod certissimo argumento est, illam festiuitatem nullo vniuersæ totius Latinæ Ecclesiæ decreto fuisse institutam, sed priuata primo paucorum, mox plurium deuotione inuectam tandem inualuisse. Certe nulla de ea obseruanda vllius Papæ (quod equidem sciam) ad hac tempora extat decretalis.* Lubet his amplius immorari, quæ ad cognoscendam nobilis festi in nostra etiam Ecclesia seruati originem faciunt. Equidem ea perobscura est, neque fallitur Dallæus, cum *ne nono quidem sæculo notum fuisse, hoc festum ex Moguntina Synodo A. D. 813. habita, & ex Gerardi Turonensis Episcopi Capitulis circa A. D. 858. editis, patere* ait, quippe vtrobique *festa totius anni pertexuntur, nulla huius Trinitati sacri mentione.* His adde similem recensionem omissionemque in Capitularibus Regum Francorum Lib. I. Cap. 164. Lib. II. Cap. 35. & Lib. VI. Cap. 186.

Hinc

Hinc etiam fit, vt neque in antiquissimis Lectionariis Latinæ Ecclesiæ, quæ in celebribus Bibliothecis adhuc prostant, neq; in Kalendariis & Capitularibus Euangeliorum ab Allatio, Frontone, Mabillonio, aliis, in lucem erutis, vlla huiꝰ festi memoria occurrat, sed simpliciter *Dominica Octaba Pentecosten* appelletur. *Neq; id memorant*, pergit ex re & vero Dallæus, *vlli vel istius (noni) vel sequentis sæculi non pauci Scriptores, qui de rebus Ecclesiasticis, totiusque anni solenni cultu ex professo commentati sunt, Amalarius Fortunatus, Rabanus Maurus, Pseudo-Alcuinus, cæteri. Quinimo ne ipse quidem Gratianus, quo loco tempora totius anni ferianda enumerat, vllum profert auctorem, qui festi huius meminerit. Quod enim (De consecratione dist. 3. cap. 1.) habet ex Concilio, vt ipse inscribit, Lugdunensi, capitulum, id cætera quidem festa diserte recenset, de hoc nihil dicit.* Gratianus an. 1127. cœpit, & an. 1151. absoluit suam Collectionem, ex Bellarmini coniectura, plerisque eruditorum probata: cum vero nihil propriis; sed alienis omnia verbis determinauit, tum mirum haud est festum Trinitatis ipso collectionis suæ tempore in quibusdam locis institui cœptum ibi non memorari. Totam scenam nobis aperit Potho Prumiensis, qui ipse testatur, se A. C. 1152. scribere aggressum opus de Statu domus Dei, ac Lib. III. in hunc modum queritur: *Miramur satis, quid visum fuerit HOC TEMPORE quibusdam monasteriis; mutare colorem optimum, nouas quasdam inducendo celebritates. Nunquid patribus doctiores aut deuotiores sumus? Superbamente præsumimus, quicquid ipsorum in talibus prudentia præteriuit. Neque vero noui huiusmodi aliquid inuenire possumus, quod eorum quiuerit diligentiam prætериisse. Quæ igitur ratio hæc festa celebranda nobis induxit? Festum videlicet S. TRINITATIS, & festum transfigurationis Domini &c.* Hæc Pothonis verba totidem descripsit Rodolphus Hospinianus de Origine festorum Christianorum, qui nescio quomodo effugerit Dallæi memoriam. Neque tamen propterea res est in vado, sed maximæ interiacent difficultates. Carolus du Fresne in Glossario Latinitatis *V. Festum*, obseruat, huius festi meminisse *Rupertum lib. II. de Diuin. Offic. c. 2. Micrologum c. 60. Drogonem lib. Miraculorum S. Winnoci c. 4. l. 2. Decretal. tit. 9. c. 2. & Baron. præterea Concilium Arelatense an. 1260. c. 6.* Primus illorum est Rupertus, Tuitiensis abbas, qui *obiit 4. Martii an. 1135.* secundum calculos eiusdem du Fresne, in Indice Auctorum, Glossario præmisso. Is totum librum vndecimum de Diuinis officiis huic Trinitatis festo consecrauit, primoque statim capite scripsit: *Igitur celebrata solemnitate de aduentu S. Spiritus, quo accepto, statim S. Trinitatis fidem prædicare cœperunt Apostoli: recte huius sequentis Dominicæ tam nocturno, quam diurno officio, nomen & gloriam prædicamus eiusdem sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.* Hinc a secundo capite doctrinam huius mysterii explanat, vsque ad XIX. siue vltimum, quo *officium S. Trinitatis* explicat, idem Euangelium ex Ioan. III. de Nicodemo & regeneratione

 subin-

ſubinnuens,quod hodie habemus; ſed aliam Lectionem epiſtolicam ex Apocalypſeos IV. I. ſeqq. de mari aureo, quatuor animalibus, eorumque hymno ὑμνικῷ, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Omnipotens, qui erat, & eſt, & venturus eſt.* In Lectionario Miſſæ, quem a Caro editum ſupra diximus, num. 128. ſuo loco habetur ea Lectio, *Domin. in Octau. Pentecoſtes.* In eodem occurrit quidem *feſtum Trinitatis,* ſed extra ordinem, & in Appendice poſt Miſſas in cotidianis diebus num. 499. & ſeqq. ita, vt num. 503. præſcribatur epiſtola ex Rom. XI. hodienum recepta, ac deinceps omnibus totius illius hebdomadis feriis peculiares Lectiones adſignentur. Mihi quoque in celebri Bibliotheca viſus eſt liber Lectionarius MStus quingentorum circiter annorum, in quo ad calcem reiectus eſt *dies Dominicus de S. Trinitate,* eique tributa *Lectio ad Romanos. Fratres, O altitudo diuitiarum &c.* vt apud nos hodie; ſed *Euangelium* longe aliud, nempe, quod *Dominica poſt Aſcenſionem,* ſeu *Exaudi* legitur, *Cum venerit paracletus &c.* In Capitulari denique Euangeliorum apud Frontonem Caramq; Euangelium ex Ioanne hodie vſitatum reperitur *Dominica Octa. Pentecoſtes.* Hinc manifeſtum eſt, Lectionem Euangelicam ea Dominica receptam fuiſſe, antequam feſtum Trinitatis cœperit, idque cum Lectionarii iſti ſcriberentur, ſatis adhuc recens fuiſſe, alioquin ſuo ordine ſcribendum: Enimuero ex Ruperto liquet, ipſius ætate illud inualuiſſe, adeoque Pothonis narrationem ſaluari vix poſſe, niſi quis in conſuetudine, quinquaginta pluresque annos phraſi, qua is vtitur, comprehendendi, effugium quæſiuerit: quod tamen nullum eſſe ex Micrologo & Drogone liquet. Drogonem ad manus non habeo; Voſſius lib. II. de Hiſtoricis Latinis Cap. XLV. docet, eum temporibus Conradi II. Henrici III. & Henrici IV. Imperatorum floruiſſe; cuius calculos emendans Sandius in Animaduerſionibus p. 90. vult, eum *epiſcopum creatum an. 1031. obiiſſe an. 1078. præfuiſſe annos 47.* Librum de Miraculis S. Winoci ab eo ſcriptum putarim, cum adhuc eſſet Abbas Monaſterii; S. Winoci, Bergis in Flandria, adeoque plus quam centum & quinquaginta annis ante Pothonem. Sed qui librum habent, omnia melius determinabunt. Nos ad Micrologum progredimur, incerti nominis ſcriptorem; id enim non auctoris, ſed libri nomen eſt. Cæterum plerique omnes Bellarmino ſubſcribunt, qui in opuſculo de Scriptoribus Eccleſiaſticis duobus argumentis ex Cap. XIV. & XVI. demonſtrauit, auctorem Gregorii VII. & Anſelmi Lucenſis tempore vixiſſe. Inde Dallæus: *Auctor Micrologi, qui ſe Gregorio P. R. VII. mortuo, id eſt, poſt A. D. 1085. ſcripſiſſe ipſe ſignificat, primus ſi bene memini, de Trinitatis feſto loquitur. Vbi enim ad Pentecoſtes octauam venit, tradit, QVOSDAM in ea officium de S. Trinitate inſtituere; ſed id negat eſſe authenticum. Tum addit:* Quidam Leodicenſis Stephanus idem officium, ſicut & hiſtoriam de inuentione S. Stephani compoſuiſſe aſſeritur: quæ vtraque ab Apoſtolica ſede

re-

respuuntur. *Vnde videre est, quam vanos nobis fumos Perronius dederit; qui tam magnifice de eius festi caussa atque origine philosophatur, quod ab ipsa Romana sede saeculo vndecimo praecipiti adhuc respuebatur.* Tum ita pergit Micrologus: Vnde piae memoriae Alexander Papa de hac re inquisitus respondit, iuxta Romanum Ordinem nullum diem specialiter ascribi debere solennitati sanctae Trinitatis, sicut nec sanctae Vnitatis, praecipue cum in omni Dominica, imo quotidie, vtriusque memoria celebretur. *Alexandrum autem, vt apparet, huius nominis secundum dicit, Gregorii septimi decessorem, A. D. 1061. in Romanam sedem euectum. Ex his vero & aliis ipse Micrologus concludit; Incongruum videri, vnam Dominicam cum orationibus Albini, & cantu Stephani de S. Trinitate celebrari. Atque hoc docet, huius festi auctoribus, quiqui tandem illi fuerint, nihil de triumphali Arianismi memoria venisse vnquam in mentem; Id enim si verum esset, & Alexandri Pontificis, & huius Micrologi contra huius festi celebrationem ratio plane inepta esset atque inefficax; quae clarissime supponit, ad Trinitatis ipsius cultum hoc quicquid est festi pertinere, non ad profligati Arianismi memoriam; quod vnus, quia sic ei libuit, nostro demum tempore, somniauit Perronius.* Haec omnia Dallaeus, qui Perronium minime pro illius opinionis primo auctore venditasset, si vel Durantum (de quo mox plura dicam) a seipso allegatum, vel editionem saltem Micrologi primam a Pamelio Antuerpiae an. 1565. adornatam accuratius inspexisset, cuius margini initio cap. LX. hoc scholion alleuerat Pamelius: *Rupertus sua aetate festum Trinitatis celebrat. G. etiam Durantus non obstante hac constitutione Alexandri, contra Arianos institutum docet, vnde & a nobis celebrandum.* At multo intricatior nodus alicui videbitur, quod Micrologi auctor ad Alexandrum Papā prouocauit: is autem non secundus, sed tertius huius nominis fuerit, an. 1159. ad sedem Romanam euectus, & a. 1181. mortuus. Nam quae lib. II. Decretalium Gregorii Tit. IX. C. 2. legitur Constitutio, disertissime *Alexandro tertio* inscribitur, eidemque ab Hospiniano tribuitur: *Praeterea festiuitas sanctae Trinitatis, secundum consuetudines diuersarum regionum a quibusdam consueuit in octauis Pentecostes: ab aliis in dominica prima, ante aduentum Domini celebrari. Ecclesia siquidem Romana in vsu non habet, quod in aliquo tempore huiusmodi celebret specialiter festiuitatem: cum singulis diebus Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, & caetera similia dicantur, ad laudem pertinentia Trinitatis.* Arctius constringeret nodum, qui cum Casimiro Oudino de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 348. aliisque eius nostro tempore sequacibus statuat, *Micrologi auctorem non vixisse anno 1085. sed anno forsitan 1180. vel circiter. Constat enim eundem esse Auctorem Micrologi istius & trium Librorum, qui manuscripti inueniuntur in multis Bibliothecis*, Vitae Caroli Magni, Regis Francorum & Imperatoris, *cum Auctor istorum librorum in prologo, Micrologum de Officiis Ecclesiasticis suum Opus agnoscat. At*

ad instantiam Friderici primi Imperatoris conscripti sunt, vt docet prologus dictorum librorum, quem euulgauerunt Bollandistæ ad diem 28. Ianuarii: & in hoc prologo Auctor allegat se iam scripsisse librum Micrologum *inscriptum. Vnde cum hi libri certo sint circa annum 1180. vel 1160. compositi, idem de Micrologo statuendum annotandumque est. Hæc dicta sint, saluis certioribus in contrarium.* Sed ad hunc nodum soluendum minime opus est Alexandri gladio, cùm facillime negotium procedat. Quid enim obstat, quo minus Alexander secundus & tertius ediderint Decretalem, ratione obiecti eandem, respectu argumentorum diuersam? ita, vt vterque secundum Romanæ ecclesiæ consuetudinem noluerit peculiarem diem festo Trinitatis destinari: ille quidem propterea, quod neque sanctæ vnitatis singulare festum detur, ac tam Trinitatis quam Vnitatis memoria qualibet Dominica quotidieque celebretur; hic autem in Romanæ ecclesiæ more persistat, nullam Vnitatis mentionem faciens, sed tantum quotidianam Trinitatis laudem allegans; etiamsi ab aliis festum illud in octauis Pentecostes, ab aliis Dominica prima ante aduentum Domini celebrari non improbet; quorsum pertinet Cari Antiphonarium, quod ad finem omnium Dominicarum exhibet Antiphonas, Responsorium Gradale, & Psalmos *de SS. Trinitate* his titulis: *Dominica XXIV. post Octau. Pentec.* quæ est eadem cum Dominica prima ante Aduentum Domini in Alexandri Decretali; vel *Dominica de S. Trinitate*; vel *die Dominica de S. Trinitate.* Præcipue autem ad duplicem hanc Bullam faciendam nos adigit ætas scriptoris Micrologici, a Bellarmino certisime definita, cuius rationes clausulam illam Oudino expresserunt. Quis enim inficiaretur, illum scriptorũ fæculo vndecimo vixisse, qui C.XIV. libri sui laudat *Sedis Apostolicæ nostro tempore gubernatorem, reuerendæ memoriæ Gregoriũ, sub decem suis antecessoribus, a puero Romæ nutritum & eruditum,* quod de Gregorio VII. verissimum est: & mox addit, se *hunc Doctorem in considerandis mysteriis imitari decreuisse, sicut NOS IPSI per ipsum & per Episcopos, qui eum imitati sunt, accepimus, &c.* qui Cap. XVI. scribit: *Sed reuerendæ memoriæ Gregorius Papa fecit, vt prædiximus, quod beatus Anselmus Lucensis Episcopus ita ab eo se didicisse testatus est, & hoc ita semper obseruauit, NOBISQVE itidem obseruandum firmissime inculcauit &c.* Nonne hæc sapiunt hominem, ante medium vndecimi fæculi natum? Siquidem constat, Gregorium VII. ab an. 1073. ad an. 1085. cathedram Romanam tenuisse, Anselmum vero ab An. 1071. Lucensem in Tuscia Episcopum an. 1086. obiisse. Quomodo vero is qui cum vtroque conuersatus est, & post vtriusque mortem scripsit, Alexandri etiam tertii tempora attingere, ac eo quoque an. 1181. defuncto scribere potuit? Stat itaque sententia, Alexandrum II. pariter de Trinitatis festo aliquod edidisse decretum, idque Micrologicum scriptorem Gregorio VII. supparem in mente habuisse. Nec firmum est præsidium, quod in prologo librorum iussu Friderici

rici Barbarossæ de vita Caroli M. scriptorum reperisse sibi visus est Oudinus. Nam Micrologus ibi memoratus Caroli Magni victorias, non officia Ecclesiastica, vt noster, continebat, quod ex his prologi verbis manifestissime patet: *Egregia vero ipsius Beati Karoli gesta, & triumphalem bellorum eius Historiam aliis relinquimus, quæ in Catalogo Virorum fortium & in Chronicis eiusdem multifariam reperitur; cuius & nos officiosa sedulitate Micrologum conscripsimus.* Prologum illum Commentario suo de Bibliotheca Cæsarea inseruit Petrus Lambecius Lib. II. pag. 329. 330. tanquam ex Codice ἀνεκδότῳ, *de meritis & miraculis Caroli Magni* inscripto, non animaduertens, a Bollando To. II. Ianuarii an. 1643. editum; optime tamen in margine ad verba citata notans: *Locus singularis de* Micrologo *Gestorum Imp. Caroli Magni ab eodem auctore conscripto.* Videtur saltem illo tempore frequens fuisse consuetudo, exiguis scriptis libellisque *Micrologi* titulum imponendi, cum præter Micrologum de Ecclesiasticis obseruationibus, alterumque Historicum de Carolo Magno tertius memoretur Musicus, a Guidone Aretino circa annum 1022. concinnatus, quo is facilem Cantus rationem per scalas methodicas, *Vt, re, mi, fa, sol, la*, a se repertas, complexus est. Sunt, qui ab eodem Guidone Micrologum nostrum Ecclesiasticum conscriptum velint, impugnati a Theophilo Raynaudo in Erotematis num. 203. quod Guido sub Ioanne XX. egerit annum 34. ætatis suæ, adeoque post mortem Gregorii VII. plusquam nonagenarius ad hoc Opus sese accinxisset, quod vix est probabile. Sed quicunque tandem verus illius auctor fuerit, nos de cæteris circa Trinitatis festum ab eo relatis breuiter dispiciemus. In Pamelii quidem editione verba, quæ de officio Trinitatis a Stephano Leodicensi composito ex Bibliotheca Patrum adfert Dallæus, licet ex integriori Codice petita, & omnino necessaria videantur ob sequentia, a Pamelio quoque expressa: *Incongruum ergo videtur, vnam Dominicam cum orationibus Albini, & cantu Stephani De S. Trinitate celebrari.* De Albino autem antea dixerat: *Sciendum, quendam Albinum magistrum Karoli rogatu sancti Bonifacii Archiepiscopi, vt aiunt, Missales orationes de S. Trinitate composuisse, & in secunda feria de sapientia, In tertia de spiritu sancto, In quarta de caritate, In quinta de angelis, in sexta de Cruce, in Sabbato de sancta Maria.* Addit, hæc pro quotidianis officiis ab Albino ordinata, indeque concludit, *sicut ergo huiusmodi obseruationes nulli magis hebdomadæ, quam alii, adscribuntur, ita nihilominus & illa de S. Trinitate. Incongruum ergo videtur &c.* Quanquam vero Lectiones hebdomadis post festum Trinitatis in Lectionario Cauii eosdem titulos habent, falsissimum tamen est, Albinum Bonifacii rogatu istas orationes lectionesue adornasse, quum Bonifacius an. 754. a Frisiis occisus, Carolus vero Magnus mortuo demum Pipino Patre an. 768. rex Franciæ fuerit constitutus, & non nisi post aliquot annos ab Offa Merciorum in Anglia Rege dissentiens, Lega-

tum

tum eius Albinum siue Alcuinum controuersia composita apud se retinuerit. Trithemius in Annalibus Hirsaugiensibus ad an. 903. de Stephano Leodicensi agens, cautius scribit: *Hic etiam ex libro Albini Abbatis Turonensis tantum ordinauit, de S. Trinitate, quo in octauis Pentecostes Gallica iam vtitur Ecclesia.* Nouimus, Albinum aliquot de Trinitate libros ad Carolum M. scripsisse, quos ante oculos habere potuit Stephanus, qui an. 903. ad Episcopatum Leodicensem peruenit, & an. 920. obiit, secundum calculos Guilielmi Caue in Historia litteraria pag. 576. qui ex Sigiberti Catalogo & Durandi Rationario Stephano adscribit *Canticum de Trinitate, atque aliud de Inuentione Stephani Protomartyris, quæ periisse videantur, non tam aliorum incuria, quam quod a Sede Romana damnata essent: ita enim habet nota Codicis MS. in Bibliotheca Lambethana: Stephanus Leodicensis Officium Trinitatis sicut de inuentione S. Stephani composuisse asseritur, quæ vtraque ab Apostolica sede respuuntur.* Qui hæc contulerit cum hactenus a nobis disputatis, facile comperiet, notam illam Codicis MSti ex Micrologo desumtam, non damnationem a sede Romana inferre, sed tolerationem in aliis ecclesiis, licet non in propria, ob caussas allegatas; Stephanique officium Trithemii adhuc ætate in Gallicana Ecclesia receptum, ab eo forte tempore, quo in Synodo Arelatensi A. C. 1260. Can. 6. statutum fuit, vt festum Sanctissimæ Trinitatis in Octaua Pentecostes solenniter celebretur. Duranti denique errores ex superioribus facile corrigendos non vacat nunc prolixius excutere, sed ex eo tantum obseruamus, ne ipsius quidem ætate festum hoc vbique inualuisse. Quid autem cum Pothone, cuius gratia totus hic excursus institutus est, faciemus? nisi forte Ecclesiæ quædam Cathedrales ac parochiales festum Trinitatis a Stephani Leodicensis ætate celebrauerint, monasteria autem Pothonis demum ætate cœperint; de quo amplius videant, quorum interest, festorum accurate nosse originem: nos ad Natalitia redimus.

XII. Placet nonnulla ex sequiorum temporum monumentis adiungere, quæ tam Papæ quam Episcoporum Natalitia illustrant. Mabillonius To. II. Musei Italici varios edidit Romanos Ordines, huc pertinentes, in quibus contenti erimus sola additione quæ ad decimum quartum a Ioanne Caietano conscriptum *facta* est *tempore Ioannis Papæ XXII.* pag. 380. *In anniuersario consecrationis seu coronationis Romani Pontificis, idem Romanus Pontifex toto tempore suo celebrat Missam papalem de illo festo, quod ea scilicet die anniuersarii occurrit, cardinalibus & cæteris prælatis paratis more solito; & prædicatur in præsentia domini Papæ, non per ipsum,* (*olim id fiebat per ipsum Pontificem, vt patet ex sermone sancti Leonis,* annotante Mabillonio:) *sed per aliquem cardinalem: & post orationem festi dicit Dominus Papa quandam orationem pro se, quæ debet esse scripta in libro papali. Et licet dictum anniuersarium non habeat Vesperos* papa-

papales, dico, quod non vocantur cardinales, vt parati sericis in vesperis; tamen in capella sua Dominus Papa cantat vesperos festi, & fiunt quaedam sollemnitates postea. Nam dicta oratione festi, repetitur Gloria Patri, sicut erat, *sollemniter, & dicitur vers.* Elegit te Dominus sacerdotem sibi *&c. & Papa dicit postmodum orationem pro se, qua debet esse scripta in libro. &c.* In Concilio Basileensi Sess. XXIII. praescribitur Papae nouo formula, qua is electioni suae consentire, variaque ad fidem morumque reformationem & similia promittere tenetur: quamque *singulis annis die, quo anniuersarium celebratur electionis vel coronationis sua, intra Missarum solennia primus Cardinalis, qui ibidem affuerit, publice & alta voce coram summo pontifice legat, sic: Sanctissime pater, attendat sanctitas tua, & diligenter consideret promissionem hanc, quam die electionis tua Deo fecisti &c.* Adduntur & aliae admonitiones Papae dandae, subiiciturque: *Post expleta enim coronationis solennia, ac singulis annis post electionis anniuersarium, cum fratribus suis octo saltem continuis diebus summus pontifex vigili cura pertractet exequi, quod tam solenniter Deo pollicitus est. &c.* Sed tantum abest, vt haec saluberrima consilia sequuti sint Pontifices, vt non solum ipsum Concilium, sed etiam praedicationem siue sermonem sacrum postea plane abrogauerint, veriti forsan, ne Concionatori in mentem veniret, ipsos de reformatione admonendi. Certe in Libris sacrarum Ceremoniarum Romanae Ecclesiae, quos Venetiis an. 1516. cum priuilegio Leonis X. edidit Christophorus Marcellus, Lib. II. Cap. XXXII. haec tantum legimus: *In die annuo assumtionis Pontificis ad apicem apostolatus solet celebrari Missa solennis publica, quam dicere consueuit Presbyter vel etiam aliquando episcopus Cardinalis in paramentis rubris, cui Papa & cardinales interesse solent more consueto. Missa dicitur de Spiritu Sancto, & in ea dicitur* Gloria in excelsis Deo; Pax vobis; Credo; *& vna tantum Oratio, videlicet*, Deus, qui corda fidelium *&c. Omnia alia fiunt more solito. Et non fit sermo: Neque habet hoc festum vesperas praecedentes.* Caput XXXIII. inscribitur *De anniuersario coronationis summi Pontificis*, cuius iidem ritus dicuntur. Caeterum ex Mabillonii Commentario in Ordinem Romanum, qui secundo Musei Italici tomo praefixus est, num. II. & III. nouimus, bonum Marcellum ob diuulgata haec Ceremoniarum arcana a Paride de Crassis, Ceremoniarum Magistro, atrociter accusatum & vna cum libro ad ignem postulatum fuisse; verumque illius operis auctorem esse Augustinum Patritium Piccolomineum, qui etiam Magister Ceremoniarum Romae extiterit, idque Innocentio Papae VIII. an. 1488. dedicauerit. Haec sufficiant de Pontificum Natalitiis. Episcopalium duo tantum exempla subiungam; alterum Hermanni, Coloniensis Archiepiscopi, vt tribus Germaniae Archiepiscopis num. IX. memoratis quartus accedat) qui *in Concilio Prouinciali, pro reformatione Clericorum, & carimoniarum Ecclesia, A. D. 1536. celebrato,*

Part. III. Capitulo XXX. statuit: *Dum vigiliæ in anniuersariis Episcoporum in summo nostro templo, conuenientibus illic collegiis, persoluuntur: in concinnus, atque adeo specie ipsa non satis pius ac deuotus, cantus editur. Quare nobis visum est expedientius, vt collegia singula in suis templis vigilias basce deuote absoluant, dein Ecclesiam nostram maiorem ad sacrum tantum accedant, illic tantisper facturi moram, donec id compleatur, singulis interim animum ad Deum ac pias precationes conuersuris, quemadmodum superiori articulo diximus;* nempe Cap. XXIIX. vbi inter alia hæc legitur querela: *Nam quantula sit deuotio Collegiorum, quæ tum accedunt, quis Dei cultus ac veneratio, satis in aperto est.* Alterum nouissimum Chisii Cardinalis, Episcopi Albanensis, qui labente Maio an. 1687. Synodum Diœcesanam celebrauit, ac Sessione III. Cap. II. §. 10. hoc decretum edidit: *Singulis annis, anniuersaria occurrente Episcopi consecrationis die, post Conuentualem, alteram in Ecclesia Cathedrali, iuxta formam in Missali Romano præscriptam, decantari Missam, & ab omnibus Sacerdotibus, tam Ciuitatis, quam cæterorum Diœcesis locorum, in peculiaribus eorum Missis, eiusdem consecrationis commemorationem fieri, nec non id ipsum in ipsamet Cathedrali seruari iniungimus, quoties præ recensita dies anniuersaria in Dominica, vel festo duplici coincidere contigerit.* Si quis autem hodiernos Pontificiorum mores cognoscere auet, Missalia, Breuiaria, similesque illorum libros adeat.

XIII. Neque hoc solum sufficere sibi putarunt Romani Pontifices, vt quotannis diem, quo ad tantam dignitatem peruenerant, tanto gaudio consumerent: verum etiam crescente temporis successu cum animo potentia, ex κακοζηλία eiusmodi festa obseruarunt, quæ non nisi Imperatoribus olim competiisse peculiari Dissertatione Hypatica docuit Antonius Pagi, Theologus Franciscanus, idemque hunc Paparum fastum primus obseruauit capite vltimo Partis secundæ num. IIX. vtut hoc nomine eum insignire noluerit. *Ad veterem morem*, inquit, *Leonem etiam quartum Romanum Pontificem respexisse existimo quum absoluta, quam cœperat, noua ciuitate, eam anno 852. quo sextus Pontificatus annus cœpit, solemni ritu Deo dicauit & Leoninam a suo nomine dixit, vt videre est apud Baronium eodem anno num. I. Eo quoque spectauit Alexander secundus Pontifex Romanus, qui anno 1061. Kalendis Octobris ad Pontificatum euectus est: is enim anno 1071. Kalendis Octobris, quibus vndecimus Sedis eius annus inchoatus est, dedicauit nouam Basilicam S. Benedicti, a Desiderio Abbate Casinensi & Cardinali erectam in monte Casino; quæ quidem vti obseruat Baronius eodem anno num I. celeberrima omnium dedicatio fuisse reperitur, præsente Pontifice Romano cum omnibus Cardinalibus, qui Romæ aderant, & Archiepiscopis decem atque Episcopis quadraginta tribus, pluribusque insuper Principibus atque Magnatibus. Præterea Cremonenses, Mediolanenses ac Placentini anno 1168. Alexandriam in Insubria*

bria condiderunt, cui ob beati Petri & Alexandri Tertii summi Pontificis reuerentiam Alexandria nomen indiderunt, annoque sequenti Consules eius eam eidem Alexandro, & per eum Ecclesiæ Romanæ in ius & proprietatem obtulere, vt videre est apud Baronium anno 1168. num. 65. Alexander Tertius anno 1159. mense Septembri Hadriano Quarto Papæ successerat. Ea itaque ciuitas anno decimo Alexandri Tertii ineunte construi cœpta, eoque exeunte Ecclesiæ subiecta. Huius enim Pontificis annos non ab anno 1160. vt perperam Baronius, sed a præcedenti auspicandos esse iam viri eruditi monuerunt. Notatu sane dignum est, non reperire potuisse Pagium ex Pontificibus Romanis quenquam qui ætate antecesserit liberalitatem Imperatorum Francorum, quorum denotationibus typhoque sæculi Pontifices inflati summam in rebus temporalibus potestatem sibi adserere cœperunt. Nec vllus trium illorum Pontificum est, qui non meruerit notam vel subtilium quarundam inuncationum, vt Leo IV. in cuius quippe res nouas molientis consilia vt inquireret, Lotharius Imperator Romam profectus est, fatente Platina: vel apertorum flagitiorum, vt sunt Alexandri II. aduersus Henricum Imper. machinamenta & Alexandri III. intolerabilis fastus, quem pedibus calcando Fridericum Barbarossam ostendit. Videor autem mihi reperisse vestigia in inscriptione Narbonensi, quæ clarissimorum virorum hactenus exercuit ingenia, vnde elici possit, alios quoque Episcopos ad Imperatorum imitationem quintum quemuis Episcopatus annum solennius excepisse. Non repeto, quæ post Baluzium & Quenellium disputata sunt a Pagio P. III. Dissertationis Hypaticæ Cap. II. num. VII. sed Quenellianam cum eo explicationem præferens eruditis Lectoribus diiudicandum relinquo, an non certo consilio vsque ad tertia quinquennalia Episcopatus sui distulerit Rusticus fundationem Ecclesiæ Narbonensis. Equidem Pagius aliter rem explicat num. VIII. *Rusticus anno Christi 427. die nona Octobris ordinatus est Episcopus, annoque 441. die decima tertia præfati mensis, qua quinta erat anni XV. eius Episcopatus, Basilicæ Narbonensis fundamenta iecit; licet enim nulla eo anno Decennalia & id genus festa edita fuerint, quia tamen octaua Quinquennalia Theodosii Iunioris cum patre imperantis, is celebrare debuisset, nisi eadem anticipasset, ideo idem annus Ecclesiis construendis destinatus.* Non possunt intelligi Theodosii Quinquennalia, quippe quæ an. 439. ipso Pagio docente pag. 286. adeoque biennio ante fundamenta huius Basilicæ iacta celebrata sunt: & nullum proferri potest exemplum, quod euincat, in exstruendis publicis ædificiis ad eiusmodi festiuitates anticipatas respectum habitum fuisse. Commodissime itaque hæc respicere videntur Natalem decimum quintũ Episcopatus Rustici, cui qui pro more intererant, *Vrsus Presbyter, Hermes Diaconus, & eorum sequentes*, vt habet inscriptio, Rusticum in isto negotio adiuuarunt. Confirmat coniecturam, quod a Rustici natali series gestorum ibidem commemoratur, vt ille

anno XV. Episcopatus sui, die anni quinta, cœperit deponere parietem Ecclesia dudum exustæ: & trigesima septima die quadratum in fundamento poni cœperit &c. Sic inter recentiores Pontifices ad hunc morem respexisse videtur Leo decimus, cum A.C. 1517. Pontificatus sui quinto, cœpit reparationem Basilicæ Vaticanæ, illique facilitandæ indulgentias prædicare iussit: quod ex illorum temporum historia satis constat. Verum paucis credo obseruatum, quod A. C. 1685. publicæ narrabant nouellæ, Innocentium XI. Papam eo anno decennalia sua celebrasse, eam fortasse ob caussam, quod paucissimis hodie Pontificibus tanta felicitas contingit.

XIV. Progredior ad eos, quorum dies incathedrationis (vt barbaro Durandi vocabulo vtar) in Ecclesia Christiana post eorum mortem celebrata fuit. Primo loco nominandum venit Festum Cathedræ Petri, cuius antiquitatem adserere conatur Bellarminus Lib. I. de Romano Pontifice cap. XVII. ex Augustini Sermone XV. de Sanctis, qui in festo cathedræ Petri habitus dicitur. Non vrgebo, quæ cum alii Bellarmini antagonistæ, tum de hoc inprimis Augustini loco disputarunt Marcus Anton. de Dominis Lib. IV. de Republ. Ecclesf. cap. I. num. XXV. Nicolaus Vedelius de Cathedra Petri lib. II. cap. XVI. num. 3. & Anton. Reiserus in Augustino Vindicato pag. 104. 105. multo minus camarinam illam mouebo de fictitio Petri Episcopatu, Antiocheno & Romano, cui omnis festi huius ratio innititur, quum viginti quinque Romani Pontificatus annos Petro nuper denegauerit Baluzius Notis ad Lactantium de mortibus persequutorum pag. 354. 355. Sed infringam saltem vanam Rosvveydi gloriationem, *vtut Natales priuatorum Episcoporum apud suos celebrati fuerint, vnius tantum Petri Natalem seu Cathedram apud omnes in cultu fuisse*; & confirmabo Louaniensium censuram, quæ male habet Baronium in Martyrologium Rom. commentantem p. 49. Reiecerunt quippe in appendicem hunc quoque sermonem, *vt certo deprehensum non esse Augustini.* Quis enim Augustino adscribat Homiliam in festo cathedræ Petri habitam, qui nouerit, nec Augustini ætate, nec vnquam forte festum hoc in Africa fuisse celebratum? Id probo ex antiquissimo Ecclesiæ Carthaginensis Calendario, quod festa Ecclesiæ Africanæ anniuersaria describens, editum est a Ioan. Mabillonio Tomo III. Veterum Analectorum. In eo altum est silentium de festo cathedræ Petri, quod tamen omittere religio erat Auctori Kalendarii, qui cætera festa curiose adnotauerat. Descriptum vero esse hoc Kalendarium septimo sæculo coniicit Mabillonius, quo ob Saracenorum irruptiones in Africana Ecclesia omnia reuere cœperunt in deterius, donec octauo sæculo ea plane exstingueretur, prout obseruat Eman. a Schelstrate Ecclesf. Afric. Differt. VII. c. VII. Vnde haud difficulter colligitur, cathedram Petri peculiari festo in Africa ornatam non fuisse, neque adeo Ecclesiæ Romanæ Africanos tantum detulisse, quantum per-

pertendit Schelstratius. Abeat igitur Baronius, & desinat clamare, *nihil habere* sermonem, *quod Augustini esse impediat*, discatque a Natali Alexandro Synops. Sæc. v. Cap. v. Artic. III. num. IX. pag. 550. eundem morem, cuius improbationem in spurio sermone factam Augustino conuenire somniat *in Africa suo tempore vigentem & a matre sua S. Monica etiam obseruatum, S. Augustinu non reprehendisse.* Probabilis autem est coniectura Alexandri, quam subiicit, *Gallum fuisse huius sermonis Auctorem. Abusus enim in quem inuehitur Canone 23. Concilii II. Turonensis, anno Christ. 570. celebrati reprehensus est.* Hinc in libro Lectionario Basileensis Ecclesiæ, quem sub Homeliarii Doctorum titulo ibidem an. 1493. editum habemus, P. II. fol. VII. exhibetur hic sermo, non adscripto Augustini nomine, quod aliàs ibi fieri solet, cum Augustinum pro auctore habuit, qui librum istum collegit vel auxit.

XV. Antiquissimi huius festi testes, quos producere potuit Baronius, sunt Episcopi Galliarum, qui in ditionibus Chariberti Regis Ecclesiis præfuerunt, & anno Regni eius sexto Concilium Turonense celebrarunt, viginti septem condentes Canones, quorum decimus sextus hæc inter alia continet: *Sunt etiam qui in festiuitate cathedræ Domini Petri Apostoli cibos mortuis offerunt, & post missas redeuntes ad domos proprias, ad Gentilium reuertuntur errores, & post corpus Domini sacratas Dæmoni escas accipiunt.* Ad hunc Canonem illustrandum pertinent, quæ Iacobus de Voragine in Historia Lombardica Legenda XLIV. Guil. Durandus Lib. VII. Rationarii Cap. IIX. & Carolus du Fresne in Glossario Latinitatis de *Festo B. Petri epularum* adnotarunt, quemadmodum ethicorum consuetudo, 8. Kl. Martii conuiuia ad Parentum sepulcra agendi, inter Christianos vix abrogari potuerit, instituto licet eius vice festo Cathedræ Petri. Neque adeo longo tempore ante hanc Synodum festum illud institutum esse colligi potest ex Sermone, quem Augustino abiudicauimus, & in Gallia circa Concilii Turonensis tempora habitum fuisse vero simile est: *Institutio solemnitatis hodiernæ a senioribus nostris Cathedræ nomen accepit, ideo quod primus Apostolorum Petrus hodie Episcopatus cathedram suscepisse refertur.* Paullo post cathedram Romanam occupauit Gregorius Magnus, qui peculiarem cultum festo huic adsignauit in Sacramentario, *quod vetustissimum in Vaticano habetur*, iudicante Baronio & *antiquam præfationem* exinde recitante. Edidit illud ex Codice Remensi auctius Hugo Menardus, de cuius editione plura infra dicam, in qua pag. 28. ad XIII. Kal. Martii leguntur preces festo *Cathedræ S. Petri* destinatæ. Sæculo septimo vixit Beda venerabilis, cuius Martyrologium prout vulgo exstat, interpolatum esse dudum viri docti ostenderunt, germanum autem Godefridus Henschenius To. II. Martii vulgauit, vbi in Ianuario nihil de festo; in Februario autem ad VIII. Kal. Mart. legitur: *Apud Antiochiam Cathedra S. Petri.* Ad

octauum & nonum sæculum spectant Vsuardus & Ado, quorum Martyrologia pariter non sunt ab interpolationibus & corruptionibus libera. Incertæ ætatis est *antiquum Romanum Martyrologium manuscr.* quod citat Baronius, & *vetus membrana, quam operi suo de doctrina temporum inseruit Ægid. Bucherius e schedis Heriberti Rosvveydi acceptam, quæ est instar Calendarii seu Martyrologii; in ea mense Februario ista legimus:* Octauo Calendas Martii, Natale Petri de cathedra: *quo festo velut ordinatio seu Pontificatus Apostoli celebratur*, vti Quenellius obseruauit. Vide Bucherii librum pag. 267. qui hanc membranam Constantii ætate scriptam vult; cui pollicem premit Pearsonius Differt. I. de Successione primorum Romæ Episcoporum Cap. IV. num. V. censens, hanc *Depositionem Martyrum apud Bucherium*, cui memoria Cathedræ Petri dicto loco inserta est, circa annum Æræ vulgaris CCCLXX. scriptum esse. At Henricus Dodvvellus in Differt. de Rom. Pontificum primæua successione Cap. VII. & seqq. prolixe contendit, membranas illas Bucherii recentiores esse, vt adeo nostræ de origine huius festi sententiæ nihil inde periculi accedat.

XVI. Neque silentio prætereundum est, quanta diuersitas in huius festi celebratione intercesserit inter varias Ecclesias, quæ ex Breuiariis colligi potest. Vt enim præteream, quod Baronius adnotauit, *in aliquibus antiquioribus Breuiariis de Romana Cathedræ celebritate hac die positum haberi officium Ecclesiasticum*, quod nescio quo fato aut consilio in hodiernis omittitur: certe insignis inter Romana Breuiaria conspicitur differentia, dum alia duplex festum describunt, nempe XV. Kal. Febr. *Cathedram S. Petri Romæ*, & IIX. Kal. Mart. *Cathedram S. Petri Antiochiæ*, quod inprimis obseruare licet in Breuiariis, quæ post Concilium Tridentinum diuulgata sunt: antiquiora tamen non nisi ad IIX. Kal. Mart. *Cathedræ S. Petri* mentionem faciunt, vti patet ex Breuiario Lugduni anno CIↃCCCCCIX. impresso, quod *secundum ritum sanctissimæ Romanæ Ecclesiæ studiosissime reuisum & castigatum* dicitur. Hinc sensim præclari festi celebratio apud plurimos euanuit, vt suscitabulo Pontificis opus fuerit, quod describit Baronius: *Hanc ipsam sacram solennitatem quæ iam in aliquibus Ecclesiis exoleuerat, sanctiss. memoriæ Paullus Papa Quartus restituit, datis de ea re literis Apostolicis anno Domini MDLVII. octauo Idus Ianuar.* Non possum, quin hac de re adscribam verba Pallauicini Lib. XIV. Historiæ Concilii Tridentini Cap. I. num. 4. ex Actis Consistorii d. 15. Martii 1557. *Firmius in eodem Senatu* (Papæ & Cardinalium) *præscripta est a Pontifice anniuersaria solemnitas, per vniuersam Christianam Rempublicam celebranda, Cathedræ S. Petri Romæ 18. Ianuarii, quo die primum in Ecclesia Romana Princeps Apostolorum consedit; professo id a se fieri ad coarguendos hæreticos, inficiantes, Petrum Apostolum in ea vnquam vrbe fuisse. Idque anno proxime sequenti confirmauit per Diploma in Senatu pariter decretum.* (d. 14.

Janua-

Ianuarii 1558. vt ex *Actis Consistorii* iterum Pallauicinus) *cò prius inducto Guillelmo Sirleto, tunc Protonotario Apostolico, qui dissertationem ibi recitauit, per quam magnæ auctoritatis testimoniis comprobatur, S. Petrum fuisse Romæ commoratum, ibique martyrium perpessum.* Vtut autem ea ratione *optime de Antecessoris Cathedra mereri voluit* Paullus; *factum scimus tamen*, commonente Antonio Reisero, *Anno huius sæculi post quadragesimum secundo, ab Vrbano huius nominis inter tot Pontifices octauo, vt singulari pro obseruatione Festorum Constitutione, in ipsa Festorum futuro tempore in Ecclesia obseruandorum recensione, cum aliquibus aliis hoc quoque Festum Cathedræ Petri omiserit, hocque silentio antiquauerit, quo ipso an pro ratione status sui prudenter egerit, aliorum esto Iudicium.* Nihilominus idem Vrbanus Pontifex in noua recognitione Breuiarii Romani, cuius editionem Parisinam anni 1657. ad manus habeo, festum illud Cathedræ Petri ad d. 18. Ianuarii reliquit, vna cum insigni corruptione, tempore Clementis VIII. Papæ commissa, quam indicauit Lud. Maimburgius in suo Tractatu de l'Etablissement & des prerogatives de l'Eglise de Rome, & de ses Euéques cap. XXVII. nosque ex Actis Eruditorum Lipsiensibus an. 1685. pag. 225. repetemus: *Cum enim vetera* (Breuiarii) *exemplaria precatiunculam hanc habeant:* Domine, qui beato Petro Apostolo tuo collatis clauibus animas ligandi atque soluendi Pontificium tradidisti &c. *in iis quæ sub Clemente VIII. (viuentibus, qui temporale ius Pontifici adscribebant) vt & postea prodierunt, vox* animas *omissa est.* Sane in editione Parisiensi, quam dixi, ita legitur: *Deus, qui beato Petro Apostolo tuo collatis clauibus regni cœlestis, ligandi atque soluendi pontificium tradidisti &c.* Denique Mabillonius Notis in Lectionarium Gallicanum pag. 120. 121. varia habet accuratiori examine digna, illud inprimis, quo putat, *nomine Cathedræ Sancti Petri sine adiuncto, potius Petri Confessionem & Primatum, quam sedem Antiochenam Romanamue honorari.*

XVII. An vero aliis Romæ Episcopis idem honor olim fuerit habitus, vt dies, quo ordinati & in splendidissimam cathedram collocati sunt, post mortem eorum anniuersaria memoria recoleretur, eruditis inter Pontificios relinquo disquirendum, vtpote quorum id maxime interesse arbitror. Caueant autem sibi ne forte negligentiæ ab aliquo postulentur, quum hodie non nisi vnius Gregorii Magni ordinatio in Romana Ecclesia celebretur. De ea enim in Martyrologio III. Nonas Septemb. legimus: *Romæ ordinatio incomparabilis viri Sancti Gregorii Magni in summum Pontificem, qui onus illud subire coactus, e sublimiori throno clarioribus sanctitatis radiis in Orbe refulsit.* Notarum Baronianarum hoc est initium: *De eadem S. Gregorii ordinatione in vet. Rom. Martyrol. & aliquibus manuscriptis agitur.* Fateor, sat caussæ habere Latinos, vt Gregorii ordinationem quotannis solennius celebrent: is enim de Romana sede optime

me meritus eſt, pluresque inuexit ſuperſtitiones, pro quibus tanquam pro aris & focis illi pugnare ſolent. Sed mirum tamen eſt, inter tot reliquos Pontifices alium nullum dignum habitum fuiſſe, cuius ordinationem ad hunc vsque diem ſingulis annis laudibus proſequerentur.

XVIII. Equidem Leonis quoque Magni ordinationem hodienum in Latina Eccleſia III. Idus Aprilis ſeu vndecimo menſis die celebrandam eſſe prolixe contendit eruditus Quenellius Diſſertatione I. de vita & rebus geſtis Leonis. Refutat enim vulgatam opinionem, quod iſto die obierit Leo, ſibique perſuadet, *tres omnino dies conſecratos olim fuiſſe memoriæ S. Leonis Papæ I. Depoſitioni ſacrum fuiſſe III. Cal. Nouemb. ſeu diem 30. Octobris, qui huic deputatur in Calendario Acheriano octingentis annis antiquo; Iunii diem 28. Translatione corporis S. Leonis celebrem habitum: quo die notata legitur in vetuſtiſſimo Ioan. Irontonis Martyrologio ſeu Lectionario nongentis annis, vt putat, antiquiore.* Denique *omnino exploratum non habet, qua ratione dies Aprilis vndecima memoria eiusdem Pontificis ſacra fuerit;* & ſuſpicatur, *eam anniuerſario aſſumtionis eius ad Pontificatum conſecratam fuiſſe.* Non dubito, quin multos in ſuam ſententiam ſpecioſe admodum propoſitam pertraxerit Quenellius. Certe Natalis Alexander in Synopſi Sæc. V. Cap. II. num. VI. adſerit, *diem clauſiſſe extremum S. Leonem tertio Kalendas Nouembris*, atque *id contra vulgarem opinionem probare inuictiſſime Quenellium.* Neque tamen defuerunt, qui re accuratius explorata coniecturas Quenellianas ſibi non placere conteſtati ſunt: inter quos clariſſimus Mabillonius, quum tomo tertio Analectorum duos antiquos Romanorum Pontificum Catalogos Annotationibus illuſtraret, fatetur, *diem obitus Leonis Magni Indices omnes, etiam Bollandianum ad tomum I. Aprilis*, tertio Idus Aprilis *conſtituere;* prolataque ſententia Quenelliana ſubiicit: *Et translationem quidem die 28. Iunii a Sergio Papa I. factam eſſe conſtat ex MS. Codice Virdunenſis cœnobii ſancti Vitoni, Euſebii hiſtoriam continente, in quo poſt Damaſi verſus referuntur quædam epitaphia ſub hoc titulo,* Iſta epitaphia inuenta ſunt in eccleſia ſancti Petri, *quæ ſunt Leonis Magni, Bonifacii Papæ, item alterius Bonifacii. In Epitaphio vero S. Leonis mentio fit de eius translatione facta per Sergium Papam, & poſt epitaphium depoſitus memoratur* III. Id. *deeſt menſis nomen, translatum autem* IV. Kal. Iul. *Epitaphium iſtud editum eſt apud Gruterum & Quenellium, at fine additamento Codicis Vitoniani, quod ita de S. Leone habet:* Sedit in epiſcopatu annos XXI. menſem I. dies XIII. Depoſitus eſt III. Idus... & iterum translatus huc a beato Papa Sergio IV. Kal. Iul. Indict. I. *Sergius iſte eo nomine primus fuit; Indictio prima incidit in annum DCCIII. Idem in alio Codice legere memini de die depoſitionis S. Leonis ad* III. Id. April. *& de translatione ad* IV. Kal. Iulii.

XIX. Di-

XIX. Dirimitur hæc controuersia ex certa ordinationis mortisque Leonis epocha, quam in tanto scriptorum dissensu inuenire difficile est. Videbimus tamen, quid antiquiores adnotauerint, quippe quorum characteres, vt alibi, ita etiam hic probe obseruandi sunt. Leoni M. coæuus & ab epistolis fuit Prosper Aquitanicus, quem in Chronico scribere ait Quenellius, *Sixtum Calendis Aprilis decessisse*, eoque *defuncto, quadraginta amplius diebus Romanam Ecclesiam sine Antistite fuisse, mirabili pace atque patientia aduentum Diaconi Leonis exspectantem, quem tunc inter Aetium & Albinum amicitiæ redintegrandæ caussa Galliæ detinebant.* Et hanc esse Prosperi de obitu Sixti sententiam tanta confidentia credidit Quenellius, vt bis repetierit pag. 253. & 254. Enimuero tantum abest, vt Prosper tempus mortis Sixti adnotauerit, vt potius non nisi tribus verbis eam indicet: *Defuncto Xysto Episcopo.* Communis autem opinio, quam circa finem Tomi v. Annalium & Notis in Martyrologium inculcat Baronius, Sixtum v. Kal. April. decessisse statuit. Impugnat eam Quenellius in primo argumento, quo suam coniecturam de sacra hodie ordinationis Leonis die probare conatur, p. 352. *Scio cum communi Chronologia, quæ obitum Xysti tertio vel quinto Calendas Aprilis euenisse docet, componi coniecturam nostram non posse, siquidem ex Prospero indubitatum habemus, quadraginta dies & amplius Romanam Ecclesiam sine Pontifice fuisse. Sed quo auctore diei illi mors Sixti Pontificis adsignatur? Non certe Prospero, quod Ciaconio visum est Baronii verbis decepto; nusquam enim id apud hunc Chronographum legitur, sed nec apud vllum scriptorem Anastasio antiquiorem: Huius autem tam suspecta diligentia, tam frequentes lapsus, vt infirma sit admodum ac vacillans adsertio omnis sola eius auctoritate subnixa.* Quis hæc cum superioribus conferens non deprehendat Quenellium αὐτοκατάκριτον? Quod si enim Kal. Aprilis diem supremum obiit Sixtus, ac inde quadraginta dies & amplius Romana Ecclesia sine Pontifice fuit, quorum vtrunque statuit Quenellius, euidentissime sequitur, Leonis ordinationem in III. Id. April. cadere non posse, adeoque frustraneos esse omnes viri docti conatus. Sed alienam mentem Prospero adfinxisse Quenellium antea monuimus, nec errauerit, qui ipsius de Ciaconio iudicium in eum retorqueat, dicatque *Baronii verbis deceptum.* Equidem nescio, quid illustri Annalium conditori imposuerit, vt a sententia ad calcem quinti tomi proposita discedens initio sexti post præfationem scripserit: *Defuncto itaque his Consulibus Sixto Romano Pontifice Kal. April. (inquit S. Prosper) quadraginta amplius diebus* &c. Quenellius tamen excusari non potest, qui Prospero adscripsit, quæ Baronii erant verba, inque eius opere a Prosperianis & diuerso charactere & parenthesibus satis distincta. Falsa itaque est Quenellii de obitu Sixti opinio, nec aliis fundamentis, quam Baroniani calami vel memoriæ lapsui innititur. Aliorum vero esto iudi-

cium, an recte idem reiecerit communem Chronologiam, quam non obstantibus impedimentis ab eo obiectis amplexus est Natalis Alexander, quando num. v. de Sixto scribit: *Obiit sanctissimus Pontifex anno Christi 440. V. Kalendas Aprilis, qua die celebris eius in Martyrologiis recolitur memoria.* Non igitur Anastasii libro Pontificali, quod caussatur Quenellius, sed Martyrologiis innititur isthæc opinio, quorum consensum a Baronio prolatum absque ratione prægnanti reiicere non nisi temerarii est. Haud me fugit, quid de eiusmodi scriptis sentiant eruditi, sed eosdem tamen non nisi grauissimis argumentis a communi horum consensu discedere, certum est. At Quenellius non habet, quod obiiciat, præter falsam suam coniecturam de die ordinationis Leonis. Per me itaque licet statuere, Sixtum obiisse v. Kal. Aprilis. Quo pacto facile reperitur dies, qua Romanum Episcopatum Leo consequutus est. Constat enim ex ipsis Leonis scriptis, tum temporis ordinationes ministrorum Ecclesiæ die Dominico fieri consueuisse. At Annus Christi 440. quo Sixtum obiisse omnes consentiunt, intercalaris erat, literasque Dominicales habebat G F. Obseruatis igitur quadraginta & amplius diebus, quibus ex infallibili Prosperi testimonio post Sixti mortem vacauit sedes, IV. Idus Maii emergit, vtpote litera F. signata, adeoque dies Dominica, qua Leonem ordinatum esse statuit Onuphrius Panuinius. Operæ pretium puto adferre hanc in rem ac emendare censuram Casparis Heunischii in libello, quo ætates Patrum præcipuorum exposuit, pag. 287. *Praeterea nec de die ordinationis* (Leonis) *consensus est. Nam Onuphrius eam factam esse ait IV. sed Baronius VI. Idus Maias; Et ille quidem in die Dominico, nescio qua auctoritate: quæ si esset ab aliquo veteri scriptore, certum praberet characterem, nam isto anno erat Dominica Vocem Iucunditatis die XII. Maii, quippe indictione VIII. Cyclo Solis 1. Litera Dominicali G. F.* Baronius certe procul dubio errauit, nec tempus ordinandi ista ætate Romæ receptum obseruauit. Heunischius autem non debuit in dubium vocare consuetudinem, quam ipse Leo confirmat Epistola XI. editionis Quenellii, cuius Notas consulant, qui tempus ordinum sacrorum collationi apud veteres destinatum exactius nosse cupiunt.

XX. Quanquam autem calculus Onuphrianus omnes Quenellii structuras funditus euertit, videtur tamen Leonis ordinatio amplius esse differenda, si tempus obseruetur, quo Episcopatum eius circumscripsit Epitaphium a Mabillonio citatum. Nihil enim dubitari attinet, quin additamentum Codicis Vitoniani eiusdem sit antiquitatis cum ipso Epitaphio, de quo Quenellius pag. 351. *Exstruxit quoque Sergius magnificum tumulum Leoni cum hoc epitaphio* &c. A Sergio itaque hoc Epitaphium eo modo, quo in Codice Vitoniano legitur, profectum esse suadet tum consuetudo veterum Christianorum, qui eiusmodi Epitaphiis non carmina tantum, sed tempus etiam vitæ vel Episcopatus, & deposi-

positionis insculpere solebant, quorum exempla apud Paullum Aringhum Lib. II. Romæ subterraneæ Cap. VIII. ad ipsos Romanos Pontifices spectantia, & de aliis apud Reinesium inter Christianorum monumenta legimus: tum inprimis titulus his Epitaphiis in MSto præfixus, quo ea *inuenta in Ecclesia S. Petri* dicuntur. Quis autem negauerit, Sergio fuisse cognitas veras dies tam ordinationis quam obitus Leonis Magni? At in Epitaphio alter diserte, alter ita signatur, vt nullo negotio elici possit: *Sedit in episcopatu annos XX. mensem I. dies XIII. Depositus est III. Idus..*. Supponamus nunc, quod ait Mabillonius, & nos infra latius probabimus, depositionem mortemque Leonis in III. Idus Aprilis incidisse; conferamus deinde annum 440. quo ordinatus est Leo, & 461. quo decessit, & numeremus ex veterum consuetudine, ab Antonio Pagi Dissertat. Hypat. Part. I. cap. III. num. 2. indicata, a III. Idus Aprilis vsque ad III. Idus Maii mensem vnum, quem vltra annum vigesimum primum in Episcopatu sedit Leo, addamusque XIII. dies, qui pariter supersunt; tum clarissime deprehendemus diem ordinationis Leonis, nempe XXVI. Maii vel VII. Kalendas Iunii, cuius character est litera F, adeoque in hunc diem A. C. 440. non modo dies Dominica, sed & ipsum Pentecostes festum incidebat, quousque tanti Pontificis consecrationem dilatam esse quis dubitauerit? Consentiunt cum Epitaphio in dierum numero colligendo duo Catalogi Romanorum Pontificum, quos vetustissimorum elogio ornat exhibetque Mabillonius. Prior enim quanquam in annorum aberrat calculo, habet tamen quod sequatur Marcellini Chronicon, (cuius errorem redarguit Baronius An. 361. num. 3. licet in editione Sirmondi nihil eo anno de Leone, sed potius Hilari successio ad Consulatum Seuerini & Dagalaiphi referatur, quo Leonem decessisse certum est) & in mense diebusque numerandis, quod nobis nunc sufficit, cum Epitaphio facit: *Leo sed. an. XX. mens. I. d. XIII.* Posterior per omnia Epitaphio subscribit: *Leo an. XXI. mens. I. d. XIII.* Frustra igitur sunt non modo Onuphrius & Baronius, qui alium diem adsignant, sed inprimis Quenellius, qui tantis ausibus communem de die obitus Leonis opinionem impugnare adgressus est, & quilibet me non monente animaduertit, cæteras, quas protulit rationes, nihil valere. Quod enim in secundo argumento ait, *Natalem Leonis*, qui in Kalendario Acheriano III. Idus Aprilis ponitur, diem consecrationis eius significare, quoniam Sixto, Hilaro, & Ambrosio, Augustino, aliis, hoc nomine illa nuncupatur, eatenus saltem verum est, quatenus Leone viuente fuit celebrata dies, quo collocatus erat in cathedram Romanam: falsum vero, si sensu Quenellii accipitur, quum non solum alio die Leonem consecratum esse nos antea demonstrauerimus, sed etiam nunquam Natalis absolute & sine addito dictus fuerit dies ordinationis Episcopi demortui, qui in Ecclesia celebrabatur. Adfert quidem in tertio argumento Quenellius exemplum Ambrosii, *cuius ordinationem sub natalis nuncu-*

 pa-

patione memorent Græci in Menologio septima die Decembris, Latinæ Ecclesiæ exemplum sequuti; additque veterem membranam apud Bucherium, in qua *Natale Petri de Cathedra* VIII. Kal. Mart. adsignatur: sed vti prius nihil mihi obest, quia in menologio non alio, quam commemorationis nomine venit istud Ambrosii Festum: ita posterius meam potius confirmat, quam destruit sententiam, qui dies ordinationis Episcoporum non simpliciter, sed cum additamento *ordinationis* vel simili sub Natalium nomine iis defunctis in Ecclesia nonnunquam celebratos fuisse contendo. Etenim Natalis vox, quando de diebus piorum Episcoporum memoriæ consecratis absolute & ἁπλῶς vsurpatur, semper diem obitus signat. Quod si martyrii coronam adepti essent, eo sensu Natales eorum ab Ecclesia celebrabantur, quo Natalitia cæterorum martyrum. Sin autem placida morte obdormiuissent, & ob merita in Ecclesiã memoria eorum anniuersaria publice recoleretur, destinata huic est dies mortis, quæ Natalis aut depositionis nomine communiter veniebat. Falsa enim sunt, quæ in quarto argumento pag. 353. sibi persuadet Quenellius, *vero admodum simile esse, quod, cum primis Ecclesiæ saculis solorum Christi Martyrum memoria solenni ritu coleretur in Ecclesia, Sanctorum Pontificum primas omnium Festiuitates Martyrum solennitatibus esse adiectas, delectumque ad id diem ordinationis cuiusque; ita vt dies qui festus quotannis habebatur viuente Pontifice, idem post eius mortem recoleretur*. Atuero præterquam quod cum grano salis accipienda sint, quæ de Martyrum memoria differit, quum antiquius exemplum non reperiatur, quam Polycarpi in Epistola Smyrnensium, vti in Dissertat. de Natalitiis martyrum commonuit D. Caspar Sagittarius: certe veritati non congruunt, quæ addit de Episcoporum festis. Nam quæ supra ex Aldrici Actis descripsimus, istam Quenellii opinionem satis reiiciunt, fidemque faciunt, viuente quidem Episcopo diem, quo is consecratus esset, pro festo habitum, eo autem defuncto memoriam eius in diem obitus fuisse translatam, quod de ipso Leone in Romana Ecclesia obtinuisse persuadet Collecta secreta Missæ S. Leonis, quam describit Hincmarus Remensis in Opere de Prædestinatione, & Quenellius illustrat pag. 347. post Dallæum lib. III. de Cultus Religiosi obiecto Cap. XXIV. Præterea prius cœpisse quotannis celebrari dies obitus Pontificum demortuorum, quam ordinationis, liquet ex vetustis inscriptionibus, de quibus Tho. Reinesius ad CLIV. Monum. Christ. pag. 934. *Prorsus singulare est, quod tempus depositionis, natali vel memoria Sancti recepta in Ecclesia, facta definitur, neglecto charactere vulgaris supputationis per annos, menses & dies*. Quanquam enim inscriptio, ad quam hæc notat Reinesius, aliter interpretanda est, vt paullo post idem animaduertit; nostræ tamen sententiæ suffragatur alia, quæ primum inter Monumenta Christianorum Reinesiana locum occupat, & desumta est ex Aringhi Roma subterranea, Lib. IV. Cap. 25. f. 69. ---- ET ABVNDANTIVS

TIVS ACOL. REG. QVARTE TT. VESTINAE. QVI VIXIT. ANN. XXX. DEP. IN P. D. NAT. SCI. MARCI MENSE OCTOB. IND. XII. Reinesius in Notis præeunte Aringho, hæc habet: *Acoluthus iste Regionarius fuerit depositus A. D. 414. De titulo Vestinæ est apud Anastas. in Innocent. I. Intelligendus autem Marcus Pont. Rom. successor Siluestri A. D. 336. cuius Depositionem VII. Octobr. commemorant Romani.* Optime de Marco Papa id accipit Reinesius: nam inter *Depositiones Episcoporum Romanorum* apud Bucherium diserte legimus: *Nonis Octobris, Marci in Balbina.* In Calendario siue Capitulari Frontonis: *Mense Octobri die VII. Natale S. Marci*, quem non alium, quam Pontificem huius nominis Romanum esse Fronto in Notis probat. Sic etiam in vetustissimo Kalendario Vaticano, quod Allatius edidit: *Nonis Octob. Natale S. Marci Papæ.* Ex ista itaque Inscriptione apud Aringhum Reinesiumque colligimus, seculo quinto sub Natalis nomine celebratum fuisse diem depositionis Episcoporum Romanorum: sed ea ætate publicæ ordinationis diem memoriæ eorum post mortem sacrum fuisse probari nequit: nec potuit omnino Quenellius vllum eorum proferre, præter Gregorium Magnum, quem ista inscriptione ducentis fere annis recentiorem esse nemo ignorat. Pariter redarguuntur, quæ pag. 350. ait vir doctus: *Priscis Ecclesiæ temporibus vix ac ne vix quidem depositionem seu obitum vllius sancti solenni officio honoratum crediderim, nisi qui martyrium fuso pro Christo sanguine compleuisset.* Quis vero solennem fuisse negauerit Marci Episcopi Romani obitum eo tempore, quo istud epitaphium est confectum? Hunc tamen martyrio interemtum nec quisquam veterum adnotauit, nec dicere permittunt ætatis illius rationes, quando sub Constantino vixit. Idem de Ioanne Papa I. quem a Theodorico Gothorum Rege male suspicace an. 525. interemtum fuisse nouimus, ex prisco Kalendario elicitur, quod nullos commemorat sanctos Sæc. VI. antiquiores & a Luca Holstenio Animaduersis ad Martyrologium Romanum pag. 288. ita citatur: *Romæ in claustro Prioratus Melitensis in Monte Auentino vetus Kalendarium in pariete depictum visitur, vbi in mense Maio sic legitur. VI. Kalend. Iun. Ioannes PP. & Mart. V. Kalend. Reportatio Ioannis PP.* Nec mea opinione aberrauerit, qui dies aliorum Pontificum memoriis in illo Kalendario adsignatos & ab Holstenio passim, inprimis pag. 280. recensitos de tempore obitus illorum acceperit. Sic aliorum quoque Episcoporum depositiones in Ecclesia celebratas esse fidem facit Kalendarium Carthaginense, cuius antiquitatem probat Mabillonius inde, *quod in eo nulli sancti, nedum Fulgentius Episcopus, reperiantur illo posteriores, qui in Vandalorum persequutione sub Hunnerico Rege passi sunt.* Illam persequutionem vergente ad finem sæculo quinto mouit Hunnericus, adeoque eo Kalendario describuntur dies festi, si non prius, quinto saltem sæculo obseruati. Titulus autem est eiusmodi.

modi: *Hic continetur dies natalitiorum Martyrum, & depositiones Episcoporum, quos Ecclesia Cartagenis anniuersaria celebrant.* Atenim nullus illorum Episcoporum, quorum depositiones adnotantur, martyrio vitam finiuit, quod vel ex collatione Kalendarii cum Catalogo Antistitum Carthaginensium ab Emanuel Schelstratio Eccl. Afric. Diss. IV. c. I. adornato colligitur. Quam in rem plura producere superuacaneum arbitror, quum ex dictis abunde constet, quam infeliciter nouas suas coniecturas stabiliuerit Quenellius.

XXI. Reperto vero ordinationis Leonis die, persistemus in inquisitione, operamque dabimus, vt pari felicitate verum obitus diem eruamus. Antequam autem nostram proponamus, Quenellii & Alexandri examinabimus sententiam, quæ ad III. Kalendas Nouembris siue XXX. Octobris diem Leonis Magni depositionem mortemque collocat, ac, prout ex Alexandro colligimus, tribus rationibus fulcitur, quarum primam desumunt ex Hilari electione; Dedimus nonnulla Quenellii verba num. II. quibus nunc cætera subiungemus: *Cum autem Alphonsus Ciaconius in vita Leonis scribat (haud dubium quin ex antiquis Ecclesiæ Romanæ monumentis) sedem Apostolicam decem & octo dies vacasse, si totidem ab illa Dominica seu decima sexta Nouembris retrorsus numerentur, occurret dies decimus octauus seu obitus S. Leonis tertio Calendas Nouembris. At (quod fortasse miraberis) eo ipso die notatam legimus sancti Leonis mortem in veteri Calendario quod ex Cod. M. S. Corbeiensi tomo decimo sui Spicilegii inseruit vir pietate & doctrina insignis, D. Lucas Dacherius, quodque an. 826. concinnatum grauibus coniecturis ductus existimat. Ita porro legimus in Calendario:* III. KL. (*Nouembris*) Depositio Sancti Leonis Papæ. *Nullum autem Leonem alium eo tempore mortuum legimus, nec fas est de alio Leone, quam de primo interpretari, quæcunque sine addito dicuntur de aliquo Leone Pontifice in tabulis Ecclesiasticis.* Cadunt hæc omnia, si obseruetur genuinus ordinationis Hilari dies quem a Mariano Scoto adnotatum supra vindicauimus, acceditque Baronius, *cum præsertim assertorem huius veritatis dignum chronographum habeamus Marianum Scotum, qui pridie Idus Nouembris ordinationem Hilari Papæ ponit*, vti scribit An. 461. num. 13. Hinc est, quod An. 465. num. 17. de Synodo Romana disserens eandem nobiscum proponit sententiam: *Conuenerant eo tempore Romæ quadraginta octo Episcopi ad natalem diem ipsius Romani Pontificis, ex more, solenniter celebrandum pridie Idus Nouembris.* Nec obscure manus veritati dedisse videtur Alexander, quando dubie admodum de tempore ordinationis Hilari loquitur, aitque *Leoni subrogatum mense Nouembri istius anni, vt colligitur ex Concilio Romano anno Christi 465. celebrato, die 15. Kalend. Nouembr.* (legendum *Decemb.*) *ab Episcopis in anniuersaria Assumtionis ipsius festiuitate congregatis,*

gatis, vt scribit ille ad Ascanium. Tantum sane abest, vt confidentiam Quenellianam imitatus sit Alexander, vt potius eadem pagina, initio numeri septimi dicat: *S. Leoni successor datus est Hilarus, anno Christi 461. 2. Idus Nouembris, vt scribit Marianus Scotus;* quem dum non refellit, eo ipso innuit, sibi haud displicere eius recensionem. Porro Kalendarium Dacherianum, quod a Quenellio laudatum secundi argumenti loco collocat Alexander, tantæ non esse auctoritatis ex tempore colligitur, quo scriptum censetur ab ipso Dacherio: Siquidem sæculo nono passim irrepserat barbaries, nec Karoli Magni curis exstingui se patiebatur; quare in scriptis illorum hominum tot leguntur mendacia ac antichronismi, vt nemini mirum videri debeat, si Auctor huius Kalendarii in rebus sæculi quinti, vtpote quadringentis ferme annis ab ætate sua remotis, lapsus fuerit ac cæcutiuerit. Nihilominus quoniam, non diffitente Quenellio, in eodem Kalendario *III. Idus Aprilis Natalis sancti Leonis Papæ* adnotatur, quo modo ex communi veterum more supra explicato depositio seu obitus piorum Episcoporum nuncupati solebat, alius omnino Leo Papa fuerit, cuius depositio III. Kal. Nouembr. commemoratur. Cui autem ex tot Leonibus ea conueniat, quærant ii, qui non nisi oculis suis credunt, & ignorant, quanta inter huiusmodi Indices ac Kalendaria de vnius Episcopi depositione sæpissime intercedat diuersitas. Ego tanta temporis iactura non emerim tam leuis desiderii satisfactionem. Neque tamen repugnarim, si quis illa de Leone secundo interpretaretur, quum incertum plane sit, quando is diem obierit supremum, & Leonem primum cum secundo passim confundant recentiores, vtrumque fatente Quenellio. Vnde etiam liquet, non semper in tabulis Ecclesiasticis adnotari distinctionem Episcoporum eiusdem nominis: quam in rem multa prostant exempla in antiquis Martyrologis & Kalendariis, vt Auentino & Catthaginensi, quæ omnium vsibus patent. Certe si secundum Quenellii opinionem de Leone tantum primo ea explicanda veniunt, quæ sine addito in eiusmodi scriptis occurrunt, libenter audirem, quomodo interpretaturus sit Commemorationem S. Leonis Papæ Romani, quæ XII. Kal. Martii occurrit in Menologio Græcorum ab Vghello edito. Instat autem vir eruditus: *Hanc Epocham confirmat, quod cum dubitare non possimus, quin mense Nouembri successor Leoni datus sit, nec probabile sit, per pacatissima illa Ecclesiæ Romanæ tempora diu post mortem dilatam fuisse electionem successoris, quam Leo ad Anastasium Thessalonicensem scribens, nullis dilationibus volebat fatigari: pene certum eo ipso apparet, intra mensem Octobrem coercendam esse Leonis mortem.* At epochæ Quenellianæ falsitas non nisi falsis coniecturis poterit confirmari; neque hoc loco quæritur, quid de iure faciendum sit in nouo Episcopo subornando, sed quid de facto in Hilari electione obseruatum sit: nullum sane historiæ Ecclesiasticæ mediocriter petitum latet, quanto sæpe temporis

poris spatio noui Episcopi in Romana aliisque Ecclesiis dilata fuerit ordinatio, quanquam pax illis regionibus adfulsit exoptatissima. In libro Pontificali *septem dies* post Leonis mortem vacasse sedes dicitur, cuius *certum errorem* dum castigat Baronius, & Mariani Scoti epocham sequitur, posset alicui in mentem venire, an non pro diebus apud Anastasium *menses* sint substituendi, quum inter Leonem defunctum III. Idus Aprilis & Hilarum ordinatum II. Idus Nouembris septem mensium numeretur interuallum.

XXII. Vtcunque autem se hæc emendatio habeat, certissimis testimoniis nunc conficiemus, Leonem Magnum & mortuum & depositum esse III. Idus Aprilis. Equidem destituunt nos scriptores Leoni suppares, qui typis hodie excusi circumferuntur: sed certa documenta ad manus fuisse Sergio, quum inscriptionem monumenti Leonini conficiendam iuberet, nemini dubium videri potest. Omnem enim fidem superat, non latuisse in scriniis Romanæ Ecclesiæ ab ipso Leone toties commemoratis tabulas seu codices, quibus dies sedis mortisque Episcoporum adnotarentur. Hos Sergius consulere voluit eum, cui Epitaphium inscriptione ornandi curam commiserat. Inde desumpta lapidique insculpta sunt, quæ ex Codice Virdunensi profert Mabillonius: *Depositus est III. Idus ...* Dolemus deesse mensis nomen, quod tamen & lapis expressum habuit, & in Codice isto olim lectum fuisse prodit spatium, quod reliquit Mabillonius, vtpote prudenter volens coniecturam suam de literis vetustate exesis nemini obtrudere, sed cuilibet integrum iudicium relinquere. At quum omnes Indices in eo conueniant, vt diem obitus Leonis constituant III. Idus April. quemadmodum vir eruditus adnotauit, eademque in alio Codice a se lecta commonuit, nec vllus cuiuscunque ætatis scriptor de Leone nostro verba faciens alium III. Idus adiiciat mensem, quam Aprilem; is denique dies exacte respondeat genuino ordinationis Leonis natali supra indicato; quis non videt, alium mensem, quam Aprilem lacunæ Codicis Vitoniani haud inscribendum, atque hinc certum esse, III. Idus Aprilis Leonem cum morte vitam commutasse? Accedit testis haud spernendus, quippe eodem, quo Sergius, tempore viuens, Beda venerabilis, de quo & aliis ita scribit Quenellius pag. 350. *Non diffiteor tamen, antiquos etiam Codices inueniri, qui Leonis festum Aprilis XI. diei affixum habeant. Ita genuinum Bedæ Presbyteri Martyrologium, quod a Godefrido Henschenio non ita pridem publicæ luci datum est; Tertio enim Idus Aprilis mentio habetur:* Leonis Papæ & Confessoris: *& quarto Calendas Iulii:* sancti Leonis Papæ. *Sic etiam Breuiarium MS. Montis-Cassini sexcentorum fere annorum, quod in ædibus Institutionis Oratorii D. Iesu ad muros Parisienses asseruatur. Eodem die habet vetus Calendarium tomo X. Spicilegii Acheriani editum ex MS. Codice 800. annorum:* III. Idus Aprilis Natalis sancti Leonis Papæ. *In Calendario, quod libro Sacramentorum S. Gregorii MS.*

præ-

præfigitur in Codice Oratorii Parisiensis. Quis itaque se dimoueri patiatur ab hac sententia, quæ præstantissimorum testium suffragiis subnixa obitum Leonis Magni ad III. Idus Aprilis refert?

XXIII. Videbimus tamen, quid aduersus hos testes proferat Quenellius. Equidem is nullum non mouet lapidem, omnesque rationes suas colligit pag. 351. *Mortem Leonis hac die recoli, communis est hac ætate opinio, hodiernis Ecclesiæ fastis & Breuiariis consignata, quam tamen sequi non sinunt testimonia Mariani Scoti, Martini Poloni & aliorum, quos supra retulimus, partim festum, partim obitum S. Leonis alii diei adsignantium, quam XI. Aprilis.* Antequam distincte respondeamus, obseruandum est, duplicem Leonis Magni memoriam in Ecclesia veteri celebratam fuisse, alteram die obitus III. Id. April. alteram die translationis IV. Kalend. Iul. Vtramque sane ex germano Bedæ Martyrologio recenset Quenellius, & posteriorem ad Leonem nostrum spectare fatetur ob auctoritatem veteris Kalendarii Romani a Frontone editi, monetque pag. 347. *In antiquo Martyrologio, quod dicitur venerabilis Bedæ, hac ad eundem diem 28. Iunii legi: Leonis Papæ, qui post Petrum Apostolum 47. in vrbe Roma sedit annos XXI. dies XII. & cætera, quæ Leonem primum clarissime designent: vbi ex consilio videatur diei mortis vel depositionis non meminisse.* Quod sane cautissime fecit, quisquis est illius Martyrologii auctor: neque enim 28. Iunii siue obiit siue depositus est Leo, sed translatus a Sergio. Priorem autem festiuitatem antiquiorem esse & communis eiusmodi festorum ratio suadet, quando fideles memoriæ piorum Episcoporum diem obitus seu depositionis eorum destinabant; & confirmat Kalendarium, quod libro Sacramentorum Gregorii præfigitur in Codice Parisiensi, Leonisque Natalem die III. Idus Aprilis constituit, vt paullo ante ex Quenellio commemorauimus. Atque hinc corrigenda veniunt, quæ differit Quenellius de Sacramentario Gregorii, in quo ad IV. Calendas Iulii collocatur *Natale S. Leonis Papæ. Hoc quidem, inquit, additum Sacramentario merito suspicantur viri docti iuxta fidem Codicis Remensis a doctiss. viro Hugone Menardo laudati; neque ego inficias ierim: attamen antiquissimam esse hanc additionem duo euincunt: vnum est, quod tam pauci Codices MSS. inuenti sunt, qui ea careant, vt vnicus ille Remensis laudetur; alterum quod paucorum admodum sanctorum, qui martyres non fuerint, festa inscripta habeat, pauciorum etiam Romanorum Pontificum: quos inter Leonem primum omissum esse, non omisso Leone secundo, vix in mentem venerit.* Quid de Sacramentario Gregorii sentiant eruditi, exponam verbis Ioan. Dallæi de Confirmatione Lib. III. cap. VI. *Librum Sacramentorum, qui Gregorii nomine*

vulgo circumfertur, & nuper est ab Hugone Menardo, multo, quam antehac erat, locupletior & emendatior A. D. 1642. in hac vrbe editus, prudens mitto; quod etsi primum operis auctorem fuisse Gregorium verisimile sit, tamen ex plurimis, quæ Gregoriani sæculi, & sequentium mores, ritusque cum hoc libro contendenti occurrunt, manifestum est, librum ad nos sincerum minime peruenisse, sed quod in huiusmodi ritualibus libris vsu venire solet, multa ei pro temporum varietate subinde addita, nonnulla etiam fortasse detracta, prout Gregoriani sæculi ritus posterorum ingenium atque vsus interpolauerat. Diduxit hoc suum iudicium Dallæus prolixius in opere de Extrema Vnctione c. XIV. XVI. & de Cultibus Latinorum Religiosis lib. IV. Cap. XI. & Lib. IX. Cap. VIII. Nec Reformatorum tantum ea est sententia, sed etiam prudentiorum inter Pontificios, in quibus mirari licet inconstantiam Natalis Alexandri, dum aduersus Dallæum Sæc. II. Dissertatione X. disputat, sine hæsitatione num. 14. librum admittentis, de quo postea in Synopsi Sæc. VI. cap. IV. Artic. II. eiusmodi fert iudicium, quod Dallæano omnino congruit. Conferatur Ioannes Launoius in Iudicio de controuersia sub exscribendo Parisiensis Ecclesiæ Martyrologio exorta pag. 84. & in specimine erratorum Billiadi Cap. XIV. Antiquissimum Sacramentarii Codicem Carolo M. ab Hadriano Papa transmissum, ex *authentico libro Bibliothecæ Cubiculi scriptum* & hodienum in Cæsarea seruatum, sed ab editione Menardi discrepantem indicauit Lambecius Lib. II. Commentariorum pag. 299. ac eiusdem libri Additamento IV. & libri quarti Additamento quinto. Hunc Codicem ante omnes alios commendatum velim Iosepho Mariæ Caro, Presbytero Romano, nouam Gregoriani Sacramentarii editionem molienti, quum indubie idem sit, qui in Hadriani epistola ad Carolum M. (quæ 81. est Codicis Carolini a Gretsero editi) significatur; *De Sacramentario vero, a S. prædecessore nostro deifluo Papa Gregorio dispositio, iampridem Paullus grammaticus a nobis eum pro vobis petiit, & secundum sanctæ nostræ ecclesiæ traditionem per Iohannem monachum atque Abbatem ciuitatis Rauennatium vestræ regali emisimus excellentiæ.* Interea facile patet, quam infirmo nitantur fundamento, quæ tali operi superstruit Quenellius, quando Codex Remensis Menardo auctore scriptus est circiter A. D. 1000. adeoque quadringentis annis Gregorio recentior. Non igitur opus erat, vt præscriberet Quenellius: *Primo loco prodeat S. Gregorius M. PP. I. qui Leone II. antiquior fuit.* Si coniecturis locus est, antiquiorem consuetudinem] nobis referre videtur Calendarium Sacramentario in Codice Oratorii præfixum, vtpote verum obitus Leonis diem seruans; quam Codex Remensis, ab eiusmodi interpolatore corruptus, qui Leonem II. cum Leone I. confudit. Etenim posteriorem Leonis M. festiuitatem d. 28. Iunii celebrandam procul dubio ex more illorum temporum in sanctorum translationibus vsitato hodieque in Ecclesia Romana obtinen-

te,

te, instituit Sergius: quam statim receptam esse fidem facit germanum Bedæ martyrologium, & in aliquibus Ecclesiis retentam Frontonis Lectionarium ostendit: sed postea successu temporis sensim in desuetudinem abiisse colligas ex silentio Kalendarii Dacheriani, accedente inprimis Leonis secundi festiuitate, quam hoc die absque vllo veterum suffragio recentiorum nonnulli collocant: quum ex aduerso magis probabile sit, ex confusione Leonis primi cum secundo a Quenellio plus semel animaduersa accidisse, vt verus Leonis secundi obitus plane ignoraretur, quem si quis ex Kalendario Dacheriano restitueret, & ad III. Kal. Nouembris referret, me facile haberet adsentientem. Neq; enim quenquam mouere debent moderna Latinorum Martyrologia & Breuiaria, quæ post Synodum Tridentinam excusa d. 28. Iunii Leonis Papæ secundi memoriam adscribunt, errore ex defectu verorum monumentorum Leonis II. obitum describentium, & confusione Leonis I. cum II. originem trahente: quum præsertim antiquiorum alia mense Aprili & Iunio Leonis I. festiuitatem celebrent, alia ex iis alterutram seruent, vti studiose adnotat Quenellius. Non est igitur, vt cuiquam moram iniiciat ista recentiorum scriptorum diuersitas, quo minus veram de obitu Leonis amplectatur sententiam, quem & Epitaphium & antiquiores plerique omnes III. Idus April. constituunt. Mariani Scoti maior non est auctoritas, qui Leonem primum, fatente pag. 346. Quenellio, cum secundo confundens neutrius genuinum mortis diem obseruauit: Martinus denique Polonus, *qui Leonem M. scribit sedisse annis viginti & vno, mensibus nouem, diebus viginti septem*, Epitaphio & veterrimis Mabillonii Catalogis contrariatur, Quenellioque repugnat potius quam adsentitur, quando Hilarum decem menses post Leonis mortem electum esse tradit: quod tamen, an a Poloni manu sit profectum, illi indicabunt, quibus in Bibliotheca Vaticana consulere licet antiquissimum Chronici Martiniani Codicem a Leone Allatio in confutatione fabulæ de Ioanna Papissa tantopere laudatum. Nobis ad alia properantibus non licet hæc amplius perquirere. Sufficit clarissime demonstrasse, III. Idus April. non ordinationis, sed obitus Leonis memoriam celebrari.

XXIV. Quanquam autem Leoni Magno id tributum haud esse contendam, non eo tamen inficias, Episcoporum quorundam de Ecclesiis, quibus præfuerunt, bene meritorum Natalem ordinationis post obitum quotannis fuisse celebratum. *De consuetudine Orientalis Ecclesiæ satis monent Græcorum Menologia, in quibus S. Basilii, S. Ioannis Chrysostomi & aliorum agitur sedis natalis dies*, inquit Baronius Not. in Martyrol. pag. 48. ex quo cæteri hauserunt. De vtroque festo inter Orientales & Occidentales Ecclesias non exigua deprehenditur diuersitas. Etenim Basilii mentio in Menologio Græco, quod ante septingentos annos Basilii iunioris Imperatoris Græco-Romani iussu consarcinatum &

vulgo circumfertur, & nuper est ab Hugone Menardo, multo, quam antehac erat, locupletior & emendatior A. D. 1642. in hac vrbe editus, prudens mitto; quod etsi primum operis auctorem fuisse Gregorium verisimile sit, tamen ex plurimis, quæ Gregoriani sæculi, & sequentium mores, ritusque cum hoc libro contendenti occurrunt, manifestum est, librum ad nos sincerum minime peruenisse, sed quod in huiusmodi ritualibus libris vsu venire solet, multa ei pro temporum varietate subinde addita, nonnulla etiam fortasse detracta, prout Gregoriani sæculi ritus posterorum ingenium atque vsus interpolauerat. Diduxit hoc suum iudicium Dallæus prolixius in opere de Extrema Vnctione c. XIV. XVI. & de Cultibus Latinorum Religiosis lib. IV. Cap. XI. & Lib. IX. Cap. VIII. Nec Reformatorum tantum ea est sententia, sed etiam prudentiorum inter Pontificios, in quibus mirari licet inconstantiam Natalis Alexandri, dum aduersus Dallæum Sæc. II. Dissertatione X. disputat, sine hæsitatione num. 14. librum admittentis, de quo postea in Synopsi Sæc. VI. cap. IV. Artic. II. eiusmodi fert iudicium, quod Dallæano omnino congruit. Conferatur Ioannes Launoius in Iudicio de controuersia sub exscribendo Parisiensis Ecclesiæ Martyrologio exorta pag. 84. & in specimine erratorum Billiadi Cap. XIV. Antiquissimum Sacramentarii Codicem Carolo M. ab Hadriano Papa transmissum, ex *authentico libro Bibliothecæ Cubiculi scriptum* & hodienum in Cæsarea seruatum, sed ab editione Menardi discrepantem indicauit Lambecius Lib. II. Commentariorum pag. 299. ac eiusdem libri Additamento IV. & libri quarti Additamento quinto. Hunc Codicem ante omnes alios commendatum velim Iosepho Mariæ Caro, Presbytero Romano, nouam Gregoriani Sacramentarii editionem molienti, quum indubie idem sit, qui in Hadriani epistola ad Carolum M. (quæ 81. est Codicis Carolini a Gretsero editi) significatur; *De Sacramentario vero, a S. prædecessore nostro deifluo Papa Gregorio dispositio, iampridem Paullus grammaticus a nobis eum pro vobis petiit, & secundum sanctæ nostræ ecclesiæ traditionem per Iohannem monachum atque Abbatem ciuitatis Rauennatium vestræ regali emisimus excellentiæ.* Interea facile patet, quam infirmo nitantur fundamento, quæ tali operi superstruit Quenellius, quando Codex Remensis Menardo auctore scriptus est circiter A. D. 1000. adeoque quadringentis annis Gregorio recentior. Non igitur opus erat, vt præscriberet Quenellius: *Primo loco prodeat S. Gregorius M. PP. I. qui Leone II. antiquior fuit.* Si coniecturis locus est, antiquiorem consuetudinem nobis referre videtur Calendarium Sacramentario in Codice Oratorii præfixum, vtpote verum obitus Leonis diem seruans; quam Codex Remensis, ab eiusmodi interpolatore corruptus, qui Leonem II. cum Leone I. confudit. Etenim posteriorem Leonis M. festiuitatem d. 28. Iunii celebrandam procul dubio ex more illorum temporum in sanctorum translationibus vsitato hodieque in Ecclesia Romana obtinente,

te, instituit Sergius: quam statim receptam esse fidem facit germanum Bedæ martyrologium, & in aliquibus Ecclesiis retentam Frontonis Lectionarium ostendit: sed postea successu temporis sensim in desuetudinem abiisse colligas ex silentio Kalendarii Dacheriani, accedente inprimis Leonis secundi festiuitate, quam hoc die absque vllo veterum suffragio recentiorum nonnulli collocant: quum ex aduerso magis probabile sit, ex confusione Leonis primi cum secundo a Quenellio plus semel animaduersa accidisse, vt verus Leonis secundi obitus plane ignoraretur, quem si quis ex Kalendario Dacheriano restitueret, & ad III. Kal. Nouembris referret, me facile haberet adsentientem. Neq; enim quenquam mouere debent moderna Latinorum Martyrologia & Breuiaria, quæ post Synodum Tridentinam excusa d. 28. Iunii Leonis Papæ secundi memoriam adscribunt, errore ex defectu verorum monumentorum Leonis II. obitum describentium, & confusione Leonis I. cum II. originem trahente: quum præsertim antiquiorum alia mense Aprili & Iunio Leonis I. festiuitatem celebrent, alia ex iis alterutram seruent, vti studiose adnotat Quenellius. Non est igitur, vt cuiquam moram iniiciat ista recentiorum scriptorum diuersitas, quo minus veram de obitu Leonis amplectatur sententiam, quem & Epitaphium & antiquiores plerique omnes III. Idus April. constituunt. Mariani Scoti maior non est auctoritas, qui Leonem primum, fatente pag. 346. Quenellio, cum secundo confundens neutrius genuinum mortis diem obseruauit: Martinus denique Polonus, *qui Leonem M. scribit sedisse annis viginti & vno, mensibus nouem, diebus viginti septem*, Epitaphio & veterrimis Mabillonii Catalogis contrariatur, Quenellioque repugnat potius quam adsentitur, quando Hilarum decem menses post Leonis mortem electum esse tradit: quod tamen, an a Poloni manu sit profectum, illi indicabunt, quibus in Bibliotheca Vaticana consulere licet antiquissimum Chronici Martiniani Codicem a Leone Allatio in confutatione fabulæ de Ioanna Papissa tantopere laudatum. Nobis ad alia properantibus non licet hæc amplius perquirere. Sufficit clarissime demonstrasse, III. Idus April. non ordinationis, sed obitus Leonis memoriam celebrari.

XXIV. Quanquam autem Leoni Magno id tributum haud esse contendam, non eo tamen inficias, Episcoporum quorundam de Ecclesiis, quibus præfuerunt, bene meritorum Natalem ordinationis post obitum quotannis fuisse celebratum. *De consuetudine Orientalis Ecclesiæ satis monent Græcorum Menologia, in quibus S. Basilii, S. Ioannis Chrysostomi & aliorum agitur sedis natalis dies*, inquit Baronius Not. in Martyrol. pag. 48. ex quo cæteri hauserunt. De vtroque festo inter Orientales & Occidentales Ecclesias non exigua deprehenditur diuersitas. Etenim Basilii mentio in Menologio Græco, quod ante septingentos annos Basilii iunioris Imperatoris Græco-Romani iussu consarcinatum &

ex Latina Arcudii versione Romæ prodiit, non nisi Kalendis Ianuarii occurrit, vt ex illo haud potuerit suam discere narrationem Baronius. * Noui quidem, id ab illo non allegatum esse, sed aliud, quod ex Cardinalis Sirleti Bibliotheca acceperat, & ex ipsius Sirleti versione Tomo II. Antiquæ Lectionis exhibuit Canisius: hic autem ad manus non est, vt possim in veritatem adserti Baroniani inquirere. Hæret sane alte memoriæ infixum, quod Leo Allatius Dissertat. I. de libris Ecclesiasticis Græcorum pag. 83. adserit, *Menologium apud Græcos non vnum esse, sed pro opportunitate temporis variam quoque faciem induisse.* Hodie autem bis Basilii memoriam quotannis in Ecclesia Græca publice celebrari testis est αὐτόπτης Thomas Smith in Epist. de Statu Ecclesiæ Græcæ hodierno, quando inter τὰς ἐπισήμους τῶν ἑορτῶν, *dies festos celebriores* recenset pag. 13. d. I. Ianuar. τῆς περιτομῆς τοῦ Σωτῆρος καὶ τοῦ μεγάλου Βασιλείου, & d. 30. eiusdem mensis τῶν τριῶν Ἱεραρχῶν, Βασιλείου, Γρηγορίου, καὶ Χρυσοστόμου ἅμα. Peculiaris quoque ratio fuit Christianorum Ægyptiorum, *vt ex scriptore perinsigni Muhammedano, Abulaibsan Achmed Calcasendio*, quem *a Christiano aliquo illic procul dubio edoctum* putat, Ioan. Seldenus docet Lib. III. de Synedriis Ebræorum cap. 15. num. 9. dum عيد باسيليوس *Festum Basilii* die XI. mensis Thoth, i. e. octauo Septembris celebrarunt. Quod adhuc sæculo tertio decimo ab iisdem factitatum esse liquet ex Calendario Arabico apud Coptos vsitato, quod Codici Euangeliorum anno Æræ martyrum 1002. seu Christi 1286. absoluto adnexum ibidem exhibuit Seldenus: in eo enim ad XI. Thoth seu IIX. Septembris adscribitur festum القديس باسيليوس *Sancti Basilii & Theodori Episcopi Nissæ.* Quin hic alius dies sit ab eo, quo Basilius obiit, dubitare nos non sinit ipsum Calendarium, quando primo Ianuarii die Basilii iterum facit mentionem, vtpote qui omnium consensu sancto viro vltimus fuit, & ab Amphilochio, eiusdem contemporaneo, celebratus, Homilia in Domini Circumcisionem pag. 17. Sed antequam meam proferam coniecturam, Latinorum audiemus sententiam. Nam Martyrologio Romano & similibus scriptis innititur Baronius, quando ad An. 369. num. 43. ait, *certum esse ex tabulis Ecclesiasticis*, (Basilium) *ordinatum fuisse Episcopum decimo octauo Kalendas Iulii*, eademque epocha placet Labbeo: *Archiepiscopus creatus est die Iunii 14. Dominica anni 369.* Vt ex his difficultatibus emergamus, distinguenda omnino sunt certa ab incertis. Certum est, Basilium octo annos sedisse, nonumque inchoasse, quod ex epistola Nysseni ad Olympium monachum confirmat Baronius; certum quoque, Kalendis Ianuariis eundem decessisse, quod in omnium Ecclesiarum fastis adscriptum habetur. Incertum vero, quo anno vel ordinatus sit, vel defunctus. Nicephorus quidem procul dubio errauit,

quan-

quando Pseudo-Amphilochium sequutus Basilium Iuliano imperante Episcopum fuisse scripsit, adeoque non erat, vt scrupulum aduersus Hieronymum exinde moueret Latinus Latinius initio Correctionum in Martyrologium, quæ Bibliothecæ eius sacræ inseruntur pag. 167. communem vero opinionem, quod is an. 369. ordinatus sit, Henricus Valesius Not. in Socratem pag. 55. impugnauit, Basiliumque an. 371. consecratum esse contendit. Quæ cum ita sint, facile videmus, annum quoque obitus Basilii incertum esse. Sed istam controuersiam nostram nunc non facimus, qui diem saltem ordinationis Basilianæ inquirimus, ad cuius cognitionem opus haud esse videtur, vt exacte annum determinemus, quem mea opinione Valesius optime eruit. Diem vero non possumus haurire a Græcis, quem peculiari festo ab aliis celebrari non habemus exploratum. Quanquam enim in omnibus Menologiis Kal. Ianuar. Basilii adscribunt mentionem, eo tamen ille non consecratus sed defunctus est. Ad 30. Ianuarii ordinationem referre non permittunt addita Nazianzeni & Chrysostomi illustria nomina, quibus innuitur, illo die horum triumuirorum vt maximorum Ecclesiæ Græcæ Doctorum simul celebrari memoriam; repugnatque Basilii germanus, Gregorius Nyssenus, nonum Episcopatus annum inchoatum a fratre suo narrans, qui ordinatione d. 30. Ianuarii peracta ferme absolutus fuisset. Eadem ratio impedit, quo minus genuinum ordinationis Basilii diem in Latinis Martyrologiis adscribi credam: neque enim commode dicitur annus inchoatus, cuius iamtum septem fere menses præterlapsi sunt, quos a 14. Iunii ad 1. Ianuarii intercedere omnes norunt, nimisque coacte Baronius de anno *non absoluto* Nysseni verba interpretatur. Quamobrem suspicor, apud Coptos verum ordinationis Basilii diem conseruatum octauoque Septembris celebratum esse, a quo vsque ad KL. Ianuarias vix tres menses ac dies viginti tres numerantur, adeoque optime dicitur a Nysseno annum nonum inchoasse Basilius. Id etiam suadet ratio eiusmodi festorum in veteri Ecclesia, quibus vel dies ordinationis, vel obitus alicuius Episcopi, vel translationis reliquiarum eius deputari solebat. Quum itaque Basilii obitum Kal. Ianuarii cum cæteris celebrent Copti, & nullibi legamus translationem ipsius mense Septembri factam, probabiliter colligimus, ordinationi eius diem istum sacrum fuisse. Nec requiritur, vt eo anno, quo Basilius ordinatus est dies ille fuerit Dominicus, quo effugio Latinorum sententiam defendere videtur Labbeus. Præterquam enim quod ex veriori Valesii computo an. 371. Basilius fuerit ordinatus, quo litera Dominicalis exstitit B. & 14. Iunii in tertiam feriam incidit: certe in Oriente diei Dominicæ ordinationes non fuisse alligatas inter Labbei socios obseruauit Ioan. Garnerius Notis in Liberati Breuiarium cap. VII. *Maximianus ordinatur Episcopus* (CPolitanus) *die 25. Octobris, qui dominicus hoc anno 431. fiebat autem dominicis diebus ordinatio in Ecclesia Occidentali, vt colligitur ex ca-*

none 49. Codicis Ecclesiæ Africanæ; sed in Orientali mos iste non ita religiose seruabatur: nam Chrysostomus legitur ordinatus die 27. Ianuarii anno 398. quo litera Dominicalis erat C. atque adeo 27. dies Ianuarii incidebat in feriam quartam: eadem feria quarta ordinatus Nestorius anno 428. litera Dominicali existente AG. Quanquam autem hac ratione satisfit obiectioni Labbeanæ, Garnerius tamen non minus aberrauit in die ordinationis Chrysostomi adsignando. Nam dies 27. Ianuarii apud Græcos sacer est translationi illius, vt in Menologio vidit Baronius, seu *recuperationi reliquiarum*, vt habet Menologium Vghellianum, consentiuntque plerique Latinorum, eodem Baronio teste: genuinum autem diem, quo in Episcopatum CPtanum euectus est Chrysostomus, notauit Socrates Lib. VI. cap. 2. χειροτονηθεὶς ἐν πρὸς τὴν τῆς ἐπισκοπῆς ἱερωσύνην, ἐνθρονίζεται τῇ εἰκάδι ἕκτῃ τοῦ Φεβρουαρίου μηνὸς, ὑπατείᾳ τῇ ἑξῆς, ἣ ἐπετέλουν ἐν μὴν τῇ ῥώμῃ ὁ βασιλεὺς ὀνώριος, ἐν δὲ τῇ Κωνσταντίνου πόλει εὐτυχιανὸς, ὁ τότε τῶν βασιλέων (vel potius βασιλείων, vt in Notis emendat Valesius) ὕπαρχος. Consules hi A. C. 398. adscripti fastis habentur, adeoque Chrysostomi ordinatio feria sexta peracta est. Videant igitur, qui Canisium possident, an in Menologio Sirleti ad 4. Kal. Martii ordinationis Chrysostomianæ festiuitas adnotetur; in Menologio sane Vghelli nihil eam in rem occurrit. Bollandus autem To. II. Ianuarii p. 181 adserit, *in Menæis XV. Decembris S. Ioannis Chrysostomi consecrationis agi memoriam.* Sed neque hoc firmo stare talo, aut Græci saltem istorum Menæorum auctores ignorasse videntur verum ordinationis Chrysostomi diem, quem exposuit Norisius Lib. II. Historiæ Pelagianæ Cap. XXIV. *Fateor, Græcos antiquitus aliis etiam extra Dominicam diebus in Episcopos consecratos. Ioannes Chrysostomus ex Socrate lib. 6. cap. 2. initiatus fuit Antistes 26. Februarii Honorio & Eutychiano Coss. nempe anno 398. die Veneris Cyclo Solis XV. Lunæ XIX. Lit. C. Nestorius ex eodem Socrate lib. 7. cap. 29. inauguratus est ibidem Episcopus die 10. Aprilis, Felice & Tauro Coss. nempe die Martis anno 428. Cyclo Solis XVII. Luna XI. lit. A.G.* Cæterum *Idibus Nouembris commemorationem exilii S. Patris nostri Io. Chrysostomi* apud Græcos fieri ex Vghelli Menologio discimus, de qua explicandum venit festum τοῦ χρυσοστόμου Ἰωάννου, quod d. XIII. Nouembr. commemorat Smithius pag. 12. consentitque Kalendarium Coptorum apud Seldenum ad d. XVII. Hathur, qui XIII. Nouembr. respondet. Cæterum de Chrysostomi obitu ita scribit Socrates Lib. VI. cap. XXI. editionis Valesianæ: Ἰωάννης ἐπὶ τὴν ἐξορίαν ἀπαγόμενος, ἐν κομάνοις τοῦ εὐξείνου πόντου ἐτελεύτησε, τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ τοῦ σεπτεμβρίου μηνὸς, τῇ ἑξῆς ὑπατείᾳ, ἥτις ἦν ὀνωρίου τὸ ἕβδομον καὶ θεοδοσίου τὸ δεύτερον. Haud ingratum fore Lectoribus confido, si & locum & tempus a Socrate adnotatum obiter illustrem. De priori audiemus Angelum a S. Ioseph in Gazophylacio linguæ Persarum p. 387. *Relationum*

num Scriptores mirum! locum illum haud memorant, vbi S. Ioannes Chrysostomus decubuit, atque primo humo mandatus fuit. Locus tamen vix semidiurno distat itinere ab vrbe Tocati, atque hactenus nomen Cumana retinet. Mortuus est Chrysostomus an. 407. quo fastis adscribuntur nomina Consulum a Socrate citata, in cuius vulgatis editionibus falsò legi Νοεμβρίῳ pro Σεπτεμβρίῳ ex Codice Sfortiano, Nicephoro, & versione Epiphanii Scholastici in Notis commonuit Valesius. An autem rectè Latinos ad 14. Septemb. Chrysostomi natalem referentes cum Græcis conciliauerit Baronius, aliorum esto iudicium.

XXV. Melius Græcis cum Latinis conuenit, adnotante Quenellio, de die ordinationis Ambrosii, quem vtraque Ecclesia celebrat die 7. Decembris. Est sane & apud Græcos magna Ambrosii auctoritas, adeo, vt Theodoretus in Dialogis plus semel eam obiecerit Eutychetis adseclis, nec opus sit sequentium temporum scriptores allegare. Nos missis Græcis ad Latinos progredimur, in quorum Martyrologio post Ambrosianam celebratur etiam Zenonis Veronensis episcopi ordinatio. Disputant pridem eruditi de Zenone isto scriptisque sub eius nomine publicatis, vulgaremque sententiam de martyrio ipsius sub Gallieno Imp. repudiant, eo inprimis argumento, quod ex Ambrosii epistola 64. ad Syagrium Veronensem Episcopum constet, huius antecessorem fuisse Zenonem: at non nisi vnum agnoscunt Veronensium tabulæ veteresque scriptores. Prolixius hæc & alia vrget Labbeus in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis. Sermones supposititios iudicat Sixtus Senensis lib. 4. Biblioth. Sanctæ, cui fere adstipulatur Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis. Sed complures genuinos esse contendit Baronius Not. in Martyrol. ad d. 12. April. censetque Augustus Buchnerus noster in quodam Programmate apud CL. Daumium, Præfat. in Homilias Patrum de Natiuitate Christi, *formam siue characterem sermonis plerunque sibi esse similem, & mirum in modum respondere: postbac attingi plura in istis sermonibus, quæ non nisi antiquissima Ecclesiæ temporibus, cum inter medios gentiles iactaretur, & quibus Zeno Martyr vixisse traditur, congruere possunt.* Verum Ger. Ioan. Vossius de Histor. Latin. Lib. III. P. IV. cap. II. ex Sermone de continentia colligit, *parentem eius fœtus non vixisse ante annum CCCCXL.* vbi in Notis pag. 270. animaduertit Sandius, *probabile videri, auctorem huius sermonis scripsisse circa an. 400. si nempe hic adhibeatur calculus Philastrii, Marcelli, Concilii Antiocheni*, qui in eo consistit, vt a Natiuitate Domini vsque ad eorum tempora quadringenti plus minus anni numerentur. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

XXVI. Similis honor IV. Nonas Iulii defertur celeberrimo illi Martino, Turonensi Episcopo, cuius ordinationem describunt Sulpitius Seuerus de vita

vita Martini cap. VII. & Benedictus Paullinus Petrocorius initio Libri II. de vita Martini, quem scriptorem magno rei literariæ bono restituerunt celeberrimi viri Carpzouius & Daumius. In Romano Martyrologio hæc habentur: *Turonis translatio S. Martini Episcopi & Confessoris; & dedicatio eius basilica hoc ipso die, quo etiam is ante aliquot annos in Episcopum fuerat ordinatus.* Holstenius in Animaduersis ad Martyrol. Rom. p. 299. monet MS. Reginæ Sueciæ habere: *Et ordinatio Episcopatus seu dedicatio &c.* vtra lectio melior sit, eruditorum iudicio relinquo, eorundemq; disquisitioni permitto, quæ de Felicis Aunariiq; ordinationibus ex eodem Codice adnotauit Holstenius. Prioris quippe VI. Kal. Augusti fit mentio: quem eundem esse existimo cum eo, cuius epitaphium ex Capacii Historia Neapolitana lib. II. c. 29. emendat recensetque Reinesius inter Monumenta Christiana num. LXXIV. DEP. SANC. FELICIS. EPISG. V. ID. FEB. POS. CONS. FAVSTI. V. C. Incidit is Fausti Consulatus in An. 483. discimusque ex hac inscriptione, quando obierit Felix ille Nolanus: de eius autem ordinatione VI. Kal. Aug. vbi Baronii Martyrologium habet: *Nola sanctorum martyrum, Felicis, Iulia & Iucunda*; legitur in isto MS. apud Holstenium: *In Nola ciuitatis S. Felicis die ordinationis Episcopatus multa mirabilia fiunt.* Posterior commemoratur pridie Kal. Augusti, & *in Codice Regina* pro verbis in Martyrol. Baron. *Rauenna transitus S. Germani Antisiodorensis Episcopi* &c. hæc substituuntur: *Antisiodori depositio S. Germani* &c. eaque periodo absoluta additur: *Aunari Episc. Natalitium ordinationis Episcopatus.* Non dubito, illum esse Aunacharium Altisiodorensem seu Autisiodorensem Episcopum, qui an. 580. vel sequenti (vt docet Pagi P. III. Dissertationis Hypaticæ c. III. num. 6.) Epistolam suasoriam a Pelagio II. Papa accepit, tum Concilio Matisconensi an. 585. interfuit, & paullo post in sua Diœcesi Synodum ipse congregavit, laudaturque a Gregorio Turonensi lib. IX. Historiæ Francorum in caussa monialium rebellium Monasterii Pictauiensis, quoniam cum aliis nouem Episcopis apud Guntramnum Burgundiæ Regem congregatis excommunicationis sententiam in eas a Gundegisilo Meropolitano Burdigalensi atque coepiscopis latam suo suffragio per epistolam a Gregorio Turonensi exhibitam comprobauit. Nec repugnat diuersa nominis pronunciatio; idem enim vocatur Aunarius in Actis Austregisili Bituricensis Episcopi, quem in Diaconum ordinarat, obseruante Baronio An. 611. num. 2. Postremo haud prætereundas censeo ordinationes Eligii, Nouiomensis Episcopi, & Audoeni Rotomagensis, de quibus Mabillonius in Dissertat. de anno mortis Dagoberti primi & Chlodouei iunioris Tom. III. Analect. pag. 524. refert, *in Nouiomensis Ecclesia Kalendario, quod libro Psalmorum veterrimo præmissum est, ordinationem beati Eligii pridie Idus Maii, id est, quarto decimo adscriptum esse, itidemque S. Audoeni ordinationem eodem die celebrari in Ecclesia Rotomagensi,*

gen si, & paucis interiectis addit: *Etsi sancti Eligii depositio haud longe post ipsius obitum celebrata sit; non tamen statim eius ordinatio (quod etiam de beato Audoeno dicendum) fastis sacris adscripta, & peculiari cultu honorata est, sed post annos forsan centum quinquaginta aut etiam ducentos. Eos vero, qui eam primi Kalendariis inscripserunt, ex loco Audoeni* (in vita Eligii) *male intellecto eam reposuisse quartadecima die Maii, qua die vigesima prima reponenda erat. Liber Psalmorum Nouiomensis, quo nullus antiquior Eligii ordinationem signat, scriptus est exeunte saeculo decimo, quum in eo fiat mentio de Harduino Episcopo in haec verba.* II. Idus Maii dedicatio, ecclesiae beatae Mariae, & dedicatio capellae, quam Domnus Harduinus Episcopus construxit Nouiomi: & ordinatio sancti Eligii. *Harduinus sedebat anno DCCCCXCIV. Forsan eo saeculo instituta est memoria ordinationis beati Eligii in Ecclesia Nouiomensi.* Haec ibi Mabillonius, de quibus malo doctorum audire iudicium, quam meum qualecunque interponere.

EXERCITATIO DECIMA
DE
Veteris Recentisque Ecclesiae Hymno: TE DEVM LAVDAMVS.

Wittenbergae proposita

A. D. VII. APRIL. CIↃ IↃC XXCVI.

I.

HYmnorum vsum in prisca Ecclesia obtinuisse nemo facile ignorat. Apostolus enim Ephes. v, 19. eum Christianis omnibus commendauit, variaque sacrorum canticorum nomina, ψαλμὺς καὶ ὕμνὺς καὶ ᾠδὰς πνευματικὰς, recensuit. Quibus an vnicam tantum, an diuersas cantionum species innuat, cum antiqui tum moderni Interpretes variant, vt videre est apud Ger. Io. Vossium Commentario de Christianorum persequutione pag. 31. 32. Thomam Gatakerum Lib. I. Cinni cap. x. pag. 124. Ioan. Hoornbeekium Dissert. de Psalmodia, quae vndecimum Libri primi Miscellaneorum caput constituit, num. 4. pag. 308. aliosque plurimos. Nobis in praesens sufficit demonstrasse, hymni adpellationem iure optimo tribui cantico eucharistico, de quo tractandum suscepimus. Quum enim istud laudes Dei concelebret, definitionem hymni apud Menandrum Rhetorem merito sibi vendicat, cui ὕμνος est ᾠδὴ εἰς θεοὺ

θεὸν, obſeruante Voſſio pag. 33. qui propriam vocis eam ſignificationem eſſe dicit, poetarumque abuſum notat. Equidem hymnus proprie eſt proſaicus, in quo cum Menandro conferri meretur Dionyſius Halicarnaſſeus, vt alter ex altero exponatur. Par hymni deſcriptio occurrit apud Gregorium Nazianzenum, cuius ὄπη παχυμερεῖς ab Hœſchelio editi ſunt Auguſtæ Vindelicorum an. CIↃ IↃ XCIX. In iis Iambus 142. cum ſequentibus ita ſonat:

Ἐπαινός ἐστιν εὖ τι τῶν ἐμῶν φράσαι.
Αἶνος δ' ἔπαινος εἰς θεὸν σεβάσμιος.
Ὁ δ' ὕμνος, αἶνος ἐμμελής, ὡς οἴομαι.

Latina verſio: *Laudatio ſiue ἔπαινος, eſt rerum & actionum humanarum prædicatio. Αἶνος autem religioſa quædam laudatio, quæ ad Deum pertinet. Hymnus denique (mea quidem ſententia) eſt αἶνος modis numeriſque compoſitus.* Hoeſchelius in Notis adfert locum Chryſoſtomi: μετὰ τὰς ψαλμῳδίας ὕμνοι, ἅτε θειότερον πρᾶγμα. Et pro θειότερον legi vult τελειότερόν τι, qua tamen emendatione opus haud eſſe videtur, quum Nazianzenus hymnum deſcripſerit, vt diuinæ laudi conſecratum carmen.

II. Monitum illud Paulli ea ratione ab initio eccleſiæ obſeruarunt Chriſtiani, vt nonnunquam totas noctes dieſque hymnis dicendis inuigilarint. Quare Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone de Chriſtianis & Iudæis ſermonem faciens, ἐμοῦ δὲ καὶ σοῦ, ait, οὐκ ἔτι καὶ τοῦ καθέκαστα, ἐπεὶ οὐδ' ἂν ηὐχόμεθα αὐτῷ δι' ὅλης νυκτὸς καὶ ἡμέρας, quod bene reddidit Interpres: *Mei autem atque tui, & vniuscuiuſque ſigillatim non itidem* (ſentiunt, quemadmodum pagani, de vnitate aut pluralitate Deorum, diuinaque prouidentia nihil ſoliciti,) *alioqui votis illum* (DEum) *non imploraremus totis noctibus atque diebus.* Simile teſtimonium dicunt Origenes Lib. IIX. aduerſus Celſum pag. 435. editionis Auguſtanæ, cui adiectus Gregorii Thaumaturgi Panegyricus in Origenem pag. 5. 6. idem confirmat, vt Euſebium Lib. XII. παρασκευ. Εὐαγγελ. cap. 24. aliosque plurimos prætermittam, quum res adeo clara ſit, vt ne Ethnicos quidem fugerit, inter quos Plinius ſecundus Epiſt. ad Traianum refert, *Chriſtianos eſſe ſolitos ſtato Die ante lucem conuenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere, ſecum inuicem.* Et Auctor Dialogi, qui Philopatris inter Luciani opera inſcribitur, ſed ei abiudicatur a viris doctis, qui in eo tamen conſentiunt, Scriptorem Plinio fuiſſe coæuum, nec Traiani Imper. ætate inferiorem, Chriſtianos introducit tanquam ἐπὶ παννύχους ὑμνῳδίας ἐπαγρυπνοῦντες.

III. Modum canendi vetuſtiſſimorum Chriſtianorum deſcribit Rabanus Maurus lib. II. de Inſtit. Clericorum cap. 28. *Primitiua Eccleſia ita*

ita psallebat, vt modico flexu vocis faceret resonare psallentem, ita vt pronuncianti vicinior esset, quam canenti. Propter carnales autem in Ecclesia, non propter Spirituales, consuetudo cantandi est instituta; vt quia verbis non compunguntur, suauitate modulaminis moueantur. Equidem prius Rabanus hausit ex Ambrosii Commenr. in Psalmos; posterius autem, docente Ioan. Mabillonio Disquisit. de Cursu Gallicano pag. 398. *ex Isidoro accepit:* optimeque Vossius de Scientiis Mathematicis cap. xxi. num. xi. censet, *hoc non egisse veteres Christianos, vt minuritionum delicias sectarentur,* adstipulante Magnifico Zieglero nostro Not. in Lancellottum pag. 149. Ita de Athanasio scribit Augustinus Lib. x. Confessionum cap. 33. *Tutius mihi videtur, quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sæpe mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat sonare Lectorem psalmi, vt pronuncianti vicinior esset, quam canenti.* Recitat hunc locum Agobardus in libro de Correctione Antiphonarii cap. xiv. Plura vero suppeditant Baltasar Bebelius Antiq. Ecclef. Sæc. iv. P. ii. Artic. ix. pag. 752. 753. & Mabillon. pag. 390. 391. Porro ab Ignatio Episcopo & Martyre Antiocheno Antiphonarum, siue alternis vicibus canendi consuetudo introducta est, teste Socrate Histor. Ecclesiast. Lib. vi. cap. 9. cui alii modernorum eruditorum subscribunt, alii autem dissentiunt, antiquiorumque scriptorum silentium caussantur, & a Flauiano demum ac Diodoro Antiochiæ imperante Constantio Antiphonas institutas volunt. Verum Ignatius vniuersæ procul dubio Ecclesiæ Antiochenæ modum illum tradiderat, hi monasteriis tantum a Constantini demum tempore exstrui cœptis. Ille quosuis hymnos intellexisse videtur, nec choros certos respexisse; hi autem & diuersos choros & διχῇ τὰς ψαλμὰς Δαβιδικὰς ᾄδοντες ordinarunt, vt Suidas in v. χορὸς & Theodoretus Lib. ii. Histor. Ecclesiast. cap. 24. docent. Ne commemorem, quod Henricus Valesius in hunc Socratis locum obseruat, ex Nicetæ Thesauro orthodoxæ fidei Lib. v. cap. 30. *liquere, eam psalmodiæ speciem iam ante Flauianum atque Diodorum a Syris videri fuisse vsurpatam.* Porro Plinius idem confirmasse censeri potest, quando ait Christianos carmen dicere *secum inuicem:* nisi magis probanda est interpretatio Vossii pag. 53. Plinium *eo respicere, quod non solus caneret sacerdos, sed alii quoque canendo se inuicem prouocarent.* Vtcunque autem ea se res habeat, Ambrosium antiphonarium canendi vsum ab Orientalibus acceptum in Ecclesiam Mediolanensem introduxisse tradit Rabanus Maurus Lib. i. cap. i. *Apud Latinos autem primus idem beatissimus Ambrosius antiphonas instituit, Græcorum exemplum imitatus: ex hinc in cunctis occiduis regionibus earum vsus increbuit.* Priorem Rabani assertionem ex Sigeberto & Radulpho confirmat Ioan. Ludou. de la Cerda Aduersar. Sacr. cap. cxxi. num. i. & ex

Augustino in Confessionum libris de illo Ambrosii instituto loquente Mabillonius pag. 388. 389. Posterior vero ex antiquo Pontificum Romanorum Catalogo adstrui potest, qui Celestinum 1. refert *constituisse, vt antiphona ante sacrificium caneretur, quod non ante fiebat*, apud Emanuel. Schelstratium Eccles. Afric. Dissert. II. cap. VI. Et Patricius ad Hibernos a Celestino missus in Chronico Anonymi cuiusdam Monachi cœnobii Malmesburiensis dicitur *constituisse, vt Psalmi antiphonatim cantarentur a choro ad chorum*, apud Iacobum Waræum Annotat. in Patricii opuscula pag. 144. Cæterum eandem consuetudinem hodienum seruat hymnus noster: *Te DEum laudamus* &c. quando multis in locis per duos choros decantari solet: vnde forsan occasionem arripuerunt nonnulli, Ambrosio & Augustino eum adscribendi, quum Mabillonius pag. 389. 390. probatum dederit, Augustinum alternatim canendi morem in Africanam etiam Ecclesiam introduxisse.

IV. Prius autem originem eius pressius considerabimus paulloque altius repetemus. Veteres Christiani duo præsertim cultus diuini quotidie tempora obseruabant, matutinum & vespertinum. De illo testantur conuentus eorum antelucani, quos Plinius notat in citata ad Traianum epistola, ad quam multa ex Tertulliano, Eusebio aliisque Vossius & cæteri eruditione eximii viri passim obseruant. Hoc confirmant prolixe Dion. Petauius Animaduersionibus ad Epiphanium pag. 368. & Valesius ad Socratem pag. 72. & 117. In priuilegio Diaconias, quod in Libro Diurno Romanorum Pontificum exstat, notabilis denominatio reperitur; *quando lucina perficitur, in eadem Diaconia pro remissione peccatorum nostrorum, omnes diaconites & pauperes Christi, qui ibidem conueniunt, Kyrie eleyson, exclamare studeant.* Ioan. Garnerius in Notis pag. 133. formulam illam, *quando lucina perficitur*, ita declarat: *Id est, quo tempore luminaria accenduntur, atque adeo serotinæ preces complentur.*

V. Matutina ista & vespertina sacra, Græcis ἑωθινὰ & λυχνικὰ dicta, varios quoque hymnos continebant, quorum alii ex Scriptura diuiniore, Psalmis præsertim Dauidicis, desumti, alii a viris piis compositi erant. De Psalmis Dauidis, quod apud viros doctos plurima eam in rem occurrunt, nihil adferam, nisi Alexandri Huissi obseruationem, qui ex Codice Alexandrino singularia adnotauit Tomo vltimo Bibliorum Polyglottorum Anglicorum post Collationem LXX. Interpretum editionis Romanæ cum Veneta, Complutensi &c. Exhibuit enim diuisionem Psalmorum Dauidis in diurnos & nocturnos, hac admonitione præmissa: *de his numeris quære diligentius: sunt enim plerique fugitiui.* Non licuit nobis hactenus esse tam felicibus, vt celeberrimum illud MStum oculis

lis vſurparemus, nec ab aliis pleniorem emendatioremque lectionem ſuppeditatam nouimus. Quare eam tantum ex Huiſſo in gratiam Lectoris mutuabimur.

Κανόνες ἡμερινοὶ ψαλμῶν.		Κανόνες νυκτερινοὶ ψαλμῶν.	
Ὀρθρινοὶ γ΄. ξβ΄. ρμ΄. ρμα΄		Λυχνικοὶ γ΄. ρκθ΄. ρμ΄. ιβ΄.	
Αʹ. Ψαλμὸς	..	Αʹ. Ψαλμὸς	ΟΔʹ.
Βʹ. Ψαλμὸς	ΚΘʹ.	Βʹ. Ψαλμ῀ς	ΚΘʹ.
Γʹ. Ψαλμὸς	..	Γʹ. Ψαλμὸς	ΝΔʹ.
Δʹ. Ψαλμὸς	ΜΑʹ. vel ΜΔʹ.	Δʹ. Ψαλμὸς	..
Εʹ. Ψαλμὸς	Νʹ.	Εʹ. Ψαλμὸς	..
ϛʹ. Ψαλμὸς	..	ϛʹ. Ψαλμὸς	Μʹ.
Ζʹ. Ψαλμὸς	ΞΘʹ.	Ζʹ. Ψαλμὸς	..
Ηʹ. Ψαλμὸς	ΠΔʹ.	Ηʹ. Ψαλμὸς	..
Θʹ. Ψαλμὸς	ΡΙΑʹ.	Θʹ. Ψαλμός	ΠΖ.
Ιʹ. Ψαλμὸς	ΡΜʹ.	Ιʹ. Ψαλμός	ΛΕʹ.
ΙΑʹ. Ψαλμὸς	Ρ..	ΙΑʹ. Ψαλμὸς	..
ΙΒʹ. Ψαλμός	Ρ..	ΙΒʹ. Ψαλμός	Νϛʹ.

Non eſſe hos Pſalmorum Canones recentis inſtituti, ex Ioanne Caſſiano lib. II. Inſtitut. cap. 4. 5. colligitur, qui oſtendit, *per vniuerſam Ægyptum & Thebaidem duodecim Pſalmorum numerum tam in veſpertinis, quam in nocturnis ſolennitatibus cuſtodiri*, & *cælitus Angeli magiſterio Patribus delatum eſſe*, adeoque *diu ante S. Antonium*, vt obſeruat Ioan. Bollandus Tomo II. Ianuarii pag. 120. Quod ſi non aliis argumentis confirmare licet, egregium tamen eſt, quod ex Pſalmo LXIII. & CXLI. in vtraque canonum ſerie præſcripto deſumitur. Caſſiano enim antiquiores cenſentur Conſtitutiones Apoſtolicæ, & non ab ipſis quidem Apoſtolis profectæ, ſed ritus tamen in Eccleſia ante Synodum Nicænam receptos exhibere creduntur. Ex eorum Lib. II. cap. LIX. *diſcimus mane quidem cantatum fuiſſe Pſalmum LXII. (Ebrais LXIII.) veſpere vero CXL. (Ebrais CXLI.)* docente Ioan. Dallæo Lib. III. de Religioſi Cultus Obiecto Cap. XIV. pag. 424. 427. Idemque de poſteriori in illius expoſitione teſtari Chryſoſtomum Ioan. Croius commonuit Obſeruat. in Nouum Teſtamentum cap. XII. pag. 99. 100. quorum alterutrum curioſus Lector adeat. Nos de aliis Scripturæ Canticis apud veteres Chriſtianos receptis ſolliciti Petri Lambecii notabilem locum adſcribemus ex Lib. III. Commentariorum de Bibliotheca Vindobonenſi pag. 379. de primo Codice Græco: *Notandum eſt in eodem Codice MS. & quidem a fol. 340. pag. 2. vsque ad fol. 343. pag. 1. Pſalterio Dauidico in fine annexam eſſe appendicem, qua continentur Cantica duo* Moyſis *ex Exodi cap. 15. &*

 Deute-

Deuteron. cap. 32. Canticum Hannæ, *matris Samuelis ex L. 1. Reg. cap. 2. Canticum* Habacuc *ex Prophetia ipsius Canticum* Esaiæ ἐκ νυκτὸς ὀρθρίζει &c. *ex Prophetia ipsius cap. 26. Canticum* Ionæ *ex Prophetia ipsius cap. 2. Canticum* Trium Puerorum *ex Prophetia Danielis cap. 9. Canticum* Beatissimæ Virginis Deiparæ *& Canticum* Zachariæ *Patris S. Ioannis Baptistæ ex Euangelii S. Lucæ cap. 1. Oratio pœnitentialis* Manassis *Regis Iuda, Oratio* Ezechiæ *Regis Iudæ, ex Propheta Esaia cap. 38. Oratio S.* Eustratii *Martyris*, μεγαλύνων μεγαλυνῶ *&c. Anonymi cuiusdam Oratio* nocturna *ante dormitionem, & eiusdem Oratio* matutina *post experrectionem e somno.* Idem fieri in Alexandrino Codice colligimus ex Huissi obseruatione, qui post Psalmos ΙΔ'. siue quatuordecim Odas ibi contineri refert, vltimamque, quæ inscribatur ὕμνος ἑωθινὸς seu *hymnus matutinus*, integram exhibet, de qua mox plura dicemus.

VI. Etenim veteres Christiani in Occidente pariter & Oriente præter sacras Scripturæ cantiones alias composuerunt, de quibus vetustissimus Artemonianæ hæreseos refutator apud Eusebium lib. V. Histor. Eccles. cap. 28. ψαλμοὶ δὲ ὅσοι καὶ ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπ' ἀρχῆς ὑπὸ πιστῶν γραφεῖσαι, τὸν λόγον τοῦ θεοῦ τὸν χριστὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες, i. e. interprete Valesio, *Psalmi quoque & cantica fratrum iam pridem a fidelibus conscripta, Christum Verbum Dei concelebrant, diuinitatem ei tribuendo.* Ex horum numero Iacobus Vsserius in Appendice Dissertationis de Symbolis pag. 34. censet fuisse ὕμνον ἑωθινὸν, quem antea indigitauimus, & nunc totum ex Vsserii editione in gratiam Lectoris describemus, opinionem eius de antiquitate hymni neutiquam improbantes, in quam diuersis opinionibus variisque rationum momentis prolixius inquisiuerunt e Reformatis Simplicius Verinus, siue Claudius Salmasius in epistola ad Iustum Pacium de Libro posthumo Hugonis Grotii pag. 61. 62. & Ioan. Dallæus Lib. IX. de Cultibus Latinorum religiosis cap. IX. e Pontificiis Cardinalis Bona lib. II. Rerum Liturg. c. IV. n. 4. Iacobus Goarus Notis in Euchologium Græcorum pag. 58. Carolus du Fresne in Glossario To. 1. p. 819. Mabillonius lib. 1. de Liturg. Gallic. c. IV. n. 12. c. V. n. 3. & Natalis Alexander Synopsi Sæculi VI. Cap. II. Artic. 1. p. 13. quorum adserta Lector eruditus perpendat: nobis enim ea inter se conferre & examinare nunc non vacat. Ipse autem hymnus sic habet:

Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ,	*Gloria in excelsis Deo,*
καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη,	*& in terra pax,*
ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία.	*in hominibus bona voluntatis.*
Αἰνοῦμέν σε,	*Laudamus te,*
εὐλογοῦμέν σε,	*benedicimus te,*
προσκυνοῦμέν σε,	*Adoramus te.*

δοξολο-

δοξολογοῦμέν σε,	*glorificamus te,*
εὐχαριστοῦμέν σοι,	*gratias agimus tibi,*
διὰ τὴν μεγάλην σου δόξαν,	*propter magnam gloriam tuam.*
Κύριε βασιλεῦ ἐπουράνιε.	*Domine Deus rex cælestis.*
Θεὲ πατὲρ παντοκράτωρ,	*Deus Pater omnipotens,*
Κύριε υἱὲ μονογενὲς,	*Domine Fili unigenite,*
Ἰησοῦ Χριστὲ,	*Iesu Christe,*
καὶ ἅγιον πνεῦμα.	*o*
Κύριε ὁ Θεὸς,	*Domine Deus,*
ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ,	*Agnus Dei,*
ὁ υἱὸς τοῦ πατρὸς,	*Filius Patris,*
ὁ αἴρων τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου,	*Qui tollis peccata mundi,*
ἐλέησον ἡμᾶς.	*miserere nobis.*
ὁ αἴρων τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου,	*Qui tollis peccata mundi,*
πρόσδεξαι τὴν δέησιν ἡμῶν.	*suscipe deprecationem nostram.*
ὁ καθήμενος ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς,	*Qui sedes ad dexteram Patris,*
ἐλέησον ἡμᾶς.	*miserere nobis.*
Ὅτι σὺ εἶ μόνος ἅγιος,	*Quoniam tu solus sanctus,*
σὺ εἶ μόνος κύριος,	*tu solus Dominus,*
Ἰησοῦς Χριστὸς.	*Iesu Christe,*
o	*cum sancto Spiritu,*
εἰς δόξαν Θεοῦ πατρὸς· Ἀμήν.	*in gloria Dei Patris.*

Vsserius ex variis Psalteriis MSStis græco & latino idiomate exaratis, quæ describit in Præfatione Dissertationis, hausit hunc hymnum, & in nota eidem subiecta varias eius epigraphas indicat, tum Latinas, e quibus præcipuam putamus, nostroque inprimis instituto congruam, quæ in Psalterio Regis Æthelstani (qui in Anglia ab anno 923. ad 940. summam imperii tenuit) reperitur, *Hymnus in die Dominica ad Matutinas*; tum Græcas: etenim προσευχῆς ἑωθινῆς *titulum* (verba Vsserii audis) *in Constitut. Apostolic. lib. VII. cap. XLVIII. (al. 47.) præfixum habet:* ὕμνου ἑωθινοῦ *ad finem Psalterii Græci, tum in Benedictino Cantabrigiensium Collegio, tum in omnium antiquissimo exemplari Alexandrino, maiusculis literis exarato, quod in Regis nostri Bibliotheca conseruatur, vbi* στιχηδὸν *descriptus ille habetur, hac etiam Oda insuper addita,* quam & ego proferam; postquam illud addidero, in Codice Alexandrino (vnde hymnus iste in Bibliis Polyglottis Londinensibus descriptus est) versu 8. legi εὐχαριστοῦμέν σε, v. 12. μονογενὴ, v. 19. & sequentes ita reperiri:

Ὁ αἴρων

Ὁ αἴρων τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου,
Ἐλέησον ἡμᾶς.
Ὁ αἴρων τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου,
Ἐλέησον ἡμᾶς.
Πρόσδεξαι τὴν δέησιν ἡμῶν.

Porro idem hymnus Latine exhibetur in Psalterio Caroli Magni ad calcem Confessionis fidei, quæ Hieronymo tribuitur, apud Lambecium Lib. II. Commentariorum pag. 277. Circelli autem, quos ex Vsserio retinuimus, designant, in Latina versione deesse verba Græca, καὶ ἅγιον πνεῦμα, quæ in omnibus Græcis Codicibus exstant: in Græco autem desiderari, quæ in Latinis habentur ad finem, *cum sancto Spiritu.* Ante omnes autem conferri meretur Thomas Smith, qui in Miscellaneis suis pag. 133. egregia multa de hoc *hymno matutino Græcorum* commentatus est, eumque ex vetustissimis Græcis ac Latinis Codicibus exscripsit, variasque Lectiones sollicite addidit. Cæterum, quis in nostris Ecclesiis adeo hospes est, vt ignoret, quouis die Dominico & festo antiquissimum illum hymnum siue Latino idiomate, siue Germanico, ex versione B. Lutheri, Allein GOtt in der Höh sey Ehr &c. decantari?

VII. Sed in re manifesta non est vt immoremur, ad alteram potius Odam progredimur, quam isti subiici antea meminimus ex Vsserio. Textum Græcum, prout in Polyglottis ex Codice Alexandrino habetur, adducemus:

Καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν εὐλογήσω σε,
Καὶ αἰνέσω τὸ ὄνομά σου εἰς τὸν αἰῶνα,
Καὶ εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος.
Καταξίωσον Κύριε καὶ τὴν ἡμέραν ταύτην
Ἀναμαρτήτους φυλαχθῆναι ἡμᾶς.
Εὐλογητὸς εἶ κύριε ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν,
Καὶ αἰνετὸν καὶ δεδοξασμένον τὸ ὄνομα σου εἰς τοὺς αἰῶνας Ἀμήν.
Εὐλογητὸς εἶ κύριε, δίδαξόν με τὰ δικαιώματά σου.
Εὐλογητὸς εἶ κύριε, δίδαξόν με τὰ δικαιώματά σου,
Εὐλογητὸς εἶ κύριε, δίδαξόν με τὰ δικαιώματά σου.
Κύριε καταφυγὴ ἐγενήθης ἡμῖν ἐν γενεᾷ καὶ γενεᾷ,
Ἐγὼ εἶπα, κύριε ἐλέησόν με.
Ἴασαι τὴν ψυχήν μου, ὅτι ἥμαρτόν σοι.
Κύριε, πρὸς σε κατέφυγα,
Δίδαξόν με τοῦ ποιεῖν τὸ θέλημά σου, ὅτι σὺ εἶ ὁ Θεός μου.
Ὅτι παρά σοι πηγὴ ζωῆς.

Ἐν

Ἐν τῷ Φωτί σου ὀψόμεθα Φῶς.
Παράτινον τὸ ἔλεός σου τοῖς γινώσκουσίν σε.

Vſſerius fidem Pſalterii Græci Cantabrigienſis procul dubio ſequutus, ſemel tantum verſiculum octauum, *εὐλογητὸς εἶ κύριε, δίδαξόν με τὰ δικαιώματά σου*, exhibuit, in margine adiiciens, *qui verſus, in Alexandrino codice, ter habetur hic repetitus.* Latinam autem hanc adpoſuit verſionem: *Per ſingulos dies benedicam tibi & laudabo nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. Dignare, Domine, de iſto ſine peccato nos cuſtodire. Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum: laudandum ac glorificandum eſt nomen tuum in ſecula. Amen. Benedictus es, Domine; doce me iuſtificationes tuas. Domine refugium tu factus es nobis in generatione & generatione. Ego dixi: Domine, miſerere mei, ſana animam meam; quia peccaui tibi. Domine ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam; quia Deus meus es tu. Quoniam apud te eſt fons vitæ, in lumine tuo videbimus lumen. Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te.* Sed miror, apud Vſſerium (quem eo nomine *ἀνωνύμως* reprehendit Schmithius p. 148.) hymnum iſtum inſcribi, *HYMNUM VESPERTINUM*, qui in vtroque codice ſine peculiari epigraphe ſubiungitur ſuperiori matutino, & vnico numero, quarto decimo Odarum, cenſetur in Codice Alexandrino, vnde quoque Huiſſus non duos ſed vnum agnouit ſingularique elogio proſequutus eſt, nuncupans *perquam ſacratum vereque glorioſum hymnum, a multitudine militiæ cæleſtis inceptum; a Baptiſta continuatum; a Pſalmiſta Dauide, pueris tribus, piisque Chriſtianis (collatis quaſi Symbolis) conſummatum; totque abhinc ſæculis (vt vel ex hoc ſumma Antiquitatis monumento videre eſt) in Eccleſia decantatum.* Reſpexit forſan Vſſerius verſum penultimum: *in lumine tuo videbimus lumen.* Sed præterquam quod lumen diei potius, quam competat, optimi interpretes ſunt Syri Chriſtiani, qui precationes ſuas matutinas iiſdem verbis incipiunt, & hymnum vetuſtiſſimum eleganter exprimunt. Habentur eæ apud Ioan. Albertum Widmanſtadium in calce Rudimentorum linguæ Syriacæ Viennæ Auſtriacæ an. CIↃ IↃ LV. impreſſorum, quæ poſtea Guido Fabritius Boderianus Liturgiæ Seueri attexuit, & apud Ioannem Gregorium Anglum cap. XX. Notarum & Obſeruationum in loca aliquot S. Scripturæ, qui ad *Rituale Syriacum* prouocat. Vt facilior ſit collatio, eaſdem integras adferemus:

ܐܠܗܐ ܕܐܒܗܝܢ ܡܫܒܚܐ. ܡܫܬܒܚܢ ܐܦܝܟ ܠܡܠܟܘܬܐ ܘܡܫܒܚܝܢ
ܠܥܠܡ. ܘܐܡܝܢ. ܒܢܘܗܪܟ ܚܙܝܢ ܢܘܗܪܐ ܡܫܝܚܐ ܡܠܟܐ ܢܘܗܪܐ. ܕܐܬܐ
ܗܘ ܢܘܗܪܐ ܫܪܝܪܐ ܕܡܢܗܪ ܠܟܠ ܒܢܝ ܐܢܫܐ ܠܟܢ ܒܢܘܗܪܟ
ܢܚܙܐ ܢܘܗܪܐ ܕܐܝܟ ܡܫܒܚܐ: ܘܠܟ ܐܠܗܐ ܡܫܒܚܝܢ ܡܠܟܐ ܡܫܝܚܐ ܕܥܠܡܝܢ
ܠܥܠܡܝܢ

ܡܫܟܢܝ ܢܘܗܪܐ ܟܠܝ ܡܢܢ ܚ̈ܫܐ ܒ̈ܝܫܐ ܘܡܚܫ̈ܒܬܐ
ܣܢ̈ܝܬܐ ܘܗܒ ܠܢ ܕܒܕܟܝܘܬ ܠܒܐ ܢܥܒܕ ܥܒ̈ܕܐ ܕܟܐܢܘܬܐ܀

Widmanſtadii verſio Latina hæc eſt: *Quando oritur Sol, conuertunt facies ſuas ad Orientem, & adorant Deum, & dicunt: in lumine tuo videmus lumen Ieſum plenum lumine* (melius Boderianus & Gregorius in vocatiuo efferunt: *Ieſu plene lucis* vel *lumine*) *Quia tu es lumen verum, quod illuminat omnes creaturas. Illumina nos in lumine tuo eminente, ſplendore patris cœleſtis* (neruoſius Gregorius *Illumina nos ſplendidiſsima luce Patris tui cœleſtis.*) *Etiam dicunt: Iuſtus ſanctus* (Boder. *Condonator ſancte*) *qui habitat* (*habitas*) *in tabernaculis luminis, auerte* (Boder. *probibe*) *a nobis pasſiones malas & cogitationes prauas & da nobis, vt in puritate cordis faciamus opera iuſtitiæ.*

IIX. Neque tamen deſtituebantur priſci fideles oratione veſpertina, ſiquidem Vſſerius ſtatim ſubiunxit ὕμνον ἑσπερινὸν, quem pariter transſcribemus, quoniam infra nobis vſui erit: *Φῶς ἱλαρὸν ἁγίας δόξης ἀθανάτου πατρὸς, οὐρανίου, μάκαρος, Ἰησοῦ χριστὲ ἐλθόντες ἐπὶ τοῦ ἡλίου δύσιν, ἰδόντες Φῶς ἑσπερινὸν, ὑμνοῦμεν πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα Θεοῦ. Ἄξιος εἶ ἐν πᾶσι καιροῖς ὑμνεῖσθαι Φωναῖς ὁσίαις, υἱὲ Θεοῦ, ζωὴν ὁ διδοὺς. Διὸ ὁ κόσμος σε δοξάζει. Lumen bilare ſancta gloria immortalis Patris, cœleſtis, ſancti, beati, Ieſu Chriſte: quum ad Solis occaſum peruenerimus, lumen cernentes veſpertinum, laudamus Patrem & Filium & Sanctum Spiritum Dei. Dignus es tempore quouis ſanctis vocibus celebrari, fili Dei, vitæ dator! Quapropter te mundus glorificat.* Addam epicriſin Schmithii, qui in Miſcellaneis huic etiam veſpertino hymno locum dedit, prolatisque Baſilii verbis p. 152. ſubiecit: *De Auctore ſibi non conſtare ait expresſisſime: ideo illos ratio maxime fugit, qui illum in ſequentibus Athenogeni adſcribere volunt. De alio enim hymno loquitur, quem ſanctus ille martyrio perignem iamiam conſummandus cecinit, & apud amicos reliquerat, in quo eadem de Spiritu S. effata occurrebant. Athenogenes autem erat S. Clementi Alexandrino σύγχρονος, cuius ætatem longe exſuperare videtur hic hymnus, quem ob antiquitatem plusquam ſemel laudat S. Baſilius. Et videtur, nam bic ſolis coniecturis agendum eſt) ſiue ex communi decreto inſtitutus, ſiue inualeſcente conſuetudine receptus, & apud populum maxime familiaris redditus, qui pro more ſolenni hanc gratiarum actionis formulam appetente nocte uſurpabant. Male igitur Græci, quo auctoramento freti neſcio, hunc hymnum ſophronio Patriarchæ Hieroſolymitano adſcribunt.* Nicephorus lib. XIIX. Hiſtor. Eccleſ. cap. XI. exiſtimat, hymnum hunc iam inde ab Apoſtolis per manus Eccleſiæ traditum, ſed nec apud Vſſerium, nec apud Stephanum le Moyne To. II. Var. Sacr. pag. 1095. conſenſum impetrat, quorum vterque Baſilii Magni teſtimonium ex cap.

29. libri

29. libri de Spiritu Sancto ad Amphilochium producit, qui referat, illum hymnum vulgo tribui Athenogeni. Equidam Græci in Horologio ita accipiunt Basilii verba, quasi is definiat, Athenogenem esse auctorem. Aiunt enim: Ὕμνος τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἀθηνογένους, οὐχ ὥς φασί τινες ἀμαθῶς, Σωφρονίου πατριάρχου Ἱεροσολύμων. μάρτυς τούτου ὁ μέγας Βασίλειος. *Hymnus sancti Martyris Athenogenis, non vt quidam inepte dicunt, Sophronii Patriarchæ Hierosolymorum. Testis huius magnus Basilius.* Atuero *hæsitanter loqui Basilium de auctore Cantici* non Moynius tantum obseruauit pag. 1996. sed Goarus etiam, in notis ad Euchologium, pag. 30. 32. cuius hæc sunt verba: *Non sua itaque, quam proferre recusat, sed ex populi sententia & traditione vulgo accepta, quam refert Basilius, hymnus hic Athenogeni martyri tribuitur, qui clarissimus Theologus floruit sub Seuero Imperatore circa annum 169. & per ignem consummatus martyrii laudem est adeptus.* Basilius dubiam mentem satis prodit, quando scribit: καὶ ὅστις μὲν ὁ πατὴρ τῶν ῥημάτον ἐκείνων τῆς ἐπιλυχνίου εὐχαριστίας, εἰπεῖν οὐκ ἔχομεν. *Quis autem fuerit auctor illorum verborum, quæ dicuntur in gratiarum actione, ad lucernas, id est, ad Vesperas, dicere non possumus.* Moynius aliam proponit coniecturam, quod Hippolyto Portuensi tribuenda sint, cui in laterculo marmoreo adscribantur ᾠδαὶ εἰς πάσας τὰς γραφάς. *Forsan iure tribui posset Hippolyto nostro, & inter illius ᾠδὰς & hymnos recenseri. Sed cum ab aliis tribuatur Athenogeni martyri, qui sub Imperatore Seuero vitam cum morte commutauit, non intercedo, quo minus Hymni istius genuinus parens agnoscatur.*

IX. Verum non lubet obscuris incertisque coniecturis, chartas implere, sed ad propius inuestigandam originem hymni nostri, *Te Deum Laudamus*, accedimus. Quotus enim quisque est, qui nostrum cum Græcorum matutino, de quo num. VII. & IIX. egimus, conferens, non statim deprehendat, illum ex hoc expressum esse? Prima sane verba id manifeste ostendunt: *Te Deum laudamus: te Dominum confitemur*, quæ ex priori hymni matutini parte sumta sunt. Ex posteriori autem, quæ circa finem habentur: *Per singulos dies benedicimus te, Et laudamus nomen tuum in sæculum: & in sæculum sæculi. Dignare Domine die isto sine peccato nos custodire. Miserere nostri Domine: miserere nostri. Fiat misericordia tua, Domine, super nos: quemadmodum sperauimus in te.* Neque enim tantum ille versiculus, *dignare Domine* &c. *etiam in Ambrosii vel Nicetii hymno legitur*, quod in margine monuit Vsserius, sed omnes, quos adduximus, mutatis tantum numeris & aliis minoris momenti. Præterea hymnus noster sua latitudine complectitur ὕμνον ἐπινίκιον, siue *triumphalem*, de quo post alios initio Dissertationis de Trisagii origine videndus *Petrus A.V. D.M.* quem puto esse Petrum Alix, Reformatorum quondam Carentonensium

 pastorem,

pastorem, cui etiam Alexander tribuit Expostulationem ἀνωνύμως editam de epistola Chrysostomi ad Cæsarium eruditis haud ignotam. Hymnus autem triumphalis non aliis, quam his nostri verbis absoluitur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli & terra maiestatis gloriæ eius*, vel *tuæ*. Denique communem illam Doxologiam, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto &c.* de qua cum veteres tum recentiores plurima disputarunt, vt videre est apud Iacobum Gothofredum Comment. ad Philostorgium lib. III. tmem. 13. & celeberrimum Rechenbergium nostrum peculiari diatriba: *hymnus Te Deum, aliique similes, comprehendunt & explicant;* obseruante Guil. Beueregio lib. III. Vindic. Canonum Apost. cap. V. num. 7. vnde intelliges Ioan. Gregorium, qui cap. XXXIX. Notarum multis de vsu illius Doxologiæ congestis subiicit: *Et hoc modo primo recitabatur a recens conuersis & aliis, qui baptismo eorum præsentes adfuerunt: deinde Antiphonis addebatur, hinc & hymnis & Psalmis omnibus, si* Te Deum *excipias, idque peculiari de caussa.* Quoniam itaque hymnus noster ex Græco præsertim matutino desumtus est, in illius quoque locum successit, ut in Latina Ecclesia *semper dicatur post vltimam Lectionem in omnibus Dominicis & festis*, quemadmodum in Breuiario Romano videre est, & diuinorum officiorum scriptores, antiqui ac moderni passim obseruant, *hymni dominicalis* nomen nostro tribuentes.

X. Nec quidquam dubitari attinet, quin Latini Christiani alia etiam Græcorum carmina imitati sint. Quem enim paullo ante uidimus ὕμνον ἑσπερινὸν expressit Prudentius, aut quis alius auctor, notissimis Iambis: *O lux beata Trinitas*, quos in linguam quoque Germanicam traduxisse B. Lutherum satis constat. Ita pariter se res habet cum alio Cantico, quod apud Nostrates & Papistas in vsu præcipue S. Eucharistiæ adhiberi consueuit, de cuius origine Antonius Dadinus Altaserra Notis in Anastasium de vitis Pontificum pag. 84. scribit: *Sergius Pontifex ab Anastasio dicitur auctor huius instituti, vt* Agnus Dei *decantetur in celebratione Missæ. Huius instituti meminit Alcuinus de diuinis officiis cap. 40. Alii tamen volunt hoc institutum in Concilio Nicæno Arabico. An. 1183. Mariam Virginem fabro lignario adparuisse, eique tradidisse sigillum imagine sua & Christi nati insculptum hac inscriptione circumsignatum*, Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem, *tradit Robertus Abbas Montensis in supplem. Sigeberti.* Quæ pluribus diducunt Cardinalis Bona lib. II. Rer. Liturg. cap. XVI. num. 5. Alexander Sæc. VII. Histor. Eccles. cap. I. Artic. IIX. pag. 21. & Dallæus lib. IX. de Cultibus Lat. Rel. cap. XIIX. Enimuero fictitii sunt illi Canones Arabici, qui Concilio Nicæno tribuuntur, vt luculenter alibi monstrauimus. Ex Græco autem hymno matutino particulam illam desumptam esse, quilibet comperire poterit, qui antea dicta respexerit.

XI. Quo

XI. Quo certius hymni nostri originem tenemus, eo incertior est auctor, qui in hanc formam eundem redegit. *Communis opinio Ambrosium & Augustinum nominat*, quam Guilielmus Durantus Lib. III. Rationalis diuinorum officiorum cap. 15. ex Dacii Chronico hunc in modum describit: *Ab Ambrosio cunctis fidelibus vrbis eius adstantibus & videntibus, in nomine Sacrae & indiuiduae Trinitatis Augustinus baptizatus & confirmatus est, in quibus fontibus prout Spiritus Sanctus dabat eloqui, Te Deum laudamus cantantes, cunctis qui aderant audientibus & videntibus ediderunt, quod ab vniuersa Ecclesia Catholica vsque hodie tenentur & religiose decantatur.* Ita quoque Rob. Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Ambrosio: *Canticum, Te Deum laudamus, Ecclesia in diuinis officiis Ambrosii & Augustini canticum vocat: & exstat Chronicum S. Dacii Episcopi Mediolanensis, qui Iustino imperante floruit, in cuius Chronici libro primo capdecimo scribitur, completo baptismo S. Augustini, toto obstupescente populo repent. canticum illud a sanctis Ambrosio, & Augustino alternatim fuisse cantatum.* Verba Dacii nescio vnde depromta, Cardinalis Bona de diuina Psalmodia Cap. XVI. num. 3. dedit: *A. B. Ambrosio, cunctis fidelibus vrbis adstantibus, & videntibus, in nomine S. & indiuiduae Trinitatis, Augustinus baptizatus & confirmatus est: in quibus fontibus, prout Spiritus S. dabat eloqui illis,* Te Deum laudamus, *cantantes, cunctis qui aderant, audientibus & videntibus ediderunt, quod ab vniuersa Ecclesia Catholica vsque hodie tenentur, & religiose cantatur.* Hinc est, quod in Appendice Psalterii Caroli M. inscribitur *Hymnus, quem S. Ambrosius & Augustinus inuicem condiderunt*, apud Lambecium lib. II. Commentar. pag. 294. Prolixe eam in rem disputat Cosmas Magalianus Commentario in librum Iudicum pag. 366. *Est dramaticum carmen, quo genere versus cantica canticorum edita sunt, & Seraphim in Iesaia alternatim vsi sunt. Atque hoc modo canticum duorum Patrum contextum celebratur in quadam Concilii Lateranensis oratione coram Ro. 2. Sanctus enim Ambrosius in eo introducitur dicens: Te Deum laudamus: ipso quoque Augustino respondente: Te Dominum confitemur. Alternis igitur vicibus cecinisse videntur.* Conf. Bebelius noster Saeculi IV. P. II. Artic. IX. Sect. I. num. 38. & Michael Praetorius Syntagm. Musici P. I. membr. 3. pag. 67. apud Ioan. Weitzium in Heortologio pag. 223. 224. Plures scriptores, vt Bartholomaeum Vrbinatem, Ioannem Belethum, Iacobum de Valentia, aliosque adlegat Ioan. Lorinus Commentar. in Psalmum LXXII. v. 9. & quanquam obstare agnoscit, quod versus ille in hymno nostro aliter, quam in latina vulgata legitur, addit tamen, *receptae traditioni propterea contradici non debere, quae diuinis quoque nonnullis visis confirmetur.*

XII. Atenim dubito, Lorini sententiam prudentioribus antiquitatum Ecclesiasticarum scrutatoribus sese probaturam, quibus indignum est, traditioni

Augustino in Confessionum libris de illo Ambrosii instituto loquente Mabillonius pag. 388. 389. Posterior vero ex antiquo Pontificum Romanorum Catalogo adstrui potest, qui Celestinum I. refert *constituisse, vt antiphona ante sacrificium caneretur, quod non ante fiebat*, apud Emanuel. Schelstratium Eccles. Afric. Dissert. II. cap. VI. Et Patricius ad Hibernos a Celestino missus in Chronico Anonymi cuiusdam Monachi cœnobii Malmesburiensis dicitur *constituisse, vt Psalmi antiphonatim cantarentur a choro ad chorum*, apud Iacobum Waræum Annotat. in Patricii opuscula pag. 144. Cæterum eandem consuetudinem hodienum seruat hymnus noster: *Te DEum laudamus* &c. quando multis in locis per duos choros decantari solet: vnde forsan occasionem arripuerunt nonnulli, Ambrosio & Augustino eum adscribendi, quum Mabillonius pag. 389. 390. probatum dederit, Augustinum alternatim canendi morem in Africanam etiam Ecclesiam introduxisse.

IV. Prius autem originem eius pressius considerabimus paulloque altius repetemus. Veteres Christiani duo præsertim cultus diuini quotidie tempora obseruabant, matutinum & vespertinum. De illo testantur conuentus eorum antelucani, quos Plinius notat in citata ad Traianum epistola, ad quam multa ex Tertulliano, Eusebio aliisque Vossius & cæteri eruditione eximii viri passim obseruant. Hoc confirmant prolixe Dion. Petauius Animaduersionibus ad Epiphanium pag. 368. & Valesius ad Socratem pag. 72. & 117. In priuilegio Diaconias, quod in Libro Diurno Romanorum Pontificum exstat, notabilis denominatio reperitur; *quando lucina perficitur, in eadem Diaconia pro remissione peccatorum nostrorum, omnes diaconites & pauperes Christi, qui ibidem conueniunt, Kyrie eleyson, exclamare studeant.* Ioan. Garnerius in Notis pag. 133. formulam illam, *quando lucina perficitur*, ita declarat: *Id est, quo tempore luminaria accenduntur, atque adeo serotina preces complentur.*

V. Matutina ista & vespertina sacra, Græcis ἑωθινὰ & λυχνικὰ dicta, varios quoque hymnos continebant, quorum alii ex Scriptura diuiniore, Psalmis præsertim Dauidicis, desumti, alii a viris piis compositi erant. De Psalmis Dauidis, quod apud viros doctos plurima eam in rem occurrunt, nihil adferam, nisi Alexandri Huissi obseruationem, qui ex Codice Alexandrino singularia adnotauit Tomo vltimo Bibliorum Polyglottorum Anglicorum post Collationem LXX. Interpretum editionis Romanæ cum Veneta, Complutensi &c. Exhibuit enim diuisionem Psalmorum Dauidis in diurnos & nocturnos, hac admonitione præmissa: *de his numeris quære diligentius: sunt enim plerique fugitiui.* Non licuit nobis hactenus esse tam felicibus, vt celeberrimum illud MStum oculis

lis vsurparemus, nec ab aliis pleniorem emendatioremque lectionem suppeditatam nouimus. Quare eam tantum ex Huisso in gratiam Lectoris mutuabimur.

Κανόνες ἡμερινοὶ ψαλμῶν.		Κανόνες νυκτερινοὶ ψαλμῶν.	
Ὀρθρινοὶ γ'. ξβ'. ρμ'. ρμα'		Λυχνικοὶ γ'. ρκθ'. ρμ'. ιβ'.	
Α'. Ψαλμὸς	..	Α'. Ψαλμὸς	ΟΔ'.
Β'. Ψαλμὸς	ΚΘ'.	Β'. Ψαλμ῀ς	ΚΘ'.
Γ'. Ψαλμὸς	..	Γ'. Ψαλμὸς	ΝΔ'.
Δ'. Ψαλμὸς	ΜΑ'. vel ΜΔ'.	Δ'. Ψαλμὸς	..
Ε'. Ψαλμὸς	Ν'.	Ε'. Ψαλμὸς	..
ς'. Ψαλμὸς	..	ς'. Ψαλμὸς	Μ'.
Ζ'. Ψαλμὸς	ΞΘ'.	Ζ'. Ψαλμὸς	..
Η'. Ψαλμὸς	ΠΔ'.	Η'. Ψαλμὸς	..
Θ'. Ψαλμὸς	ΡΙΑ'.	Θ'. Ψαλμός	ΠΖ.
Ι'. Ψαλμὸς	ΡΜ'.	Ι'. Ψαλμός	℩Ε'.
ΙΑ'. Ψαλμὸς	Ρ..	ΙΑ'. Ψαλμὸς	..
ΙΒ'. Ψαλμός	Ρ..	ΙΒ'. Ψαλμός	Νς'.

Non esse hos Psalmorum Canones recentis instituti, ex Ioanne Cassiano lib. II. Institut. cap. 4. 5. colligitur, qui ostendit, *per vniuersam Ægyptum & Thebaidem duodecim Psalmorum numerum tam in vespertinis, quam in nocturnis solennitatibus custodiri*, & *cælitus Angeli magisterio Patribus delatum esse*, adeoque *diu ante S. Antonium*, vt obseruat Ioan. Bollandus Tomo II. Ianuarii pag. 120. Quod si non aliis argumentis confirmare licet, egregium tamen est, quod ex Psalmo LXIII. & CXLI. in vtraque canonum serie præscripto desumitur. Cassiano enim antiquiores censentur Constitutiones Apostolicæ, & non ab ipsis quidem Apostolis profectæ, sed ritus tamen in Ecclesia ante Synodum Nicænam receptos exhibere creduntur. Ex eorum Lib. II. cap. LIX. *discimus mane quidem cantatum fuisse Psalmum LXII. (Ebrais LXIII.) vespere vero CXL. (Ebræis CXLI.)* docente Ioan. Dallæo Lib. III. de Religiosi Cultus Obiecto Cap. XIV. pag. 424. 427. Idemque de posteriori in illius expositione testari Chrysostomum Ioan. Croius commonuit Obseruat. in Nouum Testamentum cap. XII. pag. 99. 100. quorum alterutrum curiosus Lector adeat. Nos de aliis Scripturæ Canticis apud veteres Christianos receptis solliciti Petri Lambecii notabilem locum adscribemus ex Lib. III. Commentariorum de Bibliotheca Vindobonensi pag. 379. de primo Codice Græco: *Notandum est in eodem Codice MS. & quidem a fol. 340. pag. 2. vsque ad fol. 343. pag. 1. Psalterio Dauidico in fine annexam esse appendicem, qua continentur Cantica duo* Moysis *ex Exodi cap. 15. &*

 Deute-

Deuteron. cap. 32. *Canticum* Hannæ, *matris Samuelis ex L. 1. Reg. cap. 2. Canticum* Habacuc *ex Prophetia ipsius Canticum* Esaiæ ἐκ νυκτὸς ὀρθρίζει &c. *ex Prophetia ipsius cap. 26. Canticum* Ionæ *ex Prophetia ipsius cap. 2. Canticum* Trium Puerorum *ex Prophetia Danielis cap. 9. Canticum* Beatissimæ Virginis Deiparæ *& Canticum* Zachariæ *Patris S. Ioannis Baptistæ ex Euangelii S. Lucæ cap. 1. Oratio pœnitentialis* Manassis *Regis Iudæ, Oratio* Ezechiæ *Regis Iudæ, ex Propheta Esaiæ cap. 38. Oratio S.* Eustratii *Martyris*, μεγαλύνων μεγαλυνῶ *&c. Anonymi cuiusdam Oratio* nocturna *ante dormitionem, & eiusdem Oratio* matutina *post experrectionem e somno.* Idem fieri in Alexandrino Codice colligimus ex Huisii obseruatione, qui post Psalmos ΙΔ'. siue quatuordecim Odas ibi contineri refert, vltimamque, quæ inscribatur ὕμνος ἑωθινὸς seu *hymnus matutinus*, integram exhibet, de qua mox plura dicemus.

VI. Etenim veteres Christiani in Occidente pariter & Oriente præter sacras Scripturæ cantiones alias composuerunt, de quibus vetustissimus Artemonianæ hæreseos refutator apud Eusebium lib. V. Histor. Eccles. cap. 28. Ψαλμοὶ δὲ ὅσοι καὶ ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπ' ἀρχῆς ὑπὸ πιστῶν γραφεῖσαι, τὸν λόγον τοῦ θεοῦ τὸν χριστὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες, i. e. interprete Valesio, *Psalmi quoque & cantica fratrum iam pridem a fidelibus conscripta, Christum Verbum Dei concelebrant, diuinitatem ei tribuendo.* Ex horum numero Iacobus Vsserius in Appendice Dissertationis de Symbolis pag. 34. censet fuisse ὕμνον ἑωθινὸν, quem antea indigitauimus, & nunc totum ex Vsserii editione in gratiam Lectoris describemus, opinionem eius de antiquitate hymni neutiquam improbantes, in quam diuersis opinionibus variisque rationum momentis prolixius inquisiuerunt e Reformatis Simplicius Verinus, siue Claudius Salmasius in epistola ad Iustum Pacium de Libro posthumo Hugonis Grotii pag. 61. 62. & Ioan. Dallæus Lib. IX. de Cultibus Latinorum religiosis cap. IX. e Pontificiis Cardinalis Bona lib. II. Rerum Liturg. c. IV. n. 4. Iacobus Goarus Notis in Euchologium Græcorum pag. 58. Carolus du Fresne in Glossario To. I. p. 819. Mabillonius lib. I. de Liturg. Gallic. c. IV. n. 12. c. V. n. 3. & Natalis Alexander Synopsi Sæculi VI. Cap. II. Artic. I. p. 13. quorum adserta Lector eruditus perpendat: nobis enim ea inter se conferre & examinare nunc non vacat. Ipse autem hymnus sic habet:

Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ,	*Gloria in excelsis Deo,*
καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη,	*& in terra pax,*
ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία.	*in hominibus bonæ voluntatis.*
Αἰνοῦμέν σε,	*Laudamus te,*
εὐλογοῦμέν σε,	*benedicimus te,*
προσκυνοῦμέν σε,	*adoramus te.*

δοξολο-

δοξολογοῦμέν σε,	*glorificamus te,*
εὐχαριστοῦμέν σοι,	*gratias agimus tibi,*
διὰ τὴν μεγάλην σου δόξαν,	*propter magnam gloriam tuam.*
Κύριε βασιλεῦ ἐπουράνιε.	*Domine Deus rex cœlestis.*
Θεὲ πατὲρ παντοκράτωρ,	*Deus Pater omnipotens,*
Κύριε υἱὲ μονογενὲς,	*Domine Fili unigenite,*
Ἰησοῦ Χριστὲ,	*Iesu Christe,*
καὶ ἅγιον πνεῦμα.	*o*
Κύριε ὁ Θεὸς,	*Domine Deus,*
ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ,	*Agnus Dei,*
ὁ υἱὸς τοῦ πατρὸς,	*Filius Patris,*
ὁ αἴρων τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου,	*Qui tollis peccata mundi,*
ἐλέησον ἡμᾶς.	*miserere nobis.*
ὁ αἴρων τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου,	*Qui tollis peccata mundi,*
πρόσδεξαι τὴν δέησιν ἡμῶν.	*suscipe deprecationem nostram.*
ὁ καθήμενος ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς,	*Qui sedes ad dexteram Patris,*
ἐλέησον ἡμᾶς.	*miserere nobis.*
Ὅτι σὺ εἶ μόνος ἅγιος,	*Quoniam tu solus sanctus,*
σὺ εἶ μόνος κύριος,	*tu solus Dominus,*
Ἰησοῦς Χριστὸς,	*Iesu Christe,*
o	*cum sancto Spiritu,*
εἰς δόξαν Θεοῦ πατρὸς· Ἀμήν.	*in gloria Dei Patris.*

Vsserius ex variis Psalteriis MSStis græco & latino idiomate exaratis, quæ describit in Præfatione Dissertationis, hausit hunc hymnum, & in nota eidem subiecta varias eius epigraphas indicat, tum Latinas, e quibus præcipuam putamus, nostroque inprimis instituto congruam, quæ in Psalterio Regis Æthelstani (qui in Anglia ab anno 923. ad 940. summam imperii tenuit) reperitur, *Hymnus in die Dominica ad Matutinas*; tum Græcas: etenim προσευχῆς ἑωθινῆς *titulum* (verba Vsserii audis) *in Constitut. Apostolic. lib. VII. cap. XLVIII. (al.47.) præfixum habet:* ὕμνου ἑωθινοῦ *ad finem Psalterii Græci, tum in Benedictino Cantabrigiensium Collegio, tum in omnium antiquissimo exemplari Alexandrino, maiusculis literis exarato, quod in Regis nostri Bibliotheca conseruatur, vbi* στιχηδὸν *descriptus ille habetur, hac etiam Oda insuper addita,* quam & ego proferam; postquam illud addidero, in Codice Alexandrino (vnde hymnus iste in Bibliis Polyglottis Londinensibus descriptus est) versu 8. legi εὐχαριστοῦμέν σε, v. 12. μονογενὴς, v. 19. & sequentes ita reperiri:

Ὁ αἴρων

Ο᾽ αἴρων τὰς ἁμαρτίας ȣ᾽ κόσμȣ,
Ἐλέησον ἡμᾶς.
Ο᾽ αἴρων τὰς ἁμαρτίας ȣ᾽ κόσμȣ,
Ἐλέησον ἡμᾶς.
Πρόσδεξαι τὴν δέησι ἡμῶν.

Porro idem hymnus Latine exhibetur in Psalterio Caroli Magni ad calcem Confessionis fidei, quæ Hieronymo tribuitur, apud Lambecium Lib. II. Commentariorum pag. 277. Circelli autem, quos ex Vſſerio retinuimus, designant, in Latina versione deesse verba Græca, καὶ ἅγιον πνεῦμα, quæ in omnibus Græcis Codicibus exstant: in Græco autem desiderari, quæ in Latinis habentur ad finem, *cum ſancto Spiritu*. Ante omnes autem conferri meretur Thomas Smith, qui in Miscellaneis suis pag. 133. egregia multa de hoc *hymno matutino Græcorum* commentatus est, eumque ex vetustissimis Græcis ac Latinis Codicibus exscripsit, variasque Lectiones sollicite addidit. Cæterum, quis in nostris Ecclesiis adeo hospes est, vt ignoret, quouis die Dominico & festo antiquissimum illum hymnum siue Latino idiomate, siue Germanico, ex versione B. Lutheri, Allein GOtt in der Höh sey Ehr &c. decantari?

VII. Sed in re manifesta non est vt immoremur, ad alteram potius Odam progredimur, quam isti subiici antea meminimus ex Vſſerio. Textum Græcum, prout in Polyglottis ex Codice Alexandrino habetur, adducemus:

Καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν εὐλογήσω σε,
Καὶ αἰνέσω τὸ ὄνομά σȣ εἰς τὸν αἰῶνα,
Καὶ εἰς τὸν αἰῶνα ȣ᾽ αἰῶνος.
Καταξίωσον Κύριε καὶ τὴν ἡμέραν ταύτην
Ἀναμαρτήτȣς φυλαχθῆναι ἡμᾶς.
Εὐλογητὸς εἶ κύριε ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν,
Καὶ αἰνετὸν καὶ δεδοξασμένον τὸ ὄνομα σȣ εἰς τȣ̀ς αἰῶνας Ἀμήν.
Εὐλογητὸς εἶ κύριε, δίδαξόν με τὰ δικαιώματά σȣ.
Εὐλογητὸς εἶ κύριε, δίδαξόν με τὰ δικαιώματά σȣ,
Εὐλογητὸς εἶ κύριε, δίδαξόν με τὰ δικαιώματά σȣ.
Κύριε καταφυγὴ ἐγενήθης ἡμῖν ἐν γενεᾷ καὶ γενεᾷ,
Ἐγὼ εἶπα, κύριε ἐλέησόν με.
Ἴασαι τὴν ψυχήν μȣ, ὅτι ἡμαρτόν σοι.
Κύριε, πρός σε κατέφυγα,
Δίδαξόν με ȣ᾽ ποιεῖν τὸ θέλημά σȣ, ὅτι σὺ εἶ ὁ Θεός μȣ.
Ὅτι παρά σοὶ πηγὴ ζωῆς.

Ἐν

Ἐν τῷ φωτί σου ὀψόμεθα φῶς.
Παράτεινον τὸ ἔλεός σου τοῖς γινώσκουσίν σε.

Vſſerius fidem Pſalterii Græci Cantabrigienſis procul dubio ſequutus, ſemel tantum verſiculum octauum, *εὐλογητὸς εἶ κύριε, δίδαξόν με τὰ δικαιώματά σου*, exhibuit, in margine adiiciens, *qui verſus, in Alexandrino codice, ter habetur hic repetitus*. Latinam autem hanc adpoſuit verſionem: *Per ſingulos dies benedicam tibi & laudabo nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. Dignare, Domine, de iſto ſine peccato nos cuſtodire. Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum: laudandum ac glorificandum eſt nomen tuum in ſecula. Amen. Benedictus es, Domine; doce me iuſtificationes tuas. Domine refugium tu factus es nobis in generatione & generatione. Ego dixi: Domine, miſerere mei, ſana animam meam; quia peccaui tibi. Domine ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam; quia Deus meus es tu. Quoniam apud te eſt fons vitæ, in lumine tuo videbimus lumen. Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te.* Sed miror, apud Vſſerium (quem eo nomine *ἀνωνύμως* reprehendit Schmithius p. 148.) hymnum iſtum inſcribi, *HYMNUM VESPERTINUM*, qui in vtroque codice ſine peculiari epigraphe ſubiungitur ſuperiori matutino, & vnico numero, quarto decimo Odarum, cenſetur in Codice Alexandrino, vnde quoque Huiſſus non duos ſed vnum agnouit ſingularique elogio proſequutus eſt, nuncupans *perquam ſacratum vereque glorioſum hymnum, a multitudine militiæ cæleſtis inceptum; a Baptiſta continuatum; a Pſalmiſta Dauide, pueris tribus, piisque Chriſtianis (collatis quaſi Symbolis) conſummatum; totque abhinc ſæculis (vt vel ex hoc ſumma Antiquitatis monumento videre eſt) in Eccleſia decantatum*. Reſpexit forſan Vſſerius verſum penultimum: *in lumine tuo videbimus lumen*. Sed præterquam quod lumen diei potius, quam competat, optimi interpretes ſunt Syri Chriſtiani, qui precationes ſuas matutinas iisdem verbis incipiunt, & hymnum vetuſtiſſimum eleganter exprimunt. Habentur eæ apud Ioan. Albertum Widmanſtadium in calce Rudimentorum linguæ Syriacæ Viennæ Auſtriacæ an. CIↃ IↃ LV. impreſſorum, quæ poſtea Guido Fabritius Boderianus Liturgiæ Seueri attexuit, & apud Ioannem Gregorium Anglum cap. XX. Notarum & Obſeruationum in loca aliquot S. Scripturæ, qui ad *Rituale Syriacum* prouocat. Vt facilior ſit collatio, easdem integras adferemus:

ܐܠܗܢ ܕܢܚܬ ܫܠܡܐ. ܡܫܬܒܚܝܢ ܐܪ̈ܒܥܝܢ ܠܡܠܐܟܐ ܘܩܕ̈ܝܫܝܢ
ܠܐܠܗܐ. ܘܐܡܪܝܢ. ܒܫܘܒܚܐ ܡܫܒܚܝܢ ܢܘܗܪܐ ܡܫܒܚܐ ܟܠ ܢܘܗܪܐ. ܕܐܝܬܝܟ
ܗܘ ܢܘܗܪܐ ܫܪܝܪܐ ܕܡܢܗܪ ܠܟܠ ܒܢ̈ܝ ܐܢܫܐ ܠܟ ܒܫܘܒܚܐ
ܠܟܠ ܕܒܪܝܬ ܒܪܐ ܡܫܒܚܝܢ: ܘܐܡܪܝܢ ܐܠܗܐ. ܡܫܝܚܐ ܡܫܒܚܐ ܒܫܡ̈ܝܐ
ܘܒܐܪܥܐ

ܕܥܡܪܬ ܢܘܗܪܐ ܥܒܪ ܡܢܢ ܚܫܐ ܒܝܫܐ ܘܡܚܫܒܬܐ
ܣܢܝܬܐ ܘܗܒ ܠܢ ܕܒܕܟܝܘܬ ܠܒܐ ܢܥܒܕ ܥܒܕܐ ܕܟܐܢܘܬܐ:

Widmanſtadii verſio Latina hæc eſt: *Quando oritur Sol, conuertunt facies ſuas ad Orientem, & adorant Deum, & dicunt: in lumine tuo videmus lumen Ieſum plenum lumine* (melius Boderianus & Gregorius in vocatiuo efferunt: *Ieſu plene lucis* vel *lumine*) *Quia tu es lumen verum, quod illuminat omnes creaturas. Illumina nos in lumine tuo eminente, ſplendore patris cæleſtis* (neruoſius Gregorius *Illumina nos ſplendidiſſima luce Patris tui cæleſtis.*) *Etiam dicunt: Iuſtus ſanctus* (Boder. *Condonator ſancte*) *qui habitat (habitas) in tabernaculis luminis, auerte* (Boder. *prohibe*) *a nobis paſſiones malas & cogitationes prauas & da nobis, vt in puritate cordis faciamus opera iuſtitiæ.*

IIX. Neque tamen deſtituebantur priſci fideles oratione veſpertina, ſiquidem Vſſerius ſtatim ſubiunxit ὕμνον ἑσπερινὸν, quem pariter transſcribemus, quoniam infra nobis vſui erit: *Φῶς ἱλαρὸν ἁγίας δόξης ἀθανάτου πατρὸς, οὐρανίου, μάκαρος, Ἰησοῦ χριστὲ· ἐλθόντες ἐπὶ τοῦ ἡλίου δύσιν, ἰδόντες φῶς ἑσπερινὸν, ὑμνοῦμεν πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα Θεοῦ. Ἄξιος εἶ ἐν πᾶσι καιροῖς ὑμνεῖσθαι φωναῖς ὁσίαις, υἱὲ Θεοῦ, ζωὴν ὁ διδούς. Διὸ ὁ κόσμος σε δοξάζει. Lumen hilare ſanctæ gloriæ immortalis Patris, cæleſtis, ſancti, beati, Ieſu Chriſte: quum ad Solis occaſum peruenerimus, lumen cernentes veſpertinum, laudamus Patrem & Filium & Sanctum Spiritum Dei. Dignus es tempore quouis ſanctis vocibus celebrari, fili Dei, vitæ dator! Quapropter te mundus glorificat.* Addam epicriſin Schmithii, qui in Miſcellaneis huic etiam veſpertino hymno locum dedit, prolatisque Baſilii verbis p. 152. ſubiecit: *De Auctore ſibi non conſtare ait expresſiſſime: ideo illos ratio maxime fugit, qui illum in ſequentibus Athenogeni adſcribere volunt. De alio enim hymno loquitur, quem ſanctus ille martyrio perignem iamiam conſummandus cecinit, & apud amicos reliquerat, in quo eadem de Spiritu S. effata occurrebant. Athenogenes autem erat S. Clementi Alexandrino σύγχρονος, cuius ætatem longe exſuperare videtur hic hymnus, quem ob antiquitatem plusquam ſemel laudat S. Baſilius. Et videtur, nam hic ſolis coniecturis agendum eſt) ſiue ex communi decreto inſtitutus, ſiue inualeſcente conſuetudine receptus, & apud populum maxime familiaris redditus, qui pro more ſolenni hanc gratiarum actionis formulam appetente nocte uſurpabant. Male igitur Græci, quo auctoramento freti neſcio, hunc hymnum Sophronio Patriarchæ Hieroſolymitano adſcribunt.* Nicephorus lib. XIIX. Hiſtor. Eccleſ. cap. XI. exiſtimat, hymnum hunc iam inde ab Apoſtolis per manus Eccleſiæ traditum, ſed nec apud Vſſerium, nec apud Stephanum le Moyne To. II. Var. Sacr. pag. 1095. conſenſum impetrat, quorum vterque Baſilii Magni teſtimonium ex cap.

29. libri

29. libri de Spiritu Sancto ad Amphilochium producit, qui referat, illum hymnum vulgo tribui Athenogeni. Equidam Græci in Horologio ita accipiunt Basilii verba, quasi is definiat, Athenogenem esse auctorem. Aiunt enim: Ὕμνος τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἀθηνογένους· οὐχ ὥς φασί τινες ἀμαθῶς, Σωφρονίου πατριάρχου Ἱεροσολύμων. μάρτυς τούτου ὁ μέγας Βασίλειος. *Hymnus sancti Martyris Athenogenis, non vt quidam inepte dicunt, Sophronii Patriarchæ Hierosolymorum. Testis huius magnus Basilius.* Atuero *hæsitanter loqui Basilium de auctore Cantici* non Moynius tantum obseruauit pag. 1996. sed Goarus etiam, in notis ad Euchologium, pag. 30. 32. cuius hæc sunt verba: *Non sua itaque, quam proferre recusat, sed ex populi sententia & traditione vulgo accepta, quam refert Basilius, hymnus hic Athenogeni martyri tribuitur, qui clarissimus Theologus floruit sub Seuero Imperatore circa annum 169. & per ignem consummatus martyrii laudem est adeptus.* Basilius dubiam mentem satis prodit, quando scribit: καὶ ὅστις μὲν ὁ πατὴρ τῶν ῥημάτων ἐκείνων τῆς ἐπιλυχνίου εὐχαριστίας, εἰπεῖν οὐκ ἔχομεν. *Quis autem fuerit auctor illorum verborum, quæ dicuntur in gratiarum actione, ad lucernas, id est, ad Vesperas, dicere non possumus.* Moynius aliam proponit coniecturam, quod Hippolyto Portuensi tribuenda sint, cui in laterculo marmoreo adscribantur ᾠδαὶ εἰς πάσας τὰς γραφάς. *Forsan iure tribui posset Hippolyto nostro, & inter illius ᾠδὰς & hymnos recenseri. Sed cum ab aliis tribuatur Athenogeni martyri, qui sub Imperatore Seuero vitam cum morte commutauit, non intercedo, quo minus Hymni istius genuinus parens agnoscatur.*

IX. Verum non lubet obscuris incertisque coniecturis chartas implere, sed ad propius inuestigandam originem hymni nostri, *Te Deum Laudamus*, accedimus. Quotus enim quisque est, qui nostrum cum Græcorum matutino, de quo num. VII. & IIX. egimus, conferens, non statim deprehendat, illum ex hoc expressum esse? Prima sane verba id manifeste ostendunt: *Te Deum laudamus: te Dominum confitemur*, quæ ex priori hymni matutini parte sumta sunt. Ex posteriori autem, quæ circa finem habentur: *Per singulos dies benedicimus te, Et laudamus nomen tuum in sæculum: & in sæculum sæculi. Dignare Domine die isto sine peccato nos custodire. Miserere nostri Domine: miserere nostri. Fiat misericordia tua, Domine, super nos: quemadmodum sperauimus in te.* Neque enim tantum ille versiculus, *dignare Domine* &c. *etiam in Ambrosii vel Nicetii hymno legitur*, quod in margine monuit Vsserius, sed omnes, quos adduximus, mutatis tantum numeris & aliis minoris momenti. Præterea hymnus noster sua latitudine complectitur ὕμνον ἐπινίκιον, siue *triumphalem*, de quo post alios initio Dissertationis de Trisagii origine videndus *Petrus A. V. D. M.* quem puto esse Petrum Alix, Reformatorum quondam Carentonensium pastorem,

pastorem, cui etiam Alexander tribuit Expostulationem ἀνωνύμως editam de epistola Chrysostomi ad Cæsarium eruditis haud ignotam. Hymnus autem triumphalis non aliis, quam his nostri verbis absoluitur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli & terra maiestatis gloriæ eius*, vel *tuæ*. Denique communem illam Doxologiam, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto &c.* de qua cum veteres tum recentiores plurima disputarunt, vt videre est apud Iacobum Gothofredum Comment. ad Philostorgium lib. III. tmem. 13. & celeberrimum Rechenbergium nostrum peculiari diatriba: *hymnus Te Deum, aliique similes, comprehendunt & explicant*; obseruante Guil. Beueregio lib. III. Vindic. Canonum Apost. cap. V. num. 7. vnde intelliges Ioan. Gregorium, qui cap. XXXIX. Notarum multis de vsu illius Doxologiæ congestis subiicit: *Et hoc modo primo recitabatur a recens conuersis & aliis, qui baptismo eorum præsentes adfuerunt: deinde Antiphonis addebatur, hinc & hymnis & Psalmis omnibus, si* Te Deum *excipias, idque peculiari de caussa*. Quoniam itaque hymnus noster ex Græco præsertim matutino desumtus est, in illius quoque locum successit, ut in Latina Ecclesia *semper dicatur post vltimam Lectionem in omnibus Dominicis & festis*, quemadmodum in Breuiario Romano videre est, & diuinorum officiorum scriptores, antiqui ac moderni passim obseruant, *hymni dominicalis* nomen nostro tribuentes.

X. Nec quidquam dubitari attinet, quin Latini Christiani alia etiam Græcorum carmina imitati sint. Quem enim paullo ante uidimus ὕμνον ἑσπερινὸν expressit Prudentius, aut quis alius auctor, notissimis Iambis: *O lux beata Trinitas*, quos in linguam quoque Germanicam traduxisse B. Lutherum satis constat. Ita pariter se res habet cum alio Cantico, quod apud Nostrates & Papistas in vsu præcipue S. Eucharistiæ adhiberi consueuit, de cuius origine Antonius Dadinus Altaserra Notis in Anastasium de vitis Pontificum pag. 84. scribit: *Sergius Pontifex ab Anastasio dicitur auctor huius instituti, vt* Agnus Dei *decantetur in celebratione Missæ. Huius instituti meminit Alcuinus de diuinis officiis cap. 40. Alii tamen volunt hoc institutum in Concilio Nicæno Arabico. An. 1183. Mariam Virginem fabro lignario adparuisse, eique tradidisse sigillum imagine sua & Christi nati insculptum hac inscriptione circumsignatum*, Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem, *tradit Robertus Abbas Montensis in supplem. Sigeberti.* Quæ pluribus diducunt Cardinalis Bona lib. II. Rer. Liturg. cap. XVI. num. 5. Alexander Sæc. VII. Histor. Eccles. cap. I. Artic. IIX. pag. 21. & Dallæus lib. IX. de Cultibus Lat. Rel. cap. XIIX. Enimuero fictitii sunt illi Canones Arabici, qui Concilio Nicæno tribuuntur, vt luculenter alibi monstrauimus. Ex Græco autem hymno matutino particulam illam desumptam esse, quilibet comperire poterit, qui antea dicta respexerit.

XI. Quo

XI. Quo certius hymni nostri originem tenemus, eo incertior est au-ctor, qui in hanc formam eundem redegit. *Communis opinio Ambrosium & Augustinum nominat*, quam Guilielmus Durantus Lib. III. Rationalis diuinorum officiorum cap. 15. ex Dacii Chronico hunc in modum describit: *Ab Ambrosio cunctis fidelibus vrbis eius adstantibus & videntibus, in nomine Sacræ & indiuiduæ Trinitatis Augustinus baptizatus & confirmatus est, in quibus fontibus prout Spiritus Sanctus dabat eloqui, Te Deum laudamus cantantes, cunctis qui aderant audientibus & videntibus ediderunt, quod ab vniuersi Ecclesia Catholica vsque hodie tenentur & religiose decantatur.* Ita quoque Rob. Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Ambrosio: *Canticum, Te Deum laudamus, Ecclesia in diuinis officiis Ambrosii & Augustini canticum vocat: & exstat Chronicum S. Dacii Episcopi Mediolanensis, qui Iustino imperante floruit, in cuius Chronici libro primo capdecimo scribitur, completo baptismo S. Augustini, toto obstupescente populo repent. canticum illud a sanctis Ambrosio, & Augustino alternatim fuisse cantatum.* Verba Dacii nescio vnde depromta, Cardinalis Bona de diuina Psalmodia Cap. XVI. num. 3. dedit: *A. B. Ambrosio, cunctis fidelibus vrbis adstantibus, & videntibus, in nomine S. & indiuiduæ Trinitatis, Augustinus baptizatus & confirmatus est: in quibus fontibus, prout Spiritus S. dabat eloqui illis*, Te Deum laudamus, *cantantes, cunctis qui aderant, audientibus & videntibus ediderunt, quod ab vniuersa Ecclesia Catholica vsque hodie tenentur, & religiose cantatur.* Hinc est, quod in Appendice Psalterii Caroli M. inscribitur *Hymnus, quem S. Ambrosius & Augustinus inuicem condiderunt*, apud Lambecium lib. II. Commentar. pag. 294. Prolixe eam in rem disputat Cosmas Magalianus Commentario in librum Iudicum pag. 366. *Est dramaticum carmen, quo genere versus cantica canticorum edita sunt, & Seraphim in Iesaia alternatim vsi sunt. Atque hoc modo canticum duorum Patrum contextum celebratur in quadam Concilii Lateranensis oratione coram Ro. 2. Sanctus enim Ambrosius in eo introducitur dicens: Te Deum laudamus: ipso quoque Augustino respondente: Te Dominum confitemur. Alternis igitur vicibus cecinisse videntur.* Conf. Bebelius noster Sæculi IV. P. II. Artic. IX. Sect. I. num. 38. & Michael Prætorius Syntagm. Musici P. I. membr. 3. pag. 67. apud Ioan. Weitzium in Heortologio pag. 223. 224. Plures scriptores, vt Bartholomæum Vrbinatem, Ioannem Belethum, Iacobum de Valentia, aliosque adlegat Ioan. Lorinus Commentar. in Psalmum LXXII. v. 9. & quanquam obstare agnoscit, quod versus ille in hymno nostro aliter, quam in latina vulgata legitur, addit tamen, *recepta traditioni propterea contradici non debere, quæ diuinis quoque nonnullis visis confirmetur.*

XII. At enim dubito, Lorini sententiam prudentioribus antiquitatum Ecclesiasticarum scrutatoribus sese probaturam, quibus indignum est, traditioni in-

incertæ nec veræ inniti: falsitatem eius cum aliæ rationes, tum præsertim Augustini silentium conficit. Quis enim sibi persuaderet, Augustinum in libris confessionum & Ambrosii hymnos,& eorum vim ad animos commouendos, & omnia præcipue notatu digna in baptismo suo gesta commemorantem id prætermissurum fuisse, quod a sequiorum temporum scriptoribus pro miraculo habetur,& baptismati suo splendorem, & Ambrosianorum canticorum efficaciæ plurimum ponderis addidisset? Quis hanc siue incuriam siue negligentiam Augustino tribueret, quod peculiare diuinæ adsistentiæ ac bonitatis erga se argumentum tam facile memoria elabi passus fuit,nec cæteris in confessione sua addidit, cuiusmodi plurima in toto isto Opere percenset, debitisque laudibus prosequitur? Aut si omnino hac in re Augustinus aliquid omiserit,quod nullus tamen virtutum eius pietatisque admirator concedet,qui factum est,vt Possidius in vita Augustini miraculosam hymni originem pariter conticuerit? Certe illius defensores non altius possunt adscendere,quam ad centum post Augustinum annos. Primus enim fabulæ auctor ab iis produci solet Dacius Mediolanensis Episcopus, qui non sub Iustino Imperatore, vt Bellarminus voluit, sed sub Iustiniano floruit, adnotante Phil.Labbeo To. 1. Dissert. Historicæ de Scriptoribus Ecclesiasticis pag.249. 250. & an. 553. diem supremum obiit, si credimus Henrico Norisio Dissert. de Quinta Synodo Oecumenica cap. v. & vi. Chronicon ei tribuunt Historia Miscella & Anastasius Bibliothecarius in vita Syluerii Papæ. Id allegasse videri volunt omnes,qui hymnum nostrum Ambrosio & Augustino vindicant. Sed Hugo Menardus in Notis ad ritum antiquum vnctionis Regum Francorum, quem subiecit libro Sacramentorum Gregorii, apud Card. Bonam de Diuina Psalmodia cap. XIII. §. XII. num. 3. pag. 849. *certum ait, non esse S. Dacii illud Chronicon, ex quo præallegata auctoritas desumta est,quod non redoleat stylum illorum temporum,atque etiam quædam falsa contineat.* Subscribunt Menardo Theophilus Raynaudus Partit. 1. de bonis & malis libris Erot. x. num. 189. Bartholomæus Gauantus in Rubric. Breuiar. Sect.v. cap. 19. Casimirus Oudinus in Supplemento Scriptorum Ecclesiasticorum pag. 127. & Christoph. Sandius Animaduers. in Vossium de Historicis Latinis pag. 21. 22. Sed Labbeus consensum suspendit, quia *illud nondum,quod hactenus nouerit,vllibi typis mandatum fuerit, & si quando in manus suas oculosque venerit, certiora pollicetur.* Equidem chronicon illud non nisi MStum exstare dicitur in Bibliotheca Mediolanensi Capituli Metropolitani: Sed si Labbeus vidisset Mabillonii Analecta postea edita, neutiquam de νοθείᾳ Chronici illius dubitasset. Acris hodie inter ipsos Pontificios viget controuersia, an panis azymus perpetuo ab Apostolorum temporibus in Latina ecclesia adhibitus fuerit? Quod negantes inter alia Dacii chronicon proferunt, vbi Ambrosius Græcorum Ecclesias imitatus in celeberrimis festiuitatibus fermentatum

tatum

tatum cum azymo benedixisse fertur: vt videre est apud Alexandrum Sæc. XI. Histor. Ecclesiast. Dissertat. XI. pag. 331. cui tanti ponderis quæstio visa est, vt fatius ducens vtriusque opinionis argumenta in medium proferre, Lectori iudicium reliquerit, nec proprium interponere ausus fuerit. Enimuero Ioannes Mabillonius contrariæ adfirmantisque sententiæ patrocinium suscipiens in peculiari de Azymo & fermentato Dissertatione Dacium *inter dubia fidei auctores reposuit, nec de eius veritate quidquam certi definiuit; data autem occasione ampliorem eius rei notitiam Mediolano accersiuit*, missa schedula sex quæstiones continente, ad quas responsum obtinuit Bibliothecarii manu subscriptum sigilloque notatum, idque publice cum eruditis communicauit initio tomi primi Analectorum pag. 4. 5. & 6. Inde autem nemini dubium relinquitur, quin Dacii illud Chronicon supposititium sit. Codex enim *sexcentos annos* non superat, *nec eadem manu est descriptus, neque ab eodem auctore: nam primam partem scripsit Landulfus senior, secundam Arnulfus, & tertiam Landulfus Iunior, omnes Mediolanenses Historici. Ex quo liquido patet, hac Chronica minime fuisse scripta a Dacio Mediolanensi Archiepiscopo. Nec incipit ab exordio mundi, sed refert initia ordinum Ecclesiæ Mediolanensis: narrat ea, quæ in Ecclesia Mediolanensi contigerunt tempore Alexandri Papæ secundi, & claudit historiam anno M LXVII.* Præterea quæsiuit Mabillonius, an in eo mentio fiat horrendæ famis, quæ contigit tempore Siluerii Papæ, & de qua testis adducitur a Paullo Diacono & Anastasio? responsum est, *nullam hic fieri mentionem illius famis. Cum enim in hoc Chronico narrentur ea, quæ contigerunt octauo & vndecimo sæculo, non potest vlla fieri mentio famis, quæ acciderit tempore S. Siluerii Papæ, cum ille vixerit sexto sæculo.* Sed nouus statim suboritur scrupulus, quomodo ibi commemorentur gesta Ambrosii quarto sæculo celebris, nisi forte id fiat incidenter ac παρέργως; de quo tamen vlterius Mediolani foret inquirendum; & certiora exspectamus ab ipso Mabillonio, qui To. I. Musei Italici pag. 107. citat *MS. historiam Landulfi senioris, quæ Datio Archiepiscopo perperam tribuitur.*

XIII. Cæterum Gauantus totum Canticum vni Ambrosio deberi ait, cum careat Dialogismo: adeoque traditionem illam, cui tantopere innituntur Magalianus, Lorinus, & cæteri, prorsus infirmam reddit. Hac autem infracta vnde tandem constabit Gauanto, Ambrosium esse auctorem? Nec desunt rationes in contrarium, præcipue, quod Ambrosius hymnos suos metro alligauerit, noster autem non vorsa, sed prorsa oratione constet. Quod si itaque Bellarminus recte Ambrosio denegat hymnos, *in quibus non seruatur ratio metrica, quæ Ambrosio notissima erat; isti enim indigni videntur, qui Ambrosio tribuantur*: quid sentiemus de nostro Eucharistico, cujus compositio ab ingenio Ambrosii poëtico plane aliena est? Certe & ipse Orat. in Auxentium innuit, non nisi

nisi ligato sermone hymnos a se concinnatos: *Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populum ferunt. Plane nec hoc abnuo. Grande carmen istud est & quo nihil potentius, quam confessio Trinitatis, quæ quotidie totius populi ore celebratur? Certatim omnes student fidem fateri, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum norunt versibus prædicare.* Quæ si recte interpretatus est Hoornbeeckius, nouum nobis argumentum suppeditat. Hinc enim probat, *Ambrosium in fine hymnorum suorum addidisse glorificationem S. Trinitatis*, quæ clausula in nostro non conspicitur, ac proinde ille ab Ambrosio profectus non esse merito censetur. Nec licet excipere, quod illam Trinitatis glorificationem comprehendat, vt antea diximus. Nam Hymnum saltem triumphalem complectitur. At integros Ecclesiæ hymnos suis inserere non solet Ambrosius. Præterea trium in eo personarum laudandarum diserta sit mentio, quod ab Ambrosio etiam in genuinis hymnis obseruatum nouimus, adiecta nihilominus in fine consueta Doxologia. Denique in hymno nostro occurrunt modi loquendi, quos non in Ambrosio, melioris Latinitatis studioso, sed in sequiorum temporum scriptoribus quæras. Eiusmodi præcipue: *tibi Cherubim & Seraphim incessabili voce proclamant: martyrum candidatus exercitus*: & in Appendice apud Vsserium, quam infra integram dabimus: *vt te incessabili voce laudare mereamur.*

XIV. Sed quoniam interest, fabularum etiam originem nosse, operam dabimus, vt eam coniecturis adsequamur. Constabat inter omnes, Ambrosium Græcos imitatum in cantu antiphonario & hymnis Ecclesiasticis, quare nonnulli deprehendentes hymni nostri cum græcis conformitatem; nec auctorem certo scientes, Ambrosio conuenientissime adscribi posse consuerunt, accedente inprimis modo canendi, *ad quem in quibusdam Ecclesiis mutati chori, vel chorus cum Ecclesia, mutatis vicibus & versibus, hoc Symbolum alternatim decantare consueuerunt*, vt Prætorius commonuit. Fortasse etiam confirmati sunt fabulæ artifices, quando apud Augustinum honorificam hymnorum Ambrosianorum mentionem repererunt, nostrumque proinde neutro indignum esse statuerunt.

XV. Vtcunque autem hæc res sese habeat, sexto tamen sæculo hymnum nostrum iamtum exstitisse, Benedicti, foecundi Monachorum patris, Regula fidem facit, qui cap. XI. vsum eius discipulis talem præscripsit: *Post quartum autem responsorium incipiat Abbas Hymnum, Te Deum laudamus.* Hinc cum sæculo vndecimo in Synodis Episcoporum accusarentur Monachi, quod eum tempore Aduentus & Quadragesimæ contra Romanæ Ecclesiæ morem decantarent: illis Benedicti institutione ritum suum tuentibus, episcopi quieuerunt, vti ex Radalphi Glabri lib. III. Histor. cap. 3. refert post Bonam

Alexan-

Alexander Synopſ. Sæc. xi. Cap. ɪɪx. Artic. 1. pag. 65. Eodem ſæculo ſexto vixit Teredius ſeu Tetradius, Burgundus Cabilonenſis, Cæſarii Arelatenſis nepos, Monachus Lirinenſis, qui dictante S. Cæſario Regulam ad Monachos ſcripſit, vti poſt Bignæum & Dacherium adfirmat Ludou. Iacobus a S. Carolo lib. 1. de Scriptoribus Cabilonenſibus pag. 6. Regula illa in Bibliotheca Patrum exſtat, vnde verba de hymno noſtro agentia facile petere licet. Atque hi primi ſunt, qui hymni noſtri mentionem feciſſe deprehenduntur, ſi Cardinali Bonæ fides eſt: *Ante ſanctum Benedictum, & Teridium diſcipulum S. Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi, qui de hoc in ſuis ſcriptis loquuti ſunt, nullus veterum mentionem illius fecit.* Præiuerat ex parte Raynaudus: *Quare hymnus ille Dominicalis alium videtur habuiſſe auctorem, quam SS. Ambroſium, & Auguſtinum; nec ante S. Benedictum vſpiam de eo aliquid legitur.* Eandem autem cum Cardinali ſententiam tenent Menardus in notis ad ritum coronationis Regum Francorum & Vſſerius in Epiſtola ad Voſſium, ex qua mox plura dabimus.

XVI. Quare inſiſtendum eſt eruditorum veſtigiis, variæque illorum opiniones producendæ, quarum tres inprimis collegit Cardinalis Bona, proindeque dubitationem de Ambroſio & Auguſtino auxit, adſtipulante Ioan. Friderico Karg in Feciali Pacis Relig. Differt. 11. num. 8 pag. 24. ac Antonio Pagio in Critica Annalium Baronii ad An. 388. num. xi. his verbis: *Auctorum diuerſitas quibus illud adſcribitur, ſatis oſtendit, huius Cantici auctorem adhuc nos latere.* Primo Gauanti obſeruationem profert Bona, quod *in antiquiſſimo Breuiario MS. Collegii Aniciani de Vrbe iſti cantico præfertur hic titulus, Hymnus S. Abundii*, additque, *Sed quis fuerit iſte Abundius, incertum eſt.* Forte exiſtimauerit aliquis, Abundium hunc errore librarii adſcriptum eſſe, qui cum *hymnum Sancti A.* more veterum prænotatum reperiret, nihil de Ambroſio cogitans Abundium ſuppoſuit, cuius incuriæ plura apud Raynaudum num. 183. exempla occurrunt. Alteram obſeruationem ex *Pſalterio MS. Baſilicæ S. Petri in Vaticano* deſumit Bona, *in qua Hymnus S. Siſibuti* inſcribitur, & paullo poſt ait, *non conſtare, quis fuerit ille Siſibutus. Nam Siſibuto Hiſpaniarum Regi vix puto conuenire, cum ratio temporis obſtet.* Regnauit enim Siſibutus octo amplius annis, & A. C. DCXXI. obiiſſe putatur: hymnus autem Benedicto & Teredio antea cognitus fuerat. Quare alia ratione ſcrupulum tollere nititur Alexander in Synopſi Sæc. iv. cap. vi. Artic. 27. pag. 606. iudicatque, *Canticum* noſtrum *compoſitum eſſe a quodam Monacho Ordinis Benedictini, Siſebuto nomine, vt conſtat ex antiquo Breuiario Chori Monaſterii Caſinenſis, deſcripto paullo poſt annum 1086. in quo hocce Canticum inſcribitur: Hymnus Siſibuti Monachi.* Sed ratio temporis iterum obſtare videtur. Quomodo enim hymni auctor eſſe potuit monachus Benedicti regulam ſequens, cuius ipſe Benedictus iamtum fecerat mentionem, & ante eum Cæſa-

tius in regula monachorum Teredio dictata? Fortasse hymnus Sisebuti dicitur a Rege illo Hispaniæ, non quasi ab eo sit concinnatus, verum quod in coronatione eius primum decantatus. Sed in re obscura cuilibet coniecturandi libertas est? quare ad tertiam Bonæ adnotationem ex Vsserio sumtam progredior. Primo autem Vsserii locum integrum transscribam ex epistola ad Vossium Differt. de Symbolis præmissa, vt Lectores eo melius iudicium promere queant. Laudauerat *Hymnorum, partim Latino partim Hibernico sermone scriptorum, codicem vetustissimum*, prolatisque in medium, quæ de Symbolo Athanasii ibi continentur, statim subdit: *In eadem Hymnorum collectione Nicetam Deum laudauisse legimus, dicentem:* Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini Te DEVM laudamus, te Dominum confitemur, *& quæ sequuntur in Hymno illo decantatissimo, qui B. Ambrosio vulgo tribuitur: ista præterea adiecta Appendice.*

Te Patrem adoramus æternum, Te sempiternum Filium inuocamus, Teque Spiritum Sanctum in vna diuinitatis substantia manentem confitemur. Tibi vni DEO in Trinitate debitas laudes & gratias referimus: vt te incessabili voce laudare mereamur per æterna sæcula sæculorum Amen.

In Latino-Gallico quoque Psalterio, circa tempora Henrici I. exarato, inscribitur iste, Hymnus Sancti Niceti *(Hiberniæ nostræ traditioni satis consentanee.) siue Treuerensis hic intelligendus fuerit Nicetius, siue Lugdunensis, siue quis alius.* Ita etiam Cardinalis Bona: *Sed an hic fuerit Treuirensis aut Lugdunensis Episcopus, non liquet.* Enimuero Nicetium Treuirensem vix intelligi posse persuasum habeo, quum is Cæsario & Benedicto iunior fuerit, & ab iis seductus, qui tria capitula propugnarunt, animo in Iustinianum iniquo Aphtharto docetismi eundem insimulauerit. Quare magis in Nicetium Lugdunensem propendeo, quem ex Gregorio Turonensi constat sæculo sexto adulto decessisse, cum regnaret Childebertus senior, qui morienti adfuit, votisque eius mensuram impleuit, quod eo spectabat, vt Nepos in altissimo sacræ dignitatis gradu succederet.

XVII. Verum missis tandem his rebus, quas non nisi per coniecturam determinare licet, vsum hymni nostri breuiter considerare par est, quem duplicem in veteri pariter recentique Ecclesia reperimus, communem alterum, alterum solennem. De priori supra dictum est ex Breuiario Romano, quod in matutinis sacris adhiberi consueuerit omnibus diebus, Dominicis & festis. Quod de moderna tantum Romana Ecclesia tenendum est, antiquior enim Dominicis Aduentus & Quadragesimæ illum intermittebat, prout antea ex Radulpho Glabro monuimus. Plura dabunt scriptores officiorum diuinorum,

Ama-

Amalarius Metensis, Pseudo-Alcuinus, Berno Augiensis, Radulphus Tungrensis ac similes, qui in omnium manibus versantur.

XVIII. Solennem hymni nostri vsum in coronatione Regum, consecratione Episcoporum, dedicatione Ecclesiarum, aliisque eiusmodi negotiis obtinuisse deprehendimus. Quem breuiter complectitur Raynaudus: *Memoratur tamen postea frequenter, & in effusa lætitia, vel gratiarum actionis argumentum decantatus legitur, in dicto libro de Vnctione Regum Francorum, & in coronatione Caroli Calui, & in actis Ludouici Pii, cum de recepto Rhemis Stephano Papa, & in restitutione Ebbonis Rhemensis, & in S. Germani Parisiensis translatione sub Pipino Duce Francorum.* Commentarium illum de vnctione Regum Francorum edidit notisque illustrauit Hugo Menardus, quem aliquoties in Testimonium vocauimus. Coronationem Caroli Calui Capitulis eius attexuit Iacobus Sirmondus, vbi pag. 379. & 486. hymni nostri occurrit mentio. Et quis in Actis Imperii publicis adeo hospes est, vt ignoret, hymnum nostrum in coronatione Imperatorum a plurimis sæculis fuisse decantatum? Quod pariter factum est post res Principum bene gestas, vt victoriæ ab hostibus obtentæ caussa, quemadmodum nuperrime profligatis Turcarum copiis obseruatum meminimus. Sic cum Carolus M. Leonem III. Papam calumniis liberatum in sedem pristinam restituisset, *ipso Sacramento expleto incipiebant illi sancti Episcopi cum vniuerso Clero seu ipso Principe Carolo, cum deuoto Christiano populo hymnum: Te DEVM laudamus, Te Dominum confitemur*, vt refert vetustus Annalium Francorum Auctor apud Lambecium Lib. II. Comm. pag. 581. Falsa igitur sunt, quæ post Filesacum lib. II. Selectorum pag. 213. scribit Larroquanus Lib. II. Aduersariorum Sacrorum Cap. 31. *Nonplane constat de tempore, quoprimum* (hic hymnus) *occentus fuit: colligi tamen posse videtur ex quibusdam verbis, quæ exstant tom. 2. Conciliorum Galliæ pag. 447. id contigisse an. 821. Siquidem ad finem Decreti, quod aduersus Clericorum percussores hoc anno Triburiæ constituit Ludouicus Pius Imperator, ista legimus:* Ecclesiasticus ordo DEO & Principibus laudes atque Hymnum, Te Deum laudamus, decantabat. *In hoc forte conuentu primum fuit decantatus, & hinc cantandi origo.* Equidem & ego adhuc quæro tempus quo hic hymnus decantari cœpit. Sed longe ante Ludouicum Pium id factum, tum allegatæ supra Benedicti & Teredii regulæ, tum Caroli Magni exemplum satis euincunt, vt adeo Episcopi in Synodo Triburiensi consuetudinem potius hactenus receptum sequantur, quam primam illi originem concilient. Ex recentioribus sæculis vnus mihi sufficiat Albertus III. animosus Dux Saxoniæ, qui in itinere sacro constitutus cum suis comitibus hymnum nostrum bis adhibuit, teste Michaele Boiemo in vi-

ta eius, quam celeberrimus Polyhistor Schurzfleischius publica luce donauit. Nam Cypro *mouentes nocte media, a longo orto sole conspectam sanctam terram salutantes, hymnum continentem confessionem Augustini & Ambrosii, lata voce & animo, cecinerunt*. Et postea terra sancta feliciter peragrata reditum in patriam parentes *repetito hymno Diuorum Augustini & Ambrosii, alacri animo, immani littore relicto, anchoris sublatis, soluerunt*.

XIX. Neque politicis tantum, sed sacris quoque rebus ex animi sententia gestis eucharistica hymno nostro persoluta sunt. Garnerius in notis ad librum diurnum Romanorum Pontificum pag. 47. hæc commentatur: *Nondum hymnus qui dicitur Ambrosii & Augustini, canebatur Romæ in solennem gratiarum actionem. Roma dixi, nam in Galliis antea decantatum fuisse, non obscure colligitur*. Ad tertiam fidei professionem a nouo Papa Romano post ordinationem dicendam ista obseruat Garnerius, eamque ex chronologicis characteribus a Leone II. anno 682. editam censet, *Hymnum Gloriæ* cum populo decantare vult Leo, non alium procul dubio, quam matutinum apud Græcos Latinosque receptum, innuens, de quo supra vidimus: non autem nostrum *Te Deum*, cuius solennem vsum Romæ tum nondum obtinuisse vult Garnerius, qui desideriis eruditorum non satisfecit, quum fundamenta rationesque, vnde in Galliis antea illum receptum esse collegit, silentio inuoluerit. Sed nono tamen sæculo hymnus noster *in natalitiis Pontificum* canebatur, vt ex Amalario monstraui in schediasmate de Natalitiis Episcoporum num. VI. vbi & Nicolai Suessionensis testimonium adduxi, qui apud Coriolanum in Summa Conciliorum pag. 492. refert, quemadmodum in Synodo Trecensian. 1104. Godofredus Abbas ad cathedram Ambianensem omnibus adplaudentibus fuerit promotus: *Aiunt enim, tunc omnes Te Deum laudamus cantasse*. Idem in dedicationibus Ecclesiarum obtinuisse, exemplum Fuldensis apud Brovverum Annal. Fuld. p. 115. aliaque passim prostantia fidem faciunt.

XX. Postremo nullus facile priuatorum hominum est, qui in laudibus Deo decernendis ad publicas Ecclesiæ preces cantionesque se non componat. Quare nostro quoque hymno pios & fideles olim hodieque gratias Deo egisse compertum habemus. Quorum pietatem imitati pro concessa hactenus in studiis diuina benedictione eundem decantamus.

ADDEN-

ADDENDA AD PARTEM PRIOREM.

Ad Exerc. I. DE SYMBOLO APOSTOLICO, num. VI. pag. 8.

EPitheton *Catholicæ* non demum conuenticulis Donatiſtarum & Nouatianorum oppoſitum eſſe, liquet ex epiſtola Smyrnenſis eccleſiæ de Martyrio Polycarpi, cuius hæc eſt inſcriptio, tam apud Euſebium, quam in editione Vſſeriana Ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ ἡ παροικοῦσα Σμύρναν, (τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ) τῇ παροικούσῃ ἐν Φιλαδελφίᾳ, (Φιλομηλίῳ) καὶ πάσαις ταῖς κατὰ πάντα τόπον τῆς ἁγίας (καὶ) καθολικῆς Ἐκκλησίας παροικίαις, ἔλεος, εἰρήνη καὶ ἀγάπη (ἀπὸ) θεοῦ πατρὸς καὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ πληθυνθείη. Valeſius melius, quam vetus Interpres, vertit: *Eccleſia Dei quæ eſt Smyrnæ, Eccleſiæ Dei apud Philomelium, & omnibus vbicunque terrarum ſanctæ & Catholicæ Eccleſiæ populis, miſericordia, pax & caritas Dei Patris, & Domini noſtri Ieſu Chriſti multiplicetur.* Vides τὴν ἁγίαν καὶ καθολικὴν ἐκκλησίαν, *ſanctam & Catholicam Eccleſiam*, eodem modo, vt in Symbolo Apoſtolico; quod tamen propterea ab Apoſtolis conditum haud eſſe conſequitur, quoniam ab iis hoc epitheton Eccleſiæ nusquam tributum legimus. Hinc Chriſtianus Lupus Scholiis in Cap. XIII. Tertulliani de Præſcriptionibus pag. 286. adductis variis locis, (in quibus noſter palmam cæteris præripiens haud comparet,) dubitanter admodum concludit: *Proinde iſta vox omnino videtur eſſe ab ipſis Apoſtolis. Nam & ipſorum tempora cœperunt fœdari per hæreſes. Hinc ad veram Chriſtianitatem a fucis & fungis diſtinguendam videntur illi ipſi induxiſſe titulum: ECCLESIA CATHOLICA. Poſſint & Symbolo inſeruiſſe. Eſt res incerta. Interim iſta inſertio eſt antiquiſſima.* Cum ergo ipſe Lupus in ancipiti hæreat, nobis non perſuadebit, vt pro Apoſtolico recipiamus, quod in Apoſtolorum ſcriptis non inuenitur.

Ad num. XXII. pag. 32.

Cæterum inter ſcriptores recentiores, quorum examen in fine primæ Exercitationis promiſeram, Lupus primum meretur locum, ſiquidem inter eos haud facile reperitur, qui maiori conatu Voſſium refutare, ſymbolumque ipſis Apoſtolis vindicare aggreſſus ſit; quamquam infeliciter, vti oſtendit adeoque otium mihi fecit Thomas Ittigius, vir in hoc antiquitatum genere exercitatiſſimus, Diſſertatione de Hæreſiarchis ſect. II. Cap. IX. num. 14. & 15. Primo enim obſeruat, ex Lupi opinione eccleſias Africanas, Rhodanenſes & Orientales ad

verba primi articuli in Symbolo Apostolico: *credo in Deum*, particulam *Vnum* addidisse, vt Gnosticorum de duplici Deo fabula eliderecur, præeunte Clemente Romano, qui cum Gnosticorum factio Corinthiorum ecclesiam fœde lacerasset, aduersus Gnosticos fidem in vnum Deum apud hanc ecclesiam reparauerit. Id Lupus ex his Irenæi verbis se probare posse putat: *sub hoc Clemente dissensione non modica inter eos, qui Corinthi essent, fratres facta, scripsit quæ est Romæ ecclesia potentissimas literas Corinthiis, ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuncians, quam in recenti ab Apostolis receperant traditionem, annunciantem vnum Deum omnipotentem, factorem cœli & terræ, plasmatorem hominis* &c. Ittigius suam addit epicrisin: *Verum si hæc verba Irenæi de certa quadam symboli formula loquuntur, vt existimat Lupus, cur a Clemente Romano & non ab ipsis Apostolis vocem:* Vnum, *ad Symbolum additam cum tamen Irenæus traditionem annunciantem Vnum Deum ab Apostolis acceptam affirmet? Nimirum, quia Symbolum Apostolicum, quale hodie Romana ecclesia vsurpat, verbotenus ab Apostolis conditum statuit. In illo autem Symbolo vocula* Vnum *non comparet. Hinc ergo voculam illam ab ipsis Apostolis profectam dicere noluit. Si Lupum quæras, num & illa verba primi articuli:* creatorem cœli & terræ, *aduersus Gnosticos, non ab vno summo Deo, sed ab alio principio mundum conditum blasphemantes, a quibusdam ecclesiis addita, an ab ipsis Apostolis profecta. Postea tamen verba illa esse apostolica & semper in symbolo fuisse fortissime suadere Irenæum profitetur, cum diserte is affirmet, quod S. Clemens apud Corinthios reparauerit traditionem Apostolicam, annunciantem* vnum Deum omnipotentem, factorem cœli & terræ. *Verum si ex his Irenæi verbis fortissime probari potest, quod verba,* factorem cœli & terræ, *ipsos Apostolos auctores habeant, cur ex iisdem non etiam fortissime probetur, quod vocula,* Vnum, *Apostolos ipsos auctores habeat? Nimirum verba, factorem* cœli & terræ, *leguntur in symbolo hodierno, quod ab ipsis Apostolis verbotenus conceptum probare nititur, vocula* vnum *non item. Hinc ergo ex eodem argumento diuersam argumentandi rationem init. Neque tamen in fortissimo isto, vt putat, argumento firmiter consistit & acquiescit, sed cum plura alia pro confirmanda illa sententia adduxisset, rem sibi istam vsque nunc incertam esse profitetur. Et mirum est, quantum se Lupus torqueat, vt contra Vossium & alios symbolum Apostolicum, quale hodie extat, ab ipsis Apostolis compositum esse probet. Videt enim esse in hoc Symbolo quædam verba, quæ antiquitus in Symbolo Romanæ ecclesiæ non fuerunt. Atque hinc refutat Henricum Vitum Oosthonii Toparcham, qui in opusculo de Christi ad inferos descensu Rufinum mendacii arguerat, quod dixisset, sua ætate neque Romanum neque Orientale Symbolum particulam illam de descensu Christi ad inferos habuisse. Agnoscit etiam in Symbolo Aquilegensi, Africano, quin & in Romano veteri ecclesiam non cognominari*

minari catholicam &c. de quo paullo ante diximus. Concludit Ittigius: *Has igitur aliasque plures symboli additiones dum Lupus agnoscit, & tamen hodiernum Romanæ Ecclesiæ symbolum totidem verbis ab Apostolis conditum asserit, vt hæc inter se conciliet, inter symbolum traditum & scriptum distinguit, & simul tamen symbolum ex iis fuisse probat, quæ scripto mandari arcani disciplina non admiserit. Deinde inter verba symboli & sententias distinguit, & non verba sed sensus ab Apostolico charismate profectos pronunciat, & sic tandem reipsa cum Vossio consentit, quem tanto conatu se refutasse videri voluit. Neque enim Vossius negauerit, doctrinam symbolo Apostolico contentam Apostolos præcones habuisse, sed tantum symbolum, quod Apostolicum dicitur, hoc ipso verborum ordine concinnatum ab Apostolis non fuisse asseruit. Laudo igitur candorem Ellies du Pin Parisiensis Theologi, qui in noua bibliotheca Scriptorum ecclesiasticorum communi Pontificiorum sententia relicta, symbolum Apostolicum his ipsis verbis, & hoc ipso, quo nunc gaudet, ordine ab Apostolis scriptum esse negat.*

Ioannes Garnerius in Dissertationibus ad librum Diurnum Romanorum Pontificum pag. 161. 162. tale symbolum Romanæ Ecclesiæ Rufini tempore fuisse putat: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, & in Iesum Christum filium eius unigenitum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus, tertia die resurrexit, ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris, inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem.* Videri quidem vult Garnerius, *ex veteribus monumentis* hanc symboli formam attulisse, sed nullum indicat, neque vnquam tale reperiri crediderim, cum longe certior sit forma ab Vsserio ex veteribus monumentis publicata, & a nobis num. xv. descripta, quam Leonis Magni ætate adhuc Romæ receptam docuimus num. xxi. Hinc autem facile diiudicari poterunt sequentes Garnerii suspiciones: *In eo desunt tria, quæ in vulgari continentur,* Creatorem cœli & terræ, descendit ad inferos, vitam æternam. *Inde oritur quæstio, quando contigerit, & quorsum, addi hæc tria? Nemo, quod sciam, id inquisiuit, vtile tamen est nosse, vel per coniecturam. Videtur nonnullum Rufinus coniiciendi locum dare, cum tradit, Romanum Symbolum additamentis tunc caruisse, cum scriberet,* propterea, quod nulla illic hæresis sumsisset exordium; in cæteris autem locis, quantum intelligi datur, propter nonnullos hæreticos, addita quædam videri, per quæ nouellæ doctrinæ sensus crederetur excludi. *Inde enim videor mihi non improbabiliter concludere, necessitatem accessionis faciendæ tunc extitisse, cum capitales tres hæreses, Origenis, Manichæi, & Arii in Romanam ecclesiam irrepere conatæ sunt. Conatæ sunt vero, & cum liber Origenis* περὶ ἀρχῶν *Roma*

Romæ visus est, & cum Manichæi, clam latentes, certis indiciis deprehensi, producti sunt in publicum, & cum Eutychianus error, Ariani soboles quædam, percrebuit. Liber περὶ ἀρχῶν temporibus Anastasii I. Romam venit; Manichæos insectatus est Leo Magnus an. 443. Eutychiana hæresis sub eodem Pontifice turbas vbique mouit, occasione Latrocinii Ephesini. Aduersus Origenis temporalem & mutabilem beatitudinem sanctorum, vita æterna *credita est: aduersus Manichaismum de mundi sensibilis a dæmone conditione,* factor cœli & terræ: *aduersus Arii errorem, quod nulla fuerit in Christo anima,* descensus ad inferos *anima, cum corpus iaceret in sepulcro.* At si Garnerius saltem attendisset loca Hieronymi & Leonis, a nobis num. xv. & xxi. adducta, infirmitatem suarum coniecturarum facile deprehendisset. Hieronymus enim accurate sciuit, quidquid Romæ contra Origenistas statuit Anastasius, illamque ad Pammachium epistolam scripsit anno 402. post expulsos urbe anno præcedenti Origenistas, (vt prolixe aduersus Baronium contendit Wastelius in Vindiciis Ioannis Hierosolymitani pag. 481. 482.) nihilominus *Symbolum fidei carnis resurrectione concludi* aperte adserit. Sic Leo in epistola ad Flauianum Symboli initium recitans, non solum omittit *factorem cœli & terræ,* sed & cum omnia, quæ inde profert, breuiori Symbolo Vsserii exacte conueniant, tum nihil dubitare attinet, quin id intellexerit Leo, ipsiusque adeo ætate *descensus ad inferos* Symbolo Romanæ Ecclesiæ nondum fuerit insertus; ne dicam de Garnerii errore, Christum quoad animam tantum descendisse.

Hermannus Witsius, Theologus Batauus, Exercitationes in Symbolum Apostolicum Franequeræ cœptas, Vltraiecti absoluit & edidit an. 1681. quarum prima de Symboli illius Auctoribus & Auctoritate agit, & argumenta Voetii Vossiique contrahit, quod illud ab Apostolis non sit profectum, & quæ in contrarium adferri solent, remouet, nihil autem determinat, quo præcise tempore id hodiernum ordinem acquisiuerit, sed num. xiv. generaliter ait: *Vnde concludimus, non esse hoc Symbolum vnius Auctoris, vel vnius Concilii, sed labentibus sæculis, varia occasione, a variis, multis accessionibus locupletatum: exstantibus tamen veteris fundamenti, cui reliqua superædificata sunt, indiciis.* Ioannes Pearsonius Anglica lingua scripsit Commentarium in Symbolum Apostolicum, qui Anglice quinquies excusus tandem Latine prodiit an. 1690. Quanquam vero auctor in notis ad singulos articulos obseruat, quid ex iis habuerint vetera Ecclesiarum Orientis Occidentisque symbola, vel non? vt varietas priscorum symbolorum inde satis cognosci queat; nihil tamen apud eum legere memini de illorum auctoribus, aut de tempore hodiernæ structuræ. Samuel Basnagius nouissime Exercitationes Historico-Criticas in Baronium edidit, communemque de Apostolis Symboli auctoribus opinionem pag. 471. sqq. tam notis,

tis, quam ignotis hactenus argumentis refutauit, tandemque concludit: *Non me leuis incesfit opinio, ex Scripturæ articulis Symbolum a Patribus fuisse conditum, erroribus Gnosticorum, Simonianorum, Ebionitarum, eiusmodique furfuris hominum coarguendis, atque confutandis. Gnostici bonum Deum & malum, fuis in dogmatibus habere dicebantur: pestilentissima hæresis his euertitur;* Credo in Deum. *Menander Simonis discipulus, mundum asserebat non a Deo, sed ab Angelis factum: huic oppositum*, Creatorem cœli & terræ. *Carpocrates Iesum hominem* Φιλὸν, *& de vtroque sexu natum esse docebat: hoc impugnatum ex verbis;* Christum conceptum de Spiritu Sancto. *Basilidiani non credebant Iesum a Iudæis fuisse crucifixum, sed Simonem Cyreniensem: paucis quidem, sed solidissimis verbis confutantur;* Mortuus est ac sepultus. *Carnis Resurrectionem abiiciebat Carpocrates, cum Marcella, sectæ socia: dictum;* Credo Resurrectionem Carnis. *Omnes Symboli articulos sigillatim percurrenti, planum fiet, ad errores tum grassantes referri. Quocirca, pace Leonis* (Papæ) *Baroniique, non existimamus*, omnes Hæreticorum opiniones, hoc solo gladio posse detruncari: *non Pelagianum virus, & ingenitum originis vitium, & Gratiæ illud extinguentis efficaciam perimens: non Socinianorum venena, Christi sacrificium vere* ἱλαςικὸν *illudentium; nec non & impiorum Resurrectionem, & cruciatus æternos pro figmentis habentium.* Accipio, quod largitur Basnagius, Symbolum Apostolicum non sufficere ad hæreticos refellendos; sed quia non distinxit Symbolum auctius & hodiernum ab antiquo & breuiori, παροράματα quædam commisit, cum in breuiori non extiterit articulus de *Creatore cœli & terræ*, & duo sequentes a Basnagio allegati aliter habuerint; *qui natus est de Spiritu S. & Maria Virgine; qui sub Pontio Pilato crucifixus est & sepultus.*

Ex Nostratibus Doctoribus supersunt non pauci, quorum adserta cum nostris componenda essent. Sed vnus sufficiat Ioannes Schilterus, Institutionum Iuris Canonici Lib. I. Tit. II. §. 4. *Post Apostolorum tempora de caussis Fidei & disciplina in Conciliis actum, & consulta seu decreta eorum de posterioribus* CANONES *peculiariter appellati, de prioribus* SYMBOLA. *Hinc & Symbolum Apostolicum, & Canones Apostolorum enati* &c. Hæc cum iis conferens, quæ partim in ipsa Exercitatione num. XV. ex Spanhemio allegaui, partim in altera harum Exercitationum parte pag. 210. sqq. de tempore Canonum Apostolicorum disputaui, in eam tandem deuenio sententiam, Symbolum Apostolicum breuius in solenni illa rituum mutatione, quam sæculo secundo labente accidisse ibidem ostendi, confectum esse, vt sit formula fidei, quæ Competentibus traderetur. Sicut enim illo tempore ipsa disciplina circa Catechumenos inualuit, & multa ex gentilium ritibus purgatis participauit, ita opus etiam fuit tessera quadam siue symbolo, de quo optime Maximus Taurinensis, Symbolum

lum breuius explicaturus: *Symbolum tessera est & signaculum, quo inter fideles perfidosque secernitur.*

Ad Exercit. IV. DE POLYCARPO.

Ad Præfationem *de Polycarpo Leysero.*

Celeberrimus Professor & Bibliothecarius in Academia Wittenbergensi, Ioan. Georg. Neumannus, amicus meus singularis, nuperrime per litteras mihi significauit, felici fato ad manus suas peruenisse totum Commercium litterarum, quo Polycarpus Lyserus, Proauus meus, cum eruditissimus sui temporis in Germania vires exercuit. Reperiri enim litteras Chemnitii, Selnecceri, Iacobi Andreæ, Osiandrorum, Gerlachii, Heerbrandi, Heilbrunneri, Hunnii, Hutteri, Rungii, Gesneri, Chytræi & aliorum Theologorum; tum Beustii, Schneidevvini, Wesenbecii, Carpzouii & aliorum ICtorum; denique Crusii, Dresseri, Reineccii, Caselii, Frischlini, Taubmanni, Rhodomanni, Caluisii, & aliorum Philologorum; vt præteream tractatus & Responsa Academiæ Wittenbergensis in caussa Crellii & aliorum. Thesaurus sane est incomparabilis, quem C. Neumannus, familiæ Leyserianæ superiori anno, ducta in matrimonium Polycarpi nostri ex filio primogenito abnepte, insertus, orbi litterato aliquando aperiet, cum illius vitam eo fere modo, quo Gassendus Peirescianam, scribere adgredietur, aut singularia Academiæ Wittenbergensis edisseret, vel denique Historiam clarorum superioris æui virorum publicabit.

Ad num. V. pag. 105.

Verba Irenæi apud Eusebium Lib. V. Cap. 24. de Paschatis obseruatione & Polycarpi conuersatione cum Apostolis probe obseruanda sunt: οὔτε γὰρ ὁ Ἀνίκητος τὸν Πολύκαρπον πεῖσαι ἐδύνατο μὴ τηρεῖν, ἅτε μετὰ Ἰωάννου τοῦ μαθητοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, καὶ τῶν λοιπῶν Ἀποστόλων, οἷς συνδιέτρεψεν, ἀεὶ τετηρηκότα. *Neque enim Anicetus Polycarpo persuadere vnquam poterat, vt obseruare desineret, quippe qui cum Ioanne Domini nostri discipulo, & cum reliquis Apostolis, quibuscum familiariter vixerat, eum morem perpetuo obseruasset.* Videmus itaque Polycarpum non cum Ioanne duntaxat, verumetiam cum reliquis Apostolis, non quidem omnibus, sed quibuscum (adhuc superstitibus) versari ipsi contigit, Pascha non semel aut bis, sed *semper*, id est, pluribus annis, totoque tempore, quo illis adhæsit, celebrantem.

Ad num. XXII. pag. 126. *de Rufino Sophista.*

Ipse Illustris Spanhemius in Diatriba de Nummo Smyrnæorum, seu de Vesta & Prytanibus Græcorum, quæ Selectis Seguini Numismatibus in altera editione iungitur, pag. 339. Rufinum Sophistam στρατηγὸν in Seueri nummo dictum,

ctum, *Prætorem Vrbanum* interpretatur. Duos tamen Rufinos Sophistas distinguit, quorum alter sub Seuero vixerit, & tàm in nummis illius Coniugisque, quam in eiusdem Rescripto (quod non solum a Whelero, sed etiam a Prideausio in Notis ad Marmora Oxoniensia pag. 304. editum est,) occurrat; alter autem sub Gordiano, cuius nomen in Tranquillinæ nummo legatur: in quo non refragabor.

Ad Exerc. V. DE IVSTINO MARTYRE num. I. pag. 165. 166.

Examen doctrinæ Iustini, quod ego suscipere decreueram, secundum nouissimam editionem optime instituit Christianus Nifanius, Theologus aliis etiam scriptis notus, peculiari libello Francofurti an. 1688. edito, *Iustinum veritatis Euangelicæ testem & Confessorem, præcipue in Articulis de SS. Trinitate & persona Iesu Christi exhibens, aduersus Sandium, & alios, qui fidem Catholicam de SS. Trinitate, ac Filii Dei æterna Deitate, eiusque Redemtione, haud creditu ad salutem necessariam fuisse, & sub veteri etiam Testamento non fuisse, sustinere conantur.*

Ad num. IV. VI. & seqq.

Annum Iustini natalem in Epiphanio reperisse sibi visus est Henricus Dodvvellus Differt. III. in Irenæum num. 19. *Iustini natales fecit hactenus incertos vitiosa Lectio Epiphanii. Passum ait Iustinum hodiernus Epiphanius,* ἐπ' Ἀδριανοῦ βασιλέως καὶ Ρυςικοῦ ἡγεμόνος. *Errore, si de Passione intelligatur, manifestissimo. Sed de Natalibus illa Iustini intelligenda erant, non de Passione, quanquam fieri etiam possit, vt, pro recepto Sæculi sermone, Natalium nomine intellexerit corruptor Epiphanii. Expunguendæ deinde voces illæ insititiæ,* βασιλέως *&* ἡγεμόνος, *ab eo additæ, quicunque tandem is fuerit, qui primus locum de Iustini Martyrio intellexit. Solebant enim passi in Vrbe Martyres Imperatore atque Vrbis Præfecto, sub quo fuissent passi, designari. Sed Hadrianum III. Cos. cum collega Iunio Rustico intellexit Auctor, quicunque tandem is fuerit, Epiphanii; & horum Consulatu, qui quidem inciderit in annum Ær. vulg. CXIX. natum tradidit fuisse Iustinum. Sic alia omnia optime respondebunt. Ita enim egerit Iustinus annum, cum pateretur, XXX. vt fatetur eodem in loco Epiphanius. Ita passus fuerit anno Pii XII. quo loco Martyrium eius in Chronico inserendum censuit Eusebius. Cuius veritatis vestigia etiam in errore constant. Marci enim similiter anno XII. assignauit Martyrium eius Auctor Chronici Alexandrini, qui sub Marco passum existimauit: Sed vel e priore Iustini Apologia, quam paullo ante Martyrium obtulit, structis iam a Crescente Cynico insidiis illis, quibus sublatum testatur Discipulus Iustini Tatianus, constat sub Pio, non sub Marco, passum*

esse Iustinum, quod etiam viderunt ante nos Viri Eruditissimi, Cestriensis & Valesius. Potestque ex ipso colligi Epiphanio. Tatianum enim ille ortum asserit Pii XII. quem tamen negat ante Magistri martyrium ex Ecclesia discessisse, & quidem negat teste coaeuo fide dignissimo nostro Irenaeo. Anno itaque CXLIX. post Iul. X. (inde enim annum Imperii XII. inchoauit a morte Hadriani Pius) Iustinus noster annum XXX. absoluit, Martyrio sublatus est, sic quidem opportune, vt ante Iul. X. sequentis anni CL. Haeresin potuerit profiteri Tatianus. At ego plurimum vereor, vt illa emendatio in Epiphanio, annusque Iustini natalis locum habere queat. Nam si quis temporis characteres in scriptis Iustini expenderit, facile cognoscet, illum ante annum 119. nasci debuisse. In epistola ad Diognetum sese appellat μαθητὴν ἀποςόλων: In Dialogo cum Tryphone prolixe exponit, quomodo cum primo suo Praeceptore Stoico fuerit διατρίψας ἱκανὸν χρόνον, *longo satis tempore versatus*; & quanquam neque apud Peripateticum neque apud Pythagoreum diu substitit, aliquot tamen annos Platonicae disciplinae illum adhaesisse ex priori (vel potius posteriori) Apologia colligitur, his verbis: Καὶ γὰρ αὐτὸς ἐγὼ τοῖς πλάτωνος χαίρων διδάγμασι, διαβαλλόμενος ἀκούων χριςιανὺς, ὁρῶν δὲ ἀφόβυς πρὸς θάνατον, καὶ πάντα τὰ (ἄλλα) νομιζόμενα φοβερὰ, ἐνενόυν ἀδύνατον εἶναι ἐν κακίᾳ καὶ φιληδονίᾳ ὑπάρχειν αὐτὺς. *Nam & ego ipse Platonis disciplinae sectator, cum calumniose audirem Christianos deferri, intrepide autem ad mortem & alia, quae terribilia esse censentur omnia, adire conspicerem: statui ipse mecum, fieri haud quaquam posse, vt illi in vitiorum prauitate & voluptatum amore viverent.* Hinc ad Christianismum diuini cuiusdam senis admonitione conuersus non solum Elenchum ad Graecos & Paraenesin composuit, ex Halloixii sententia satis fundata cap. XXVI. de vita & Documentis Iustini Martyris; sed etiam contra omnes haereses scripsit, cuius in citata Apologia p. 70. meminit Iustinus: Ἔςι δὲ ἡμῖν καὶ σύνταγμα κατὰ πασῶν τῶν γεγενημένων αἱρέσεων (συντεταγμένων.) ὃ εἰ βύλεσθε ἐντυχεῖν, δώσομεν. *Est autem nobis liber contra haereses & sectas omnes compositus: quem si legere volueritis, dabimus.* Hanc Apologiam obtulit initio Antonini Pii, vt omnes hodie sentiunt eruditi, ipseque Dodvvellus Dissertatione Cyprianica XI. num. 33. cuius amicus, Guil. Cauius, tam in Chartophylace, quam Historia litteraria pag. 36. Iustini conuersionem *circa an. CXXXIII.* factam putauit, non inuito, credo, Dodvvello, siquidem Iustinus annis aliquot ad cognoscendas haereses, scriptaque aduersus illas paganosque componenda opus habuit. Enimuero, quis credat, puerum quatuordecim annorum (quot secundum Dodvvelli calculos A. C. 133. agebat Iustinus) tot Philosophorum gentilium sectas perreptasse, & apud Gentiles in tanta positum fuisse auctoritate, vt ad illos non solum defensionem suae conuersionis, sed etiam adhortationem ad idem faciendum componeret?

neret? quis credat, huic puero animum aut facultatem fuisse, aduersus hæreses omnes scribendi, ac postea decimo nono vel vigesimo ætatis anno Imperatoribus Apologiam offerendi? Hæc sane omnia iustæ virum ætatis sapiunt, quem haud obscure etiam referunt alia in Dialogo cum Tryphone: πάλιν τε τὸν χρόνον σκοπῶν ὃν ἔμελλον ἐκτρίβειν περὶ ἐκεῖνα τὰ μαθήματα, οὐκ ἠνειχόμην εἰς μακρὰν ἀποτιθέμενος. *Ac rursum tempus ipsum mecum considerans, quod in disciplinis eis conterendum erat, rem longius differre non sustinui.* Disciplinæ illæ erant Musica, Astronomia & Geometria, quas quæque Pythagoreus Philosophus in auditoribus suis præsupponebat, in puerili ætate optime capiuntur atque tractantur. Vnde manifestissimum est, Iustinum antequam ad Platonismum accederet, eos iam annos, qui non amplius studiis istis leuioribus, sed grauioribus impendendi sunt, ingressum id est, virili ætati proximum fuisse. Imo non potest Dodvvellus hypothesin suam de Hadriano in Dissertatione de paucitate Martyrum propositam saluare, nisi Iustinum sub Traiano iam vixisse statuat. Vult enim, sub Hadriano nullos factos esse martyres; sub Traiano in Syria excitatam persequutionem, quæ A. C. 116. Simeonem Hierosolymitanum ἀδελφόθεον sustulerit. Cum igitur Instinus in Apologia dicat, se adhuc Platonicum vidisse & admiratum esse Christianos læto animo tormenta mortemque subeuntes; tum necesse est, vt non demum sub Hadriano natus fuerit, qui iam sub Traiano Platonis dogmata sectatus est, & persequutiones Christianorum in patria sua vidit. Magis itaque mihi placet emendatio, quam vnius lineæ transpositione in Epiphanii verbis tentauit Papebrochius in Commentario præuio ad vitam Iustini, ad diem XIII. Aprilis, num. 9. hoc modo ea restituens: Οὗτος ὁ Ἰουστῖνος Σαμαρείτης ἦν τὸ γένος, ἐπὶ δὲ τῆς Ῥωμαίων ἡγεμονείας (*nam & Plutarchus* ἡγεμονίαν Consulatum *appellat, quem passim alii* ὑπατείαν,) Ῥουστικοῦ καὶ Ἀδριανοῦ βασιλέως, ἐτῶν τριάκοντα ὑπάρχων, ἐν καθεστώσῃ ἡλικίᾳ εἰς Χριστὸν πεπιστευκὼς &c. *Qui Iustinus Samarites fuit genere; sed sub Romano Consulatu Rustici & Adriani Imperatoris, (id est, anno vulgaris Æra CXIX.) cum esset iam annorum triginta, in perfecta ætate (iuxta receptam inter auctores humanarum ætatum diuisionem) fidem Christi amplexus &c.* Addit Papebrochius num. 10. *admissa hac correctione bellissime se habet totus locus, & Iustinus ante annum Christianæ æræ LXXXIX. natus, anno Antonini Pii XIII. Christi CL. fuerit sexagenario maior*, si tum martyrium subiit, quod tanquam ex Eusebii Chronico tradunt Syncellus & Glycas. *At si cum communiori, certiori & expressiori sententia Eusebii in Historia, mortuum dicas sub Marco Aurelio Vero & Lucio Antonio Commodo; fere fuerit octogenarius, mortuus iuxta Chronicon, Alexandrinum vulgo dictum, reuera autem Constantinopolitanum*, Orphito & Pudente Consulibus, *an-*

no eorundem Imperatorum quinto, Christi CLXV. Anylector, quod Papebrochius dicit, Iustinum ante annum Æ. C. LXXXIX. natum, verumque eius natalem statuo A. C. LXXXVIII. quo pacto Christianos martyres Anno Christi CXVI. in Palæstina viderit, & triennio post ad fidem Christi conuersus, ad gentiles tam Elenchum quam Paræneſin ſcripſerit, ac viginti annos inter Christianos verſatus partim hæreſes omnes exacte cognouerit libroque peculiari refutauerit, partim Romanis Imperatoribus Senatuique Apologiam priorem obtulerit, inde Epheſum profectus cum Tryphone collocutus fuerit, & poſthæc variis in locis (vt in vita eius egregie coniicit Halloixius) pro more magnorum illius præcipue ætatis virorum peregrinatus Romam redierit, ibique Chriſtianis contra hæreticos & paganos philoſophos magiſtratusque opem ferens tandem in Creſcentem Cynicum impegerit, cuius inſidiis, in ſecunda Apologia præuiſis, interemtus fuerit anno ætatis LXXV. Chriſti CLXIII. quo Ruſticum præfecturam vrbis adminiſtraſſe probauit Reineſius. Hac ratione Iuſtini tempora omnium optime diſponi poſſe videntur.

Reliqua argumenta, quæ pro martyrio Iuſtini ſub Antonino Pio attulit Dodvvellus, tanti non ſunt, vt ab hac ſententia nos dimouere queant. Quamuis enim Epiphanius Tatianum circa annum XII. Antonini Pii hæreſin ſuam inchoaſſe ſcripſerit, Cauius tamen in Hiſtória litteraria pag. 46. M. Aurelium Antoninum intrepide ſubſtituit, ac Tatianum circa an. CLXXII. Scholam in Meſopotamia primo aperuiſſe putat, quum antea pag. 46. Iuſtini Martyrium in A. C. CLXIV. collocaſſet, vno tantum anno a nobis diſſentiens; vt adeo non eodem anno, quo Iuſtinus martyrium fecit, Tatianus hæreſeos ſuæ initium fecerit. Quæ autem in altera Iuſtini Apologia Valeſium ſequutus indigitat Dodvvellus, ſufficienter diſcusſit Pagius in Critica Baroniana Anno 162. num. 2. ſeqq. Primum ſumitur ex initio Apologiæ, quo Iuſtinus ait, mulierem quandam Chriſtianam a Viro gentili accuſatam, *libello tibi oblato, ſacratiſſime Imperator*, poſtulaſſe &c. Ergo Antonino Pio. Nam, ratiocinatur Valeſius, *ſi Marco & Lucio Apologeticus ille dicatus fuiſſet, vt vult Euſebius, Iuſtinus in plurali numero loquutus eſſet. Marcus enim & Verus ambo ſimul erant Auguſti.* Reſpondet Pagius, *etiam dum plures Imperium adminiſtrarent, in actis publicis ſæpe vnius tantum mentionem factam.* Hoc vſuuenire in epiſtola Smyrnæorum de martyrio Polycarpi, & Lugdunenſium de martyribus ſuis, licet Polycarpus etiam ſub Marco Aurelio in Lucio Vero, Lugdunenſes autem martyres ſub Marco eiusque filio Commodo pasſi eſſent. Ad eundem modum Pagius reſpondet an. 177. Loydio, ſententiam Pearſonii de Polycarpi martyrio ſibi indicanti: *Denique ſi Pearſonius S. Polycarpi martyrium ad annum CXLVII. retraxit, quia in Epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis, in qua Polycarpi martyrium narratur, vnius Auguſti mentio fiat, ideoque Marco & Vero*

ro imperantibus martyrium istud accidere non potuisse, quod tamen Eusebius docuit, sine dubio fallitur, quia dum plures Imperium regerent, in Actis publicis sæpe vnius tantum mentio facta, vt anno CLXII. num. 11. demonstraui. Verum cum nullus inauditus damnari debeat, Opus tanti Viri auide exspecto. Exspectat nempe Pagius Opus Pearsonii posthumum, quod tum temporis Londini excudebatur; sed opinionem rationesque ipsius in Exercitatione de Polycarpo examinaui, vbi tamen illa de vnico Imperatore minime comparet. Nullus autem dubito, quin Dodvvello hæc Pagii responsio sese probatura sit, cum ipse in Dissertatione de primæua Romanorum Pontificum successione c.XIV. de persequutionis Lugdunensis tempore agens, multis eã argumentis adstruat, similiq; inprimis appellationi Attali & sociorũ ciuiũ Romanorũ, quam Marcus Aurelius A.166. solus cognouit, innitatur. Quamobrem ipsi etiam, placebunt, quæ Pagius porro attulit, tam ex nummis, quibus pax a Marco & Lucio a.166. sancita vni Marco attribuitur; quam ex Lucii Veri absentia, qui forsan Roma aberat, quando libellus ille porrectus; & ex ipso Eusebio, qui lib. 4. c. 16. prodit, Apologiam Iustini alteram Marco & Vero oblatam, sed c. 18. nulla Veri mentione facta, ait, eam Marco nuncupatam esse. Ego haud inuitus largior, Verum eo tempore Roma abfuisse, quippe iam anno 161. ad bellum Parthicum profectum, vti ipse Pagius ad illum annum ostendit. Alterum argumentum petit Valesius ex verbis Lucii cuiusdam Christiani apud Iustinum ad præfectum Vrbicum: *Non hæc decent Imperatorem Pium, non Philosophi Cæsaris filium.* Vbi Valesius intelligit Antoninum Pium: sed Pagius monet, ab eo non obseruatum, Marcum Aurelium passim Antoninum Pium nuncupari, non solum a Themistio, de mirabili illa pluuia, quæ M. Aurelii tempore contigit, loquente, sed etiam in nummis & Inscriptionibus; deinde ex Eusebio restituit verba in hodiernis Iustini Codicibus corrupta, h. m. οὐ πρέποντα εὐσεβεῖ αὐτοκράτορι, οὐδὲ φιλοσόφῳ καίσαρος παιδί, οὐδὲ τῇ ἱερᾷ συγκλήτῳ κρίνεις, ὦ Οὐρβίκιε. *Non hoc sicut Imperatorem Pium, non vt Philosophum Cæsaris filium decet, non ita, vt sacrosancto Senatui conuenit, indicas, Vrbici.* Hinc concludit Pagius: *Iustinus igitur Marcum Aurelium, Lucium Verum, ac Senatum Romanum alloquitur, & tam in hoc, quam in priori Apologetico, Philosophiæ ac pietatis nomina frequenter allegat, vt Imperatores, Marcum Aurelium, Pium cognominatum, & Lucium eius Collegam, quem in priori Apologia etiam Philosophum vocat, quique Ælii Cæsaris filius erat, erga pietatem & Philosophiam Christianorum æquiores reddat & propensiores. Nec enim conueniebat, vt Marci & Senatus Romani, non vero Lucii mentionem faceret, si secunda Apologia, vti prior, (in qua Lucii diserte meminit) Antonino Pio dicata fuisset. Neque M. Aurelius Cæsaris filius vllibi appellatur.* Quæ omnia satis bona sunt, vnico excepto, quo Pagius verba illa Iustino tribuit, quæ Lucii cuiusdam Christiani esse Iustinus ipse refert.

fert. Tertium Valesii argumentum respicit Vrbicum, a Iustino ibi memoratum, quem sub Pio Præfectum Vrbi fuisse ex Apuleii Apologia liquet. *At quid vetat*, quærit Pagius, *Vrbicum, cuius sententia in Ptolomæum & Lucium Christianos lata, occasionem dedit huic Iustini Apologetico, Præfecturam Vrbanam, Antonino Pio imperante, iterumque eandem dignitatem, Marco Imperium administrante, gessisse?* Addit, ex Actis martyrii Iustini a Baronio laudatis constare, illum, Iunio Rustico præfecto vrbi existente, morte affectum; Rusticum vero non sub Antonino Pio, sed sub Marco præfecturam Vrbi exercuisse, omniaque apud ipsum potuisse, probat ex rescripto Marci & Lucii ad eundem, ex Capitolino, & ex pluribus apud Gruterum Inscriptionibus. Oportet autem mea quidem opinione Vrbicium in ista dignitate proxime Rusticum antecessisse, cum Iustinum non longe post oblatum alterum Apologeticum martyrio coronatum omnes consentiant. Sed aurem mihi vellicat Papebrochius, num. 4. 5. 6. 7. prolixe contendens, Iustinum in Actis apud Baronium a nostro diuersissimum esse, *mirabile est*, inquit, *quod Baronius persuaderi potuerit, & aliis persuadere, Acta ista certo esse Iustini Philosophi, propter locum Epiphanii, vt ipse fateri compellitur, enormiter mendosum, quo asseritur sub Rustico præfecto passus Philosophus, sub quo plexum alterum habent Acta; & propter omnigenæ doctrinæ experientiam, qua etiam hic Iustinus imbutum se profitetur. Non est impossibile, ac ne mirum quidem, si eiusdem nominis ac doctrinæ duo sub eodem Præside sustinere Martyrium: cur igitur credamus, Iustini Philosophi esse ea Acta, in quibus nihil legitur neque de libellis Imperatori oblatis, neque de disputationibus contra Philosophos, neque de Crescentis Cynici machinationibus. Sane hæc omnia vt minime obscura erant, sed toti Vrbi, & maxime Christianis, per Iustinum triumphantibus, notissima; magis merebantur describi ab eo, qui Acta collegit, quam sola interrogationum ac responsionum capita, si de tali tantoque Viro, qualis Iustinus Philosophus erat, agebatur.* Non vacat hæc amplius perquirere, aut expendere, quæ Cauius in vita Iustini Martyris, Anglice cum aliis Apostolicorum vitis edita, & L. E. du Pin To. I. Nouæ Bibliothecæ Eccles. pag. 57. & 61. pro Actorum istorum sinceritate & antiquitate attulerunt: per nos distinctus a nostro sit Iustinus in Actis memoratus: sufficit, Papebrochium concedere, duos eiusdem nominis ac doctrinæ sub eodem Præside Martyrium sustinuisse. Denique Valesius ad Eusebii in Chronico, (quod etiam Dodvvellus in ore habet,) Syncelli & Glycæ consensum prouocat, renitente Pagio his verbis: *Neque verum est, Eusebium in Chronico Iustini martyrium sub Antonino Pio consignare, vt ostendimus anno CXLVIII. num. V.* (ostenderat autem ibi, *Eusebium de Crescente Philosopho loqui intendere, & vt moris eius est, vno tenore recitare mortem, quem ille S. Iustino infligendam curauit;*) *Imo cum Historia Ecclesiastica post libros Chronicorum ab Eusebio composita sit, si*

is in

is in iisdem scripsisset, Iustinum sub Antonino Pio passum, cum contrarium doceat in Historia, id sequendum esset, quod in ea scriptum, vt in simili obseruat Valesius in Notis ad lib. 4. cap. 1. *Quoad Michaelem Glycam, is aduersus Eusebium, Hieronymum lib. de Script. Ecclesiast. ac Auctorem Chronici Alexandrini, qui Iustinum secundam Apologiam M. Aurelio porrexisse tradunt, nullo modo audiendus.*

Ad num. XII. pag. 171. 172.

Cum primum hanc dissertationem adornaui, nondum possidebam Halloixii vitam & documenta Iustini Martyris, quibus impetratis sæpius optaui, vt non solum nouæ editioni præfixa, sed in hac etiam Iustini scripta ad methodum Halloixii Cap. XXVI. disposita fuisse, qui mentem suam ad finem capitis præcedentis ita declarauerat: *Nunc tantum de ordine & inscriptione librorum, qui iam extant, aliquid dicendum est: tum vt sua illis veræ inscriptiones restituantur, & is, qui nouam horum operum editionem adornarit, aliqua hinc luce habita, meliorem in formam, quæ iam satis confusa sunt, redigat. Valde enim hodie molestum est, cum cites priorem Iustini apologiam, nescire an illam cites, quæ prior a Iustino scripta est, an eam, quæ in operibus priorem locum obtinet, quæ multis prior vocatur, cum vere sit posterior. Eademque est difficultas de* Cohortationibus ad Græcos, *cum nec veris nominibus suis inscriptæ, nec ordine suo sint editæ. Itaque hoc in præsenti agamus, vt errorem hunc, quoad in nobis est, eradamus.* Itaque Halloixius scripta Iustini in duos partitur tomos, priorique sequentia comprehendit: I. *Elenchus ad Græcos*, qui sub titulo λόγυ πρὸς ἕλληνας exstat p. 37. II. *Paranesis ad Græcos*, quæ primum hodie tenet locum. III. *Liber de Dei Monarchia* pag. 103. IV. *Apologia prior*, quæ in hodiernis editionibus male posterior audit pag. 53. V. *Dialogus cum Tryphone* pag. 217. VI. *Epistola ad Diognetum* pag. 494. *Denique* VII. *post eam epistolam collocari poterit* Apologia ad Senatum pag. 41. *& ita prior tomus operum Iustini terminari; vt complectatur omnes Iustini libros, de quibus nullatenus queat a quoquam dubitari, & qui simul spectent ad fidei nostræ confirmationem.* Posteriorem paucis absoluit verbis: *In alterum vero tomum conijci poterunt, primo quidem* Tractatus Philosophici, *deinde* Epistola ad Zenam & Serenum, *tum* Expositio fidei, *postea* Quæstionum ad Orthodoxos solutiones. *Nam de adulterinis nihil necesse legitimum statuere ordinem, cum extra Auctoris nostri sint ditionem. Ponantur, vbi libet.* Paullo aliter procedit L. E. du Pin pag. 60. Iustini scripta in tres distinguens classes, quarum prima complectitur libros certissimos: Apologias duas; fragmentum libri de Monarchia, & Dialogum cum Tryphone, qui vltimum locum occupare debeat, nisi forte aliquot perditorum inueniantur; secunda eos, qui possunt

illius esse, quamuis id non habeatur exploratum: duas nempe Orationes ad Græcos, & epistolam ad Diognetum; tertia manifeste suppositos, in duas partes diuidendos, quarum altera libros alicuius vtilitatis contineat, videlicet 146. quæstiones ad Orthodoxos, expositionem fidei, & epistolam ad Zenam & Serenum; altera Philosophicos, nisi hi potius prorsus omittendi iudicentur. Mihi magis probatur Halloixii, quam du Pin sententia, quanquam in illa etiam quædam desiderem, vti examen singulorum librorum, quod denuo suscipiam, ostendet.

Ad num. XIII. XIV. pag. 172. 173. 174.

De binis Orationibus ad Græcos (vt in impressis hodie Codicibus audiunt,) ita iudicat L. E. du Pin pag. 58. *Ces deux discours sont assurement anciens, & quoi que Eusebe ne parle point, & que leur stile semble estre vn peu different de celui de saint Iustin, on peut pourtant les lui attribuer, sans lui faire aucun tort.* At in Exercitatione satis clare me puto ostendisse, tum Orationem paræneticam, quæ primo hodie loco excuditur, commodissime *Elenchum* vocari posse, adeoque Eusebio, Hieronymo, Gobaro, Photioque cognitam fuisse; tum alteram Orationem Iustino haud indignam esse. Quare ab Halloixio etiam dissentio, qui posteriorem pro *Elencho* veteribus memorato habet; cum tamen manifestum sit, ex quatuor Iustini contra Gentiles scriptis ab Eusebio, Hieronymo, Photioque memoratis, tria tantum superesse. Tertii enim libri characteres apud Eusebium nulli hodie exstantium conueniunt: *Καὶ ἄλλος ὁ πρὸς Ἕλληνας, ἐν ᾧ μακρὸν περὶ πλείστων παρ' ἡμῖν τε καὶ τοῖς Ἑλλήνων φιλοσόφοις ζητουμένων κατατείνας λόγον, περὶ τῆς τῶν δαιμόνων διαλαμβάνει φύσεως, ἃ οὐδὲν ἂν ἐπείγοι τανῦν παρατίθεσθαι. Est & alius eius liber aduersus Gentiles, in quo cum de aliis plurimis quæstionibus, quæ tam a nostris quam a Gentilium Philosophis agitari solent, vberrime disputat; tum de Dæmonum natura sententiam suam exponit: quam quidem hic inserere necesse est.* Duas partes totidemque characteres Operis Iustini prodit Eusebius, quorum neutrum Orationes hodiernæ exprimunt. Prior comprehendit vberrimas disputationes de controuersiis inter Christianos gentiliumque Philosophos agitari solitas; posterior tractationem de Dæmonum natura. Vtraque autem Orationum residuarum tam controuersias illas, quam naturam Dæmonum plane reticet, Ethnicisque tantum proponit maxima vitia illorum, quos pro Diis colunt; tum priscorum Philosophorum de primis rerum principiis dissensum; denique præstantiam & antiquitatem nostræ religionis & scriptorum, Mosis præcipue. Coniicio tamen, ex tertio illo Iustini aduersus Gentes opere duo superesse fragmenta, vnde gustum aliquem percipere possimus, quorum alterum ex priori parte seruauerit Leontius, alterum ex posteriori Tatianus. Leontii Byzantini libros contra Eutychianos & Nestorianos ex Latina Turriani versione, initio tomi quarti antiquæ lectionis exhibuit Canisius, quorum secun-

secundo inter alias *contra Aphthartodocetas auctoritates* occurrit etiam *Iustini philosophi & martyris ex oratione contra gentes* testimonium pag. 62. *Cum formasset Deus hominem a principio, fecit, vt qua natura erant, ex voluntate eius penderent; fecitque vno mandato experimentum. Fecit enim, vt si hoc seruasset, vitam immortalem sortiretur; si non seruasset, contrariam. Sic factus homo cum ad violationem mandati statim respiceret, corruptionem naturaliter admisit, corruptione autem ad naturam accedente, necesse erat, vt qui saluare volebat, ipsam substantiam corrumpentem deleret. Hoc autem aliter fieri non poterat, nisi quæ erat secundum naturam vita, copularetur cum eo, quod corruptionem cepisset; & corruptionem deleret; immortale vero imposterum seruaret, quod corruptum fuerat. Idcirco opus fuit, vt verbum in corpore esset, vt a morte naturalis corruptionis nos liberaret. Si ergo, vt dicitis, solo nutu mortem a nobis auertit, & non accessit quidem ad eum propter voluntatem mors, nihilo vero minus rursus corruptibiles sumus, naturalem in nobis ipsis corruptionem circumferentes.* Quæ omnia cum methodum disputandi a Iustino in reliquis seruatam sapiunt, eamque sine dubio multo magis exprimerent, si Græce exstarent; ita postrema perfectam habent speciem controuersiæ inter Christianos Ethnicosque agitatæ de Incarnatione τοῦ λόγου, & de corruptibilitate primi hominis eiusque posterorum. Tatiani verba Græca dedimus in ipsa Exercitatione, Latinam versionem nunc audituri: *Non sanant dæmones, sed dolo capiunt homines, & recte Iustinus ille maxima dignus admiratione, dæmones latronibus esse similes edocuit. Siquidem vt illi viuos aliquos capere solent, deinde pacta mercede familiaribus eos restituere: sic etiam, qui a vobis existimantur Dii, quorundam membris hominum se insinuantes, deinde per somnũ suam in illis gloriam fabricantes, in publicum prodire iubent, & in conspectu omnium, postquam desideratis ex mundo rebus se expleuerunt, ab ægris auolant, & morbum suo dolo productum obliterantes pristinæ valetudini homines reddunt.* Quis hæc legens dubitabit, quin ea Tatianus ex libro Iustini, quo is Dæmonum naturam scrutatus est, hauserit? Periit igitur, vel alicubi adhuc latet tertius ille Iustini liber. Nolo tamen inficiari vtramque Orationem, quæ hodiernas editiones auspicatur, Iustini esse, quanquam adhuc in ea sum opinione, secundam non expresse, sed tacite tantum ab Eusebio innui: Neque improbo Halloixii coniecturam, scriptam illam esse ante Parænesin, ita tamen, vt hanc potius, quam istam ab Eusebio & cæteris *Elenchi* titulo intellectam, quin & ab ipso Iustino signatam existimem: Quamuis enim is ita ordiatur: Ἀρχόμενος τῆς πρὸς ὑμᾶς παραινέσεως, *Cohortationem apud vos instituens;* nihil tamen impedit, quo minus illud σύγγραμμα ἐπέγραψεν ἔλεγχον, vt diserte Eusebius testatur, epigraphe dubia & tam *probationem* quam *accusationem* inferente, quarum vtraque & voce ista significatur & in parænesi clarissime reperitur. Per-

 me

me itaque in noua aliquando editione licebit ordinem Halloixii sequi, & primo loco sistere breuem illam orationem, non tamen Elenchi, sed recepto λόγου πρὸς ἕλληνας titulo insignitam, quam Halloixio facile crediderim a Iustino *velut antecursorem præmissam, dum insignem illam Cohortationem* (Elenchi tamen nomine posthac mactandam) *apparabat.* Memini, Mabillonium in Itinere Italico p. 196. allegare Codicem MStum, qui non inutiliter conferri posset; sed librum ab amico quondam commodatum ad manus nunc non habeo. Ex his omnibus facile colligas, quid statuam de Cauii iudicio in Historia litteraria pag. 37. *In Orationibus istis aduersus Gentes desiderari nonnulla videntur. In earum enim altera de Dæmonum natura disputasse Iustinum prodit Hieronymus: quod tamen in his, quæ extant, nullibi reperitur. Quin & Leontius Byzantinus lib. 2. contra Nestorium & Eutych. ex Iustini Oratione contra Gentes fragmentum profert, quod in istarum, quas habemus, vtrauis frustra quæras: vti & Disputationem contra Platonem, de morte & immortalitate, in iis olim repertam, cuius laciniam adducit Steph. Gobarus apud Photium, Cod. 232.* Enimuero mea ita fert opinio, vtrique orationi hodie superstiti suam constare integritatem, & in altera locum a Gobaro adductum disertis verbis legi: quæ vero Hieronymus & Leontius adducunt, ad tertium Iustini contra Gentiles scriptum pertinere, quod nunc desideramus. Multo magis a Papebrochio dissentio, qui in Commentario præuio n. 15. ἔλεγχον Iustini putat esse librum, *qui nunc post Apologiam, & librum de Monarchia Dei, atque alium aduersus Aristotelica dogmata habetur, cum titulo* Quæstionum & Responsionum ad Græcos. *Continentur autem*, pergit, *quarto illo libro Christianæ ad Græcos quæstiones, responsiones Græcorum, &* τῶν ἀποκρίσεων ἐκ ὀρθῶς γινομένων ἔλεγχοι, confutationes responsionum non recte factarum: *quod primum illius iam Christiani opus fuisse merito existimauit Halloix cap. 26. cum ipsum sic exordiatur: Ne existimaueritis, o viri Græci &c.* Non inspexit Iustinum Papebrochius, dum ista scriberet, quo facto statim deprehendisset, non esse hoc exordium istarum Quæstionum & Responsionum, sed secundæ ad Græcos Orationis, quam etiam Halloixium intellexisse paullo ante vidimus; ne dicam, Quæstiones illas & responsiones vel pro suppositítiis, vel saltem interpolatis ab omnibus haberi, quorum suffragia congessi num. XIX. XX.

Ad num. XV. pag. 174. 175.

Idem Papebrochius num. 13. 14. Scaligero suppetias ferre, nobisque persuadere conatur, secundam Iustini Apologiam *vel suppressam a gentilibus Principibus esse & non permissam vulgari, vel certe hodie nusquam extare*; eam autem, quæ in vulgatis Codicibus prior est, sed ab omnibus eruditis pro posteriori habetur, nihil aliud esse, quam *Præfationem seu Inductionem quandam ad Impera-*

tores,

toris, Senatus, populique animos præparandos, expositione iniustissimæ actionis contra Christianos exercitæ, cuius occasione Orationem Apologeticam scripserat. Sed Pagius in Critica Baroniana ad A. C. 148. num. 3. merito censet, *hanc opinionem non admittendam. Etenim Eusebius in lib. 4. cap. 16. postquam dixit, Iustinum Philosophum pro Christianis Apologiam Marco & Lucio Imperatoribus obtulisse, statim ex eadem insignem locum affert, in quo Iustinus aduersus Crescentem Philosophum inuehitur, vt videre est in eadem Apologia pag. 4[?]. editionis Parisiensis Græco-Latinæ. Ad hanc rationem respondet Papebrocius, locum Eusebii non recte a Valesio verti. In Græco enim legitur, ἐν τῇ δεδηλωμένῃ, id est, vt vertit Valesius,* in supradicta Apologia; *adeo, vt intelligatur liber secundus Iustini, de quo immediate ante loquutus erat Eusebius, & ex quo præfatum locum contra Crescentem attulerat. At, inquit Papebrocius, si penitius vox ipsa introspiciatur, inuenietur non aliud significare, quam* publicata *seu* manifestata, *vt sic secernatur ab ea, quæ ab Imperatoribus suppressa in publicum non prodiit. Verum Eusebius ex ipsomet Eusebio explicandus. Is autem proxime ante dixerat: κατὰ τούτοις δὲ καὶ ὁ μικρῷ πρόσθεν ἡμῖν δηλωθεὶς Ἰουστῖνος, δεύτερον ὑπὲρ τῶν καθ' ἡμᾶς δογμάτων βιβλίον ἀναδοὺς τοῖς δεδηλωμένοις ἄρχουσι, id est:* Iisdem temporibus & Iustinus, cuius supra mentionem fecimus, cum alterum librum pro fidei nostræ defensione Imperatoribus superius memoratis obtulisset. *Ita ex versione Valesii. Vbi vides, voces, δεδηλωμένῃ & δεδηλωμένους, vtrobique eodem sensu in eodem capite ab Eusebio vsurpari. Christophorsonus posteriorem Eusebii locum sic vertit:* In Apologia sua, quam dudum commemorauimus: *priorem vero,* temporibus iisdem, de quo paullo ante mentio facta est. *Et tamen Papebrocius ait, Eusebium intelligere locum acceptum, non ex secunda, sed ex prima Apologia, de qua iam Eusebius cap. 8. egerat: quod longe ab huius Historici mente, qui & capp. 11. ac 12. de eadem prima Apologia postea loquutus est. Auctor Chronici Alexandrini infra citandus locum affert ex secunda, vt eam vocat, Apologia, qui etiamnum in ea legitur.* Quanquam autem hinc sufficienter Papebrochius redarguitur, iuuat tamen eundem Eusebium consulere cap. XIIX. vbi de eadem secunda Iustini Apologia verba faciens, ait, eam oblatam πρὸς τὸν τοῦ δεδηλωμένου αὐτοκράτορος διάδοχον, *Imperatoris supradicti* (Antonini Pii, cui prior Apologia nuncupata est) *successori.* Papebrochius quidem obiicit verba Iustini, quibus petit, *vt senatus consulto scripto libellus hic præmittatur, vnde ab aliis etiam res nostræ cognosci, atque illi ipsi suspicione falsa liberari queant, qui præter suam ipsorum culpam suppliciis obnoxii fiunt.* Addit Papebrochius: *Quod cum præstare nequeat scriptum istud præuium, clarum est, quod ipsum non sit libellus, quem toto Imperio publicandum sanctus Martyr commendat.* Vult ergo per istum libel-

lum Apologiam, quæ hodie ſecunda, reuera tamen prima eſt, ſignificari. At quicunque ſcriptum iſtud præuium, quod Pabebrochius vocat, perlegere voluit, ſtatim de gentilium falſa ſuſpicione, Chriſtianorumque innocentia certior redditus fuit: tam clare grauiterque vtrumque argumentum ibi tractatur. Adde quod clauſula illius: *καὶ παυσόμεθα λοιπὸν ὅσον ἐφ᾽ ἡμῖν ἦν πράξαντες, καὶ προσεπευξάμενοι τῆς ἀληθείας καταξιωθῆναι τοὺς πάντη πάντας ἀνθρώπους. Ac deſinemus iam verba facere, connisi quantum in nobis fuit, vobisque omnibus precati, vt omnes vbique homines, qui ad veritatis perueniant cognitionem, reperiantur digni:* potius finem totius Operis ſapiant, quam præfationis, quippe qua finita non quies vel pauſa, ſed labor demum ſcriptoris, lectorisque attentio requiritur. Ne dicam, abſurdum videri, Iuſtinum poſtulare voluiſſe, vt ſenatusconſulto præponeretur ſcriptum longius, quale eſt Apologia ad Pium, in impreſſis 46. columnis conſtans, & pro veterum prolixo ſcribendi more nonaginta paginas facile explens, neque commode βιβλίδιον nuncupanda; de ſecunda vero Apologia, vix 12. columnarum, id longe probabilius petiit Iuſtinus. Sint ergo maneantque diſtinctæ Iuſtini Apologiæ, nec poſterior pro Introductione prioris reputetur.

Ad num. XVI. pag. 175. 176.

Papebrochius num. 16. ſeqq. tempus, quo oblatæ ſunt duæ iſtæ Apologiæ, ita diſpeſcit, vt priorem ſcriptam velit circa A. C. 150. accedente du Pin p. 57. 60. poſteriorem circa A. 171. ſed vtramque epocham refellit Pagius: illam quidem ad A. C. 148. n. 3. 4. 5. pluribus confirmans argumentum, quod in Diſſertatione Hypatica ex titulo Apologiæ Iuſtini formauerat; vbi tamen haud ſatis ſibi conſtare videtur. Adfert primo titulum ex editionibus Iuſtini: *αὐτοκράτορι Τίτῳ Αἰλίῳ Ἀδριανῷ Ἀντωνίνῳ εὐσεβεῖ σεβαστῷ Καίσαρι, καὶ Οὐηρισσίμῳ υἱῷ Φιλοσόφῳ, καὶ Λουκίῳ Φιλοσόφῳ, Καίσαρος φύσει υἱῷ, καὶ εὐσεβοῦς εἰσποιητῷ* &c. Deinde obſeruat, apud Euſebium ita legi, *καὶ Λουκίῳ Φιλοσόφου Καίσαρος φύσει υἱῷ*, eamque lectionem Valeſium præferre. *Sed præterquam*, inquit Pagius, *quod in quatuor Codicibus MStis a Valeſio citatis, & in vulgatis Iuſtini editionibus habetur, φιλοσόφῳ, id eſt,* Philoſopho, *tam Marcus Aurelius, quam Lucius, poſtquam imperauit, vocantur* Philoſophi *in titulo Legationis Athenagoræ pro Chriſtianis. Ex quo certum redditur, Philoſophi nomen, quod in vtraque Iuſtini Apologia legitur, ad Lucium Ælium patrem, non vero ad Lucium filium iuxta Iuſtini mentem referendum eſſe:* (dicere voluit, ſaltem debuit: *non ad Lucium Ælium patrem, ſed ad Lucium filium*; ſiquidem Lucius Ælius an. 138. KL. Ianuarii deceſſit, ipſo Pagio calculos ponente; qui etiam mox addit:) *neque enim dubitandum, quin Iuſtinus Lucio Vero poſtea Imperatori Philoſophi nomen attribuerit; cum Athenagoras eundem, dum imperaret, eodem nomine cohoneſtarit.*

nestarit. Bene autem aduersus Valesium monet Pagius, *Philosophi* nomen eo in loco non *ad studia litterarum spectare*, quia Iustinus ipse Philosophiam ab eruditione distinguit initio Apologiæ: *Ac vos quidem Pii, & Philosophi, & Iustitiæ custodes, & Eruditionis amatores, quod sic vocemini, vbique auditis; an vero etiam sitis, res ipsa demonstrabit.* Sed potius *eos, qui vitam viuunt austeram, denotare*, cui Marcum & Lucium a pueritia adsueuisse probat. Hinc Eusebium, Hermannum Contractum & Marianum Scotum, *in anno quidem Antonini Pii errare* dicit, *huius tamen Imperatoris initio eam Apologiam editam demonstrare, & quidem, vti existimat, A. C. CXXXIX, antequam Marcus Cæsar a patre nuncuparetur. Incredibile enim videtur, Iustinum, qui tam Marco, quam Lucio titulos Cæsareæ dignitati & Imperio Proconsulari longe inferiores attribuit, Marcum Cæsarem, imo & Imperatorem, si Apologia hoc anno* (148.) *præsentata fuisset, non appellasse. Collegæ enim Imperii Imperatoris nomine cohonestati, vt sæpe insinuaui.* Post hæc Papebrochii rationes examinans euincit, frustra illum coniicere, loca Eusebii de Iustini Apologia & morte per Crescentium procurata, circa Hieronymi tempora, vel certe ipsiusmet Hieronymi exemplo, Chronicon Eusebii Latinum facientis, inter se esse commutata. *Verum hæc coniectura non probatur: sequeretur enim, Eusebium martyrium Iustini initio imperii Antonini enarrasse: anno vero eius XIII. scripsisse, Iustinum Apologiam huic Imperatori reddidisse, a quo præpostero rerum narrandarum ordine longe abest Eusebius in Chronico.* Ad vulgarem obiectionem, quod in Apologia Christus ante annos 150. natus dicatur, ita respondet Pagius: *Sed præterquam quod Christiani per hæc tempora nullam peculiarem Eram habebant, Era Christiana, quam aliquando in libris vsurpabant, ab anno Iuliano XLIII. exordiebatur, ideoque centesimus quinquagesimus ille annus cum anno Eræ Dionysianæ CXLVII. concurreret. Verum Gentiles rerum nostrarum ignari numero rotundo loquuti sunt, nihilque aliud significarunt, quam Christianos asserere, Christum ante annos centum circiter quinquaginta natum.* Postrema responsionis pars ex Papebrochio sumta est, qui tamen eam suæ hypothesi vindicare conatur: *Atqui si eum numerum præcisissime sumas, detrahens ab annis centum quinquaginta annos istos quinque, quos inter Christi natiuitatem & Æræ vulgaris principium interponendum docuimus, habebis annum dictæ Æræ CXLV. non constat autem, in ista Gentilium obiectione annos tam præcise sumi, vt non possit intelligi numerus rotundus more communi vsurpatus; ad quem adhuc anni aliquot debuerint addi. Ergo hoc solum dicere possumus, prædictam apologiam fuisse oblatam circa annum Æra communis centesimum & quinquagesimum.* Verum hæc minime consistere possunt, quum æra vulgaris veram non anticipet, sed ea posterior sit quinque annis, adeoque si Apologia A. Æ. Vulg. CL. oblata esset, annus æræ

veræ

veræ CLV. foret substituendus: ex aduerso, cum eam anno Æræ Vulgatæ CXXXIX. oblatam dicimus, tum annum æræ veræ CXLIV. reperimus, quo pacto facillimum gentilibus erat, numerum rotundum CL. adhibere, quia sex tantum anni supererant. Alterum Baronii argumentum ab ætate Marcionis, Iustino memorati, sed ante A. C. 144. hæresin suam non inchoantis, petitum inuertit Pagius, docetque *inde deducendum, Marcionem extremis Hadriani temporibus errores suos sparsisse, vt suo loco ostenderit*, ad A. C. 144. n. 3. *non vero Iustinum post A. CXLIV. Defensionem suam Antonino Pio obtulisse.* Certe Marcionem sub Hadriano hæresin docere cœpisse, eiusque Natalem in annum Æræ vulg. CXXVII. Hadriani X. incidisse, pluribus argumentis euicit Henricus Dodvvellus in Additionibus ad Cap. VII. Dissertationis II. Pearsonii de annis primorum Romæ Episcoporum num. 2. sqq. neque Iustinum nostrum omisit, sed tempus Apologiæ, quod cum Pagio statuimus, egregie firmauit num. 3. *Scripsit præterea posteriorem, quæ vere prior est, sub initium Antonini, Apologiam S. Iustinus, certe priusquam Marcus Cæsar factus esset, idque ex Adoptione consequutus, vt in gente Aurelia censeretur, quæ vtraque anno Ær. vulg. CXXXIX. Pii secundo consequutus est. Et plane Pii titulum recentem, Adoptionemque Marci & Lucii nuper factam supponit Iustinus, nullo adhuc edito boni maliue Regiminis specimine, vt proinde in prima noui Principis gratulatione Apologiam istam a Iustino oblatam fuisse verisimile sit. Et tamen ita Marcionem memorat, quasi plures iam discipulos seduxisset, πᾶν γένος ἀνθρώπων, omne genus hominum, p. 70. πολλὰς πεισθέντας p. 92. Ergo longe hæresin suam lateque iam disseminauerat, quod certe non paucorum opus annorum fuisse verisimile est.* Sed satis de prima Apologia. Secundam Papebrochius circa annum CLXXI. oblatam dicit, cui recte ad A. C. 162. num. 11. opponit Pagius, *Iustinum eo anno iam corona martyrii ornatum fuisse; Eusebiumque tradere, eam Marco & Vero oblatam esse, Lucium autem Verum ipso fine anni CLXIX. demortuum.* Quæ vero addit contra Valesium, secundam illam Apologiam Antonino Pio nuncupatam contendenti, supra iam a nobis excerpta sunt; nunc tantum obseruamus, du Pin easdem responsiones ad Valesii argumenta proposuisse pag. 61. quanquam difficile est iudicare, vter alterum exscripserit, vel an vterque ex seipso has responsiones hauserit.

Ad num. XVII. pag. 177. 178.

Liber de Monarchia Dei, forsan in principio mutilus, vel potius secunda pars operis integri. Genuinum esse Iustini opus arguit stylus, & quicquid alii dicant, res ipsa clamat, iudice Cauio in Historia litteraria p. 37. Ad eundem modum E. du Pin p. 57. 58. priorem partem istius operis deperditam pronuntiat, posteriorem adhuc superesse, eamque in rem eadem Iustini verba allegat, quæ in

in Exercitatione attuli, ac si ponderasset Halloixius, pag. 226. minime scripsisset: *Tertio loco quid ponatur, non ita certum. Mihi quidem probatur liber*, De Dei monarchia, *licet imperfectus sit ac mutilus; nisi si Eusebius opinione falsus sit, & breuiter eum obiterque peruolans, lectis in eo Profanorum de Deo vno testimoniis, arbitratus sit, etiam e sacris in esse testimonia, & scripserit, Iustinum non modo e Gentilitiis, Dei monarchiam comprobasse. Certe cum hic liber in Graecorum emolumentum & concessionem scriptus sit, (eo enim nihil nostri opus habuerunt, neque Iudaei) non video, quid necesse fuerit contra illos, alia, quam ipsorum proferre testimonia. Hic itaque loco tertio imprimendus est, cum & eiusdem sit cum prioribus argumentis (nempe ad probandum contra Gentiles, vnicum esse Deum) & verisimile sit, eodem fere cum illis tempore conscriptum esse.* Equidem non prohibeo, quo minus in noua aliquando editione residua pars operis de Monarchia Dei, si id reperiri integrum nequeat, tertio loco excudatur; nunquam tamen Halloixianas argutias approbo, quum sciam ex ipsius Iustini ore, cum in duas partes hunc librum diuisisse, quarum priori diuinarum scripturarum testimonia non alium forte in finem posuerit, quam vt auctoritatem earum aduersus ethnicos seruaret, doctorumque gentilium plagia palam faceret, quod in aliis etiam scriptis ipsi solenne est.

Ad num. XIIX. XIX. XX. pag. 179. sqq.

Aristotelicorum quorundam Dogmatum Euersio. Perionius in Notis multa profert, quae de hoc libello scrupulum moueant: Nihilominus tanti non sunt, vt propterea hunc libellum Iustino adiudicemus, praesertim cum Photius Martyri nostro disertim adscribat, inquit Caius Histor. litter. pag. 37. Photii verba sunt: Καὶ ἔτι ἑτέρα αὐτοῦ πραγματεία (ἀνεγνώσθη) κατὰ τοῦ πρώτου καὶ δευτέρου τῆς Φυσικῆς ἀκροάσεως, ἤτοι κατὰ εἴδους καὶ ὕλης καὶ στερήσεως ἐπιχειρηματικοὶ καὶ βίαιοι καὶ χρειώδεις λόγοι· καὶ κατὰ τοῦ πέμπτου σώματος ὁμοίως, καὶ κατὰ τῆς ἀϊδίου κινήσεως, ἣ Ἀριστοτέλης δεινότητι λογισμῶν ἐναπέτεκεν. Halloixius pag. 209. ita vertit: *Et praeterea alter eius tractatus* (lectus est) *contra primum & secundum librum Physicae auscultationis, siue Contra Materiam, Formam & Priuationem epichirematica & violenta & perutiles rationes: itidemque contra quintum illud corpus, motumque sempiternum, quem Aristoteles vi ratiocinationum peperit.* Idem non solum pag. 202. *duos* hosce *tractatus qui nunc editi sunt sub nomine euersionis dogmatum Aristotelis*, inter *libros, quos merito tanquam certos ac minime dubios capere liceat*, recenset; sed etiam p. 275. 276. Iustini *in philosophicis acumen atque iudicium illum testari tractatum* adserit: nihilominus cap. XXVI. nouam formans methodum librum Iustini superstitum, omnes *tractatus Philosophicos* inter adulterinos reiicit. Ac sane du Pin pag. 58.

idem facere non dubitat. Ait enim, primum (de quo nunc agimus) esse *opus pure philosophicum, quo auctor afferat multa loca ex libris Physicis Aristotelis, quæ refutet satis ieiune, styloque valde differente, non solum ab illo sancti Iustini, sed & sæculi secundi. Ad finem illius tractatus reperiri aliud eiusmodi scriptum, & aperte ab eodem auctore compositum, quinque continens quæstiones, quas is appellet Christianas, licet plus sapiant subtilitatem alicuius Philosophi, quam simplicitatem alicuius Christiani.* Tum illarum recenset argumentum, ac denique claudit: *Omnia ista opera sunt eiusdem styli, facta ab eodem auctore, post natam Hæresin Manichæorum, de qua is sæpius loquitur, quæ tamen centum demum annos post mortem Iustini exorta est: quare necessario dicendum, opus illud non esse Iustini.* Si hoc iudicio stare volumus, non video, quomodo Cauius se saluare possit, qui pag. 38. quæstiones illas & responsiones tam Christianorum ad Græcos, quam Græcorum ad Christianos inter Opera supposititia non dubitat reponere. Hinc etiam Georgius Bullus, Presbyter Anglicanus, in Defensione fidei Nicænæ Sect. III. Cap. II. n. 3. obiectiones Sandii ex Iustini scriptis expendens eandem, quam du Pin, sententiam promit: *Nam dictum illud posterius*, genitum & conditum reipsa non differre, *descripsit* (Sandius) *ex Quæstionibus & Responsionibus ad Græcos; quod opus omnium eruditorum consensu, ipso Sandio monente, Iustino abiudicatur. Verba priora:* fuisse aliquando, cum non fuerit id, quod genitum est, *reperiuntur tantum in Euersione dogmatum Aristotelis cap. 20. qui liber etiam a doctis plerisque vt spurius reiicitur.* Nihilominus notari merentur Iustini verba in secunda Apologia pag. 47. quibus docet, se cum Crescente Cynico per modum quæstionis & responsionis (quem ea ætate receptissimum fuisse constat) disputasse; imo exinde scriptis aliquid mandatum fuisse videtur, si recte capio Iustini verba sequentia: *εἰ δὲ καὶ ἐγνώσθησαν ὑμῖν αἱ ἐρωτήσεις μου, καὶ αἱ ἐκείνου ἀποκρίσεις, φανερὸν ὑμῖν ἐστιν, ὅτι οὐδὲν (τῶν ἡμετέρων) ἐπίσταται, ἤ, εἰ καὶ ἐπίσταται, διὰ τοὺς ἀκούοντας δὲ οὐ τολμᾷ λέγειν ὁμοίως Σωκράτει. Sin cognitæ vobis sunt interrogationes meæ, atque illius responsiones: satis apud vos testatum perspicuumque fuerit, nihil eum scire: aut certe si scit, propter auditores eloqui non audere, quo minus exemplum Socratis imitetur.* Quomodo autem eas cognoscere potuisset Senatus Romanus, nisi scripto comprehensæ fuissent vel ab ipso Iustino, vel saltem ab auditoribus? si ab auditoribus; fortasse in eam aliquis deuenerit opinionem, non satis accurate illos nonnunquam excepisse, & posthæc tam ipsos, quam eorum posteros, vt fieri in talibus solet, nonnulla similis argumenti adiecisse; vnde tandem natæ sint Quæstiones illæ & Responsiones, prout Iustini Operibus nunc insertæ leguntur. Sed de his alii accuratius videant: nam si hæc sententia obtinuerit, plane incerti hærebimus, quid Iustino ex illo scripto tribuendum sit, quid minus.

Ad num. XXI. pag. 182. 183.

Tryphon iste idem forsan fuit, quem Iudai Rabbi Tarphonem, & vulgo הנחק העשיר Sacerdotem diuitem *vocant; Rabbi Achiba collega & commilito; qui ob rebellionem a Barchobabe* (Barcocheba) *excitatam, patria relicta in Graciam se contulerat.* Ita optime Cauius in Hist. litter. pag. 37. cui subscribimus, præeunte celeberrimo Lipsiensium Theologo, Ioan. Benedicto Carpzouio, Introductionis in Theologiam Iudaicam Cap. xi. num. 2. Cum hoc Tryphone, *τῶν τότε ἑβραίων ἐπισημοτάτῳ*, *Ebræorum illius temporis nobilissimo*, disputauit Iustinus ἐπὶ τῆς Ἐφεσίων πόλεως, *in vrbe Epheso*, teste Eusebio, quo edictum Antonini Pii pro Christianis Apologia sua impetratum detulit, si Halloixio credimus, & eam disputationem haud multo post litteris commendauit. Henricus Norisius Differt. iv. de Epochis Syro Macedonum Cap. 1. pag. 297. putat, *librum illum Iustini scriptum fuisse vltimis annis imperii Hadriani, vel sub initium principatus Antonini.* Sed velim, vt omnis de Hadriano mentio a Scaligero primum iniecta posthæc abiiciatur, quum Halloixius pag. 240. 241. Pagiusque ad A. C. 148. num. 6. ex Iustini verbis pag. 349. ostenderint, eum Apologiæ Imperatori a se oblatæ inuidiæque apud populares suos Samaritanos inde sibi conflatæ meminisse. Hanc autem initio Antonini an. 139. scriptam paullo ante euincimus. Quare non dubito adserere, eodem anno Iustinum Ephesum petiisse, ibique cum Tryphone disceptationem instituisse, quam vel eodem vel proximo anno descripsit, ac Pompeio cuidam dedicauit, ad quem sub finem Dialogi sermonem conuertit: Ταῦτα εἰπών, ὦ φίλτατε Μάρκε Πομπήιε, ἐπαυσάμην. *Hac vbi dixissem, o charissime Marce Pompei, conticui.* Hunc quæsiuit sed non inuenit Halloixius p. 348. 349. *Quis autem fuerit iste Pompeius, nondum reperi. Crediderit quispiam, nobilem aliquem fuisse Romanum e magni Pompeii stirpe, qui Roma, vbi suas disputationes habebat Iustinus, in eius se familiaritatem, vel philosophia, vel fidei studio insinuauerit: verum tota Pompeii stirps (vt auctor est M. Antoninus Philosophus l. 8. de vita sua) iam defecerat, & eius generis vltimus monumentis inscriptus erat. Aliquot Pompeios agnoscit martyrologium, sed illos alio, quam nunc, tempore coronatos. Itaque quisnam is fuerit, certo statui nihil potest.*

Ad num. XXII. pag. 183. sqq.

Halloixius pag. 221. Fidei expositionem inter Iustini Martyris libros dubios reponit, idque duplici rationum genere probat, quorum alterum e re petitum est, quod de mysterio SS. Trinitatis tam expresse & distincte loquatur, quam si post Concilium Nicænum fuisset, imo & post CPtanum; & vocabulum προσώ-

πον, quod in Concilio Nicæno tantas ciebat turbas, absq; vlla religione vsurpet; processionem vero Sp. S. tam clare exponat, vt non posit clarius: alterum e stylo, qui abludere a stylo Iustini videatur, & sub finem præsertim, nimis iuueniliter exultare in istis verbis: Ἴδε πῶς ἀθλήσας τὸν δρόμον ὁ λόγος νικητὴς ἀπεφάνθη· στεφανηφορείτω λοιπὸν, καὶ πομπευέτω, καὶ τοῖς τῆς νίκης στεφάνοις ὡραϊζέσθω, καὶ θριαμβευέτω τῶν ἀντιπάλων τὴν ἧτταν. *Vide, quomodo oratio cursu exantlato victrix extiterit. Coronetur de cætero & pompam agat, & victoriæ insignibus decoretur, & de superatis aduersariis triumphum agat.* Mox Leontii auctoritatem sibi obiicit, ad eamque respondet, *Leontium existimasse, libros istos de Trinitate esse Iustini, cum essent alterius: ac propterea sub nomine illius citasse. Alioqui valde foret admirabile, tam pulchrum & accuratam expositionem fidei, &, quod maximum est, tam clarum, potuisse e manibus hominum in tam diuturnas tenebras, trium scilicet sæculorum, excidere & delitescere.* Sed non opus est, vt ad eiusmodi argutias dilabamur, cum νοθεία istius libri hodie manifesta sit, nuperrimeque non a Cauio tantum, sed etiam abs du Pin sponte agnita: ita Doduvellus Iustinum Siculum tam huius expositionis, quam Quæstionum & Responsionum ad Orthod. auctorem putat.

Ad num. XXIII. p. 187. 188. 189.

De Quæstionibus & Responsionibus ad orthodoxos plane dubius ancepsque hæret Halloixius pag. 214. 215. Postquam enim græcam inscriptionem, τοῦ αὐτοῦ Ἰουστίνου ἀποκρίσεις πρὸς τοὺς ὀρθοδόξους περὶ τινῶν ἀναγκαίων ζητημάτων, ita latinam reddidisset, *Eiusdem Iustini, super necessariis quibusdam quæstionibus, ad Orthodoxos responsionsiones*: in vtramque disputat partem, nec nouit, quo se vertat. *Iustino enim*, inquit, *vt Philosopho, non Christianæ modo, sed alienæ quoq; proponebantur quæstiones, quibus ille studio & spe maioris boni perhumaniter respondebat. Neque sane existimandum est, ipsum Iustinum quæstiones illas & monisse sibi, & resoluisse: verum quod Romæ cœtus ac sermones haberet, (sic Cicero explicat, quod Græci dicunt, ἔχειν διατριβὰς) eique complures cuiusque modi quæstiones proponerentur, receptæ cum ipsis quæstionibus Iustini responsiones in librum redactæ sunt: quibus deinde, vt cuique visum, exscriptis (deerat enim subsidium typographicum) ad confirmandas Iustini responsiones addiderunt nonnulli, vt fit, aliorum, quos super eadem re legerant, auctoritates: ac fortasse etiam nonnullas eodem spectantes quæstiones interposuerunt: vnde factum, vt ista inconsideratorum addidamenta non parum Iustino detraxerint. Nam sunt in his quæstionibus, quas merito tam ratione argumenti, quam tenore styli, Iustino addixeris, & præsertim primæ: sunt & aliæ, quas ei nullo modo conuenire quilibet consenserit: in quibus* numerat Quæst. 82. & 86. vbi Origenis, quæstionem

127. vbi Manichæorum, & q. 110. vbi Anachoretarum scriptæque de iis historiæ mentio fit. *Quare si hic liber est Iustini, certe non totus, nec intaminatus. Ac proinde merito inter dubios relinquitur, cum multæ quæstiones non sint eius, & plures tamen illius esse videantur: quippe quæ aliis eius scriptis respondeant, adeoque contra illa mota censeantur. Plura in vtramque partem alia succurrunt argumenta, quæ omitto in præsenti, cum ad rem, quam agimus, modo allata sufficiant.* Eandem titubationem reperimus in notis Halloixii pag. 306. Sed maiori confidentia vtuntur hodierni eruditi. Ex Pontificiis L. E. du Pin pag. 58. iudicat quidem, opus illud vtile dignumque esse Theologo, sed Iustini esse non posse, etiamsi Photius id ei attribuat. Citari enim ibi Originem, Irenæum, Manichæos. Auctorem terminos hypostaseos, personæ & ὁμουσίας tali sensu vsurpare, qualem Ecclesia quinti sextique sæculi illis dedit. Ex qu. 126. liquere, hoc opus eo scriptum tempore, quo Christiani non amplius paganis fuerunt subiecti. Quæstione 59. de Pythonissa Endorea, & qu. 112. de Angelo, qui Mosi & Iacobo apparuit, contraria tradi illis, quæ verus Iustinus in Dialogo cum Tryphone adserit. Quosdam illas quæstiones Theodoreto tribuere, nixos conuenientia tam styli, quam terminorum quorundam a Theodoreto quoque frequenter adhibitorum. Quod in medio relinquens du Pin concludit, auctorem illius scripti circa quintum sextumue sæculum vixisse. Alium itaque nominat Dodvvellus Dissert. III. in Irenæum num. 22. *Temporis incerti scriptor est auctor Quæstionum ad Orthodoxos, Vir alioqui grauis, & pro suo, quo vixit, tempore, minime spernendus.* Martyrem Irenæum *disertis verbis appellat. Sed certum est, Scriptorem illum, quicunque tandem is fuerit, recepti in Imperio Christianismi temporibus esse iuniorem. Quanto fuerit Iunior, illud sane non constat. Vt proinde in caussis Historicis etiam quarti quintiue sæculi, non sit, nisi interposito genuinorum Auctorum vadimonio, tuto audiendus. Fieri quidem potest, vt sit Iustinus Siculus, qui scripsit sub Felice tertio Pontifice sub finem Sæculi quinti. Illi certe Iustino tribuerim Confessionem illam de consubstantiali Trinitate, quam hodie inter Iustini Martyris Opera legimus, Eutychianis tamen, aliisque illius, quo scripsit Siculus, temporis, de Christi humanitate, erroribus oppositam. Quare fieri satis magna verisimilitudine potuit, vt & aliud eiusdem Opus, propter ipsam nominis similitudinem, in cognominis Martyris peculium irrepserit. Scripsit certe, vt videtur, antea, quam in quinto Generali Concilio proscriberetur nomen Origenis, quam ille, sine nota, testem adduxit, quod raro faciunt recentiores.* Hoc Dodvvelli iudicium respicit Cauius in Historia litteraria pag. 38. Sed diserte probare non audet, nec repetit pag. 370. quando Iustini illius, vrbis cuiusdam in Sicilia Episcopi, an. 484. clari, meminit, eiusque epistolam ad Petrum Fullonem aduersus Valesii obiectiones defendit; neque mihi vnus expositionis & Responsionum auctor videtur, quum illa Nesto-

rianiſmo infecta ſit, quo hæ minime laborant. Cæterum de his Cauius ita iudicat: *Aut hic liber omnino Iuſtini noſtri fœtus non eſt, quod mihi veriſimillimum videtur, aut mire interpolatus. Multa enim in eo ſunt, quæ ſecula aliquot Iuſtino ſequiora, quaque æuum Arianum, & κρατοῦντος Chriſtianiſmi tempora, plane ſapiunt: vt de Origene & Manichæis inibi citatis nihil dicam* Caſimirus Oudinus in Supplemento pag. 36. cum Labbeo & Allatio has Iuſtini Martyris quæſtiones cum iis, quæ Athanaſio & Anaſtaſio Sinaitæ tribuuntur, in eundem refert cenſum, & *ab aliquo poſterioris æui Scriptore multarum additionum fermento locupletatas* arbitratur. Hæc ſunt verba Oudini, quæ in Exercitatione promiſi, quum de Quæſtionibus Athanaſii agendum foret, nempe in Delitiis litterariis, de quibus plura in præfatione huius operis dixi. Nunc autem ſtatuo, etiamſi quædam ex his Reſponſionibus Iuſtino Martyre haud indignæ videantur, non tamen illi protinus eſſe tribuendas, quia tot alia minime ipſi congruentia continent; & non tantum in hiſtoricis, verum etiam in dogmaticis, quarti quoq; & quinti ſæculi, *non eſſe, niſi interpoſito genuinorum Auctorum vadimonio, tuto audiendas*, vt eleganter Dodvvellus loquitur: cumprimis, ſi poſt Photium demum interpolatoris manus ſenſerint, ab ipſo autem adhuc incontaminatæ lectæ fuerint; quod poſt alios eruditos in Exercitatione allegatos Cauius etiam, licet admodum hæſitans, ſuſpicatur: *Interim vide, annon ſit idem liber, ſed miſere interpolatus, de quo Photius hoc titulo, ἀποκρεσῶν κατὰ τῆς εὐσεβείας κεφαλαιώδεις ἐπιλύσεις, Dubitationum aduerſus Religionem ſummariæ ſolutiones. Iſtud enim Iuſtini opus fuiſſe genuinum, accuratum Photii iudicium, acumen atque doctrina dubitare nos non ſinunt.*

Ad num. XXIV. pag. 189. ſqq.

Epiſtola ad Diognetum, Euſebio quidem non memorata; ſed nec Euſebius vidit omnia: nec obſtat ſtylus paullo comtior & elegantior, quo minus Iuſtini ſit. Nulli enim dubium eſſe poteſt, Iuſtinum pro re nata terſiori & floridiori ſtylo vti potuiſſe. Hunc Diognetum eundem fuiſſe cum eo, quem inter præceptores M. Aurelii numerat, veri non abſimile eſt. Hæc Cauius in Hiſt. litter. pag. 37. Du Pin, etiamſi pag. 58. videatur dubitare, quando illam epiſtolam tantum ſcriptam cenſet ab auctore antiquo, eo tamen tempore viuente, quo Chriſtiani adhuc perſequutiones patiebantur; in notis tamen pag. 61. propius ad nos accedit: *Cette Lettre eſt d'un ſtyle fort conforme à celui de S Iuſtin. Il eſt parlé dans les ouvrages de l'Empereur Marc Aurele, & dans Iulius Capitolinus d'un nommé Diognet habile Peintre.* At non ſolum pictor fuit Diognetus, ſed doctrina etiam excelluit, teſte ipſo Marco Aurelio Imper. Lib. 1. vitæ ſuæ, indeque repetente Halloixio p. 217.

Nos

Nos latina tantum versione contenti erimus: *A Diogneto* (didici) *studium in res inanes non conferre: de incantationibus & dæmonum expulsionibus, aliisq; eiusmodi, fidē non habere iis, quæ impostores & præstigiatores dicunt: coturnices non alere; neq; talia demirari: libere dicta æquo animo ferre: philosophiæ me addicere, & audire, primo quidem Bacchium, deinde Tandasidem & Marcianum: & in pueritia dialogos scribere: humiles lectos ac pelles, aliaque ad græcam disciplinam pertinentia appetere.* Addit Halloixius, *non esse improbabile, istum Bacchium de quo hic mentio, consanguineum fuisse Prisco Bacchio, patri Iustini. Certe Iustinus & Imperator propemodum ætate pares fuere.* At ex veriori Valesii sententia, quæ etiam Cauio in Hist. litter. arridet, & a me num. IV. proponitur, parens Iustinus fuit Priscus, auus Bacchius. Marcus vero Aurelius *natus erat VI. Kalend. Maii anni Christi CXXI.* ostendente Pagio ad A.C. 180. num. 2. sed Iustinus pro rationibus nostris supra expositis iam erat tricennario maior. Nihilominus Bacchius Aurelii Præceptor ex familia Bacchii, aui Iustini, oriundus esse potuit. *Hic ergo Diognetus*, subiicit Halloix, *vtpote grauis ac moderatus, cognoscendæ religionis Christianorum, qualis ea esset, quidue spei haberet in mundo & morte contemnendis, cupidus fuit; idque vel verbo præsens, vel scripto absens, vt e Iustini exordio fit probabile, edoceri expetiit: quod Iustinus exacte & diligenter hac epistola præstitit.* Quæ omnia non attenderunt nouissimi librorum M. Aurelii Interpretes, *Mr. & Mad. Dacier*, h. e. Andreas Dacerius, eiusque doctissima Coniux, Anna, Tanaquilli Fabri filia; qui eos in linguam Gallicam verterunt, notis eruditis illustrarunt, & sub titulo *Reflexions Morales de l'Emp. Marc. Antonin.* ediderunt: sed vbi ad Diognetum pag. 6. 7. ventum est, illius conditionem plane silent, quam tamen in aliis Marci præceptoribus minime prætereunt, de quibus aliquid cognitum habuerunt. Sed placet Halloixium amplius audire, eiusque rationes pro hac epistola adstruenda proferre, quum nemo illam accuratius expenderit: *Epistola ad Diognetum, cuius parentis sit, suis ipsa lineamentis prodit. Nam de Iudæis quidem ea quæ profert, valde iis similia sunt, quæ in Tryphone. Item de Christianorum per supplicia & mortes multiplicatione, prope gemina vtrobique adducuntur. De dissensione rursus Philosophorum super Dei natura hic & in Paranesi valde conformis expositio, nisi quod hic succinctior quam ibi reperitur. De Diis autem gentium & eorum oblationibus eadem tractantur in Apologia & Antoninum Pium, quæ hic breuius, vt in epistola, perstringuntur. Denique & Diognetum illum (quem Iustinus in capite epistolæ κράτιστον, i. e. præstantissimum, aut potentissimū aut etiam optimum appellat.) hoc ipso Iustini tempore, apud Marcum Aurelium Antoninum Imp. qui tum regnabat, magna fuisse auctoritate, colligimus ex ipsius M. Aurelii vita &c.* Nec præterierim Georgium Bullum, qui Sect. II. Defensionis fidei Nicænæ Cap. IV. ex hac epistola decerpit *locum omni obseruatione dignissimum,*

ſimum, quippe qui profundum redemtionis humanæ myſterium egregie deſcribat, nec non locis illis omnibus medelam porrigat, in quibus Scriptor ſanctiſſimus de Filio Dei loqui minus honorifice videatur: hoc præmiſſo elogio, quod *ea epiſtola, quin Iuſtini ſit genuina, nemo doctus (quod ſciam) hodie dubitat;* Sandiiq; friuola ratione a Bellarmini ſilentio refutata, quum hic ſequatur operum Iuſtini editionem a Rob. Stephano ann. 1551. adornatam, & epiſtolam hanc omittentem, quæ demum an. 1592. ab Henrico Stephano eruta fuit; ille autem (Sandius) in Nucleo p. 76. hanc epiſtolam pro genuino Iuſtini opere agnoſcat.

Ad num. XXV. pag. 192.

Reſtat epiſtola ad Zenam & Serenum, quæ Ethica eſt, & de Moribus accurate & erudite differit. Hanc in dubium vocat Bellarminus, immerito, mea quidem ſententia; neque ipſe Bellarminus vllam opinionis ſuæ rationem adducit. Sic de ea Cauius in Hiſtor. litter. pag. 37. quibus amplius inſiſtemus. *Oratio Moralis* audit Mabillonio in Itinere Italico pag. 196. qui vetuſtum Græcum Codicem a ſe repertum laudat, eiusque initium deſcribit, *περὶ μὲν τῆς κατὰ πρόβλεμα τινῶν ἀζωγίσȣ.* pro quo in impreſſis legimus: *περὶ μὲν κατὰ πρόλημμα ἱνῶν ἀλογίσȣ.* Operæ pretium fuerit, Codicem MS. cum impreſſis conferre. Equidem Halloixius pag. 218. ſeq. hanc epiſtolam Iuſtino abiudicat, quem etſi non nominat, preſſo tamen pede ſequitur du Pin pag. 58. 61. quoniam ea non congruat ſtylo Iuſtini, & præcepta, quæ continet, Monachos potius, quam ſimplices Chriſtianos concernent. *Zenas iſte & Serenus*, inquit Halloix, *videntur cœnobitæ fuiſſe, vt ex multis eius epiſtolæ locis poteſt colligi: quibus proinde monita tali vitæ inſtituto conſentanea illius auctor epiſtolæ ſuggerit: locum ſcilicet iræ & contentioni non dandum: propter diſcordiam a communibus precibus non abſtinendum: primas partes non arrogandas, nec eas arrogantibus inuidendum, neu cum mœrore indignandum: aduerſus clamoſos tenendum ſilentium: prauas ſuſpiciones vitandas: ſi quis præ aliis ametur, abſque æmulatione ferendum: Vt tibi quis miniſtret, non affectandum: ſeruandam in ſermone modeſtiam: exiſtimandum res mundi a nobis alienas: non quærendam terrenam amicitiam, nec ea quæ ab inſipientibus magni fiunt, cum non ſimus ex hoc ſæculo: nihil mundanum in ſermonibus tractandum: riſu dignos eſſe, qui in abdito capita conferant, ſermones ineptos miſceant; aliaque eiusdem generis multa, perutilia ſane illa, ſed quæ ab aliquo poſterioris ſæculi ſcripta videantur.* Sed ſi Monachus pro eo ſumatur, qui ſine vxore vitam degit, ſtudetque cœlibatui, nullatenus dubitandum, quin Iuſtini ætate inter Chriſtianos multi fuerint, exemplum doctrinamque Paulli 1. Cor. VII. propter imminentem perpetuo perſequutionem ſequentes; in quibus cum Iuſtinus

nus

nus quoque Martyr numerandus est, (neque enim de matrimonio eius quidquam legimus) tum ad alios idem vitæ institutum sectantes eum scripsisse quid adeo mirum foret? At nego ac pernego, ad tales Iustini epistolam exaratam. Quid enim tam in locis ab Halloixio recensitis, quam in tota epistola est; quod vel Christus & Apostoli omnibus Christianis diserte non præscripserint, vel ex regulæ Christianismi vitæque frugalis sponte non sequatur? Quomodo Monachis congruunt præcepta in conuersatione cum fœminis obseruanda, quæ pag. 508. traduntur: Καὶ γυναιξὶν ὁμιλητέον ἐπιστρεφέστερον διὰ τὸ ἐκτετυφωμένον αὐτῶν &c. *Cum mulieribus attentione singulari agendum, propter earum fastum. Quatenus namque aliqua seipsam conspicuam facit, & mulierem se esse prætendit, desidiæque & otio vacat: eatenus fœmina est, & ob istiusmodi animum fidelis non est. Proinde eas neque affligemus, neque adulabimur.* Τὸ δὲ ὅπερ ἀγαπῶμεν, τὸ μὴ κεκινδυνευμένως, πράττωμεν. *Hoc vero, quod (in eis) amamus, ne cum periculo id faciamus, videndum.* Quæ latius diducuntur ad finem epistolæ pag. 513. 514. *Mulierculæ honorandæ quidem nobis sunt: sed ne labamur aut fallamur, prouidendum.* Καὶ προσιτέον αὐταῖς ὑγιῶς καὶ μὴ περιλέσχως, δεδιότας τῆς μετ' αὐτῶν ἀναστροφῆς τὸ κινδυνῶδες, καὶ προγινώσκοντας τὸ τε εὐμετάβολον αὐτῶν, καὶ τὴν εἰς ὅπερ οἴονται γεγονέναι συνείδησιν. *Et ad eundum quidem ad eas mente sana, non sedulo & indulgenter nimium: periculumque quod in illarum consuetudine inest, metuendum. Prævidenda etiam earum animi ad mutabilitatem propensio, & eius rei propter quam factæ sunt, conscientia.* Mox describuntur mulierum quarundam artes, quibus se ornare solent, vt castitati bellum inferant. ὁμιλητέον οὖν πρὸς τὰς τοιαύτας ῥωμαλεωτέρον, *Conuersandum ergo cum talibus firmo & præsenti animo.* Prætereo cætera, quum ex his satis manifestum sit, ista mandata non Monachis, quibus omni cum fœminis consortio prorsus fuit interdictum, sed in matrimonio vel viuentibus vel viuere aliquando volentibus data esse. Imo quosuis fideles auctorem respexisse vel hæc verba probant pag. 510. πᾶς δὲ πιστὸς, *Fidelium autem quisque, cum rideri se a quopiam putat, eo ipso quod eiusmodi illius erga se esse intelligit animum, prauitatem talem vicissim ludit, improbitatis eius affectionem perspectam habens.* Pergit Halloixius: *Admittitur tamen hic liber etiam ab hæreticis, tanquam Iustini; sed ob nihil aliud procliuius, vt opinor, quam ob primam periodum, quæ valde illis sapit: quamuis, si bene expendatur, nihil admodum pro illis facit, quandoquidem agat de particulari quorundam vitæ instituto, quod ipsi mordicus tanquam a maioribus hæreditate acceptum retinebant, licet in aliquibus ipsi scriptori minus probatum: & est credibile, agi de aliquibus inter certos monachos consuetudinibus, ac vitiosis moribus, qui sint contrarii iis, quas profert, virtutibus, vt sunt, quas modo ex parte recensui.* Immerito sane insurgit aduersus hæreticos, quos vocat, quum initio epistolæ claris verbis perstringatur vita

τῶν

τῶν τὰ ὅμοια τοῖς Φαρισαίοις νοούντων τε καὶ πρατ]όντων, *eorum, qui persimilia Pharisæis & sentiunt & faciunt.* Sicuti autem constat, quid Pharisæi senserint & fecerint, ita non minus perspicuum est, quam similes plerique hodiernum Monachorum illis sint. Neque tantum in hoc capite nobis prodest hæc epistola, sed etiam in controuersia de sacrarum litterarum tractatione, quam præscribit pag. 508. Nam post verba de conuersatione cum fœminis, quæ supra descripsimus, statim sequitur: *Multifariam enim sunt prauitatis commentationes. Quocirca vigilare debemus,* τοῖς λογίοις τοῦ σωτῆρος σχολάζοντας, *responsis Saluatoris nauantes, ac nihil de quoquam mali vel dicentes, vel audientes. Et scabiem mens contrahit, pluribusque vitiosis impletur humoribus, ab aliorum familiaritate.* διὰ τοῦτο ἀκουστέον μόνον τὰ ὠφέλιμα, καὶ ποιητέον κατὰ τὸ εὐαγγέλιον. *Quocirca audienda duntaxat, quæ vtilia sunt, & ex præscripto Euangelii agendum. Quæ vero animum quasi supplantant, detrectanda.* Ζητητέον δὲ περὶ τῶν λογίων, καλὸν, εἰ συνετῶς· εἰ δ' οὐ, κἂν ὥσπερ ἰδιώτῃ· ἀνοήτῳ γὰρ ἐπερωτήσαντι σοφίαν, σοφία λογισθήσεται. *Quærendum autem de oraculis diuinis: ac, siquidem prudenter, pulchrum id fuerit: sin secus, ad instar tamen idiotarum & imperitorum (id faciemus.) Insipienti namque sapientiam inquirenti sapientia imputabitur.* Nobile hoc de Scriptura Sacra Laicis non deneganda testimonium iuxta cum aliis Iustini nostri descripsit Iacobus Vsserius in libro posthumo nuper demum edito, de Scripturis & Sacris Vernaculis Cap. II. Ac sane non alium, quam Iustinum Martyrem huius epistolæ auctorem esse, præter argumenta in Exercitatione prolata illud etiam persuadet, quod nihil ea continetur genio sæculi, quo Iustinus vixit, aduersum. Potius quæ pag. 507. dicuntur de eo, *qui clamore ingenti Orestem persona referens, terribilis & magnus ab insipientibus esse putatur, propter pedes ligneos, & ventrem factitium, vestem peregrinam, & faciem monstrosam:* ac paullo post de *Bacchis, quæ sub schemate & habitu pacifico, hastas in thyrsis circumferunt:* αἱ Βάκχαι διὰ σχήματος εἰρηνικοῦ τὰς λόγχας ἐν τοῖς θύρσοις περιφέρουσιν; talia signant tempora, quibus spectacula & Bacchanalia sub Imperatoribus Gentilibus adhuc florebant, non autem sub Imperatoribus Christianis in desuetudinem venerant. At instat Halloixius: *Videtur ea epistola esse alicuius veteris asceta seu monachi, cœnobitarum mores atque exercitia experti, qui instar alicuius Isidori Pelusiota, Episcopos ac cœnobiarchas commonefaciendi auctoritatem, ex vita sanctimonia acquisiuerit. Sane S. Isidorus Pelusiota & Imperatores & Episcopos, adeoque ipsum Cyrillum Alexandrinum, cuius tamen erat potestati subditus, satis acriter subinde suis epistolis admonuit: quemadmodum & huius epistola auctor, (quicunque is fuerit) dicit, se ad Papam scripsisse, & paullo post, etiam ad Superiores, cum dicit,* ἐν τῇ γραφείσῃ πρὸς ἄρχοντάς μοι, in epistola, quam ad superiores meos scripsi. *Si enim per* ἄρχοντας *intelligeret Principes, non adderet* μοι: *si intelligeret Imperatores*

ratores, vocaret, vt alibi, vel αὐτοκράτορας, vel βασιλεῖς, vel ἄρχοντας absolute. Verum οἱ ἄρχοντες vocantur passim quilibet etiam Superiores: sicut οἱ ἀρχόμενοι, quilibet subditi. Et nomen Πάπαν siue Papam, nihil necesse est pro Pontifice Romano accipi, cum constet, pro quolibet Episcopo antiquitus vsurpatam, atque adeo etiam aliquibus nomen proprium fuerit, vt in tomo 2. agens de hac epistola admonuit Baronius ad A. C. 165. Vides, quid possit in hominem præconcepta opinio! Halloixius semel in animum induxit, epistolam a monacho quodam scriptam: itaque omnia illi accommodat. Ipse sane Iustinus in secunda Apologia pag. 50. vocem ἄρχοντες generali sensu vsurpat, quando narrat, se adhuc Platonicum Christianos intrepide mori videntem innocentes illos iudicasse: *Quis etenim voluptatis consectator, aut per animi impotentiam intemperans, & humanarum carnium dapes pro bono ducens, mortem libenter complecti queat, vt bonis suis seipsum priuet; ac non potius modis omnibus, vt hanc sibi continenter vitam agere,* καὶ λανθάνειν τοὺς ἄρχοντας, *& celando principes & magistratus fallere liceat, operam nauet?* Sicut autem non solum apud minores Magistratus, sed ipsos etiam Imperatores deferebantur Christiani, ita apposite Iustinus eos in hac epistola communi nomine ἄρχοντας vocat, cum & Imperatoribus & Senatui Romano suam Apologiam obtulerit. Nisi quis malit solos Imperatores intelligere, quas Eusebius ἄρχοντας vocat, de hac ipsa Iustini Apologia verba faciens. Qui autem toti orbi imperabant, quidni etiam Iustino audiuerint ἄρχοντές μοι, licet hoc pronomen non ab ipso scriptore esse videatur. De Papa in Exercitatione satis diximus: quod autem ibi de Diogneto respondimus, ex paullo ante allatis corrigi, eiusque loco substitui debet Marcus Pompeius, quem Iustinus inscriptione Dialogi aduersus Tryphonem veneratus est, Halloixius autem in nullo alio monumento inuenire potuit.

Ad num. XXX. XXXI. pag. 199. 200.

Noua prorsusque hactenus inaudita sunt, quæ de Athenagora ex Philippo Sidete docuit Henr. Dodvvellus in Appendice Dissertationum in Irenæum pag. 488. Καὶ φησι Φίλιππος ὁ Σιδήτης ἐν λόγῳ κδ΄. τοῦ διδασκαλείου τοῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἀθηναγόρας πρῶτος ἡγήσατο, κατὰ τοὺς χρόνους ἀκμάσας Ἀδριανοῦ καὶ Ἀντωνίνου, οἷς καὶ τὸν ὑπὲρ Χριστιανῶν πρεσβευτικὸν προσεφώνησεν. Ἀνὴρ ἐν αὐτῷ Χριστιανίσας τῷ τρίβωνι, καὶ τῆς Ἀκαδημαϊκῆς σχολῆς προϊστάμενος. Οὗτος πρὸ τοῦ Κέλσου κατὰ Χριστιανῶν γράψαι προθυμηθεὶς, ἐντυχὼν ταῖς θείαις γραφαῖς εἰς τὸ ἀκριβέστερον ἀγωνίσασθαι, οὕτως εἵλετο τῷ παναγίῳ πνεύματι, ὥστε διδάσκαλον, κατὰ τὸν μέγαν Παῦλον, ἀντὶ διώκτου γενέσθαι τῆς πίστεως, ἧς ἐδίωκεν τούτου μαθητὴν γενέσθαι φησιν ὁ Φίλιππος τὸν Στρωματέα Κλήμεντα &c. *Inquit etiam Philippus Sidetes Serm. XXIV. Scholæ Alexandrinæ primus præfuit Athenagoras, qui Hadriani floruit temporibus atque Antonini, quibus etiam Legatoriam Orationem pro Christianis inscripsit; Religionem Chri-*

ftianam in ipso quoque pallio professus, & Schola Academica præfectus. Hic cum in animo haberet, Christianos (ante Celsum) scriptis oppugnare, lustratis ea mente scripturis, vt susceptam oppugnationem institueret accuratius, ita captus a Spiritu S. est, vt, ad exemplum magni Paulli, ex persequutore Doctor effectus sit illius fidei, quam fuisset persequutus. Huius discipulum ait Philippus fuisse Clementem (cognomine) Stromatea &c. Hoc est fragmentum Philippi Sidetæ, quod Dodvvellum penes se seruare scribit Cauius Hist. litter. pag. 306. licet non ipsius Philippi, sed excerptoris verbis concinnatum, quem Nicephorum Callisti fuisse putat Dodvvellus in Notis pag. 492. quia in eodem Codice MS. habentur excerpta ex Eusebii Historia Ecclesiastica illius Nicephori ἀπὸ φωνῆς, quæ verba Dodvvellus *ita intelligit, non vt ipse scripserit, sed Tachygrapho Amanuensi, Auctorum nempe quos excerpsit sententia, sed suis tamen verbis.* Magis hanc loquutionem restringit Valesius præfatione in excerpta ex Theodori Lectoris Historia Ecclesiastica, in quorum titulo etiam legitur, ἀπὸ φωνῆς νικηφόρε, quæ Valesio iudice *non ita accipienda sunt, quasi horum Excerptorum auctor fuerit Nicephorus: sed id tantum significant, Nicephorum Callistum hac Excerpta Amanuensi suo dictasse.* Sicut igitur ex opinione Valesii *integra Theodori Lectoris Historia Nicephoro visa non fuit, sed excerpta duntaxat, quæ nunc habemus*; ita nec Philippi Sidetæ Opus integrum ab eo lectum fuerit, sed tantummodo fragmentum illud ab alio quodam excerptum ad manus eius venisse, ac ne periret, amanuensi ipsius iuxta cum aliis eius generis dictatum videtur. Vtcunque sit, aliud fragmentum eiusdem Operis habetur in Bibliotheca Cæsarea, Lambecio Lib. v. pag. 137. memoratum, continens *Acta Disputationis de Christo, in Perside inter Christianos, Gentiles & Iudæos habita, cui ipse Philippus interfuit.* Integrum vero opus partim propter molem, partim propter exiguum scriptoris iudicium, quod ex Socratis Photiique censuris colligi potest, pridem intercidisse videtur. Multum quidem laborauit Cl. Dodvvellus, vt fidem illi aduersus alios meliores scriptores pugnanti adsereret, sed vereor, ne Æthiopem lauare conatus fuerit. Error sane maximus est, quod Apologiam Athenagoræ Philippus nuncupatam vult Adriano & Antonino, nec satisfaciunt coniecturæ Dodvvelli, excerptori vel librario eum tribuentis. Nam ab ipso Philippo esse vel inde patet, quod Athenagoram Celso iungit. Nondum nobis persuasit Dodvvellus, Celsum iuniorem esse, quam Origenes eum facit, dicens τῦτον κτ᾽ ἀδριανὸν καὶ κατωτέρω γεγονέναι, *hunc Adriani & posterioribus temporibus fuisse.* Obiicit Dodvvellus, quod illa Euangeliorum τριχῆ, τετραχῆ, καὶ πολλαχῆ, *tribus, quatuor, & pluribus vicibus* corruptio, quam Celsus Christianis impingit, optime congruat quatuor Artemonis discipulis, Euangeliorum falsariis apud Eusebium lib. v. cap. ult. qui textum eam ob caussam peruerterunt, ne cogerentur Deitatem Christi agnoscere. At nonne satius est, in Origenis responsione Lib. II. p. 80. acquiescere? Marcionis ille,

ille, Valentini & Luciani discipulos huius criminis reos agit. De Marcione concedit Dodvvellus, Tertulliani atque Epiphanii testimoniis suffultus: Reliquis id ait *timidius tribuere ipsum Origenem, nec esse aliunde adeo exploratum.* Sed tantum de Luciani discipulis, non de Valentini coniectori Origenem verba eius probant: τὰς ἀπὸ Μαρκίωνος, καὶ τὰς ἀπὸ Οὐαλεντίνου, οἶμαι δὲ καὶ ἀπὸ Λουκιάνου. Vides, id æque certo asseri de Marcionis & Valentini sectatoribus, non alia, vt puto, de caussa, quam quod de illis indubitata testimonia in recenti memoria habebat Origenes; de Luciani discipulis præmitti οἶμαι, quod egregie explicat Beueregius Lib. 1. Vindic. Canonum Apost. Cap. x. num. 5. *Illud* οἶμαι ἀποφατικὸν, *idem sæpe valet, vt cuique notum est, quod* εἴ τι μέμνημαι, si quid bene memini. *Quam loquendi formulam de rebus antea visis lectisue, sed memoria pene elapsis, sæpe vsurpare solemus.* Non itaque Origenes vel timidus vel dubius fuit, sed quæ de Lucianistarum facinore quondam legerat, non satis ob temporis longinquitatem recordabatur, vt Basilius apud Beueregium. Quidni autem Origeni fidem præstemus, tot volumina habenti, quorum iacturam nos deploramus? Quidni is multa de primis nouerit hæreticis, quæ tam Tertullianum, quam Epiphanium fugerunt? In his quidem de ipsius Marcionis corruptionibus Euangeliorum reperit aliquid Dodvvellus, minime autem de iis, quas ab eiusdem discipulis perpetratas memorat Origenes, cui noster hac in parte fidem adhibens in reliquis non denegabit. Certe Celsum vocibus istis τριχῇ, τετραχῇ, πολλαχῇ, non certum numerum falsantium comprehendisse, sed tantum exaggerandi caussa eas attulisse, vel ex prima patet; siquidem Dodvvellus tres præcise falsatores, qui ante Artemonis discipulos, Euangelia falsauerint, nunquam nominabit. Neque hi primi fuerunt Deitatis Christi hostes, quippe quam nec Valentiniani, nec Marcionistæ, recte prædicarunt. *Mirum alioqui* putat Dodvvellus, *cur libro ante annos C. scripto, pro vulgari illa, quæ hactenus obtinuit Chronologia, adeo sero responderit Origenes.* At hoc nemini mirum videbitur, qui ex præfatione Origenis nouit, eum non sponte, sed hortatu Ambrosii, Ἐργοδιώκτου sui, istud onus in se suscepisse, magisque ad satisfaciendum Patrono, qui eum nunquam finebat esse otiosum, quam quod timeret, ex Celsi scriptis seductum iri Christianos. Cur autem nemo Celso coæuorum scriptum eius refutauerit, ipse sibi præsagiit, verbis ab Origene pag. 11. allegatis, quæ ex Latina tantum versione producemus: *Si mihi respondere voluerint, non vt tentanti: noui enim omnia: sed vt curam gerenti ex æquo omnium, bene fecerint. Sin noluerint, sed more suo dixerint, ne disquire, & reliqua: necesse est, eos docere, cuiusmodi sint ista, quæ asseuerant, & vnde demanauerint, &c.* Spernebant nempe Christiani scripta eiusmodi mendacia calumniisque plena, nec verbis, sed factis innocentibus ea refutabant: donec Ambrosius ille in Origene hominem diligentem nactus Celsi scriptum scripto impugnendi onus humeris eius imponeret, quod ille felicissime præstitit. Satis de Cel-

 so

so; cui ex Philippi traditione ita æqualis fuit Athenagoras, vt ante eum aduersus Christianos calamum acuere voluerit. Singulari consilio voce ἀκμάσας vsus videtur Philippus, quæ cum de hominibus in iuuentutis flore optimaque ætate constitutis vsurpari consueuit, tum Athenagoram sub Traiano natum innuere videtur, fortasse anno CXII. vel CXIII. Sic decedente An. CXXXVIII. Hadriano XXV. circiter annorum fuisset noster: & siue sub eo, siue sub Antonino consilium ceperit aduersum Christianos scribendi, perinde est. Celsum enim, qui relictam ab eo spartam suscepit, sub Pio librum suum adornasse facile concedo. Athenagoras autem gratia diuina conuersus sub habitu Philosophico Christum professus est, ac denique sexagenarius Apologiam Imperatoribus obtulit. Sic optime cohæret ætas Celsi ab Origene signata, cum Athenagoræ ætate apud Philippum, indeq; facile emendari possunt, quæ p. 499. 500. de Celso commentatur Dodvvellus.

Sed lubet amplius ex Dodvvello audire, quæ is ad illustrandas res Athenagoræ gestas contulit. Primo pag. 494. patriam eius lustrat: *Atheniensem fuisse Athenagoram tradit Methodius Martyr. Quod tamen nihil pugnat, quo minus Scholæ etiam Præfectus sit Alexandrinæ. Ciues alios alibi tamen sæpius habuisse constat e Pandectis. Et viros doctos honoris caussa in multas ciuitates etiam fuisse adscitos multis probat exemplis doctissimus Ionsius de Scriptoribus Historiæ Philosoph.* (Huc pertinent, quæ pag. 506. notat de Pantæno, nam καὶ αὐτὸς Ἀθηναῖος, si Philippo credimus. *Sic fuerit Pantænus*, inquit Dodvvellus, *ciuis Athenagoræ, & , vt ille, ab Athenis ad Alexandriam similiter translatus. Erat enim mos Alexandrinis, etiam a temporibus antiquissimis, vt Scholarum suarum moderatores ab Athenis, tanquam a literarum omnium Metropoli, ipsi nimirum coloni, arcesserent. Sic etiam Eratosthenes a Ptolemæo Philadelpho inde accitus &c.) Num tamen ciuis fuerit Alexandrinus Athenagoras, e nostro nequit colligi Philippo. Habitasse tamen Alexandriæ produnt accuratissimæ illæ dictionis Alexandrinæ descriptiones, quas legimus in Athenagoræ nostri (si tamen nostri) Eroticis a Viro doctissimo Petro Gyllio Gallice editis, quæ tamen Græca penitus, vt puto, interciderunt. Sic etiam aliunde verisimilia apparent, quæ a nostro Philippo proferuntur.* De Athenagoræ Eroticis infra plura dicam. In Apologia enim non Alexandrinam, sed Atticam dictionem sequutus est, notante Rechenbergio pag. 6. *Quippe qui vt patria Atheniensis; ita & veteris Attici sermonis imitator & sectator prope ad superstitionem vsque deprehenditur.* Haud proletaria de vocibus ac phrasibus Alexandrinis obseruat Ioan. Croius Obseruat. in Nouum Testam. Cap. XXXIII. sed ea huius non sunt loci. Forte aliquis dixerit, Athenagoram ἐρωτικὰ composuisse in iuuentute, & fœmellarum Alexandrinarum amores ambientem dialecto earum sese accommodasse: in Apologia autem, scripto grauissimo, quo omnes eloquentiæ neruos intendebat, Atticismum prætulisse. Si igitur auctor erit ἐρωτικῶν, magis videtur studiorum caussa Alexandriam profectus, quam docendi

di caussa vocatus. Nam quod Strabo a Croio allegatus dicit Lib. LIV. Alexandrinos, cum apud eos omnis generis liberalium artium essent Scholæ, multos ad se allicuisse peregrinos, suorumque haud paucos ad alias Vrbes & regiones misisse; Ἀλεξανδρεῦσι δ' ἀμφότερα συμβαίνει· δέχονται γὰρ πολλοὺς τῶν ξένων, καὶ ἐκπέμπουσι τῶν ἰδίων οὐκ ὀλίγους. *Alexandrinis vtrunque vsu venit: nam & multos recipiunt peregrinos, & emittunt suorum haud paucos:* Idem quoque Athenagoræ ætate factum nemo dubitabit, qui præsertim cognitum habet, Alexandriam A. C. 119. ab Hadriano publicis restauratam impensis, doctumque hunc Imperatorem sequentibus annis aliquoties ibi fuisse, & cum Philosophis in Museo congregatis eruditos miscuisse sermones. Hac igitur Hadriani munificentia, Athenis etiam plus semel exercita, famaque Alexandriæ illectus forsan Athenagoras, illud sapientiæ domicilium adiit, & eo vsque progressus est, vt *Scholæ Academicæ siue Platonicæ præficeretur, publicumque mereretur stipendium, si Dodwello* credimus pag. 498. qui præterea notat, Athenagoram ad Christianos conuersum non deseruisse hanc prouinciam, adeoque *Gentilium disciplinarum in Christi etiam disciplinarum vsum agnouisse*, ἐν αὐτῷ χριστιανίσας τῷ τρίβωνι, vt Philippus ait, Iustini Martyris (quod Dodwellus pag. 496. monet,) exemplo, *sub pallio Philosophico Christianam professus Philosophiam*: in vtroq; multos habuit imitatores, præcipue Clementem Alexandrinum, qui eius discipulus & successor fuit.

Præcipuum eius factum Legatio est, pro Christianis suscepta, quam quidem in Exercitatione vocaui in dubium, sed explicationibus Dodwelli visis nunc facile largior. Is enim pag. 491. sqq. Ex collatione Iuris Romani adstruit, Athenagoram fuisse ciuem Alexandrinum, adeoque Christianorum ibi degentium legationem obiisse. *Nempe quoties diuersa erant in vna eademque ciuitate hominum Corpora, id etiam fuit in illorum temporum moribus receptum, vt singula corpora singulas haberent separatasque Legationes*, vt olim ex ipsa Alexandria ad Caium a Græcis mittebatur Apion, a Iudæis Philo aliique. *Sic & Christianorum Alexandrinorum caussam seorsim egerit Athenagoras. Nempe viris eloquentissimis demandari solebant istiusmodi Legationes; erantque* λόγοι *illi* πρεσβευτικοὶ *omnium elaboratissimi, quibus & Patriæ amorem captabant, & facundiæ famam. Inde factum, vt scriptos etiam in lucem emitterent. Tales habemus Dionis Chrysostomi, tales Aristidis etiam & Synesii. Talis itaque fuerit & noster Athenagoræ. E voce autem* προσεφώνησεν (dicit enim Philippus, οἷς καὶ τὸν ὑπὲρ χριστιανῶν πρεσβευτικὸν προσεφώνησεν) *colligimus, pronunciatam esse voce, & quidem Imperatore præsente, hanc Athenagoræ Legatoriam Orationem. Fateor tamen, ab hac vocis pronunciatione ad scriptarum Orationum inscriptiones traductam tandem hanc fuisse* προσφώνησιν. Cæterum, cum Marcus & Lucius Imperatores titulum *Philosophi* summum existimarint, tum Athenagoras in sua Apologia reliquis eorum titulis subiungit, τὸ δὲ μέγιστον, φιλοσόφοις. *Hinc intelligimus,* Dodwello

in-

iudice, *Imperatoribus Philosophiam professis quam fuerit in Legatione futurus gratus noster Athenagoras.* Nunc dispiciamus, quo tempore is legationem suam obierit. Dodvvellus Diss. Cyprianica XI. n. 37. 38. multis argumentis An. CLXVIII. adsignat, in quibus tamen nonnulla habet, iis aduersa, quæ postea ex Philippo Sideta detexit, sed facile corrigenda, inprimis quod non Helladicorū, sed Alexandrinorum Christianorum caussam egerit Athenagoras. Sed Pagius ad A. CLXXVII. n. 10. mauult annum CLXVI. & quanquam plerasq; Dodvvelli rationes repetit, censet tamen, *eum in anno manifeste peccare,* quippe quo non pax ab Athenagora celebrata, sed bellum contra Germanos ardebat. Sed in Exercitatione mea probaui illorum sententiam, qui non Marco & Lucio, sed Marco eiusq; filio Commodo, Apologiam, Athenagoræ nuncupatam volunt; neq; ab ea dimoueri me patior, nullis prægnantibus rationibus siue apud Dodvvellum, siue apud Pagium repertis: quas antequam adgredior, tempus specialius, quo Imperatores conuenit Athenagoras, me eruturum confido. Lampridius in Commodo a Pagio an. 176. n. 3. allegatus, c. I. ait: *Profectus est commendatus militibus cum patre in Syriam, & Ægyptum, & cum eo Romam rediit. Posthac venia legis annariæ impetrata, Consul est factus: & cum patre Imperator est appellatus quinto Kalendarum Decembrium die, Pollione & Apro COS.* Hi Consules fuerunt A. C. CLXXVI. quo Ægyptum cum patre petens Commodus, Alexandriam sine dubio minime præteriit, optimamque adeo occasionem subministrauit Athenagoræ nostro, Apologiam pro Christianis offerendi: Scrupulum forte alicui præbebit Αὐτοκράτορος, siue *Imperatoris* titulus, Commodo etiam tributus, qui tamen Romæ demum post reditum Imperator appellatus est. Sed illum nobis eximunt obseruationes egregiæ Pagii ad A. 175. quibus ostendit, Senatum Romanum, allato de morte Cassii rebellantis nuntio, absenti M. Aurelio ita acclamasse: *Commodo imperium iustum rogamus: Commodo Tribunitiam potestatem rogamus: præsentiam tuam rogamus.* Marcum quidem Romam ingredi recusasse, sed de cætero morem Senatui gessisse, Commodoque tam Imperium Proconsulare extra Vrbem, *(quod iustum & verum Imperium erat,)* quam Tribunitiam potestatem detulisse. Hinc nummum ex Mediobarbo p. 241. profert, in quo legitur: AVRELIO CAES. AVG. F. SAR. IMP. in postica: PROVIDENTIAE AVG. IMP. *vbi solus Marcus* Augustus *appellatur; Commodus vero dicitur* Imp. *ob victorias, qui titulus Cæsaribus Imperio Proconsulari non exornatis non dabatur.* Datur itaque Commodo ab Athenagora idem Imperatoris titulus, tanquam obtinenti extra Vrbem, adeoque etiam in Ægypto, Imperium Proconsulare, quod Candidatis Imperii dari solebat, *ita vt inter initia fastigii Cæsarum, seu adipiscendo Imperio, vt Tacitus ea de re loquitur,* præparata, *eandem quoque dignitatem reponendam* merito iudicet Spanhemius de Vsu & Præstantia Numismatum pag. 712. Cæterum Marcus, antequam iter istud cum filio adgrederetur, pacem in Imperio sanciuit, quod ex alio nummo probat Pagius ad An. 176. n. 4. *in*

quo

quo legitur: M. ANTONIVS AVG. GERM. SARM. TR. P. xxx. *In postica:* PAX ÆTERNA AVG. *Visitur figura stans, dextra facem, sinistra cornucopiæ tenens. Cum itaque M. Aurelius Tribunitiam Pot. XXX. huius anni (176.) initio susceperit, pax hoc anno stabilita, sequentique continuata.* Porro si Lampridius notasset, quo anni tempore vel mense Marcus & Commodus in Ægypto versati sint, exactius etiam nobis constaret, quando Apologiam suam tradiderit Athenagoras. Qui tamen seriem rerum apud Lampridium expendet, facile largietur, id æstate media vel labente factum esse, vt deinceps Imperatores commode Romam redire, ac Consulatus Imperiumque in ipsam Vrbem Commodo decerni potuerit, ante v. KL. Decembr. quo vtrumque ei collatum est. His præsuppositis non difficile erit, obiectiones Pagii Dodvvellique soluere. Vltima fere Apologiæ verba: *Nos enim pro Imperio Vestro preces ad Deum fundimus, & vt filius (quod iustissimum est) in regno olim parenti succedat;* vrget hoc modo Pagius: *Quæ verba de M. Aurelio & Commodo eius filio iam Augusto intelligi non possunt; cum is iam cum Patre imperaret, filiosque, qui ei succederent, non haberet. Sed e contra anno 166. quo Marcus & Verus imperabant, Commodus a patre, petente Lucio, Cæsar nuncupatus fuit, quem vt patri aliquando succederet, Deum deprecari Christiani poterant.* Enimuero, neque Augustus erat Commodus an. 176. quo tempore Apologiam nuncupabat Athenagoras, imperio licet Proconsulari & tribunitia potestate ornatus, adeoque proximus Candidatus Imperii, quo vt non tantum viuo Parente, sed etiam post mortem feliciter potiretur, optimo iure Deum precari Christiani poterant. Verbum enim διαδέχεσθαι, quo Athenagoras vtitur, proprie significat successionem in hæreditate post mortem alterius; in eoque est singularis benevolentiæ captatio, quum seniores Principes nihil magis in notis habeant, quam vt filii eorum aliquando succedant, probe conscii, illos fatorum vi ante Parentes abripi posse, etiamsi iam successores vel Collegæ sint. Quare Athenagoras, postquam præsens rogauit, vt petitis suis annuerent, τὴν βασιλικὴν κεφαλὴν ἐπινεύσατε, *capite regio annuite,* quod non obscurum signum est, eum non scripto tantum, sed voce etiam Apologiam suam obtulisse; statim subiicit: Τίνες γὰρ καὶ δικαιότεροι ὧν δέονται τυχεῖν, ἢ οἵ τινες περὶ μὲν τῆς ἀρχῆς τῆς ἡμετέρας εὐχόμεθα, ἵνα παῖς μὲν παρὰ πατρὸς κατὰ τὸ δικαιότατον διαδέχησθε τὴν βασιλείαν, innuens, Christianos non pro præsenti tantum felicitate imperii verba fundere, sed etiam, vt Deus sospitet Commodum, vix 15. annos natum. Nouissimum exemplum nobis præbet AVGVSTISSIMVS IMPERATOR LEOPOLDVS cum Filio AVGVSTO IOSEPHO, qui iam Rex Romanorum creatus est. An vero absurdos putaueris eos, qui Deum rogant, vt PATRI aliquando succedat FILIVS? Itaque finis Apologiæ explicari debet ad normam verborum, quæ circa medium leguntur, & in Exercitatione pariter citata sunt: ὡς γὰρ ὑμῖν πα-

τρὶ καὶ υἱῷ πάντα κεχείρωται, *vt nobis enim, patri & filio, in poteſtate ſunt omnia.* Conatur quidem Pagius vim horum verborum euadere, dicendi, *L. Verum, qui M. Aurelii gener erat, filium vocari, vt comparatio melius quadraret.* Sed nullum dabit exemplum, quo Lucius Marci filius appellatus fuerit: frater potius ſemper audiit. Itaque idem filius hic intelligit, qui ad finem Apologiæ παῖς vocatur, Commodus nempe. Nec minus quadrat comparatio, quum ipſi Proconſulare Imperium & Tribunitia poteſtas a Patre iam fuiſſet delata. Porro Pagius prouocat ad Apologiam Iuſtini Martyris ſecundam, quam Hieronymus *M. Antonino Vero & L. Aurelio Commodo* oblatam dicit, adeoque Vero tribuit Commodi nomen. Quod equidem libenter largior, ſed nego, *eundem titulum ſecundæ Iuſtini Apologiæ tribuere Hieronymum, quem ſuæ legationi Athenagoras præfixit,* quod inde Pagius elicit, quum ſolum Commodi nomen, non reliquos Athenagoræ titulos alleget Hieronymus. Vrget Pagius, *Philoſophi* titulum minime conuenire Commodo, qui a prima ſtatim pueritia turpis, improbus, crudelis &c. fuerit, teſte Lampridio. Sed præterquam quod hæc vitia vix cadant in puerum 15. annorum, ac Lampridius pueritiam ſecundum leges Romanas a 20. vel 25. ætatis anno metitus videatur; recordetur ſaltem Pagius verborum Pollucis a ſeipſo productis ad An. CLXX. n. 3. quando Pollux in Præfatione libri primi Onomaſtici Commodum Cæſarem ita alloquitur: *O boni patris fili,* πατρῷον δή σοι κτῆμα κατ᾽ ἴσου βασιλεία τε καὶ σοφία, *paterno ſeu hereditario iure & regnum & ſapientiam æque poſſides.* Cum ergo Pollux ipſam σοφίαν Commodo tribuit, quidni Athenagoras eundem φιλόσοφον appellare potuerit? Vterque enim more Oratorio plus Commodo adſcribit, quam is poſſidebat, non alia de cauſſa, quam vt facilius petito ſuo fruerentur. Huc etiam referrem *Armeniaci* titulum, quem Marco quidem, non autem Commodo tributum reperimus. At neque Lucio inquam tributum legimus *Sarmatici* titulum, quem iunxit Athenagoras. Pagius Doduvellum ſequutus Παρθικοῖς *Parthicis* legendum cenſet, correctione admodum violenta, quæ longe facilior leuiorq; foret, pro Ἀρμενιακοῖς ſubſtituto Γερμανικοῖς, quum conſtet, per ea tempora *Germanici & Sarmatici* titulū geſſiſſe Marcum eiusque filium Commodum. Vt taceam, quæ Halloixius in vita Iuſtini Martyris p. 237. ſqq. prolixe diſputauit, dedicationem ad M. Aurelium & Commodum filium Pertinere. Porro non eſt, quod ex verbis Athenagoræ de morte Peregrini conficiant Doduvellus & Pagius, An. CLXV. n. 6. quaſi ille ſignificarit, ea ipſa, quâ Apologiam offerebat, Olympiade, Peregrinum in ignem ſe conieciſſe. Neque enim plura profundit, quam hæc: τοῦτον δ᾽ οὐκ ἀγνοεῖτε ῥίψαντα ἑαυτὸν εἰς τὸ πῦρ περὶ τὴν Ὀλυμπίαν, quod optime vertit Geſnerus: *quem non ignoratis in ignem ſe inieciſſe circa Olympiam,* nullam in Articulo vim faciens, quem tamen præcipue attendere illi videntur; Athenagora enim nihil aliud innuit, quam peregrinum in Panegyri Olympiaca rogum conſcendiſſe. Imo quæ is-

mox

mox de statua & imagine, Protei siue Peregrini apud Parios subiicit, vix tam breui temporis spatio fieri potuisse videntur, quod inter Peregrini mortem & Athenagoræ Apologiam adsignant viri doctissimi: ὁ μὲν ἀνδριὰς τοῦ πρωτέως λέγεται χρηματίζειν, *statua Protei responsa dare perhibetur*. Scio quidem ex Luciano, statim post Peregrini mortem statuas illi positas: Εἰκόνας μὲν γὰρ παρά τε Ἠλείων αὐτῶν, παρά τε τῶν ἄλλων ἑλλήνων, οἷς καὶ ἐπεσταλκέναι ἔλεγεν, αὐτίκα μάλα οἶδα πολλὰς ἀνασησομένας. *Sed enim imagines quoque ab Eliensibus reliquisque Græcis missas esse confirmabat, hoc profecto sat scio, breui non paucas erectum iri.* At præterquam quod Parii a ciue suo Peregrino alieniores initio fuisse videntur, qui eos restituendæ pecuniæ quondam sponte donatæ postulauerat, vt apud Lucianum legere est; saltem χρηματισμὸν non proximo statim anno, sed aliquot interiectis, vt deficiens paullatim Peregrini cultus de nouo augeretur, accidisse existimo. Vtcunque autem ea se res habeat, nihil ex Athenagoræ de Proteo verbis exsculpi potest, quod magis ad proximum ab eius vivicomburio annum, quam ad CLXXVI. faciat. Si quidquam alibi memoriæ proditum esset de Neryllino, qui tamen Interpretibus omnibus est ignotus, forte nostræ sententiæ non exiguum pondus accederet: illius quippe ζῶντος καὶ νοσοῦντος, *viuentis & ægrotantis* statuas allegat Athenagoras in vrbe Troade erectas; verba igitur paullo antecedentia, ὃς ἀνὴρ τῶν καθ' ἡμᾶς, non cum Gesalto vertenda sunt, *qui vir nostra ætatis fuit*, sed *est*. Vltimum denique Dodvvelli Pagiique argumentum a pace petitum, vbi Athenagoras sic affatur Imperatores. *Vniuersus hic terrarum orbis, vestra prudentiæ beneficio, altissima pace perfruitur*: magis in nostram, quam illorum quadrat opinionem, vti post Baronium Halloixius p. 237. ostendit: *quæ dici non potuerunt imperantibus M. Aurelio & L. Vero fratribus, ob continuatam perpetim bella, sed tantum post L. Veri mortem, Ælio Commodo vna cum patre suo Marco, deuictis Germanis regnante: quod fuit sub annum Domini CLXXIX.* rescribo CLXXVI. quem nos ex nummis supra eruimus. Certum itaque immotumque manet, Athenagoram Marco eiusque filio Commodo Apologiam suam obtulisse, quod primus editor, Gesnerus, ac post eum alii, nouissimeque L. E. du Pin To. I. nouæ Bibliothecæ pag. 65. arbitrantur, quanquam in anno statuendo omnes longius progrediuntur. Cæterum falsa sunt, quæ Halloixius p. 234. 235. refert, *Proclum Philosophum Origeni æqualem, illius meminisse, & verba ex eodem Athenagora citasse, quæ in hac Athenagoræ apologia reperiuntur; verbaque Procli exstare apud Epiphanium hæresi 64. relata a Methodio Tyri Episcopo & Martyre* &c. Decepit Halloixium, quod apud Epiphanium num. XVII. talis præfigitur titulus: πρόκλου τοῦ αὐτοῦ, *ex eodem Proclo.* Enimuero Petauius in Notis optime obseruauit, *mendosam esse hanc inscriptionem. Neque enim ex vllius Procli disputatione, quæ sequuntur, exscripta sunt: sed ex eiusdem Methodii lucubratione, quam aduersus Origenem Dialogi more conscripserat, in quo loquentes introduxerat Aglaophontem,*

 Pro-

Proclum, Auxentium & semetipsum. &c. Sunt ergo non Procli,sed Methodii verba,cui etiam a Photio Cod. ccxxxiv. tribuuntur. Hoc παρόραμα Halloixio facile condonamus, qui libellum suum iam ineunte an. 1622. paratum habebat, & a Prouinciali suo d. 22. Ianuarii facultatem edendi impetrauerat: Petauius autem, licet eodem anno Epiphanium Luci publicæ donauerit, dedicatoriæ tamen epistolæ diem 18. Kal. Febr. subscripsit. Verum Bollandus in Exercitatione nostra p. 201.202. citatus,excusationem nullam meretur,quia tam Halloixium,quam Petauium nominatim allegans verba tamen ista Proclo Philosopho tribuit,nulla Methodii, veri auctoris, mentione facta.

Ad num. XXXIV. p. 206. 207.

Restant Athenagoræ *Erotica*,de quibus Huetii præcipue censuram in Exercitationibus dedimus,nunc Cauium addentes, qui in Historia litteraria pag. 49. refert,librum ex Oriente olim allatum Gallice vertisse, & ad Dominum de Lamané, Cardinalis de Armaigniaco (quem alii *Arminiacum* vel *Armeniacum* vocant) Secretarium,an. 1569. misisse Martinum Fumeium,Dominum de Genille. Tandem inter schedas suas repertum an. 1612. edidisse Bernardum de San-Jorry, hoc titulo: *Du Vray & parfait Amour; escrit en Grec par Athenagoras Philosophe Athenien: contenant les Amours honestes de Theogone & de Charide, de Pherecides & de le Melangenie. A Paris chez Daniel Guillemot demeurant rüe des Cordiers derriere les Jacobins, M. DC. XII.* Cauius hoc fert iudicium: *An genuinum sit Philosophi nostri opus,non immerito dubitari potest. Suspicari quis posset, scriptum ab eo esse ante fidem Christianam. Quod si ita sit,non pauca a recentiori manu accessisse,cuiuis inspicienti facile constabit.* Mox Huetium scribit *omnia miro ingenii acumine expendere,voluere,reuoluere,obiicere,obiectiones soluere &c.* sed de præcipua eius coniectura,quasi Philander sit fabulæ architectus,ita censet: *quod quidem emunctæ naris viris ægre vnquam persuadebit vir eruditissimus.* Equidem Cauio hac in parte libenter subscribo,non esse id scriptum superiori demum sæculo effictum, neque media sententia in Exercitatione producta nunc mihi adeo arridet,sed in eam potius propendo,quæ Athenagoram nostrum putat auctorem: & quanquam paullo ante idem,quod Cauius,conieci,scriptum hoc ab eo ante Opus fidem Christianam, nunc tamen Huetii argumentis prioribus,quibus Fumæum non sine ratione probabili Athenagoræ id adscripsisse ostendit,propius inspectis, post professionem Christianismi concinnatum iudico. Christiana enim sunt,quæ de vno tantum Deo contra πολυθεότητα proferuntur: & *quæ Sacerdotes ac Mercatores de Natura diuina disputant, Athenagoræ in sua legatione disputationi satis conuenire videntur.* Liceat itaque suspicari, Athenagoram ad Christi sacra conuersum fabula isthac Romanensi Alexandrinorum genio,vel ex Hadriani ad Seruianum epistola facile cognoscendo,sese accommodasse,vt illi quasi aliud agentes Christianismo fauere animumq; adplicare, Gentilismum vero auersari inciperent. Rationes saltem Hue-

tianæ neq; ſingulæ, neq; coniunctæ, loco Demonſtrationis eſſe poſſunt. Præcipua eſt de Græciæ Athenarumq; clade. Sed quia in fabulis Romanenſibus pleraq; ſolent eſſe ficta, quid vetat credere, hanc etiam temporis circumſtantiam ab auctore fictam, quaſi Syllæ temporibus vixiſſet, adeoq; Paullo Æmilio, cuius triumphum præcipue deſcribit, propior fuiſſet? Brigittariæ nomine, quo *antiquitatis laruam plane detrahi* cenſet Huetius, nemo facile mouebitur, qui apud eundem legit S. Brigittam, Scoticam virginem, centum circiter annos Athenagora iuniorem, ſimulq; conſiderat, vetuſtisſimum id nomen apud Scotos Scythasq; fuiſſe, nec Brigittæ iſti prima vice impoſitum. Pari modo ad reliqua Huetii dubia reſpondere poſſem, niſi ad finem properarem. Quum Heliodorus & Athenagoras multa habeant ſimilia, dubium eſt, vter alterum exſcripſerit? & in tanta obſcuritate ſi potius Heliodorum ab Athenagora, quam hunc ab illo cum Huetio hauſiſſe dixeris, eadem probabilitate gaudebis.

Hæc ſufficiant de Athenagora, quibus aptius conſtituendis multi procul dubio optabunt libros XII. περὶ τῶν εἰς ἑαυτὸν, quos in Bibliotheca Geſneriana quondam latuiſſe, cum Centuriatoribus Magdeburgenſibus & Sculteto in Exercitatione n. XXX. adſerui. Verum *non eſſe Athenagoræ, ſed M. Antonini Imperatoris, vel ſolus titulus oſtendit*, bene monente Cauio p. 49. qui ſi Geſneri epiſtolam ad Bullingerum verſioni Athenagoræ Latinæ in editione Stephani a. 1557. præfixam conſuluiſſet, in ſua ſententia plane fuiſſet confirmatus. Ita enim habent verba: *Poſtulabant hæc* (teſtimonia Philoſophorum & a ratione humana profecta argumenta, quæ in Apologia occurrunt) *ea tempora, & Antoninus Imperator, apud quem perorauit, ſummus erat philoſophus: quod vel ex libris duodecim, qui etiam nunc græce ab eo conſcripti* περὶ τῶν εἰς ἑαυτὸν, *apud me extant, luculenter apparet. Cum hoc igitur philoſophandum ſibi arbitratus eſt &c.* Hæc ita accepit feſtinans Centuriatorum oculus, *quaſi Geſnerus dicat, ſe adhuc duodecim eiusdem auctoris* (Athenagoræ) *libros habere*, περὶ τῶν εἰς ἑαυτόν. Neq; vel Scultetus, vel ego Exercitationem ſcribens Geſnerum conſului, ſtatim alioqui animaduertens, de libris Marci Aurelii ſermonem ipſi eſſe; quos ex eiusdē Bibliotheca anno mox ſequenti 1558. Guil. Xylander cum verſione Latina primus in publicum protulit, ac in dedicatione repetitæ editionis a. 1568. indicauit, Geſneri exemplum ex libro Palatinæ Bibliothecæ tranſſumtum fuiſſe.

Ad num. XXXVI. XXXVII. p. 209. ſq.

Vulgarem opinionem a me etiam defenſam, quod Theophilus Antiochenus Epiſcopus librorum ad Autolycum auctor ſit, argumentis non contemnendis impugnauit Dodvvellus in Additione ad Diſſ. I. Pearſonii de Succesſione primorum Romæ Epiſcoporum c. II. p. II. 12. & Diſſ. II. in Irenæum n. 44. Innititur præcipue concluſioni libri III. quam prius excerpemus: ἔτι μὴν καὶ τοὺς σεβομένους αὐτὸν ἐδίωξαν, καὶ τὸ καθ' ἡμέραν διώκουσιν. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τοῖς εὐφώνως ὑβρίζουσι τὸν θεὸν, ἄθλα καὶ τιμὰς τιθέασι· τοὺς δὲ σπουδάζοντας πρὸς ἀρετὴν, καὶ ἀσκοῦντας βίον ὅσιον, οὓς μὲν ἐλιθο-

λιθοβόλησαν, οὓς δὲ ἐθανάτωσαν. καὶ ἕως τοῦ δεῦρο ὠμοῖς αἰκισμοῖς περιβάλλουσι. *Praeterea Christianos, qui verum Deum venerantur, hactenus sunt persequuti, nec adhuc hodie persequi cessant, imo iis, qui verborum quibusdam illecebris Deum conuitiantur, praemia & honores decernunt: quosdam eorum, qui festinant ad virtutem capessendam, & sanctam vitam agunt, lapidibus obruere; quosdam interfecere. Adhuc hodie non cessant, Christianos crudelissime & immanissime virgis caedere.* Quid hinc eliciat Dodvvellus, mixtis ex vtroque loco eius verbis audiamus: *E vocibus illis καθ' ἡμέραν, & ἕως τοῦ δεῦρο facile colligimus, persequutione etiamnum vigente, nostrum haec scripsisse Theophilum. Nec vero aliam illam, quam Seueri, fuisse persequutionem, illud argumento est, quod vim eiq σπουδάζοντες πρὸς ἀρετὴν praecipue sustinuerint, Proselyti nimirum, quae nota est persequutionis Seuerianae. Is enim Imperator, cum Christianos* fieri *vetuisset, non* esse; *in Proselytas proinde, seu* factos, *seu* facientes, *duntaxat animaduertebat. Non fuerant autem Proselytarum solorum praecedentes persequutiones, nec alia erat a morte Marci persequutio ante illam Seueri: quam Antiochiae coepisse manifestum est, vt proinde illam apte respicere potuerit Theophilus, licet ipse non Episcopus, Antiochenus tamen. Idem indicare videntur & verba illa, ἀσκοῦντας βίον ὅσιον. Nempe Philosophicam illam ἄσκησιν denotat, quo nomine celebres erant ea ipsa persequutione Origenes, eiusque Discipuli Martyres Philosophi, quos proinde habuerit ob oculos Theophilus. Hos enim ipsos prae aliis impetebat eadem illa persequutio. Sic post Ann. Aer. vulg. CCIII. scripserit illa Theophilus.* Equidem vix contradictionis notam effugiet Dodvvellus, quando *solos Proselytos* a Seuero adflictos contendit, mox tamen ascetas sanctiorique vitae generi adsuetos prae aliis impetitos fatetur; sane qui testimonia antiquorum a Pagio ad an. 203. collecta, Dodvvelloq; suam Martyrum paucitatem inde conficere laboranti, opposita, rite expenderit, plures veterum quam nouorum Christianorum illa persequutione sublatos deprehendet. Imo cum non minus de istis, quam de his dici possit σπουδάζειν πρὸς ἀρετήν; nihilq; aliud intendat Theophilus quam oppositionem inter eos, qui Deum conuitiis proscindunt, a gentilibus tamen honorati, & qui vita inculpata Deum laudant, ab Ethnicis male mulctati; tum omnis illa de Proselytis argutatio tantum non in nihilum recidit. Fateor tamen, post mortem Marci An. 180. vsque ad Seuerianam persequutionem an. 203. pacem Ecclesias totius orbis habuisse, quod diserte Eusebius confirmat Lib. v. Cap. xxi. Atqui Theophilus mortuo Marco scripsit. *Libro enim tertio annos Imperatorum Romanorum affert ex Chrysero, Nomenclatore, Marci liberto, quem ait omnes descripsisse vsq; ad Domini sui obitum. Post obitum Marci scripsit Chryseros, post Chryserum Theophilus, sed antē mortem Commodi, cuius annos ipse non addit:* Haec quidem Pearsonius, sed optime respondet Dodvvellus: *Nec enim ad Theophili, sed Chryserotis tempora referenda sunt, quae ad finem vsque Marci descripsit e Chryserote Theophilus. Atqui ea ipsa Persequutione sedem Antiochenam adeptus est Asclepiades, tertius ab Antiocheno Episcopo successor. Successit enim Theophilo Maximus, Maximino Serapion, Serapioni ille tandem Asclepiades. Haec ex Epistola Alexandri apud Eusebium Lib. VI. Hist. Eccles. Cap. XI. discimus, qui Christum in vinculis eodem tempore confessus est. Fallitur itaque Eusebius, qui duos hosce Theophilos Antiochenos in vnum confuderit, a-*

lüsque

liaque demum recentioribus plerisque in errore praiuerit. Vnicum superest refugium pro saluanda vulgari opinione, vt dicamus, perpetuas Ethnicorum aduersus Christianos machinationes atque molimina Theophilum more Oratorio per actum ipsum expressisse. Quod si fecerit, per me sit episcopus Antiochenus, licet apud Lactantium, qui ante Eusebii Historiam scripsit, hoc non signetur charactere, sed nude *Theophilus* appelletur, eiusque *liber de temporibus ad Autolycum* citetur. Quo motus Ioan. Fellus, *Theophilum Chronographum* aliquoties a Ioanne Malela in subsidium vocatum eundem putat cum nostro, in præfatione librorum ad Autolycum: sed *absque vllo rei examine*, iudice Humphredo Hodio in Prolegomenis ad Malelam, paucos ante menses in theatro Scheldeniano Oxonii luci publice expositum, n. XXIV. qui *monet, res istas, quas producit ex Theophilo Chronographo Historicus noster, in Theophili Antiocheni Operibus non omnino reperiri:* & præcedente num. XXIII. alium ex Abulpharagio producit Theophilum Chronographum & Historicum, natione Edessenū, religione Maronitam, qui sæculo octauo sub Irene Imperatrice vixerit, præter Historiam egregiam Abulpharagio laudatam, Astrologiam Græce scripserit, & Homeri Iliadem Syriace verterit. Hunc a Malala citari contendit Hodius, atque ex hoc aliisque argumentis conficit, eum non ad sæculum sextum, quæ communis hactenus eruditorum fuit opinio, sed ad nonum potius referendum esse. Hinc n. XIV. & XV. examinat, quæ Pagius ad An. 107. de Malela dixerat, & quoniam nos ea in tertia de Ignatio Exercitatione num. V. descripsimus, non possumus non ex Hodio notare, Pagium duabus in rebus memoria lapsum, partim quod dixit de anno Iustiniani XXV. pro XXXV. ad quem hodie producitur Chronicon in MSto; partim, quod exemplar in fine sit mutilatum, adeoque vltra istum annum olim pertigerit, neque auctor eo scribere desierit. Cæterum doleo, spem de hoc Chronico conceptam me fefellisse, cum præter pauca illa de Ignatio, quæ ex Loydio explicuit Pagius, nihil de reliquis Scriptoribus in hac Exercitationum parte illustratis, ne quidem de Theophilo Antiocheno Episcopo repererim, licet Auctor præcipue in rebus Antiochenis, sed ciuilibus magis, quam ecclesiasticis, describendis occupatus fuerit. Non vacat his amplius immorari: sed mirari saltem subit CL. Cauium, qui Pearsonii posthuma in Polycarpo citauit, hoc tamen loco eorum non recordatus est, quæ Dodvvellus ibi de Theophilo disputat, quæq; maiorem ipsi laudem attulissent, quam nota Dannhavvero inflicta, cuius non propriis, sed Hieronymi verbis vtentis innocentiam ostendit Ittigius noster Sect. II. de Hæresiarchis Cap. VII. n. 23.

Ad num. XXXIIX. pag. 214. sq.

At melius iudicare queant Lectores de Commentariis Theophili in Euangelia, nostrisq; eam in rem disputatis, duorum doctissimorum virorum epicrises adiungam. Alter est Cauius in Historia litteraria p. 43. *Latino cuidam scriptori recentioris aui, qui tamen eos ex genuinis Theophili Commentariis excerpsisse potuit, adscribendi potius videntur.* Alter est L. E. du Pin, quanquam is To. I. p. 67. sufficere putat, Hieronymi in Catalogo iudicium descripsisse.

Ad num. XXXIX. pag. 218.

Multa de ortu hæreseos Tatiani congessit Dodvvellus Diss. IV. in Irenæum n. 32. 33. 34. quæ breuiter expendemus. Ex falsa sua hypothesi supra refutata, quasi Iustinus an. 149. martyrio vitam finiisset, falsum quoq; initium lapsus Tatiani in an. 150. collocauit, nihilominus eum in Ecclesia permansisse vult vsq; ad a. XII. Marci, Christi 172. quo propriam Hæresin Scholamq; instituerit. At incredibile est, hominem arrogantia plenum, qualis fuit Tatianus, viginti duos annos exspectasse, donec propriam Scholam erigeret. Nonne Irenæus diserte eum nobis sistit μετὰ τὴν ἐκείνου μαρτυρίαν ἀποστάντα τῆς ἐκκλησίας, *post martyrium Iustini ab ecclesia se abrumpentem?* Neq; multos post annos id demum factum esse verba mox sequentia probant: *Doctoris arrogantia elatus & tumidus, tanquam præstantior cæteris, nouam quandam formam doctrinæ conflauit.* Quibus innuitur, Tatianum Iustino in διδασκαλίᾳ Scholæ successisse, Doctorisq; situ-

titulo superbiisse. Quod sane statim a morte Iustini factum oportet, ne Schola difflueret. Facile tamen largior, non vna nocte vniuersum hæreseos systema pepetisse Tatianum, sed vt fieri solet, ex vno absurdo in alterum, partim ex Valentinianorum ac Marcionistarum consuetudine, partim ex propria arrogantia, prolapsum, an. Marci xii. in Orientem abiisse, Scholas tum Antiochiæ ad Daphnem, rum in Cilicia & Pisidia, instituisse, tandemq; *Encratitarum* nomen adseclis suis imposuisse: a qua nominis impositione factum puto, vt Eusebius eiusq; exemplo alii ad an. Marci xii. scripserint: *Tatianus hæreticus agnoscitur, a quo Encratitæ.* Nempe a morte Iustini an. 163. Scholam Romæ ab eo relictam docuerat Tatianus, sed absurdis opinionibus consortioq; hæreticorum suspectum reddens in Orientem profectus est, ibique perfecit, quæ retulimus ex Epiphanio, annum quidem xii. Pii pro Marci perperam substituente, sed optime addente: ἀπὸ τοῦ (κηρύγματος) κατὰ διαδοχὴν οἱ Ἐγκρατῖται λεγόμενοι, *ab hac Tatiani prædicatione Encratitarum successio orta est.* Obiicit quidem Dodvvellus, Tatianum teste Eusebio reliquisse πολὺ τι πλῆθος συγγραμμάτων, *infinita volumina*, vt vertit Hieronymus. Sed etiamsi demus, quod ex Chronico Alexandrino vult Dodvvellus, Tariano mortuo anno Marci xiv. Seuerum successisse; nihilominus tamen vndecim annorum spatio, quod post mortem Iustini ad illum annum numeratur, πολὺ τι πλῆθος συγγραμμάτων ab homine profundæ eruditionis & arrogantiæ scribi potuisse nemo negabit. Neque meæ contrariatur hypothesi, quod Dodvvellus ait, hæresin sapere, quæcunq; eius habemus fragmenta apud Clementem & Origenem, tum Harmoniam & Orationem aduersus Gentes, quæ omnium fortasse prima fuerit: dummodo notetur, hanc scatere quidem errore de animæ mortalitate, nihil tamen vel de Adami salute, vel de nuptiarum damnatione, aliisque dogmatibus Tatiano propriis continere; Harmoniam autem, Eusebio, Epiphanio & Theodoreto testibus, instituta iam Encratitarum secta ab eo compositam. Facile etiam largior, quod addit Dodvvellus, Rhodonem discipulum eius Romæ fuisse: *at*, quod inde concludit, *non parua erat molis aut temporis Scholæ illius etiam Romanæ institutio*, mihi non probatur, quum Tatianus Iustino in Schola tegenda successerit, & nouem circiter annos Romæ commoratus sit, quo tempore satis ipsum audire poterat Rhodon.


Ad num. XLII. XLIII. pag. 223. sqq.

Valesii sententiam de harmonia Tatiani, hodie plane perdita, probarunt etiam Pagius ad An. CLXXII. n. 3. & L. du Pin To. 1. Nouæ Bibliothecæ pag. 64. & quanquam Ittigius noster Sect. 11. Cap. xii. num. 1. quædam Valesii argumenta non satis valida esse probat, reipsa tamen ab eo haud dissentire videtur. Cauius autem in Historia litteraria pag. 47. vulgatæ opinioni adhæret, quæ ex Victoris Capuani errore Harmoniam Tatiani Ammonio, & Ammonii Tatiano tributam, idque hodienum fieri statuit.

Ad num. XLIV. pag. 227. 228.

Cauius in Historia litteraria pag. 50. Hermiam inter secundi sæculi scriptores iterum collocat, hac tamen cautela præmissa: *Hermias, Philosophus Christianus, cuius neque patriam, ætatem, genus, nec vitæ institutum, vlla sedulitate indagare potui: ideo hic locum habet, quia cum cæteris huius sæculi Apologistis, & forsan non immerito, coniungi solet.* Duplicem in Exercitatione coniecturam proposui, quarum altera Hermiam Sozomenum, altera Hermiam Alexandrinum facit auctorem. Sed quia de Alexandrini Christianismo nihil constat, Lambecio potius subscribo, Hermiamque Sozomenum opusculum illud composuisse suspicor. Quare illis, qui nouam aliquando editionem Iustini moliuntur, iisque Apologeticos libellos ad exemplum Parisiensium addunt, auctor suasorque fuerim, vt ordinem temporum in iis disponendis seruent, primumque Tatiani Orationem, deinde Athenagoræ Legationem & tractatum de resurrectione, tertio Theophili libros, denique Hermiæ libellum excudant, & in Theophilo nouam Oxoniensem editionem sequantur, nisi melior posthac prodierit, Hermiam vero cum Cæsareo Codice conferri curent.

FINIS PARTIS PRIORIS.



WILHELMI ERNESTI TENTZELII

EXERCITATIONVM SELECTARVM

PARS POSTERIOR.

DISSERTATIO DE DISCIPLINA ARCANI

Wittenbergæ habita
d. III. Januarii An. CIↃ IↃC XXCIII.

Q. D. B. V.



Liquot anni ſunt, quod nomen ſuum inter eruditos publice profeſſus eſt Emanuel a Schelſtrate, de Belgio Antuerpienſis, S. Theologiæ Doctor, edita Antuerpiæ Antiquitate Illuſtrata circa Concilia Generalia & Provincialia, decreta & geſta Pontificum, & præcipua totius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capita An. 1678. In iſto libro Auctor, vir doctus & in Antiquitate Eccleſiaſtica egregie verſatus, ſed nimio partium ſtudio abreptus, nihil ferme agit, quam ut Romani Pontificis Primatum hactenus tantum non depreſſum & euerſum nouis rationibus variorumque ſcriptorum teſtimoniis pro virili parte ſtabiliat ac confirmet. Quod vt obtineat, omnia vndique corradit, multaque obtorto collo trahit, ceu quilibet nullo negotio animaduertet. Nihilominus lucubrationes viri docti Innocentio XI. Pontifici Romano, cui dedicatæ erant, tantopere placuere, ut Schelſtratio gra-

dum honoris ac muneris maxima liberalitate detulerit, eumque dignitate in Ecclesiæ suæ Clero conspicua auxerit, quemadmodum in Epistola Nuncupatoria alterius voluminis, quo Ecclesiam Africanam sub Primate Carthaginiensi An. 1679. illustrauit, ad Hieronymum Casanate Cardinalem fatetur: quamobrem & in isto tractatu & in tertio, quo Anno 1681. Concilium Antiochenum vindicauit, Ecclesiæ Cathedralis Antuerpiensis Canonicum & Cantorem se adpellat. Sicuti vero tria Schelstratii scripta, quæ ad manus meas hactenus peruenerunt, multa eruditione & copiosis ex antiquitate Ecclesiastica obseruationibus referta esse non diffiteor, ita in controuersiis aduersus veram & Catholicam religionem pertractatis candorem ejus admodum desidero, ac proinde summe necessarium est, vt in Dissertationibus de Actis Orientalis Ecclesiæ contra Lutheri & Caluini hæreses, quas in Concilio Antiocheno pag. 273 & 485 luci publicæ donandas promisit, nostræ Ecclesiæ sententiam a Reformatorum hypothesibus probe distinguat, statumque controuersiæ recte formet, ne in ipso statim limine impingens, ceu in disputatione de Confessione auriculari, illustrationi Concilii Antiocheni inserta, temere fecit, in qua mentem nostram ex Augustana Confessione nostrorumque Theologorum scriptis facile cognoscere potuisset, cum tempore abutatur, & oleum operamque perdat. Cæterum quoniam multa noua reperisse, vel de nouo saltem obseruasse sibi visus fuit, exercitationem Academicam propositurus, quæ de occultato olim Eucharistiæ Mysterio ad illustrationem Canonis Antiocheni secundi, capite octauo, disquisiuit, ad veritatis lancem trutinare constitui, his verbis breuiter in Præfatione ad Lectorem num. 6. comprehensa: *Cum primis Ecclesiæ sæculis rariora de sacrosancto Eucharistiæ mysterio reperiantur testimonia, & plerique antiquorum aut obscure, aut inuolutius, quam par esse videtur, de illo tractasse reperiantur, ne sæculi nostri perspicaces heretici hic aliquid piscarentur in fauorem erroris nouelli, morem a Christo traditum ab Apostolis firmatum & ad quinti sæculi medium vsu in Ecclesia receptum proferimus, de non mittenda Eucharistica margarita ante porcos, & non exponendo mysterio non initiatis.* Verum longe aliud ex Scripturæ diuinioris oraculis primæque Ecclesiæ consultis colligitur, neque æuo Apostolico, nec nisi vergente secundo a Christo nato sæculo in Orthodoxam Ecclesiam disciplina Arcani, vt ab aliis vocari solet, introducta & recepta est; id quod hac Diatriba ostendam, simulque Schelstratii argumenta excutiam & examinabo. DEVS conatibus adsit!

I.



Uod paullo ante de mala Schelstratii fide in orthodoxa sententia impugnanda conquestus sum, initio disquisitionis repetere necesse habeo. Quanquam enim in principio capitis orthodoxam Nostrorum sententiam a Reformatorum secta recte distinguit, nec in transsubstantiationis fabula, quam nemo hactenus aduersariorum siue ex Scriptura, siue

ex

ex veris & non interpolatis Patrum scriptis recte intellectis, probare potuit, aut vnquam probabit, a repurgatæ religionis confessoribus Lutheranis Pontificios impugnari dissimulat, confusionem tamen in cæteris admissam prodit, quando argumentum *ex obscura & rara apud antiquos de veritate mysterii Eucharistiæ mentione* desumtum orthodoxis pariter & reliquis diuersum sentientibus tribuit. Enimuero quis Nostrorum impugnauit veritatem mysterii magni & tremendi? quis in Theologorum scriptis paullulum versatus nescit, veram corporis & sanguinis Christi in Cœna Domini præsentiam ab omnibus adseri & contra quosuis hæreticos solide adstrui & defendi? Certe explicatio & argumenti constructio, quam subiungit, potius ad Mornæi, Dallæi, Albertini, & similium scholam, quam ad nostram pertinet. Sufficiat vnum adduxisse B. Gerhardum, summum maximumque Theologum, qui in Loco de S. Cœna non solum §. 117. aliquot theorematibus exposuit, qua ratione obscuriores loquendi modi in Patrum scriptis occurrentes intelligendi veniant: sed insuper §. 131. seq. clarissime ostendit, Transsubstantiationem Scripturæ fundamentis Patrumque calculo plane destitui, ac a Lombardo primum ex male intellectis veterum quorundam loquutionibus consarcinatam esse. Itaque manifestum est, quam inique aduersus nostram Ecclesiam pugnare soleat Schelstratius, qui non minus quam ipse obseruamus, *non contemnendum contra Calvinianos fundamentum tribuere tenebras, quas ipsi ingerunt, cum quod piscari conantur ex silentio aut obscura Patrum loquela negatiuum argumentum, ad ipsum veritatis Eucharisticæ mysterium sit ianua & ostium.*

II. Verumenimuero arcani disciplinam ab ipsis Ecclesiæ Christianæ primordiis in vsu fuisse cum Schelstratio adfirmare non possumus, quum aliud longe scripta Apostolica primorumque Ecclesiæ Patrum euincant. Quanquam autem nostram sententiam ante aliquot annos peculiari Commentario tutatus est vir in Ecclesiæ antiquitate versatissimus, Gebhardus Theodorus Meierus: nondum tamen patefacti erant Schelstratii conatus, in quibus refellendis occupati erimus. *Arcani disciplinam* morem istum adpellare libuit, quod circa recondita Christianæ religionis mysteria occupatus ad disciplinam Ecclesiæ pertinebat. *Mysterii* notionem prolixe persequutus est Isaacus Casaubonus Exerc. xvi. contra Baron. Diatriba xxxiv. proferens varias vocis acceptiones, tam in Scriptura, quam Patrum libris occurrentes: prudenterque monuit, *inter mysteria silenda non recensendam esse doctrinam de S. Trinitate, de Incarnatione Iesu Christi & similia capita Euangelicæ prædicationis: sine quorum notitia Christianus esse nemo potest.* Itaque arcani seu mysterii nomine nobis proprie veniunt Sacramenta N. T. quorum duo tantum sunt, Baptismus & Eucharistia. Verum *non adeo res in Sacramentis significatas & efficaciam illorum siluisse veterem Ecclesiam, ac Symbola ipsa, & ritus celebrandi ac rituum caussas*, obseruat Casaubonus & post eum alii. Quod si verum est, Schelstratii argumenta omnia non minus ac Reformatorum, quas ex veteris Ecclesiæ more nectunt, tricæ nullius robo-

 ris

ris sunt, nec magno labore dissoluuntur. Etenim hi maxime errant, quando ex ritibus occultatis ipsum dogma obscurius traditum esse colligunt: Ille non minus infeliciter pugnat, quando non distinguit inter ritus & dogmata, sed omnia confundens, ceremonias pariter ac fidei doctrinas, prima Ecclesiæ ætate absconditas esse contendit.

III. Cæterum disciplina arcani maiestatem quandam conciliabat religioni Christianæ. Nam cum Gentiles spectarent saltem ea, quæ ad pompam faciebant, primosque Christianos ob simplicitatem contemnerent ac deriderent, visum est illis inclinato sæculo & sequuta Apostolos ætate recondita venerabilique arcani disciplina maiestatem propter paganos religioni suæ adserere ac prudenter vindicare. Quæ confirmat iudicioque accuratissimo probat CL. Polyhistor ac Doctor meus, Conradus Samuel Schurzfleischius, in Tmematibus Antiq. Eccles. nuper publicatis §. x. *Illud vero ad laudem prudentiæ pertinebat, quod prisci Christiani disciplinam Arcani sanciebant, & mysteria prudentes scientesque occultabant, cum vt Catechumenorum simplicitati consulerent, tum vt homines idolorum cultibus deditos, & de Christianorum sacris abiecte loqui solitos Arcani maiestate refellerent, eorumque societatem prorsus auersarentur.* Præterea CL. Meierus §. II. optime adnotat, cum more occultandi sacra non esse confundenda occulta primitiuæ Ecclesiæ sacra, quæ difficilimis temporibus, quum Ethnici Ecclesiam diris modis persequerentur, Christiani in abditis locis, in cryptis, noctu, agebant, διὰ τὸ̃ν κοινὸ̃ν κίνδυνον, *communis periculi caussa*, vt notat Origenes aduersus Celsum, vel potius apud eum Celsus, quum Christianis clancularios conuentus exprobrasset, habet, *non sine causa id faciunt, sed vt pœnam sibi intentatam capitalem depellant.* Hinc Christiani *latebrosa & lucifuga natio, in publico muta, in angulis garrula*, Celso & Cæcilio calumniose audiebant. De talibus secretis in occulto habitis sacris, quæ necessitas induxerat, passim loquuntur scriptores primæ ætatis, qua nondum recepta erat solennis disciplina silentii & reticentiæ, de qua agere in præsens cœpi. Equidem hæc introducta publiceque usurpata est, non tam communis periculi, quam vilitatis & profanationis metu. Ex quo elicitur, vtrum recte Casaubonus de Arcani disciplina intellexerit Celsi criminationem, quando is Christianam religionem subinde vocitabat κρύφιον δόγμα. Etenim vltro vult & fatetur Casaubonus, priscos Christianos non tam mysteriorum dogma, quam ritus reticuisse, Celsum vero occultos & periculi caussa clam institutos Christianorum conuentus reprehendere, iam ex dictis est manifestum.

IV. Quibus obseruatis, rem ipsam adgredior, ostensurus, nec dogmatum capita, nec ritus mysteriorũ siluisse vel Apostolos, vel Apostolicos viros, & primos immediatosq; eorum successores ac discipulos. Quum enim Schelstratius vtrorumq; occultationem obtinuisse arbitretur, de vtrisque habuit, vt contrarium demonstraret. Enimuero si disciplina arcani in Ecclesia prima vsitata & obseruata fuisset, nihil

hil dubitari attinet, quin vlla saltem eius indicia aut vestigia in scriptis Apostolorum primorumque Patrum expressa reperiantur. Atqui tantum abest, vt quidquam huius moris vsquam exstet & inueniatur, vt quoque contrarium sine ambagibus euincere mihi liceat. Quod inprimis exaggerat Jo. Dallæus de scriptis Dionysio Areopag. suppositis cap. XIX. breuiter autem explicat laudatus Polyhistor. Tmem. XI. *cuius quidem moris nulla indicia prodita sunt ante Tertullianum, siue Græca, siue Latina superiorum temporum monumenta inspiciamus. Etenim nullum tale vestigium cernitur vel in Clemente Romano, vel in Ignatio, vel in Irenæo, vel in quouis alio iis æquali scriptore.* Non est præterea aliquod pietatis Christianæ mysterium, quod non perspicue a Christo & Apostolis traditum fuerit. Etenim vt de duobus saltem Sacramentis, quæ proprie huc spectant, agam, Seruator non modo satis clare aperteque in ipsis institutionis verbis vtriusque rationem exposuit, quæ postea Euangelistæ ac Paullus libris suis inseruerunt: sed insuper ea omnia, quæ per parabolas & obscurius docuit, Apostolos aperte publiceque prædicare iussit Matth. X. 27. Quo spectant verba Irenæi III. 15. *Doctrina Apostolorum manifesta & firma & nihil subtrahens, neque alia quidem in abscondito, alia vero in manifesto docentium. Hoc enim fictorum & praue seducentium & hypocritarum est molimen.* Tum nihil est, cur dubitemus, Codices Euangeliorum, Actus Apostolicos, Paullique ad Romanos, Corinthios & cæteras Epistolas, quæ non aliter ac reliqua Noui Fœderis scripta ad communem gentium vsum tractationemque Græco idiomate editæ erant, a fidelibus pariter & Catechumenis fuisse lecta, & in paganorum manus haud rarò peruenisse, quippe quibus Baptismi non minus ac S. Cœnæ doctrina & ritus Apostolici clarè & sine omni inuolucro traduntur.

V. Eundem morem in tradendis religionis nostræ mysteriis obseruarunt viri Apostolici. Ignatius enim in Epistola ad Philadelphios, quatenus ab Vsserio & Vossio edita ab ipso Schelstratio pro vera germanaque habetur Antiq. Illust. P. II. Diss. III. c. IV. doctrinam de S. Cœna nullis verborum obscuritatibus inuoluit: *Σπουδάζετε οὖν μιᾷ εὐχαριστίᾳ χρῆσθαι. Μία γὰρ σάρξ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ ἓν ποτήριον εἰς ἕνωσιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ.* Vetus interpres, quem primum Vsserius edidit: *Studete igitur vna gratiarum actione vti. Vna enim caro Domini nostri Iesu Christi & unus calix in vnionem sanguinis ipsius.* Sed *εὐχαριστίας* vocem melius de ipso Cœnæ Sacramento accepit Vsserius in noua versione, quam Appendici Ignatianæ inseruit: *Operam igitur detis, vt vna Eucharistia vtamini.* Omitto alium locum, qui velut ex Ignatii Epistola ad Smyrnæos recitatur à Theodoreto in tertio dialogo, qui *Ἀπαθὴς* inscribitur: ac licet eum in hodiernis Codicibus non reperiri cum plerisque censeat Schelstratius, legitur tamen in Vossiana editione, prout iampridem Petauius obseruauit Lib. XII. de Incarnatione Cap. XIII. n. 3.

 Vnde

Vnde patet, primos Christianos de mysterio Eucharistiæ non verborum inuolucris, sed perspicue euidenterque informatos fuisse.

VI. Quæ longe illustrius docet Iustinus Martyr in Apologia secunda, quæ ordine temporis prima est, & Antonino Pio Imp. eiusque filiis ac Romano Senatui oblata. Etenim non modo doctrinam de Baptismo & S. Cœna, sed ritus quoque eorumque rationem verbis adeo claris & perspicuis proponit, vt Gabriel Albaspinæus lib. I. Observ. XIII. eorum euidentia motus *primi sæculi Christianos sua lubentes mysteria enunciasse* adfirmet: quem sequutus Natalis Alexander, Doctor Sorbonicus, Sæc. II. P. II. Dist. XVI. p. 544. 545. omnia, quæ hactenus disserui, confirmaturus scribit: *Ineptum esset vti metaphoris, dum sermo coram auditoribus habetur, a quibus intelligi illas non posse verisimile est: aut saltem iis in casibus exponendæ sunt. Nam lex societatis iubet verba nos adhibere, quibus mentem nostram aperiamus: lex charitatis imperat, ne quos docere volumus, eos verbis obscuris, & quorum sensum assequi non possint, ducamus in errorem. Quoties itaque Patres de mysteriis religionis nostræ ad Ethnicos scribunt, vel Catechumenis aut Neophytis coram loquuntur, qui figuratas de rebus sacris loquutiones intelligere non possunt, vtpote loquutionibus adeo a communi vsu remotis non assueti, certum est, ea quæ de religionis Christianæ dogmatibus, vel Sacramentis dicunt, non esse metaphoricè intelligenda. Verbi gratia hæc S. Iustini verba in Apol. ad Antoninum Imp. Metaphorico sensu accipere summa vecordia est.* Et post verba recitata: *Certe quum Ethnicis Imperatoribus exponere simpliciter vellet S. Iustinus, quid esset Eucharistia, ineptum est fingere, quod metaphorice loquutus sit. Verba enim laudata tam insolentem sensum, tamque a natiua sua significatione alienum, Ethnicorum Principum mentibus non ingenerassent.* Pariter in ritibus vtriusque Sacramenti exponendis nihil præterit reticetque Iustinus, sed omnia explicat declaratque, prout sua ætate in Ecclesia gerebantur, vt loci ipsius conspectus docet. Paullo post Irenæus, Lugdunensis Galliæ Episcopus, in libris conscriptis aduersus hæreses tantum abest, vt arcani disciplinam cognitam habuerit, vt quoque non Apostolorum, sed *fictorum & praue seducentium & hypocritarum molimini* acceptum ferat, *si alia quidem in abscondito, alia vero in manifesto doceantur* lib. III. c. 15. in quam sententiam corporis & sanguinis Christi in Sacramento Cœnæ veram realemque præsentiam & sub vtraque communionem aperte confirmat lib. IV. c. 34. & lib. V. c. 2.

VII. Verum quia Christiani post tempora Irenæi facile animaduertebant, Gentilium ludibriis & calumniis se peti, neque conuitiorum esse finem, venerationem sacris suis conciliaturi disciplinam arcani primum receperunt, ac paganos profanosque homines communione ac societate sua plane prohibuerunt: nec Catechumenis promiscue mysteria pandere voluerunt; cum vt eorum simplicitati prudenter hoc tribuerent, tum vt magis baptismi desiderium accenderent, quod minui & frigere in quamplurimis videbant, quando haud pauci Baptismum ad vltimum vitæ tempus differe-

differebant, ac demum lecto adfixi sacro fonte abluebantur. Quem morem hæretici quidem non obseruabant, atque adeo in reprehensionem Orthodoxorum incurrebant. Hinc est quod Tertullianus libro de Præscriptionibus Hæreticorum, *quem ad æra Christianæ annum 203*, non diffitente Schelstratio Antiq. Illust. P. II. Diss. I. c. III. *elucubrauit*, hæreticorum conuentus redarguens, *non omittam*, inquit, *ipsius etiam conuersationis hæreticæ descriptionem, quam futilis, quam terrena, quam humana sit, sine grauitate, sine auctoritate, sine disciplina, ut fidei suæ congruens. Inprimis quis Catechumenus, quis Fidelis, incertum est: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant: Etiam Ethnici si superuenerint: sanctum canibus & porcis margaritas, licet non veras, iactabunt.* Eiusdem disciplinæ rationem explicat in Apologetico, primo sæculi tertii anno edito, vt iterum largitur nobis Schelstratius Serie Chronol. Rom. Pontif. col. 53. vbi sane Tertullianus diligenter & accurate perfecit, quæ de more hoc delineauerat L. I. aduersus Nationes cap. VII. Non ignoro, esse inter eruditos, qui hæc Tertulliani loca ad silentii disciplinam apud Orthodoxos non spectare arbitrati, Ethnicorum saltem mysteria ab eo descripta esse existiment. Sed omnibus ex æquo ponderatis, facile constabit, non posse Tertulliani verba proprio sensu & scopo conueniente intelligi, nisi illam disciplinam apud Christianos obtinuisse credamus. Quo spectant Origenis, *qui Tertulliano non multo posterior fuit*, Homil. XIII. in Exod. verba a Bellarmino lib. II. de Euchar. cap. IX. allegata & arcani disciplinam non obscure indicantia, dummodo Rufino interpreti fides sit: *Volo vos admonere religionis vestræ exemplis: Nostis, qui diuinis mysteriis interesse consueuistis: quomodo cum suscipitis corpus Domini cum omni cautela, & veneratione seruatis.* Plura sequentium scriptorum testimonia colligere & citra necessitatem coacceruare opus non est, quum ab hoc tempore morem solennis reticentiæ in Ecclesiam introductum fuisse, non inficiari ausim. Neutiquam tamen hunc ritum describunt, quæ vel ex Clementis Alexandrini lib. I. Stromatum, vel ex Origenis homilia prima in Ezechielem excerpsit Petrus Halloixius Quæst. II. de Vita & Operibus S. Dionysii, in Operibus Dionysio Areopag. falso tributis Tom. II. p. 415. 416. Neuter enim de arcani disciplina, quam nos tradimus, loquitur, sed prior arcanum veræ Philosophiæ sermonem obstinatis & pertinacibus hominibus tradi non vult: posterior de Deo cautius loquendum esse pronunciat.

VIII. Etenim arcani disciplina apud Orthodoxos in mera rituum occultatione consistebat, atque hanc ob caussam ipsi quoque fraudis malitiæque accusabant hæreticos, vt qui dogmata sua pestilentissima proloqui nefas putarent. Quare supra notauimus, Irenæum aduersus Valentinianos pugnantem censere, doctrinæ occultationem non Apostolicæ simplicitati, sed hæreticæ prauitati conuenire. Similiter Tertullianus in libro, quem ad Irenæi exemplum atque imitationem aduersus eosdem Valentini sectatores edidit, ipso statim initio de illis scribit: *Nihil magis curant, quam*

occul-

occultare, quod prædicant. Notum eſt, quam ferax traditionum fabularumque fuerit Valentiniſmus, de xxx. Æonibus, Bytho & Sige, Enthymeſi ſeu Achamoth, & ſimilibus. Has fabulas & myſteria occultare ſummoque ſilentio premere ſolebant; Sed Orthodoxi ex hoc ipſorum ſilentio & latebris certisſimam ſibi victoriam pollicebantur, *quia, quod tanto impendio abſconditur, etiam ſolummodo demonſtrare, deſtruere eſt*, vt ibidem Tertullianus iudicat. Vnde omnino aperte & certo colligitur, ſilentium dogmatum nec ad arcani Diſciplinam apud Orthodoxos proprie vnquam pertinuiſſe, nec ab Apoſtolis traditum, ſed a Valentino ejusque ſectatoribus inuentum fuiſſe, qui vanisſimi ſilendorum dogmatum magiſtri imperante Adriano exorti ſunt, vt patet ex demonſtrationibus Ioannis Pearſonii Parte II. Vindiciar. Ignat. Cap. VII.

IX. Sed totam arcani diſciplinæ apud Orthodoxos rationem & progreſſum erudite delineauit CL. Meierus §. XVI. cuius diſcurſum prolixiorem breuibus complectemur: Ex quo publica ſacra Politiam quandam regiminisque formam acceperunt, fieri aliter non potuit, quin cœtus, diſciplinæ cauſſa, in Catechumenos, Fideles, Pœnitentes & Ethnicos, quoad locum non modo, ſed & quoad communionem Sacrorum diſtingueretur, & occaſione eius diſciplinæ ſacra quædam in Eccleſia coram profanis & nondum initiatis privato inſtituto conſilioque tegerentur, quod vero admodum ſimile nobis videtur. Nec enim ex vllo Eccleſiæ canone aut decreto, quod equidem ſciamus, id factum legitur, ſed tacitis moribus ex conſuetudine Gentilium cum Chriſtianis & reliquiis paganiſmi in communem quendam vtriusque Eccleſiæ vſum potius, quam ius & ſolennem tandem diſciplinam ſenſim tranſiit. Quæ quarto & quinto poſt Chriſtum natum ſæculis maxime floruit, atque hinc in præcipiti ſtetit, & ſexto vtique ſæculo ſenſim exoleuit, ſeptimoque demum in Latina Eccleſia prorſus deſiit atque ceſſauit. Græca Eccleſia, priſcorum inſtitutorum magis retinens, morem iſtum diutius cuſtodiuit, ita quidem, vt eius aliquid ſimile adhuc hodie ibidem conſpiciatur, prout colligitur ex Metrophanis Critopuli Confeſſ. Eccleſ. Orient. Cap. IX.

X. Nunc ad Schelſtratii argumenta veniamus, ſimulque oſtendamus, quam irrito conatu demonſtrare auſus ſit, arcani diſciplinam ætate Apoſtolica in Eccleſia obtinuiſſe. *Militabat primitiua Eccleſia non modo in terris aduerſus hoſtes inuiſibiles, ſed & pugnare debebat in Imperio aduerſus Ethnicos homines, quorum de myſteriis Catholicæ fidei ludibria adeo ſemper abhorruit, vt ne conuertendis, quamdiu Catechumenorum nomen gerebant, vellet eſſe expoſita.* Equidem pugna ſpiritualis Eccleſiæ primæ non eſt deneganda, ſed arcani diſciplinam in ea ab Apoſtolis traditam & retentam fuiſſe nondum probatum eſt, nec coram Ethnicis & Catechumenis Apoſtoli cætera Chriſtianæ religionis myſteria ſilebant, vt conſtat ex diuinis ſermonibus, quos in frequentiſſima hominum concione habuerunt, in Actibus Apoſtolorum

rum

rum descriptos. Iis autem nullos Gentiles, nullosue Catechumenos interfuisse apertis Lucæ testimoniis aduersatur. Prætermitto, quæ de Scriptis Apostolicis paullo ante monui. Calumniæ quoque & ludibria gentilium plane contrarium indicant, manifestumque reddunt, non aliunde occasionem obtrectandi sumsisse paganos, quam ex publica Christianorum doctrina, Christi corpus & sanguinem in ara crucis mactatum & fusum cum pane & vino Eucharistico distribui & accipi, manducari & bibi. Hinc illi Thyesteas cœnas fingebant, vt in inuidiam odiumque publicum Christianos reuocarent, iam inde *a temporibus Tiberii*, vt Tertullianus docet in Apologetico, *hoc est ab Apostolis*, ceu exponit Albaspinæus lib. I. Obseru.XIIX. qui licet malit originem calumniæ ex Agapis Christianorum, non Eucharistia, deducere, *non inficias tamen ire potuit, tempore Apostolorum, Agapas forte factas esse cum celebratione Eucharistiæ, quod non prohibet, quin Eucharistia huic impostura colorem ac locum dederit.* Hinc Iacobus Nouet in libro Gallico, la Presence de Iesus-Christ dans le saint Sacrement, multa protulit argumenta, quibus monstrat, Ethnicos habuisse notitiam mysterii Eucharistici, silentiumq; quod prætendit Schelstratius, meram illusionem esse. Vid. Ephemer. Erud. Gallican. Tom.III. Ephem.XI. An.1667.

XI. Sed vir doctus ab ipso Christo solennis reticentiæ morem præceptum esse probare studet. *Samaritanis hominibus carnalibus loquuta de hac veritate ipsa veritas æterna, inuenit obloquutores, qui scandalizati abibant & duriora in Christum effutiebant: & nunquid ob hæc & similia dixit Matth.7. nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos? Scio quidem Angelicum Doctorem Thomam cum plerisque aliis Catholicorum hæc ita interpretatos fuisse, vt Christus vetauerit corpus suum dari peccatoribus: sed antiquiores quique etiam intellexerunt, de non exponendis Christianæ fidei sanctioribus mysteriis, nisi fidelibus.* Enimuero, quis non videt, hæc nullo modo posse consistere, quinimo secum pugnare? Nam si mandatum Christi apud Matthæum de silentii disciplina capiatur, quare Seruator ipse eam obseruare noluit in concione ad Samaritanos, quæ post sermonem in monte habitum instituta est, vt certe ex Harmonia Euangelica liquet? Confundit autem Schelstratius diuersos Christi sermones, alterum cum muliere Samaritica Io.IV. collatum, alterum Capernaumi in frequenti populi concione habitum Io.VI. Præterea falsum est, quod addit vir doctus, locum Matthæi ab antiquioribus de occultandis Christianæ religionis mysteriis explicari, quum diuersos explicandi modos habeat, vt ex discrepantibus Patrum sententiis constat: eo vid. B. Gerhardi Comment. in h. l. Nec arcani disciplina ad omnia fidei mysteria attinebat, sed ritus tantum Sacramentorum spectabat, vti aliquoties commonui. Conf. CL. Meierus §.56.57.

XII. Multo minus Schelstratii caussam iuuat prolixus locus ex Pseudo-re-

cognitionibus prolatus: *Praclarum est, quod hac de re testimonium aternitati consecrauit auctor perantiquus recognitionum Clementis primi, in quarum lib.3. refert, Petrum in medio fratrum dixisse: nihil est difficilius, fratres mei, quam de veritate apud permixti populi multitudinem disputare. Quod enim est, omnibus, vt est, dici non licet, propter eos, qui maligne & insidiose audiunt: fallere vero non expedit, propter eos, qui sincere audire desiderant veritatem. Quid ergo faciet, cui ad indiscretum populum sermo est: occultet, quod verum est? & quomodo instruet eos, qui digni sunt: Sed si meram proferat veritatem his, qui salutem consequi non desiderent, illi, a quo missus est, iniuriam facit, a quo mandatum accepit, ne mittat verborum eius margaritas ante porcos & canes, qui aduersum eas argumentis ac sophismatibus reluctantes, ipsas quidem cœno intelligentia carnalis inuoluant, latrantibus autem suis & responsionibus sordidis, rumpant & fatigent pradicatores verbi Dei. Propter quod & ego in plurimis circuitu quodam verbi vtens, tentare nitebar, ne principalem de summa diuinitate intelligentiam minus dignis auribus publicarem. Hac Apostolorum Princeps Petrus, iuxta fidem Clementis, vel antiquissimi auctoris graci ex interpretatione Rufini.* Omnino enim mirus est colligendi modus, quo Schelstratius vtitur, in adornanda verborum Christi interpretatione, ac more Apostolico eruendo. Quis enim iudicii compos Petro Apostolo adscripserit, quæ desumpta sunt *ex libris merito a S. Inquisitione in Indice damnatorum ab Ecclesia voluminum adscribi iussis:* quos *ab antiquis Patribus non inuenimus relatos atque receptos, quin potius vt Canones Apostolorum & Clementis itinerarium a Gelasio & Romana Synodo notatos,* quorum prius cum Sixto Senensi, posterius cum Antonio Augustino de Recognitionibus Clementi Romano perperam tributis atque affictis statuit ipse Schelstratius Antiq. Illustr. P.II.Diss.II.cap.II. Equidem non diffiteor, opus hoc perantiquum esse, & circa sæculi secundi finem conscriptum videri Blondello, Dallæo & Alexandro, idque ab Origene in Philocalia cap.XXII. & alibi describi, multisque veterum memorari: nunquam tamen sub titulo recognitionum a quoquam adducitur, sed περίοδος, seu Itinerarium & Circuitus Petri vel Clementis nominari solet, vt facile adsentiar Schelstratio, quando illud censet *sub falso recognitionum titulo a librariis ornatum, ne sub Itinerarii nomine damnatum haberetur apud omnes.* Etenim apocryphis & supposititiis scriptis diserte accensetur ab Athanasio, Gelasio, Humberto Cardinali, Iacobo de Voragine &c. Ab Ebionitis interpolatum dicitur Epiphanio. Imo si idem est, quod continetur Disputatione Petri & Apionis, vt cum aliis sentire videtur Nat. Alexander Synopsi Sæc.I. cap.XI. Art.XI. damnatum quoque & reiectum fuerit ab Eusebio, Hieronymo & Photio. Quibus omnibus recentiores eruditi accedunt & subreptitiarum recognitionum libros communi consensu reiiciunt atque explodunt. Quæ inductio prodit, quam non congrue Schelstratius disciplinam Apostolicam probauerit ex scripto *nugis & fabulis referto, veteris Ecclesia caute-*

cauterio inusto, ab ipso Romanæ inquisitionis consilio libris prohibitis adnumerato, a doctis omnibus reiecto, vti νοθείας argumenta comprehendit David Blondellus Pseudo Isid. p. 29. Nec verba allata quidquam conferunt ad propositum viri docti, quum non de Eucharistiæ mysterio occultando agant, sed dogma potius de Deo obscuritatibus inuoluendum præcipiant, plane contra mentem & morem vsumque Apostolorum, qui doctrinam salutarem de summa diuinitate claris ac perspicuis verbis in Epistolis & sermonibus suis tradiderunt, scriptisque mandarunt. Præterea non congruit veteris Ecclesiæ consuetudini, quæ dogma de Deo Vno & Trino inter mysteria silentio premenda non habebat ac numerabat, sed Catechumenis sine integumentis atque inuolucris dilucide & euidenter proponebat, nec prius ad Baptismum illius admittebat, quam de eo confessionem publice edidissent, certamque fidei suæ sententiam exposuissent.

XIII. Verum Schelstratius, qui Petri hæc esse putauerat, adnititur ea confirmare ex scriptis Apostolicis. *Mira quidem hæc videri possent, sed non nisi antiquitatem ignorantibus, idque vt probem, a Paullo incipiam, qui dum in prima sua ad Corinthios Epistola verba Christi Sacramentum hoc instituentis proponeret capite nono, præmisit capite 3. Et ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis. Quibus verbis, inquit Clemens Alexandrinus libro 5. Stromat. cautionem, ne sermones in vulgus exeant, docet, vtique de cibo & esca spirituali, quam Paullus capite sequenti a Christo institutam descripturus erat, & Clemens Alexandrinus statim carnem & sanguinem verbi interpretatur.* Non, opinor, mouebunt hæc quenquam, qui Apostolicam antiquitatem probe callet, nouitque scripturas diuinas, neque præconceptæ opinioni indulget, & studio a vero natiuoque eius sensu recedit. Etenim neminem latet, aliud esse simplicem docendi modum adhibere, aliud obscure loqui, ac, vt in arcanis & silentio premendis ritibus fit, sermonem reconditum perplexumque instituere. Non hanc sed illam rationem obseruasse Paullum ex toto contextu liquet, & a plerisque bene iudicantibus Interpretibus conceditur. Egregie B. Mylius noster hoc edisseruit, & probauit Summus Theologus, D. Calovius, Patronus & Doctor Maximus in Bibliis Illustratis: *Lac præbetur, si non generalia tantum religionis capita generatim, sed docendi etiam modo simplice, hoc est, mere catechetico tradantur: Solidus cibus datur, quum vel ardua religionis mysteria proponuntur: vel generalia illa, atque vulgaria eiusdem capita, solidiori & exactiori doctrina explicantur, fidei praxis exigitur, & in caussas & momenta mysteriorum accuratius inquiritur.* Præterea Paullus ipse primo Epistolæ capite satis indicat, qua ratione Euangelium prædicauerit; nempe ex mandato & institutione Dei simplicibus ac dilucidis verbis docendo verbum de cruce, quod stultum videbatur mundo. Hinc est,

 quod

quod cap. II. 1. methodum suam describens, se ȣ καθ' ὑπεροχὴν λόγȣ ἢ σοφίας, Corinthiis tradidisse dicit σοφίαν ἐν τοῖς τελείοις v.6. & σοφίαν Θεȣ̃ ἐν μυστηρίῳ τὴν ἀποκεκρυμμένην v.7. de qua v. 10. notanter addit, ἡμῖν δὲ ὁ θεὸς ἀπεκάλυψε διὰ τȣ̃ πνεύματος αὐτȣ̃. Quid clarius, quam Deum in reuelandis fidei mysteriis vsum esse ministerio Paulli, qui non obscure, vnde potius inuolutio maiorque occultatio consequeretur, sed simplicibus perspicuisque verbis ea proponebat? Similiter 2. Cor. IV. 3. 4. seq. diserte negat, Euangelium ex se suaque natura occultum esse, idque per accidens in impiis & a Diabolo occœcatis hominibus contingere adfirmat: longe aliter loquuturus, si mysteria religionis Christianæ obscurioribus verbis vel ipse docuisset, vel inuoluenda præcepisset. Eandem docendi rationem obseruarat in Ecclesia Ephesina constituenda, sancte contestatus, nihil se conticuisse, sed πᾶσαν τὴν βȣλὴν τȣ̃ Θεȣ̃ adnunciasse Act. XX. v. 20. 27. Quamobrem Paullus ne proprium quidem arcani disciplinæ obiectum in suis Epistolis vlla ratione texit & occultauit, sed veram de Baptismo & S. Cœna doctrinam perspicue proposuit, ritusque in vtriusque celebratione vsurpari solitos satis manifeste explicauit: vt plane mirari in mentem veniat, reperiri quenquam in diuinis literis exercitatum, qui statuat Apostolos obseruasse solennis silentii morem, & vel præcepto, vel exemplo suo alios ad eius disciplinam adstrinxisse. Taceo, quam parum sibi constet Schelstratius, quando c. 9. *& sequenti* a Paullo describi putat, quæ non nisi multis diuersissimis rebus interiectis, ac capite demum XI. traduntur. De cætero Clemens Alex. tribuit quidem Paullo, quod τὴν προφητικὴν καὶ τȣ̃ ὄντι ἀρχαίαν σώζῃ ἀπόκρυψιν, sed longe aliam occultationem intelligit, quam arcani disciplinam, de qua inter nos controversia intercedit. Expendit locum Clementis CL. Thomasius Schediasm. Histor. §. 43. 44. ac in sensum eius solicite inquirendo obseruat, Clementem cum aliis Scriptoribus Christianis *Gnosticorum nomen, quasi possessoribus iniustis ereptum veris Christianis tribuisse: ac vti* γνῶσιν *eximiam ab inchoata, ita Gnosticum suum, illa scil. eximia* γνώσει *præditum ab imperfectioribus Christianis, hoc est, siue tanquam adultum a neophytis, &* πνευματικὸν *a* σαρκικοῖς, *siue tanquam vnice deditum contemplationi a vacantibus vitæ actiuæ distinxisse.* Quæ cum ex locis a laudato viro prolatis pateant, tum ex toto Clementis contextu manifesta sunt, & facilè ostendunt, quod is talem ἀπόκρυψιν intellectam voluerit, quæ non ad ipsa fidei mysteria, sed ad modum duntaxat tradendi spectaret, ac proinde a Schelstratio minus accurate ad probandam disciplinam arcani Paullo Apostolo vsitatam adductus sit. Hæc enim disciplina ita obseruata fuit in Ecclesia, vt quoties præsentibus paganis aut Catechumenis ad mysteriorum ritus diuerterent in homiliis Doctores, statim sermonem abrumperent, solenni adiecta formula: *Norunt fideles:* siue, ἴσασιν οἱ μεμυημένοι: Tum in ipsa Eucharistiæ celebratione procul esse iube-

iubebantur gentiles pariter ac neophyti, Diacono exclamante: *Ite, Missa est.* Verum in Ecclesia Apostolica diuersa plane ratio fuit. Etenim Apostoli in publica concione, cui non modo Fideles, sed ipsi etiam Ethnici & Catechumeni sæpe intererant, arcana religionis non obscure, sed simplicibus ac perspicuis verbis tradebant, vt ab omnibus intelligi possent: quando vero cum illis loqui instituebant, qui in mysteriorum notitiam per Dei gratiam peruenerint, maiori ἀκριβείᾳ vtebantur. Et hoc ipsum metaphora de lacte solidoque cibo innuisse Paullum docet Clemens fol. 407. αὐτίκα ὁ ἀπόστολος πρὸς ἀντιδιαστολὴν γνωστικῆς τελειότητος, τὴν κοινὴν πίστιν, πῆ μὲν θεμέλιον λέγει, πῆ δὲ, γάλα. *Iam vero Apostolus ad distinctionem perfectionis, quæ existit ex cognitione, communem fidem alicubi quidem dicit fundamentum, alicubi vero lac*, &c. Et clarius fol. 422. paullo post verba a Schelstratio prolata: εἰ τοίνυν τὸ μὲν γάλα, τῶν νηπίων. τὸ βρῶμα δὲ, τῶν τελείων τροφὴ πρὸς τοῦ ἀποστόλου εἴρηται, γάλα μὲν ἡ κατήχησις, οἱονεὶ πρώτη ψυχῆς τροφὴ, νοηθήσεται. βρῶμα δὲ, ἡ ἐποπτικὴ θεωρία· σάρκες αὗται καὶ αἷμα τοῦ λόγου, τουτέστι κατάληψις τῆς θείας δυνάμεως καὶ οὐσίας. *Si ergo lac quidem est infantium, cibus autem perfectiorum nutrimentum dictus est ab Apostolo: lac quidem intelligetur catechesis, veluti primum nutrimentum animæ: cibus autem suspiciens contemplatio, quæ sunt ipsæ carnes & sanguis verbi, hoc est, comprehensio diuinæ potentiæ & essentiæ.* Ex quibus elicitur, Clementi Alexandrino non de carne & sanguine Christi in Sacramento Eucharistiæ manducando & bibendo, vti falso opinatur Schelstratius, sed metaphorice de esca & nutrimento spirituali, quod ex verbi diuini meditatione, auditu vel lectione, capiunt animæ nostræ, sermonem esse; addita explicatione, τουτέστι κατάληψις τῆς θείας δυνάμεως καὶ οὐσίας, *hoc est, comprehensio diuinæ potentiæ & essentiæ.* Et mox: βρῶσις γὰρ καὶ πόσις τοῦ θείου λόγου, ἡ γνῶσις ἐστι τῆς θείας οὐσίας. *Cibus enim & potus verbi diuini est cognitio diuinæ essentiæ.* Præterea distinguit fol. 420. inter τὰ μυστήρια τὰ ἀποκεκρυμμένα ἄχρι τῶν ἀποστόλων, καὶ ὑπ' αὐτῶν παραδοθέντα ὡς ἀπὸ τοῦ κυρίου παρειλήφασιν. i. e. *mysteria, quæ fuerunt absconsa vsque ad Apostolos, & tradita sunt ab ipsis, vt a Domino acceperunt:* & τὸ πλοῦτος τῆς δόξης τοῦ μυστηρίου τοῦ ἐν τοῖς ἔθνεσιν. i. e. *diuitias gloriæ mysterii, quod est in gentibus.* Denique ἐπίκρυψις, quam Paullo tribuit Clemens, non ritus, sed dogma, nec Sacramentorum doctrinam, sed institutionem de Deo respicit, quæ ad arcani disciplinam nullo modo pertinent, quippe quæ in solis ritibus Sacramentorum consistebat.

XIV. Denique ex Actis Apostolicis pro sua opinione quædam proponit vir eruditus: *Miramur sæpius, quid Lucam mouerit, quod primitiuæ Ecclesiæ Historiam in actis describens, vbi ad hoc mysterium a fidelibus celebratum peruenerat, catholicos potius in communicatione fractionis panis, quam communione Corporis &*

Sanguinis Dominici perseuerasse descripserit, cum ritibus tunc obseruari solitis; sed instructus Euangelista a Praeceptore suo Petro nouerit praestare, mysterium hisce sub verbis inuoluere, quod sciret, acta Apostolica etiam ad infidelium & hominum Ethnicorum manus deuentura. Atqui certum est ex iis, quae dicta allataque sunt, nec ritus Apostolicos, nec dogma Eucharistiae primis Ecclesiae temporibus fuisse occultatum. Ritus admodum paucos simplicesque adhibebant Apostoli, vti docet Augustinus L.III. de Doctr.Christ. c.9. *quaedam pauca pro multis, eademque factu facilima, & intellectu augustissima, & obseruatione castissima, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina.* Quare non poterat Lucas describere pompam, aut rituum multitudinem, quae temporibus Apostolicis nulla erat: sed contentus unius saltem ritus commemoratione rudioribus & Catechumenis aut Ethnicis, qui vel semel Christianorum sacris interfuerant, satis clare indicabat, quid per panis fractionem intelligeret ac denotaret. Tum si in ritus occultatione disciplina arcani consistebat, quomodo Lucas eam obseruasse videbitur, qui κλάσιν ἄρτου ad ritus vtique, non ad substantiam Sacramenti pertinentem adnotauit. Praetereo non paucos, nec infimi subsellii Interpretes, qui per panis fractionem non tam Coenam Domini, quam agapas in prima Ecclesia vsitatas intelligere consueuerunt. Quod vero comminiscitur Schelstratius, *Lucam ea de caussa obscurius loquutum esse, quod nouerit Actuum volumen in Ethnicorum manus deuenturum*, inanis argutiola est. Nam certe omnes Noui Foederis libri, tam historici, quam dogmatici persaepe in Ethnicorum manus deueniebant, in quibus & dogma S.Coenae ab ipso Christo & Apostolis traditum & ritus ab iis obseruati, rituumque caussae clarissime exposita erant. *Hinc* quippe *natum contumeliosum traditoris vocabulum aduersus eos, qui metu poenarum libros diuinos tradiderant judicibus imperialibus*, aduertente post alios plurimos Steph. Baluzio Not. ad Lactant. de mor. persequutorum, Lib.II. Misc. p.374.

XV. Dehinc relinquit scripta diuina, & ad Ecclesiastica progreditur Schelstratius, sed infelici nisu irritoq; successu, adeo vt non nisi duo reperire potuerit caussae suae praesidia, quae tamen infirma & viris Apostolicis adficta sunt; tantum abest, vt probent, Apostolos ipsos obseruasse disciplinam arcani. *Fuit haec Apostolorum cautela, quam sibi perspectam edocuit autor ille, qui traditiones Apostolicas in canones redegit, dum in vltimo Canone loquutus de Apostolicis constitutionibus scriptū reliquit: quae non sunt omnibus diuulgandae propter ea, quae sunt in iis mystica. Agebant constitutiones Apostolorum de variis Christianae fidei mysteriis & exposuerant ritus liturgiae aut sacrificii Christiani, & quia cautum erat traditione Apostol. fidei nostrae mysteria non omnibus esse proponenda, & palam diuulganda, hinc Apostolorū menti non male adscripsit, constitutiones illas non esse diuulgandas.* At vero multa fraudis indicia in Canonib. Pseudo-Apostol. cernere cuiuis licet, & impostor ipse se prodit, nec traditiones Apostol. in iis exhibentur, idq; etiam cordati Rom. Ecclesiae Doctores fatentur,

tentur, & præter alios nuper testatur Natalis Alexander, qui Sæc. I. Diss. XVII. demonstrat, canones istos *verbis conceptos esse ab Apostolorũ usu & stylo penitus alienis*; quamuis de tempore illius collectionis Petri de Marca coniecturam non dubitet amplecti, *verisimile esse, aliquos fuisse confictos ab Episcopis Iconiensis Concilii, cui præerat Firmilianus, anno 258. congregatis ad controuersiam de hæreticorum baptismate dirimendam:* quam sententiã ipse Schelstratius noster adprobauerat Antiq. Illust. P. II. Diss. II. c. I. n. 147. Præterea vltimus illorum Canonum a plerisq; omnibus Pontificiis ipsoque Schelstratio pro Apocrypho, subreptitio & spurio habetur, vel ea de caussa, quod Canoni Scripturarum addit Clementis Epistolas & Constitutiones *contra verum communemque cum veteris tum recentis Ecclesiæ consensum*. Quis ergo opinabitur canonem pseudepigraphum & suppositititium exhibere Apostolicam traditionem? Nec magis veritati congruunt, quæ de Constitutionibus Apostolorũ nomine venditatis narrat vir doctus. Etenim ipsius coniectura Concil. Antioch. p. 198. proposita, qua *earum auctorem primam Ecclesiæ disciplinam ab Apostolis & primitiuis Patribus traditam posteritati consecrasse & ante datam a Constantino pacem floruisse* censet, neutiquam admitti potest, quum Vsserius in Prolegom. Ignat. c. VII. sq. & Alexander Sæc. I. Diss. XVIII. late probatum dederint, quam parum cum primæ Ecclesiæ doctrina ritibusq; consentiant pseudepigraphæ Constitutiones: ex quibus intelligitur, Volumen, quod antiquis διδασκαλίας vel διαταγῶν Αποςόλων nomine venit, probe distinguendum esse ab octo libris, qui hodie Constitutiones Apostolicæ inscribuntur, in quam rem imprimis adfertur argumentum, quod *Athanasius in Epistola ἑοςταςικῇ Doctrinam illam Apostolorum inter eos libros numerat, qui catechumenis, & nuper ad fidem accedentibus legendi essent: isti vero Constitutionum libri sunt Episcopis dicati, resque ad Ecclesiæ regimen spectantes tractant.* Quamobrem prudenter Albaspinæus ex arcani disciplina primæ ætati ignota, & prorsus inusitata, argumentum adhibet ad Constitutiones & Canones Apostolicos sine exceptione reiiciendos, L. I. Obseru. 13. *Nam & postrema verba, quibus cauetur, ne octo libri Constitutionum Apostolicarum publicentur, aperte indicant, eas primis sæculis factas non esse, quum primi sæculi Christiani sua lubentes mysteria, vt vel ex Iustino constat, enunciarent.* De cuius verbis prolixam controuersiam proponunt Ephem. Erud. Gall. Ephem. XVI. an. 1667. To. III. p. 241. sq. quam prudenti Lectoris iudicio relinquens finio cum censura Iac. Vsserii in fine Cap. VI. aduersus Canonum Pseudo-Apost. consarcinatorem lata: *Ita enim bipedum nequissimus, qui Clementis personam (quinto post excessum ipsius sæculo) induit, Constitutionibus a seipso interpolatis & in aliam pene speciem transformatis canonicam auctoritatem conciliare conatus est: ea tamen ad mysterium iniquitatis suæ celandum cautione adhibita, vt eas nullo modo euulgandas, sed vt Eleusinia quadam sacra studiose contegendas & occultandas esse præciperet.*

XVI. Inde

XVI. Inde pergit Schelstratius ad scripta, quæ sub Dionysii Areopagitæ nomine circumferuntur, & postquam adnotauit, quomodo Auctor de Hierarchia Eccles. cap. 1. & cœlesti c. 2. vetet libros suos promulgari ob mysteria in iis contenta, subjicit, *ex hisce principiis licere rationem reddere, cur scripta Dionysii Areopagitæ tam diu latuerint & paucis cognita fuerint, donec sæculo 6. e tenebris in lucem prolata omnibus manifestari cœperint.* Addit, licet antiquioribus ea non memorentur, *non obinde suppositionis arguenda esse, cum rei istius rationes iam inuenerit, & si vlla alicuius Patris opera ob descripta Catholicæ fidei mysteria & expositos sacratissimos Ecclesiæ ritus passim occultari congruum erat, id ipsum de suis libris faciendum merito Dionysius iudicarit.* Equidem antiqua admodum est controversia περὶ γνησιότητος operum Dionysio Areopagitæ suppositorum, quam nostro æuo multi repetunt, fraudemque commissam agnoscunt: vnde etiam Schelstratius noster, vtut in Antiq. Illust. P. II. Diss. III. Art. 1. hierarchica Areopagitæ prolixe vindicare conatus esset, in Concilio tamen Antioch. p. 197. non dissimulans aliorum dissensum refert, *vnum ex recentioribus peritis pro abiudicandis Areopagitæ operibus auctorem putasse natione Ægyptium, professione Monachum, religione Seuerianum, sexto Christi sæculo natum.* Cæterum qui pro νοθείᾳ librorum Areopagiticorum decertant, hac præcipue ratione mouentur, quod antiquioribus scriptoribus non memorentur: nec inficias eunt alteri parti addicti. Etenim Bellarminus de script. Eccles. p. 44. putauit, Gregorium M. primum ea allegasse, cum iam *in collatione inter Catholicos & Seuerianos an. 532. ab hæreticis citata & ab orthodoxis tanquam spuria repudiata fuerint*, quod concedit Cardinalis Bona L. 1. Rer. Liturgic. c. IX. nihil plane obstantibus offuciis ab Alexandro Sæc. I. Diss. XXI. obiectis. Nihilominus Bellarminus *caussam* dat, *quod alicubi latuerint, vt multa alia sæpe longo tempore delitescunt, & circa tempora S. Gregorii reperta fuerint.* Quam vero hoc confictum, tam ineptum est, vt præclare monstrauit Ioannes Dallæus de Script. Dionys. c. IX. Sed Schelstratius noster se huius silentii caussam rationemque *inuenisse* gloriatur, mireque tripudiat, quanquam iam olim Halloixius Quæst. 2. de vita & operibus Dionys. p. 414. fontem commonstrauerat, e quo plurima vir eruditus hausit. Sed enim vanum esse hoc κενοσφύγετον, nemo non videt. Nam Constitutiones Apostolicas non modo arcana & mysteria multa complecti, sed de iis quoque præceptum exstare, ne diuulgentur, Schelstratius noster indicauit. Quidni ergo eodem modo concludi posset, eas primis Christianismi sæculis fuisse occultatas? verum sæculo demum tertio confictas idem censet. Certe hoc scuto tantum non defendi possent omnia primi sæculi hominibus adscripta opera, quibus mysteria ritusque exponuntur, præsertim Liturgiæ variæ, Petro, Iacobo, Marco, Matthæo, suppositæ, & ab Alexandro omnes, a Cardinali Bona maximam partem repudiatæ, quod de Iacobi Li-


turgia

turgia non inficiatur Schelstratius Concil. Antioch. p. 196. Imo cur non ipsa scripta Apostolica occultata fuerint, in quibus mysteria Christianæ religionis ritusq; Apostolici multo clarius certiusque proponuntur, quam in Pseudo-Dionysianis quarti demum sæculi disciplinam referentibus. Libenter enim cum Celeberrimo Theologo, D. Balt. Bebelio Antiq. Eccles. Sæc. IV. P. I. p. 91. amplector Centuriatorum Magdeburgensium iudicium, sæculo quarto hæc scripta confecta esse arbitrantium: quod video alios quoque eruditos idem sentire. Etenim Iosephus Scaliger in illustri Opere de Emendatione Temporum censet *libros Dionysii scriptos fuisse sub Valentiniano Secundo*, cui adsentitur Andr. Riuetus, Lib. I. Critici Sacri cap. IX. Præterea Io. Pearsonius Vindic. Ignat. P. I. cap. II. auctorem *non longe ab initio sæculi quarti scripsisse sentit*. Et cap. IX. postquam multa de ætate Pseudo-Dionysii erudite disputauerat, *ad postrema* tandem *Eusebii tempora* eum reiicit. Deniq; ex Pontificiis Christianus Lupus in cap 41. Tertulliani de præscriptionibus existimat, *quod quarto sæculo scripserit, post datam Ecclesiæ a Constantino pacem:* Cuius quidem argumentum soluere studuit Schelstratius noster Concil. Antioch. p. 167. seq. sed quo successu, aliis disquirendum relinquo.

XVII. Amplius ex Iulii Papæ Rom. Epistola ad Eusebianos, Basilio de Spiritu S. c. 27. Innocentii I. Epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum, Epiphanio, Chrysostomo, aliisque multa describit, quæ disciplinam arcani in Ecclesia eorum ætate obseruatam esse arguunt, nec a nobis negantur, qui circa extrema sæculi secundi hunc morem apud Christianos cœpisse, ac usque ad sextum sæculum in Occidentali Ecclesia permansisse supra innuimus. Quoniam autem Basilius arcani disciplinam ipsis Apostolis videtur adscribere, monendum est cum B. Chemnitio nostro P. I. Exam. Conc. Trid. p. 92. 93. Basilio cum aliis commune esse, quod antiquas consuetudines sine certis documentis refert ad Apostolorum traditiones. Nec tueri potest Schelstratius suam de Canonibus ac Constitutionibus Apostolicis sententiam, si Basilii verba alio sensu capiantur. Etenim Basilius vtrumque illud scriptum vt ignorauerit, vel nihil fecerit, necesse est, siquidem negat scripto vllo tradita esse quædam eorum, quæ in Constitutionibus pariter ac Canonibus scripta leguntur variis in locis, fatente Alexandro. Ecquomodo igitur consarcinatum fuit vtrumque opus ante redditam a Constantino Ecclesiæ pacem, & traditionem Apostolicam exhibere potuit, quæ Schelstratii nostri est opinio? Non in præsens attingam, quæ Meierus §. XIX. seq. & Suicerus Tom. I. Thesauri Eccles. p. 934. 935. de his Basilii verbis erudite monuerunt.

XIIX. Postremo haud prætereundum est, disciplinam arcani, quantacunque etiam eius in antiqua Ecclesia fuerit obseruatio & cura, nihil tamen impediuisse, quo minus veritatem S. Cœnæ claris apertisque verbis Patres & Doctores testati sint, siue hi ante, siue post solennis reticentiæ institutum vixerint. Etenim

Ignatii, Iuſtini ac Irenæi loca ſupra declarauimus; nec ſilent de myſterio hocce Clemens Alexandrinus, Euſebius, Baſilius, Hieronymus, aliique Patres antiqui, quod ipſis falſo tribuit Schelſtratius, quum clare ſatis ac perſpicue fidem ſuam de Euchariſtiæ Sacramento expoſuerint locis plurimis, ut docent, quæ Theologi noſtrates ex Patribus excerpta citarunt: nec obſcure loquuntur Irenæus, Tertullianus, Hilarius, Theodoretus, vt viro erudito videtur. Nam Irenæum reali præſentiæ corporis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ egregium teſtimonium perhibere fatetur Alexander Synopſ. Sæc. II. Art. VI. De Africanæ vero Eccleſiæ Doctoribus, Tertulliano, Cypriano, Optato, Mileuitano, & Auguſtino ipſe Schelſtratius contrarium teſtatur in Tractatu, quo illius Eccleſiæ res illuſtrauit Diſſert. II. c.v. n.5. Similiter in aliorum ſcriptis ſubinde loca illuſtria occurrunt, quæ non modo Caluinianorum tropologiam, ſed Pontificiorum etiam transſubſtantiationem funditus euertunt. In quam rem notisſimum eſt teſtimonium Io. Chryſoſtomi in Epiſtola ad Cæſarium Monachum, cuius γνησιότητα ne quidquam impugnarunt Bellarminus, Poſſeuinus, Perronius, ac Alexander: exſtat enim reuera in Bibliotheca Florentina, vnde eam Emericus Bigotius deſumtam cum Palladii Vita Chryſoſtomi ſuperioribus annis publicæ luci exponere adniſus eſt, ſed Theologi Sorbonici immani plagio ex libro iam impreſſo eraſerunt, quod erudito orbi detexit Expoſtulatio cuiusdam docti viri proximis menſibus Londini in Anglia emiſſa. Denique Patres in ipſis ad populum ſermonibus non ipſum de myſteriis dogma, ſed ritus ſaltem eorumque cauſſas occultare ſoliti, diſciplinam arcani inter præſcriptos fines continuerunt, nihilque vel de veritate, vel de claritate S. Cœnæ vsquam detraxerunt.



DE

DE

DISCIPLINA ARCANI

CONTRA DISPVTATIONEM
ERNESTI TENTZELII

DISSERTATIO APOLOGETICA

PER
D. EMANVELEM A SCHELSTRATE
S. T. D.
BIBLIOTHECÆ VATICANÆ PRÆFECTVM,
ECCLESIÆ ANTVERPIENSIS CANONICVM.

In qua agitur de disciplina primitiuæ Ecclesiæ in occultandis præcipuis Catholicæ Religionis mysteriis, ostenditurque, quo tempore cœperit, circa quæ & pro quibus obseruata fuerit, quando desierit, & quænam demum ex illa deducantur pro soluendis quampluribus quæstionibus circa fidei dogmata ab Hæreticis præterito sæculo motis, & circa disciplinam ac Historiam Ecclesiasticam hoc tempore controuersis.

ROMÆ, Typis Sac. Congregat. de Propaganda Fide,
Anno M DC LXXXV.
SVPERIORVM PERMISSV.

CHRISTINÆ

SVECORVM,
GOTTORVM, VANDALORVM
REGINÆ
EMANVEL A SCHELSTRATE
Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus
Felicitatem.

AD Thronum *Tuum* accedit, *Regalis fastigii decus eximium* CHRISTINA, præsens de Disciplina Arcani Dissertatio Apologetica, quam vt *Regio Nomini Tuo* inscriberem, fecit sacræ

 anti-

antiquitatis argumentum, quod in ea exponitur, & a *Maiestate Tua* in summo pretio haberi, non vno, sed pluribus indiciis cognoscitur. Scribebat quondam Plinius Secundus: *Reuerere gloriam veterem, & hanc ipsam senectutem, quæ in homine venerabilis, in vrbibus sacra est; sit apud te honor antiquitatis.* Quod autem homo Gentilis antiquitati profanæ conuenire, ex profana Philosophia cognouerat, hoc antiquitati Ecclesiasticæ potiori iure deberi, *Maiestas Tua* ex data sibi diuinitus sapientia collegit, indeque tantus fuit apud *Te* honor illius, vt cæteris posthabitis solam veteris Religionis gloriam æstimandam esse iudicaueris. Non placuit *Tibi* hominis senectus, non vrbium vetustas, non potentissimi Regni antiqua Religione destituti Nobilitas. Religionis Catholicæ antiquitas placuit, eamque vt solam sacram esse, aliaque sacra reddere, cognoueras, spretis terreni Dominii honoribus præ cæteris venerata es. Liceat mihi proinde hic iterum Plinii verbis vti, & quibus ille Traianum allocutus est, paucis dumtaxat mutatis, *Maiestatem Tuam* alloqui: intuenti namque mihi sapientiam *Tuam*, minus mirum videtur, quod mortales, caducosque Regni titulos aut deprecata sis, aut temperasti. Scis enim, vbi vera Principis, vbi sempiterna sit gloria, vbi sint honores, in quos nihil flammis, nihil senectuti, nihil successoribus liceat. Vrbes enim demolitur, Regnaque obscurat oblivio; regnandi modum accusat, carpitque posteritas. Contra contemplator Regni, & infinitæ potestatis domitor ac frænator animus ipsa vetustate florescit, eiusque memoria apud succedentes sibi mortalium generationes numquam interitura est. Et hæc sunt, ex quibus ortum habuit prudentissimum in abiiciendis Regni curis animi *Tui* iudicium, hisque etiamnum innititur susceptum semel de honoranda Religionis antiquitate consilium: postquam enim secessisti, iam firmiter animo *Tuo* inhæsit antiquæ Religionis amor, vt non solum propriis verbis & exemplo, sed aliorum quoque studiis eam in hunc vsque diem promoueri cures, suadeas, horteris. Huic vero erga Religionem nostram propensioni *Tuæ* confisus, præsentem Dissertationem de antiqua Ecclesiæ disciplina, ex qua non pauca fidei dogmata contra Nouatorum errores illustrantur, *Maiestati Tuæ* pergratam fore, existimaui: cumque non ita pridem de illa actum fuerit in priuatis eruditorum congressibus apud *Regiam Tuam* institutis, meque tum differentem benigne audire dignata sis, scribentem modo, & *Regii Nominis Tui* Patrocinium implorantem, fauore prosequi, vt spero, non dedignaberis.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

IAm sæpius Amicorum litteris relatum erat, quod Authore Ernesto Tentzelio contra me in Germania editæ essent Disputationes duæ, quarum prima versatur circa disciplinam arcani apud veteres Christianos vsitatam, de qua nonnulla in Commentario ad Antiochenum Concilium scripseram. Secunda vero circa duplicem Baptismum Constantini Magni, de quo in Antiquitate illustrata coniecturas quasdam peritorum iudicio subieceram. Ex his duabus prima ab aliquo tempore ad manus meas peruenit, quam vt habui, statim peruolui, & Authore Lutherano Lipsiæ 3. Ianuarii, anno 1683. editam agnoui. Diu mecum cogitaui, an responderem homini satis vrbane plerisque in locis mecum agenti, an vero insistendo Cypriani vestigiis, Viri a Religione nostra alieni scripta contemnerem, & cum Doctore Gentium eos, qui foris sunt, non curarem. Verum maturo animo perpendens, quanti ponderis sit argumentum, de quo homo extraneus mecum disputare voluit, quanti momenti sint, quæ exinde ad fidem & disciplinam spectantia contra Nouatorum errores consequantur, respondendum esse suasit multifaria potius argumenti vtilitas, quam vlla defensionis meæ coram publico necessitas.

Argumentum, de quo agitur, circa Augustissimum Eucharistiæ mysterium præsertim versatur, quod in Commentario ad secundum Canonem Antiochenum, Catechumenorum, Iudæorum,

Iudæorum, & Infidelium oculis ac auribus olim occultatum fuisse, nonnullis antiquorum Patrum testimoniis ostenderam. De hac vero antiqua Ecclesiæ disciplina disputationem instituit Ernestus Tentzelius, & quam ego ab Apostolis cœpisse, & in occultandis tam Sacramentorum ritibus, quam dogmatibus obseruatam fuisse contendebam, ipse post Apostolos ad finem secundi sæculi ortum duxisse, & ad solos Sacramentorum ritus, non autem ad vlla Religionis nostræ dogmata spectasse, voluit. Et hæc sunt, quæ cum vberiorem expositionem mereantur, hac Dissertatione ex antiquorum monumentis illustranda suscepi: cumque monstrauero, disciplinam arcani ex Christi verbis ortum duxisse, & circa præcipua Catholicæ Religionis mysteria a temporibus Apostolorum fuisse obseruatam, adiungam plura alia, quæ exinde ad fidem & disciplinam spectantia consequuntur.

Clamant Hæretici, nullum apud antiquos de septenario Sacramentorum numero reperiri vel tractatum, vel testimonium: asserunt, sacrarum Imaginum cultum canone 36. Illiberitano a Patribus Hispanis fuisse prohibitum: applaudunt sibi Caluinistæ, quod apud priscos Ecclesiæ Patres mentionem figuræ, typi, imaginis, & symboli Corporis ac Sanguinis Christi inueniant: putant Lutherani, nullum apud antiquos de Transubstantiatione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi extare testimonium, adduntque, sacra Dona sub panis nomine ab Occidentalis & Orientalis Ecclesiæ Patribus exponi consueuisse: non desunt demum, qui cum Albertino publicam Corporis Christi expositionem in Templis, & circumgestationem in Processionibus recenti hominum memoria institutas esse, & in ea Latinos ab antiquo Ecclesiæ ritu discessisse, volunt. Et hæc sunt, quorum solutio pendet ex disciplina arcani, ex qua monstrabimus contra Lutheranos & Caluinistas, Sanctos Patres a tractatibus de septem Sacramentis olim abstinuisse; Hispaniæ Episcopos can. 37. Illiberitano vetuisse, Imagines in parietibus Ecclesiæ depingi; figuram, typum, mysterium, aliaque nomina non obesse veritati Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, neque frequentem panis mentionem facere contra Transubstantiationem; Eucharistiæ demum expositionem in Templis, & in Processionibus circumgestationem ex hac disciplina pendere, adeo vt ea dumtaxat cessante vsus exponendi publice Sacramentum introductus sit. Et hæc sunt, quæ ex præsenti argumento deducuntur, præter alia quamplurima ad historiam & disciplinam Ecclesiasticam spectantia, ob quæ controuersiam de disciplina arcani vlteriorem expositionem mereri, & præsentem Dissertationem edendam esse censui, simulque Tentzelii disputationi hac de re editæ breuiter respondere volui.

An vero ad alias Tentzelii disputationes, quas contra omnia a me in posterum scribenda se editurum, non obscure indicauit, responsurus sim, nolim promittere. Non enim semper obiectiones ipsius versabuntur circa argumentum, quod vlteriorem expositionem merebitur, prout nec meretur secunda eius Disputatio de duplici Constantini baptismo, in qua nihil omnino habet de testimonio D. Hieronymi, quod refutatione indigeat. Testimonium enim Diui Hieronymi, ex quo controuersia de duplici Constantini baptismo ortum duxit, extat in eius Chronico his verbis: *Constantinus extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus in Arianum dogma declinat, a quo vsque in præsens tempus Ecclesiarum rapinæ, & totius Orbis est secuta discordia.* Duo sunt in hoc testimonio, quæ difficultatem pariunt. Primo, quod asseratur, Constantinum in fine vitæ ad dogma Arianum declinasse. Secundo, quod hoc factum dicatur, cum ab Eusebio Nicomediensi baptizaretur. Ex quibus diu ante me Annalium Parens Baronius coniecit, quod colligi deberet. *Constantinum in Arianorum perfidia baptizatum, vel potius (si verum est, quod asserit) rebaptizatum. Arianos enim, baptizatos in fide Catholica, rebaptizare consueuisse, exemplis mille ac testibus exploratissimum est.*

Ab hac difficultate, vt sese extricaret Tentzelius, textum Chronici Hieronymiani in dubium vocat: „Vnde enim constat, inquit, illa de Constantino in Arianum dogma decli-„nante non esse ociosorum & maleferiatorum hominum additamenta, sed ab ipso Hierony-„mo scripta? Quonam certo & infallibili criterio genuina a suppositiitiis discernes? Vnde „docebis, non esse hoc loco, & hac parte Chronici Hieronymiani factum, quod toties alibi?„ Petit Tentzelius sibi monstrari, vnde constet, corruptum non esse hoc loco Diui Hieronymi testimonium. Audiat itaque: illud sic referunt omnes M. SS. Codices Scaligeri, qui nullius suppositionis hac in re meminit. Omnes Codices Belgici, quibus Aubertus Mireus in Chronici istius editione vsus est: viginti quinque Codices M. SS. Gallici, Hispanici, & Italici, & inter eos sex Vaticani, quos Arnaldus Pontacus Episcopus Vazatensis pro edendo D. Hieronymi Chronico adhibuit. His accedunt Codices Vrbino-Vaticani duo, & Palatino-Vaticani duo, id est omnes, qui in famosissima totius Orbis Catholici Bibliotheca repositi Chronicon illud continent. Consonat Codex manuscriptus ante mille & centum annos exaratus, quem me quondam vidisse memini in Bibliotheca Patrum Henschenii & Papebrochii, qui illum ex Germania pro aliquo tempore acceperant, in quo, vt in cæteris omnibus correcte scriptis, eadem verba reperiuntur, prout ex antiquioribus M. SS. ea Marianus Scotus inseruit Chronico suo, quod autographum in Bibliotheca Palatino-Vaticana seruatur. Et diu ante Marianum Scotum Sanctus Prosper Episcopus Aquitanicus in Chronico integro per Philippum Labbeum tomo 1. M. SS. Codicum edito, vbi *Nepotiano & Facundo Consulibus* legitur: *Constantinus extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus in Arianum dogma declinauit.* Ita D. Prosper, qui paulo post Hieronymum floruit, vt plane incredibile sit, verba illa ociosorum & maleferiatorum hominum additamenta esse.

Neque hæc sola pro αὐθεντίᾳ textus Hieronymiani faciunt; plurimum namq; confert, quod Author anonymus Codicis 1361. Vaticani habet in Chronico Imperatorum: *Constantinus autem in extremo vitæ suæ ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus in Arianum dogma conuertitur. Heu proh dolor! Bono vsus principio, sed fine malo.* Eadem habet Author Codicis 1348. qui pro titulo habet: *Chronica Isidori, siue quod est verius: Sanctorum Augustini & Hieronymi.* Vixit Author huius Codicis anno 1020. qui non male annotauit, similia scripsisse S. Isidorum Hispalensem Episcopum, vtpote de quo Carolus Magnus in epistola ad Elipandum Toletanæ Ciuitatis Episcopum inserta Concilio Francofurdiensi: *Exemplum mihi Constantini Imperatoris proposuistis, cuius initium Beatum Isidorum laudasse dicitis, & finem doluisse.* Eadem verba etiamnum reperiuntur in Chronico ipsius Isidori Hispalensis Episcopi, qui ante mille & plures annos in Hispania scripsit. Ex quo, aliisque supra relatis abunde constat, nondum satisfactum esse difficultati, quæ ex Hieronymi Chronico exurgit.

Sed neque satisfecit Tentzelius, per dogma Arianum intelligens dogma de Filii Diuinitate, idque probans ex ipsius Hieronymi Chronico: „Etenim, inquit, dogma Arianum „illis verbis indicatur: *a quo vsque in præsens tempus Ecclesiarum rapinæ, & totius Orbis est* „*sequuta discordia.* Nam, ait, quis hæc tribuerit dogmati de rebaptizatione, quatenus ab „Arianis suscipiebatur? Quis in historia Ecclesiastica paululum versatus ignorat, errorem „circa Filii Diuinitatem & proprie dictum Arianorum dogma fuisse, & tot in vniuerso mun-„do turbas concitasse?„ Ita Tentzelius, qui nullibi magis quam hoc loco errauit. Supponit enim, relatiuum *quo* ad dogma respicere, non aduertens, a Diuo Hieronymo mentionem factam esse temporis, ad quod referendum erat. Scribit namque Hieronymus, Constantinum ab Eusebio Nicomediensi baptizatum fuisse extremo vitæ suæ tempore. Et de eo est, quod testatur, *A quo vsque in præsens tempus Ecclesiarum rapina & totius Orbis est secu-*

ta dis-

ta discordia. Et hæc sufficiant de duplici Constantini baptismo, de quo satis superque actum est in Antiquitate illustrata, vt iam scripta repetere minime necessarium duxerim.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

I. de Angelis Archiepisc. Vrbin. Vicesger.

DE mandato Reuerendissimi Patris Puteobonelli S. Apostolici Palatii Magistri vidi librum, cui titulus est, *De Disciplina Arcani, &c. a D. Emanuele a Schelstrate S. Th. D. & Bibliotheca Vaticana Præfecto* compositum, Viro quidem in primis docto, & aliorum Voluminum editione conspicuo; nihilque in eo reperi, quod fidei Catholicæ dogmata, aut morum candorem labefactet, imo vero profundam eruditionem, qua Hæreticorum argumenta refellat, & antiquæ Ecclesiæ mysteriis, ac Patrum oraculis illustrandis luculentam materiam præbeat. Quocirca ad Catholicorum in fide confirmationem, ad maiorem errantium confusionem, ad nouum Authoris ornamentum ac decus, qui nec se ipso minor in Opere paruo, & in æmulo vrgendo maior ostenditur, publica luce plausuque dignum existimo. In Ædibus Sancti Siluestri Montis Quirinalis 26. Septembris 1684.

D. Caietanus Passarellus C. R. S. Officii in Hispania Qualificator.

Imprimatur,

Fr. Dominicus Maria Puteobonellus Sacri Apostolici Palatii Magister.

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES IN PRÆFATIONEM AD LECTOREM.

I.

QUemadmodum Dissertationes meæ Schelstratio prius per Amicorum litteras innotuere, quam visæ sunt; ita & mihi cum Apologia eius negotium processit. Hanc enim aduersus me Schelstratium meditari in auctumno anni cIↄ Iↄc xxcIv monuerunt tam Amici Lipsienses ex litteris Danielis Papebrochii, qui ob curas Actis Sanctorum impensas celeberrimus est; quam Augustani ex epistola Antonii Magliabechii, Bibliothecarii Florentini, quem summa doctrina & humanitas in toto eruditorum orbe commendat: imo Celeberrimus Noribergensium Antistes, qui non multo post decessit, Christophorus Arnoldus, ex ipsius Schelstratii litteris mense Augusto dicti anni ad se perscriptis idem me edocuit. Gaudebam certe ex animo, charissimi Parentis mei consilium haud fuisse frustraneum, quo ad congressum cum docto modestoque aduersario iam ab anno LXXX. ex quo primum ad manus suas Antiquitas Schelstratii Illustrata peruenerat, me hortabatur & instigabat. Propterea omnibus votis contendebam, vt Apologiam Schelstratianam quamprimum videre atque expendere contingeret. Nec minori desiderio Parens flagrabat, postquam laudatorum amicorum epistolas a me legendas acceperat. Illis quidem sine mora respondebam, & cum Papebrochius a Lipsiensibus dissertationes meas Schelstratii nomine petiisset, illique exempla apud me quærerent, statim in fasciculum singula collegi, litterasque ad ipsum Schelstratium addidi, quibus negotium hoc non ex refutandi pruritu, a quo semper alienus fui, sed solius veritatis amore a me susceptum exposui, suasique vt pari modestia diatribas meas adgrederetur. Deinde tam Lipsiensium, quam Arnoldi fores aliquoties pulsabam, rogitans, vt quod primum ipsis contingeret Apologiæ Schelstratii exemplum, beneuole mecum communicarent. Inter has exspectationes inopinata morte Parens optimus concidebat, quæ incredibilem luctum animo nostro incutiens de litterariis negotiis vix permittebat cogitare. Factum est autem, cum ex patria Wittenbergam reuertens Lipsiam nundinis auctumnalibus an. LXXXV. transirem, & apud Amplissimum Menkenium de Apologia Schelstratii verba facerem, vt singulari casu exemplum diu desideratum Venetiis eadem hora adsportaretur. Cuius vsu per aliquot dies tum impetrato facile animaduerti, modestiæ plerumque studuisse auctorem, adeoque idem ipsi elogium tribui, quod de me in præfatione habet, & deprehendi *hominem satis vrbane plerisque in locis mecum agentem.* Mirabantur multi, qua ratione factum sit, vt Schelstratius & no-

& nomen meum truncaret, & in loco Disputationis meæ nominando insigniter hallucinaretur, *Lipsiæ* edita, dicendo, vbi ego nunquam cathedram conscendi. Existimo tamen, hoc certo consilio non esse factum, sed properanti excidisse, mihique satis est, quod Clarissima Societas, quæ Acta Eruditorum Lipsiæ diuulgat, vtrunque Schelstratii παρόραμα emendauit mense Decembri an. LXXXV. cuius initio Apologiam istam recenset. Mirum potius mihi videtur, virum doctum sibi imaginari, *nullam defensionis suæ coram publico necessitatem* fuisse: nisi fortassis donum infallibilitatis sibi arrogauerit, quod tamen nunquam apud suos, quorum plurimi Papæ ipsius infallibilitatem in dubium vocant, multo minus apud nos impetrabit. Quantos autem lusus dedisset Maimburgio, cum quo de nonnullis Concilii Constantiensis decretis ingens ipsi certamen intercessit, si pari modo respondere voluisset? Hoc itaque loco magis ineptum est hoc effugium, quo certius constat, argumentum, de quo inter nos controuersia est, Maimburgiano & dignitate & vtilitate multum præstare.

II. Porro Statum Quæstionis inter nos agitatæ non male informat, quæ circa obiectum tempusque introductæ in Ecclesiam arcani disciplinæ versatur, quorum prius ille vult & dogmata & ritus, ego ritus tantum complecti; posterius ille ab Apostolis, ego post Apostolos cœpisse contendo. Quæ autem inde deducit consectaria de septenario Sacramentorum numero, imaginibus, transsubstantiatione, & similibus Pontificiorum erroribus, non alium in finem, quam vt ex disciplina arcani faciant ignorantiæ asylum, quo se recipiant suæ religionis homines, cum a Nostratibus ad angustias coguntur: ea omnia in Animaduersionibus nostris sufficienter discussa reperiet benignus Lector, quæ heic denuo inculcare nihil attinet. Vnicum nunc addo, quod varias cogitationes quibusdam peperit, eo nimirum tempore Schelstratium in Apologia sua scribenda Romæ occupatum fuisse, quo Innocentius XI. Papa Historiam Natalis Alexandri Ecclesiasticam publico seuerissimoque decreto prohibuit atque condemnauit. Etenim Natalis Alexander postremo sæculi duodecimi tomo, qui pariter vltimus est eorum, quos Innocentius flammis adiudicauit, eandem plane cum Schelstratio opinionem de disciplina arcani tenet, variisque argumentis a Schelstratio, nullo excepto, repetitis, propugnare satagit Dissertatione XII. Articulo XXVII. a pag 717. vsque ad 723. Cum autem Pontifex in suo diplomate libros Alexandri absolute reiecerit, apud plurimos oritur suspicio, annon sententiam quoque de disciplina arcani Alexandro cum Schelstratio communem damnauerit, fulmenque eius indirecte Schelstratium petat, saltem ea de caussa, quod nihil veritus sit constitutioni Pontificis contrariari, & ex eiusmodi opere multa describere, cuius vsum sub pœna excommunicationis ille prohibuerat. Videant hac de re, ad quos pertinet. Nos præcipua Bullæ Papalis in Alexandrum verba in gratiam Lectorum, quorum paucis ea

visa est, subiiciemus, quæ data est, Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, d. x. Julii An. CIↃ IↃC XCIV. *Hinc est, quod Nos creditum Nobis a Domino Pastoralis curæ atque vigilantiæ munus, quantum Nobis ex alto conceditur, salubriter exequi cupientes, de eorundem Cardinalium consilio, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulos Libros supra dictos tenore præsentium damnamus & reprobamus, ac legi seu retineri prohibemus, ipsorumque librorum omnium & singulorum impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem & usum omnibus & singulis Christi fidelibus, etiam specifica & individua mentione & expressione dignis, sub pœna excommunicationis per contra facientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo a quoquam, præterquam a Nobis, siue Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus. Volentes & Apostolica auctoritate mandantes, vt quicunque libros prædictos, vel eorum aliquem penes se habuerint, illos siue illum statim, atque præsentes litteræ eis innotuerint, teneantur tradere atque consignare locorum Ordinariis, vel hæreticæ prauitatis inquisitoribus, qui exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.* &c. Petrus Bælius elegantissimis Reipublicæ litterariæ Novellis Gallicis mense Octobri anni 1684. integram hanc Bullam inseruit, stricturasque adiecit.

III. Sed revertamur ad Schelstratium, & quid eius præfatio amplius contineat, videamus. Etenim ille nescio vnde putat, me ipsius fore perpetuum aduersarium, qui omnia ab eo imposterum scribenda impugnet, eandemque de me opinionem concepit Censor Apologiæ Schelstratianæ, dum me illius *æmulum* vocat. Quod mihi sane in mentem nunquam venit, nec quidquam ea de re in scriptis meis extare recordor. Si tamen ipsi placuerit, propius sæpiusque mecum congredi, non detrecto pugnam, qua vires ingenii acuuntur, & veritas tot fabulis obscurata eruitur. Neque cogitare debet, me circa talia versaturum argumenta, quæ vlteriorem expositionem non mereantur. Falso enim sibi persuadet, eiusmodi esse alteram Dissertationem meam de Constantini Baptismo. Certe non paucos noui eruditos viros, qui libenter audirent, quemadmodum Schelstratius defensurus sit testimonia scriptorum pro Baptismo Constantini Romano a me discussa & examinata. Imo tantum abest, vt Papebrochius, magnus cæteroquin Schelstratii amicus, argumentum istud vlteriori expositione haud indigere putauerit, vt prolixam potius de eo Disquisitionem tomo quinto Sanctorum Maii an. LXXXV. edito inseruerit, explosoq; Baptismo Constantini Romano, & spreta Schelstratii conciliatione fabulaque de duplici Baptismo, veritati manus dederit, ac Constantinum semel in vitæ fine baptizatum esse statuerit. Quare integram Exercitationem meam ex Papebrochianis aliisque Obseruationibus auctam priori

harum

harum Exercitationum parti inserui, vt Lectores inde cognoscant, quam necessaria sit Schelstratio coram publico defensio. Hoc magis, quia Papebrochius caussam suam tuendam commisit Archiepiscopo Vlyssiponensi, quem Dedicatoriæ epistolæ initio his verbis alloquitur: *Indiget sane is,* (tomus quintus) *si quis meorum Operum alius, Patrono insigniter erudito, prudenti & iusto, cui committat tractandam a se caussam Constantini Christianissimi Imperatoris, non solum re ac nomine Magni, sed etiam vetusta vtriusque Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis opinione Sancti; ab ea tamen calumnia vindicandi, qua dicitur & tenetur a multis, in Arianismum deflexisse sub vitæ exitum, & hæretico ritu baptizatus, vel (quod turpius) rebaptizatus fuisse.* Nisi igitur calumniæ reus manere voluerit Schelstratius, superest, vt se ad defendendum paret, aut veritati potius nobiscum subscribat.

IV. Nunc expendemus, quæ aduersus responsiones nostras de loco Hieronymi protulit. Etenim Binii Moguntinorumque Theologorum περὶ γνησιότητ☉ illius dubitantium opinionem proposueram, & ex communi eruditorum consensu de interpolato Hieronymi Chronico firmaueram. Schelstratius tam Binii, quam Moguntinorum nomina summo præterit silentio, neque audet ad rationes eorum respondere, sed tantum ex Codicum Manuscriptorum consensu dubitationi satisfieri putat. Quæ mihi consideranti in mentem venit iudicium Petri Danielis Huetii, quo similem Scaligeri responsionem *ex constanti duntaxat codicum consensu* petitam explodit, *futile argumentum* appellans lib. I. Origenianorum cap. III. num. 9. Quamobrem tale etiam erit Schelstratianum, quo ad Hieronymiani, vt a Scaligero ad Eusebiani Chronici Codices prouocatur: & quemadmodum Huetius in Ecclesiastica Eusebii Historia, quæ interpolationibus subiecta non fuit, potius acquiescit, sic Moguntini malunt Hieronymi de Constantino iudicium ex libro contra Vigilantium petere; siquidem constat, mentem alicuius auctoris ex scriptis ab interpolatione liberis quærendam, nec attendendum esse, quid dubia & interpolata eandem in rem suggerant. Prudentis igitur Lectoris arbitrio relinquo, vtrum melius sit, credere scripto Hieronymi maxime, si quod vnquam, genuino & ἀπαραγχειρήτῳ, an potius Chronico, cuius interpolationes eruditi quilibet agnoscunt, neque Codices mille annis admodum antiquiores hodie supersunt? Præterea tantus non est Codicum consensus, quantum dicit Schelstratius, sed subinde aliqui reperiuntur variantes, vti Pontacus & Papebrochius adnotarunt. Illius verba sunt: *Excipio Alcobiacense MSC. vbi pro* Constantinus *legitur* Constantius, *& vnum ex Vaticanis, vbi,* baptizatus martyrium (*pro* in Arianum) dogma declinat. *Excipio etiam Lodouense Msc. vbi ex vna sententia fiunt duæ, spatiis & velut laterculis distinctæ: prior,* Extremo vitæ tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus. *Posterior & valde diuersa ab aliis libris,* Eusebius in Arianum dogma declinat, a quo vsque in præsens tempus Ec-

clesiarum rapinæ & totius orbis sequuta est discordia. *In quibus dum librarius studet liberare Constantinum a macula hæreseos, incidit in maximam absurditatem tribuens Eusebio Episcopo Nicomediensi, quod Imperatori soli conuenire arguunt illa verba: Ecclesiarum rapinæ & totius orbis &c.* Papebrochius autem in Commentario præuio de Constantino n.19. scribit: *Licet codex noster anno DCXXIII. scriptus, distincte vtroque loco nominet* Constantinum: *in eo tamen, quorsus est Scaliger, scripto sub annum DC XXVII. primo loco scribitur Constantius: & sic ille edidit, & erant forsan alii codices multo antiquiores, in quibus vtrobique sic legebatur.* Quæ Papebrochii obseruatio tanto magis notanda est, quoniam ad Codicem illius MStum prouocat Schelstratius, cui tamen alium vix quatuor annis recentiorem ipse Papebrochius opponit, & in *multò antiquioribus* idem discrimen apparuisse arbitratur. Vnde haud difficulter colligitur, περὶ γνησιότητ☉ verborum Hieronymi in Chronico iure dubitari posse, quidquid dixerit Schelstratius: qui porro autographum Mariani Scoti allegans, nec indicans, in eo pro *baptizatus* legi *rebaptizatus*, gloriationem suam in Antiquitate Illustrata de Mariani consensu ipse tacite infringit.

V. Locus ex Prosperi Chronico non minus interpolationis suspectus est. Verba enim a Schelstratio allegata *Nepotiano & Facundo COSS.* habentur, at sequenti demum anno sub *Feliciano & Titiano* mors Constantini signatur, hoc modo: *Constantinus cum bellum pararet in Persas, in Ancyrone villa publica iuxta Nicomediam moritur, anno ætatis suæ LXVI.* Quis vero ex Eusebio nescit, Constantinum eadem hebdomade & baptizatum esse & obiisse? tantum abest, vt diuersis annis hæc contigerunt. Quod manifeste indicat manum adulteram, cum Prosper tanti erroris nunquam reus dici queat. Sed maleferiatus quidam hæc inseruit, qui optimum Principem Constantinum in suspicionem Arianismi trahere volebat. Certissimum tamen fraudis suæ indicium reliquit, dum loco inconuenienti laciniam suam attexuit.

VI. Hæc autem omnia Binii tantum Moguntinorumque sententia dico. Nam etiamsi verba Hieronymi genuina forent, nihil tamen præsidii Schelstratio inde accederet in Dissertatione mea luculenter monstraui. Nec debuit is meam carpere interpretationem, multo minus erroris accusare, cuius ipse potius reus est. Bonæ enim interpretationis regulis innitor, quæ pronomen relatiuum ad substantiuum proxime præcedens referendum præcipiunt, nisi grauis vrgeat discedendi caussa, qualis hoc loco nulla est. Non tantum autem aduersus has leges peccauit Schelstratius, sed etiam animaduertere noluit, Constantino adhuc viuente discordias rapinasque Ecclesiarum, quas deplorat Hieronymus, cum summo piorum luctu hinc inde exarsisse, neque eo demum mortuo cœpisse, quemadmodum ex historia illorum temporum liquet. His itaque missis ad ipsam Schelstratii Apologiam

pologiam accedimus, singulis Apologiæ Capitibus singulas Sectiones oppositurí, illaque integra præfixuri, vt Lectores agnoscant, integra fide in hoc negotio nos processisse.

DISSERTATIO APOLOGETICA

De disciplina arcani.

NOTA est Orbi Catholico controuersia, quam a paucis annis de sacro Eucharistiæ mysterio mouit in Galliis Claudius Minister reformatus. Editus erat Parisiis libellus anonymus, quo ostendebatur, omnes, qui a tempore Berengarii per diuersas mundi Regiones dispersi nomen Christianum professi erant, vnum idemque pro veritate Eucharistica sensisse. Assumpserat hoc argumentum Author anonymus, vt fideles, cum viderent doctrinam de præsentia reali Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia ab omnibus totius Orbis Ecclesiis receptam fuisse, absque eo quod vllum innouationis vestigium apud Scriptores istorum, vel præteritorum temporum reperiretur, facili negotio concluderent, veritatem illam ex perpetua Ecclesiæ traditione ad nos deriuatam esse. Huius libelli occasione Claudius calamum strinxit, & vt argumentum eluderet, duo opposuit. Primo obiecit quamplurima Sanctorum Patrum loca, in quibus, cum de Sacrosancto Eucharistiæ mysterio ageretur, antitypi, typi, imaginis, figuræ, aliorumque verborum realem Corporis, & Sanguinis Christi præsentiam in specie destruentium, mentio fiebat. Secundo negauit Christianorum de hoc mysterio consensionem, dixitque, non solum transubstantiationem, sed & ipsam præsentiam realem Græcis, aliisque Orientalibus Christianis ignotam fuisse.

Egit hac de re contra Claudium Ministrum Arnaldus Doctor Sorbonicus, qui non minori eruditione, quam diligentia veritatem Catholicam propugnauit: perscrutatus enim est antiquorum Patrum sententias, & sicubi obscurius locuti videbantur, de illorum sensu egregie cum Claudio disputauit, omnesque difficultates soluere studuit: plurimam insuper operam nauauit in perquirendis Orientalium de fide sententiis, vt ex ipsis Græcorum schismaticorum testimoniis constaret, quid Orientalis Ecclesia de præsentia reali Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia crederet, quid de transubstantiatione panis in Corpus, & vini in Sanguinem sentiret. Testimonia illa cum Gallice solum, eaque non omnia ab Arnaldo typis edita essent, magno quondam studio in Galliis quæsiui, & ante tres circiter annos Parisiis reperi autographa. Horum exscribendorum copia mihi facta ab humanissimo, & Doctissimo Viro Ioanne Mabillonio, illa Græco idiomate a Patriarchis, Metropolitis, Episcopis, & Clericis Orientalibus conscripta Latine conuerti, vt ea Græco-latina cum plurimis aliis Orientalium actis hucusque ineditis typis mandarem. Monueram ea de re Lectorem in Commentario de Sacro Antiocheno Concilio, quod anno 1681. Antuerpiæ editi. Ad Canonem namque secundum Antiochenum pag. 273. occasione cuiusdam testimonii Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani scripseram: *De cuius actis cum Lutheranis, si Deus nobis propitius sit, & vlteriorem vitam cum incolumitate largiatur, alibi fusius agemus.* Et ad Canonem 9. pag. 485. agens de Indulgentiis, adiunxeram: *De quibus omnibus fusius nobis agendum est in iis, quas de actis Orientalis Ecclesiæ contra Lutheri, & Caluini hæreses paramus, dissertationibus.*

Et hæc sunt, nec plura, quæ in Commentario de Antiocheno Concilio circa Opus, quod modo præ manibus habeo, annotaui: ex paucis tamen illis Tentzelius me monere voluit in disputatione sua de disciplina arcani, *se admodum desiderare, ac summe necessarium esse,*

Vt in dissertationibus de actis Orientalis Ecclesiæ contra Lutheri, & Caluini hæreses, quas in Concilio Antiocheno pag. 273. & 485. publicandas promisi, Lutheranæ Ecclesiæ sententiam a Reformatorum hypothesibus probe distinguam, statumque controuersiæ recte formem. Non inquiram, qua ratione, quo consilio hæc monenda duxerit Tentzelius: indicauit enim sufficienter, vulnus lethale, quod ex perpetua Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ consensione Caluinistis, & Lutheranis infligitur, a se minime contemni, ideoque desiderari, vt acta Orientalis Ecclesiæ contra Caluinistas edita nequaquam Lutheranæ Religionis hominibus opponam.

Quod se desiderare innuit Tentzelius, id etiam non rogatus facere decreueram, collectis namque actis Orientalibus, quæ post exortas Lutheri & Caluini hæreses, vel edita, vel manuscripta inueniri potuerunt, Lutherum a Caluino separaui, opusque in duos Tomos diuisi, in quorum primo edam omnia illa, quæ ab ortu Lutheranæ hæreseos contra illam scripserunt Patriarchæ, Metropolitæ, Episcopi, & Græci schismatici. Vtque constet, hodiernam Græcorum Ecclesiam in dogmatibus cum Luthero controuersis nihil noui sapere, antiquorum Patrum Orientalium testimonia adiungam, & ex perpetua Orientalis Ecclesiæ consensione contra Lutheranos ex Tertulliano concludam: *Illud esse Dominicum, & verum, quod est prius traditum; illud erroneum, & falsum, quod est posterius immissum.*

Dum autem pro fidei veritate ex actis Orientalibus demonstranda operam omnem sedulo impendo, non abs re fecisse videbor, si cum Tentzelio de disciplina arcani ex antiquis Patribus comprobanda paucis antecedenter agam, & præcipuum fidei dogma de præsentia reali, & transubstantiatione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi ab obiectionibus Nouatorum expediam. Quamuis enim, vt diximus, dogma Catholicum Arnaldus Doctor Sorbonicus illustrare conatus fuerit, labores tamen eius non parum adiuuari possent, si complures Patrum sententiæ, quas Caluinistæ, & Lutherani contra præsentiam realem, & transubstantiationem adducunt, vnica obseruatione ex antiqua disciplina arcani desumpta exponantur. Disciplinam illam iam diximus constitisse in occultatione quorundam mysteriorum Religionis Catholicæ, eamque olim in vsu fuisse, ex tot Patrum testimoniis constat, vt Tentzelius ipse id negare ausus non fuerit, sed disciplinam arcani in Ecclesia receptam fuisse, mecum admiserit.

Nonnulla tamen sunt, de quibus inter me, & Tentzelium differentia intercedit: quod enim ego in Commentario ad 2. Canonem Antiochenum pro solis Catechumenis, Iudæis, & infidelibus in vsu fuisse asserueram; ipse, ac si pro fidelibus pariter, & infidelibus statuissem, in disputatione sua oppugnat: quod ego non de Sacramentis solum, sed de aliis quoque Religionis Catholicæ mysteriis locum olim habuisse indicaueram; ipse de duobus dumtaxat Sacramentis admittit: quod ego non de ritibus solum, sed de dogmate obseruatum fuisse tradideram; ipse de solis ritibus obtinuisse putat: quod ego ab Apostolorum temporibus cœpisse scripseram; ipse ad finem secundi sæculi inchoasse existimat: quod ego demum contra Caluinistas, & Lutheranos facere docueram; ipse contra Caluinistas, non vero contra Lutheranos vrgeri posse asserit. Hæc sunt, de quibus potissimum inter me, & Tentzelium quæstio mouetur: cumque in Commentario ad Antiochenum Concilium paucis tantum verbis de illis egerim; de iis, quia plura notatu digna occurrerunt, hic latius agendum erit.

CAPVT I.

Quod disciplina arcani non pro fidelibus, sed pro Catechumenis, & non initiatis obseruata fuerit.

SVppono ex dictis supra, disciplinam arcani in nullo alio constitisse, quam in occultatione rituum siue dogmatum, a Patribus olim obseruata: neque Tentzelium cum cæteris Lutheranis

ranis disciplinam occultandi ritus Sacramentorum negare, sed pro certo habere, eam aliquot sæculis circa mysterium Eucharistiæ in Ecclesia viguisse. Prima difficultas est, pro quibusnam disciplina illa instituta, obseruataque fuerit? Cum enim ego in commentario ad 2. Canonem Antiocheni Concilii cap. 8. num. 1. innuissem, plerosque Patres primis Ecclesiæ sæculis nullam de Eucharistia mentionem fecisse, alios obscurius, quam par esse videtur, de ea locutos fuisse; Tentzelius in disputatione sua ita mentem meam interpretatus videtur, quasi pro omni hominum genere disciplinam illam obtinuisse, omnique tempore, & casu ita obligasse affirmassem, vt apud neminem sanctorum Patrum vllum clarum de Eucharistia testimonium reperiatur. Vnde numero vltimo suæ disputationis contra me vrget: *Prætereundum non esse, disciplinam arcani, quantacumque etiam eius in antiqua Ecclesia fuerit obseruatio, & cura, nihil tamen impediuisse, quominus veritatem sanctæ cœnæ claris apertisque verbis Patres, & Doctores testati sint.*

Verum non eam fuisse mentem meam, ex commentario ipso ad Canonem 2. Antiocheni Concilii colligere potuit Tentzelius. Ibi enim testatus sum, antiquiores locum Matthæi 7. de non dando sanctum canibus, interpretatos fuisse *de non exponendis Christianæ fidei sanctioribus mysteriis nisi fidelibus.* Pro fidelibus itaque nullum erat arcanum, sed pro infidelibus tantum, & Catechumenis, vt docueram his verbis immediate antecedentibus; *Ethnicorum hominum de mysteriis Catholicæ fidei ludibria adeo semper abhorruit Ecclesia, vt ne quidem conuertendis, quamdiu Catechumenorum nomen gerebant, vellet esse exposita.* Inter fideles itaque, & infideles ante omnia distinguendum esse putaui, & cum de occultato olim Eucharistiæ mysterio egerim, non aliis, quam Gentilibus, Iudæis, & Catechumenis occultari debuisse, asserui, vt iuxta hoc principium intelligendum fuerit, quod de primitiuæ Ecclesiæ Patribus annotaui: *rarum, aut nullum apud plerosque eorum de Sacra Eucharistia reperiri testimonium.*

Scribebant plerumque antiqui Patres aduersus impios Iudæos, persecutores Ethnicos, & perfidos homines; & quo feruentius Christianæ Religionis mysteria explorabant Gentiles, eo diligentius Patres illa occultabant, quod sibi sequendum putarent graue illud Christi monitum: *non esse dandum sanctum canibus, nec margaritas proiiciendas esse ante porcos.* Scribebant quoque non raro ad Catholicos, sed cum timore quodam, & formidine, quod opera ad manus infidelium essent peruentura, & quanto magis ea de re sibi timebant, tanto rarius de Sacramento Eucharistiæ aliisque mysteriis agebant. Vnde rariora sunt, & longe obscuriora, quæ apud Patres in tractatibus contra Gentiles editis repeviuntur testimonia, vt patet ex Tertulliani Apologetico, Origene contra Celsum, Arnobio aduersus Gentes, aliisque.

Præclarum habemus huius disciplinæ testimonium in Cyrillo Hierosolymitano, qui Catecheses suas in duo genera distribuit, primumque illuminatis, secundum recens baptizatis inscripsit: in prioribus, quia habitæ fuerunt coram Catechumenis, ne verbum quidem fecit de sacramento Eucharistiæ, aliisque mysteriis: in posterioribus, quas mystagogicas vocat, quia habitæ fuerunt coram solis baptizatis vel fidelibus, adeo clare de mysteriis, & Eucharistia præsertim locutus fuit, vt clarius loqui non potuerit. Vnde & grauissime monuit, Catecheses suas cum Catechumenis, & non initiatis omnino communicandas non esse, vt ex Cyrilli verbis infra suo loco referendis constabit. Insigne quoque est testimonium, quod ex epistola Sancti Chrysostomi ad Innocentium Primum, & Palladio Episcopo Helenopolitano in vita Chrysostomi desumitur: cum enim vterque egisset de tumultu in Ecclesia Constantinopolitana exorto, scribit Chrysostomus, *sanctissimum Christi Sanguinem* coram non initiatis effusum; Palladius vero nihil aliud, quam *Symbola effusa* tradit. Chrysostomi verba clara sunt, & perspicue

ſpicue mentionem Sanguinis Chriſti faciunt, καὶ τὸ ἁγιώτατον αἷμα τοῦ Χριστοῦ ἐξεχεῖτο, & ſanctiſſimus Chriſti Sanguis effuſus eſt. Palladius autem obſcure loquitur, agens namque de impio illo effuſore τὰ σύμβολα ἐκχέει, Symbola,inquit,effundit. Quid in cauſa ſit,quod vnus clare,alter obſcure loquatur; inquirant,qui velint: aliam ſane non inuenient,quam quod Chryſoſtomus ſcribens ad Innocentium Primum fidelium Caput,& Paſtorem, nihil occultare debuerit:Palladius vero ſcribens hiſtoriam Catechumenos,& infideles,ad quorum manus peruenire poterat,cauere voluerit.

Poſſem centenis Patrum teſtimoniis hanc veritatem confirmare: ſed vt hæretici ipſi fatentur, & a Tentzelio laudatus Caſaubonus exercitatione 16. in Baronium: „ Quis ita hoſpes „ in Patrum lectione, cui ſit ignota formula in mentione ſacramentorum potiſſimum vſu trita, ἴσασιν οἱ μεμυημένοι norunt initiati, quod dicitur: quæ formula in vnius Chryſoſtomi homiliis, aut aliis ſcriptis, minimum quinquaginta locis poteſt obſeruari. Apud Auguſtinum in Epiſtolis, in enarrationibus in Pſalmos, tractatibus in Ioannem, homiliis ſiue ſermonibus, aut aliis ſcriptis non multo rarius.„ Notum eſt illud Auguſtini tract. 96. in Ioannem: *Catechumenis Sacramenta fidelium non produntur:* & illud magni eiuſdem Eccleſiæ Doctoris: *neſciunt Catechumeni, quid accipiant Chriſtiani.* Notum quoque eſt illud Chryſoſtomi homilia 72. in Matthæum: *Eucharistia myſterium ..... initiati ſolummodo nouerunt.* Et illud Catecheſis prioris ad baptizandos: *ſciunt initiati vim huius poculi, ſcietis vos quoque paulo poſt.* Centena ſunt, vt dixi, ſimilia Patrum loca, quæ ſuperfluum eſſet afferre, cum inter omnes conueniat, pro Catechumenis, Iudæis, & infidelibus diſciplinam arcani obſeruatam fuiſſe, non vero pro fidelibus ſeu baptizatis, quibus cuncta Religionis Catholicæ myſteria abſque vlla verborum ambage exponi poterant.

SECTIO I.
ANIMADVERSIONVM
IN
CAPVT I. APOLOGIÆ.

I.

MOnueram in præfatione Diſſertationis meæ Schelſtratium, vt in Actis Orientalis Eccleſiæ aduerſus Lutheranos & Caluinianos, quæ publicæ luci exponere vult, noſtræ Eccleſiæ ſententiam à Reformata probe diſtingueret, ſiquidem obſeruaueram, diſcrimen iſtud nec in controuerſia de diſciplina arcani, nec in altera de auriculari Confeſſione curæ ei fuiſſe. Enimuero Schelſtratius in proœmio Apologiæ non ſolum occaſionem operis iſtius ex Claudii Arnaldique diſputationibus ortam exponit, ſed rationem inſuper admonitionis meæ explorare conatur, quaſi ea indicauerim, lethale vulnus, quod nobis ex perpetua Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ conſenſione infligatur, a me minime contemni. Nouo nimirum hyperaſpiſta Allatio poſt fata opus erat, *qui perpetuam Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ conſenſionem* (hic enim ipſe eſt Allatiani Operis titulus) infeliciter ab eo cœptam, & non modo a Noſtratibus, ſed ab ipſis etiam prudentiori-

bus

bus Pontificiis reiectam, defendendam susciperet, ac pro virili stabilire adgrederetur. Quid autem ab hodierna Græcorum Ecclesia sibi polliceantur Nostrates, ex scriptis eorum passim obuiis facile intelligitur; iidemque feliciter tela Pontificiorum, quæ ex ficto Græcorum suorumque consensu fabricare audent, in eos retorquent, totque vulnera lethalia ipsis infligunt, vt omnis de consensu gloriatio in apertam potius dissensionem erumpat. Quamobrem iterum adhortor Schelstratium, vt perpendat, quam validum argumentum aduersus suæ religionis dogmata petatur ex iis, quæ nobiscum statuunt Orientales Ecclesiæ, in negando videlicet Primatu Papæ Oecumenico, inficiando purgatorio, similibusque controuersiis; & quam infirmum ex aduerso sit, quod is nobis opponere audet, si quando erroribus Romanæ Ecclesiæ adhærere videntur Orientales, quum constet, vtrosque in tot aliis doctrinis maxime distare, a nobis vero nihil admitti, quod contra diuinarum scripturarum auctoritatem siue in Oriente siue in Occidente hodie receptum est.

II. Gloriatur Schelstratius, ex arcani disciplina firmari posse fabulam transsubstantiationis; quod vanum esse, ex infra dicendis constabit, quando obiectum illius disciplinæ vindicabimus. Id enim recte controuersis inter nos capitibus accensuit, nisi quod in ipso statim limine impegit, male sibi a me imputatum existimans, quasi statuerit, disciplinam illam fideles pariter ac infideles comprehendisse, quam coram solis Catechumenis, Iudæis & Ethnicis obseruatam fuisse eius ferat sententia, cui stabiliendæ totum caput primum consecrauit.

III. Atenimuero non opus erat tot verborum ambagibus, quum litis huius decisio pendeat ex obiecto disciplinæ arcani. Id dum Schelstratius dogmata & ritus inuoluere contendit, non potest non simul concedere, eam tam fideles simpliciores, quam infideles spectasse. Dogmatum enim perfectior subtiliorque tractatio non his minus, quam illis occultabatur, vt sequenti Sectione ostendemus. Nunc tantum monemus, callide Schelstratium generali *mysteriorum* vocabulo vti, quæ gentiles explorare, Patres vero occultare studuerint. Si enim id in sua latitudine sumatur, & cum Schelstratio ad arcani disciplinam applicetur, nihil mysteriorum Christianæ religionis infidelibus propositum fuisse consequeretur; quod tamen falsissimum esse & Conciones Apostolicæ, & Iustini Martyris Apologiæ, & Origenes aduersus Celsum mysteria de Christi persona & officio luculenter exposita innuens, aliique innumeri probant & conuincunt. Neque veritati congruit, quod censet Schelstratius, in tractatibus Patrum contra Gentiles obscuriora de Eucharistia reperiri testimonia. Origenes enim, quem ipse aduocat, Libro IIX. aduersus Celsum adeo clare aperteque de hoc mysterio loquitur, vt Petrus de Marca in Dissertatione de Sacramento Eucharistiæ pag. 28. 29. tertium ei locum adsignauerit inter Patrum testimonia de reali præsentia. Verba

Græca adſcribemus ex editione Hœſchelii pag. 411. ἡμεῖς δὲ τῷ τοῦ παντὸς δημιουργῷ εὐαρεστοῦντες, καὶ τοὺς μετ' εὐχαριστίας καὶ εὐχῆς τῆς ἐπὶ τοῖς δοθεῖσι προσαγομένους ἄρτους ἐσθίομεν, σῶμα γενομένους διὰ τὴν εὐχὴν ἅγιόν τι, καὶ ἁγιάζον τοὺς μετὰ ὑγιοῦς προθέσεως αὐτῷ χρωμένων. Verſionem Latinam Marca hanc profert: *Nos vero conditori omnium Deo gratias agentes, & pro collatis in nos eis beneficiis, actis gratiis, oblatis panibus veſcimur, qui vtique per precem efficiuntur Corpus ſanctum, & ſanctificans eos, qui ſano propoſito & mente ipſis vtuntur.* Quod ſi alicui diſciplinam arcani referre videatur *corporis ſancti* vox, qua Domini Chriſtiue nomen præteriit; reclamabit ipſe Origenes homilia XIII. in Exodum, quando iſtam diſciplinam inculcans diſerte ſcribit, eos, *qui diuinis myſteriis intereſſe conſueuerunt, noſſe, quomodo corpus Domini ſuſcipiant &c.* Locum integrum dedimus in Diſſertatione num. VII. repetitque infra Schelſtratius cap. IV. num. IV. Miror autem, qua ratione Tertulliano & Origeni comitem dare voluerit *Arnobium aduerſus Gentes:* quippe inter omnes conſtat, Arnobium adhuc Catechumenum libros illos ſcripſiſſe, quo tempore ex hypotheſi Schelſtratiana nec dogma nec ritus Euchariſtiæ cognouerat, adeoque non magis de iſto myſterio, quam cœcus de coloribus teſtari potuerat. Sed de Arnobio infra pluribus agemus. Reliqua Cyrilli Hieroſolymitani, Palladii aliorumque teſtimonia mihi non obſunt, qui libenter concedo, Diſciplinam arcani dogmata non occultantem ad ſolos Ethnicos, Iudæos & Catechumenos pertinuiſſe: ſed dogmatum occultationem diuerſi generis eſſe arbitror, quæ ad fideles etiam e vulgo ſeſe extendit, ſequentique ſectione latius a me explicanda eſt.

CAPUT II.

Circa quanam diſciplina arcani olim obſeruari ſolebat.

GRauis videtur accuſatio, qua Tentzelius in ipſo diſputationis ſuæ exordio reum me eſſe proclamat, quaſi nullum inter dogma, & ritum diſcrimen conſtituam, ſed omnia confundens, ceremonias pariter, ac fidei doctrinas prima Eccleſiæ ætate abſconditas fuiſſe contendam. Ait proinde, prudentius monuiſſe Caſaubonum exercitatione 16. inter myſteria ſilenda non recenſendam eſſe doctrinam de Sanctiſſima Trinitate, aut Incarnatione IeſuChriſti, & ſimilia capita Euangelicæ prædicationis, ſed ſolum Sacramenta Noui Teſtamenti, in quibus *cum tria occurrant conſideranda, ſymbola ſignificantia, res ſymbolis ſignificata, & ritus celebrandorum Sacramentorum, veteres non adeo res in Sacramentis ſignificatas, & efficaciam illorum ſiluiſſe, quam ſymbola ipſa, & ritus celebrandi, ac rituum cauſas.* Dicit, hanc Caſauboni annotationem ab aliis admitti, intelligens procul dubio non ſolos Lutheranos, ſed & Caluiniſtas, inter quos Albertinus lib. 2. diſputatione de reticentia myſteriorum illam fuſius probandam ſuſcepit.

Plura continet Caſauboni ſententia, quæ Patrum teſtimoniis, & antiquæ Eccleſiæ diſciplinæ aduerſantur. Habet enim de Sanctiſſimo Trinitatis myſterio, quod omnibus etiam Genti-

Gentilibus, & Catechumenis proponi consueuerit. Statuit quoque, solos Sacramentorum ritus, eorumque causas antiquitus occultata fuisse; quæ duæ disciplinæ, ac traditioni Ecclesiæ repugnant, vt in hoc, & sequenti capite fusius videbimus, ostendentes in priori, tam mysterium Sanctissimæ Trinitatis, quam omnia Sacramenta antiquitus occultari consueuisse: in posteriori vero, non solos Sacramentorum ritus, eorumque causas, sed dogmata quoque infidelium & Catechumenorum auribus abscondita fuisse.

ARTICVLVS I.

Dogma de Sanctissima Trinitate olim occultatum fuisse, & quibusnam?

IN Commentario ad 2. Canonem Antiochenum citaueram inter alios pro confirmanda disciplina arcani Authorem perantiquum Recognitionum Clementis I. qui lib. 3. refert, Petrum in medio fratrum dixisse: *Nihil est difficilius, fratres mei, quam de veritate apud permixti populi multitudinem disputare. Quod enim est, omnibus, vt est, dici non licet, propter eos, qui maligne, & insidiose audiunt: fallere vero non expedit propter eos, qui sincere audire desiderant veritatem. Quid ergo faciet, cui ad indiscretum populum sermo est? Occultet, quod verum est? Et quomodo instruet eos, qui digni sunt? Sed si meram proferat veritatem his, qui salutem consequi non desiderent, illi, a quo missus est, iniuriam facit, a quo mandatum accepit, ne mittat verborum eius margaritas ante porcos, & canes, qui aduersum eas argumentis, ac sophismatibus reluctantes, ipsas quidem cœno intelligentiæ carnalis inuoluant, latratibus autem suis, & responsionibus sordidis rumpant, & fatigent prædicatores Verbi Dei. Propter quod & ego in pluribus circuitu quodam verbi vtens, tentare nitebar, ne principalem de summa Diuinitate intelligentiam minus dignis auribus prædicarem.* „ Hæc Apostolorum Princeps Petrus, iuxta fidem „ antiquissimi Authoris Græci ex interpretatione Ruffini, qui ante mille trecentos & plures „ annos floruit, & prædictum Opus Latinum fecit.

Eadem fere verba posueram post testimonium Petro Apostolorum Principi tributum, quod licet clarum sit, nullaque expositione indigeat, plura tamen opponere voluit Tentzelius, errans inter alia, me huius Operis Authorem facere Clementem, contra id, quod in Antiquitate illustrata docueram: quasi vero hæc verba mea ex Commentario ad 2. Canonem Antiochenum ab ipso Tentzelio relata: *Testimonium, quod æternitati consecrauit Author perantiquus Recognitionum Clementis Primi*; mentem meam non sufficienter exposuissent; clarioribus namque verbis Authorem hunc contra Clementem distinguere non potueram. Neque obest, quod testimonium illud agat non de occultando Eucharistiæ mysterio, sed dogmate potiùs de Deo obscuritatibus inuoluendo, quod obiicit *plane contra mentem, & morem, vsumque esse Apostolorum, qui doctrinam salutarem de summa Diuinitate claris, ac perspicuis verbis in epistolis, & sermonibus suis tradiderunt, scriptisque mandarunt.* Rursus enim impingit Tentzelius, & nullam inter fideles, & infideles differentiam constituit. Apostolos de indiuidua Trinitate claris, & perspicuis verbis egisse in epistolis suis & sermonibus, fateor constare ex Scripturis: sed epistolæ illæ ad quosnam scriptæ sunt? Sermones illi coram quibus dicti fuerunt? Coram Gentilibus, an coram Christianis? coram initiandis, an coram initiatis? Sane de mysteriis ad neminem literas miserunt Apostoli, quam ad Christianos, & fideles, vt infra videbimus: & licet sermones quandoque instituerint coram Hebræis, & Gentilibus, prioribus solum mysterium indiuiduæ Trinitatis ex Veteri Testamento exponebant; coram posterioribus vero cautius agebant, neque de Sanctissima Trinitate mentionem faciebant. Patent hæc o-

mnia ex ipsis Apostolorum Actis a Sancto Luca conscriptis: quamuis enim ibi videamus, Apostolos passim in Synagogis coram Iudæis prædicasse fidem in Christum vnigenitum æterni Patris Filium; constat tamen, de Sanctissima Trinitate filuisse, quando agebant in foro coram Gentilibus. Sic Paulus, & Barnabas Actorum 14. Lystris solam fidem in Deum annunciauerunt; Paulus Actorum 17. in Areopago vnicum Atheniensibus ignotum Deum prædicauit; & Actorum 24. Cæsareæ coram Præside Felice nihil præter fidem in Deum professus fuit.

Hisce ex Sacra Scriptura demonstratis, videndum est, an testimonium, quod in Recognitionibus Petro Apostolorum Principi tribuitur, moribus Apostolicis aduersetur. Non dixit Petrus, doctrinam de Summa Diuinitate fidelibus occultandam esse, sed infidelibus, propter quos dicebat, *nihil difficilius esse, quam de veritate apud permixti populi multitudinem disputare;* nec ad indiscretum populum clare loquendum esse *propter eos, qui maligne, & insidiose audiunt:* cum enim salutem consequi non desiderent, aduersus veritatem argumentis, & sophismatibus reluctando, eam quidem cœno intelligentiæ carnalis inuoluent, latratibus autem suis, & responsionibus sordidis sermonem interrumpent, & Prædicatores verbi Dei fatigabunt: propter quæ dictum est a Christo, ne sermonem habens *mittat verborum eius margaritas ante porcos, & canes. Et ego,* inquit Petrus, *in plurimis circuitu quodam verbi vtens tentare nitebar, ne principalem de summa Diuinitate intelligentiam minus dignis auribus publicarem.* In his verbis quid est, quod repugnat moribus Apostolicis? Quid est, quod primitiuæ Ecclesiæ consuetudini aduersetur? Non fidelibus, sed infidelibus ob rationes iam allatas occultanda erat principalis de summa Diuinitate intelligentia, altissima de Trinitatis mysterio doctrina.

Quod Apostolorum Princeps Petrus, hoc Doctor Gentium Paulus fatetur sese obseruasse cum Corinthiis. Narrat Sanctus Lucas indiuiduus Pauli comes, eum venisse Corinthum, & Iudæis annuntiasse fidem in Christum: Iudæis autem contradicentibus, ad Gentes sese conuertisse, adeo vt per annum, & sex menses prædicauerit Corinthiis verbum Dei. Hisce autem suppositis, scribit Paulus in prima ad Corinthios epistola cap. 3. *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed qua si carnalibus. Tamquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis.* Citaueram hæc Pauli verba ad 2. Canonem Antiochenum, & subiunxeram testimonium Clementis Alexandrini, qui lib. 5. Stromatum hæc ita interpretatur: *Cautionem, ne sermones in vulgus exeant, docet hoc modo. Et ego, fratres, non potui loqui vobis tamquam spiritualibus, sed tamquam carnalibus; tamquam infantibus in Christo lac vobis potum dedi, non cibum: nondum enim poteratis, sed neque nunc potestis, adhuc enim carnales estis. Si ergo lac quidem est infantium: cibus autem perfectorum nutrimentum dictus est ab Apostolis, lac quidem intelligetur Catechesis veluti primum nutrimentum animæ; cibus autem suspiciens contemplatio, quæ sunt ipsa carnes, & sanguis verbi: hoc est comprehensio Diuinæ potentiæ, & essentiæ: Gustate, & videte, inquit, quod Christus est Dominus.* Et hæc sunt Clementis verba, quæ ego ad mysterium arcani facere, Tentzelius nihil ad illud conferre existimat, asserendo: ἐπίκρυψις, *quam Paulo tribuit Clemens, non ritus sed dogma, nec Sacramentorum doctrinam, sed institutionem de Deo respicit, quæ ad arcani disciplinam nullo modo pertinent, vtpote quæ in solis ritibus Sacramentorum consistebat.*

Bene habet, quod Tentzelius vel inuitus fateatur, ἐπίκρυψιν, siue occultationem, de qua iuxta Clementem loquitur Paulus, ad dogma spectare: ridiculum tamen est, quod addit, non Sacramentorum doctrinam, sed institutionem de Deo respicere, quasi nihil præter Sacramenta antiquitus occultandum fuisset. Clementis verba clara sunt, dum asserit, Paulum cauisse, ne sermones de summa Diuinitate in vulgo exeant, quod nimirum mysterium Sanctissimæ Trinitatis, siue, vt lo-

vt loquitur, *comprehensio Diuinæ potentiæ, & essentiæ* ad disciplinam arcani, quod omnibus reuelandum non erat, spectaret. Quomodo Paulus ipse cum Atheniensibus egerit, indicauimus supra, de cuius sermone audiendus est D. Ambrosius in Commentario ad caput 9. Lucæ: *Lege*, inquit, *sermonem Apostoli apud Athenienses habitum: qui si a primo destruere voluisset cæremonias Idolorum, sermonem eius aures Gentilium respuissent. Ab vno igitur Deo operatore mundi incipit, dicens: Deus, qui fecit mundum, & cuncta, quæ sunt in eo &c. Negare non poterant, vnum operatorem esse mundi, vnum Deum, vnum omnium Creatorem. Adiunxit, quod Cœli, & terra Dominus in manu factis non dignatur habitare. Deinde quod intra auri, argentique cassam materiem nequaquam verisimile sit artificio hominis vim Diuinitatis includi, erroris remedium docens esse studium pœnitendi. Tunc venit ad Christum, nec tamen Deum maluit, quam hominem nuncupare, dicens; In viro, quo definiuit, præbens omnibus fidem, suscitans eum ab inferis. Qui enim tractat, debet audientium considerare personas, ne prius irrideatur, quam audiatur. Quando enim Athenienses crederent, quia Verbum caro factum est, & de Spiritu Virgo concepit, qui irridebant, quia resurrectionem audierant mortuorum? Tamen & Dionysius Areopagites credidit, & alii crediderunt in virum, vt in Deum crederent. Quid interest, quo quisque credat ordine? Non in principio perfecta quæruntur, sed de principiis ad ea, quæ perfecta sunt, peruenitur. Ergo tali Athenienses informauit præcepto; talis nobis apud Gentiles ordo seruandus est. At vero cum Iudæos alloquerentur Apostoli, ipsum Christum esse dicebant, qui Propheticis nobis esset promissus oraculis: quem non prius authoritate sua Dei Filium nominabant, sed virum probatum, virum iustum, virum a mortuis suscitatum, illum virum, de quo dictum est, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Ita ergo & tu ad ea, quæ difficile creduntur, authoritatem Diuini sermonis adscisce, & promissum eius aduentum Prophetarum voce designa...... Quod si ad Sacramenta fidelium tendens Catechumenus imbuendus sit; dicendum, quia vnus est Deus, ex quo omnia, & vnus Iesus Christus, per quem omnia, non duos Deos esse dicendos: perfectum quidem Patrem, perfectum esse & Filium, sed vnius Patrem & Filium esse substantiæ, Verbum æternum æterni Dei; non quod profertur, sed quod operatur; ex Patre genitum, non voce editum.* Hic videbit, ni fallor, Tentzelius, quam vere diximus supra, Apostolos Sanctissimæ Trinitatis mysterium non reticuisse coram Iudæis, qui illud in propheticis sermonibus antiquitus acceperant, sed occultasse Gentilibus, vt Paulum coram Atheniensibus fecisse probat Ambrosius; quinimo ipsis Catechumenis, quamdiu in primo audientium gradu erant, mysterium illud traditum non fuisse: notanda enim sunt verba Ambrosii, *Ad Sacramenta fidelium tendens Catechumenus*, quibus Catechumenos Competentes indicat, iisque mysterium reuelandum esse innuit. Clarius mentem suam exponit D. Ambrosius epistola 33. ad Marcellinam sororem: *Post lectiones*, inquit, *& tractatum dimissis Catechumenis Symbolum aliquibus Competentibus in baptisteriis tradebam.* Competentes, de quibus ibi Diuus Ambrosius, sunt omnino Catechumeni mox baptizandi, quibus ante Baptismum de Sanctissimo Trinitatis mysterio constare debebat, quia *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* baptizandi erant. Quamdiu autem baptismo proximi non erant, illius mysterii notitiam non habebant, quia illis tamquam paruulis in fide iuxta Apostolum lac, non solidus cibus competebat. Occultabatur itaque Catechumenis in primo gradu constitutis mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & ob illud, aliaque totum Symbolum, de quo antequam ageret Ambrosius, testatur se dimisisse Catechumenos.

Neque hoc solum in Occidente, sed in Oriente quoque vsu receptum fuisse, patet ex Sozomeno lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 19. vbi fatetur, se Symbolum Nicænum omittere, *Quia*, inquit, *verisimile est, nonnullos, qui non sunt initiati mysteriis, hunc librum perlecturos.*

ros. Colligitur quoque ex Origene, qui libro 1. contra Celsum enumerans præcipua Religionis dogmata, quæ Symbolo contenta nemini occultantur, allegat Christi natiuitatem, crucifixionem, & resurrectionem, extremum iudicium, & futuræ nostræ resurrectionis mysterium. Neque vllam mentionem facit Sanctissimæ Trinitatis, quod eius doctrina omnibus non sit annuntianda. Rationem dat Gregorius Nazianzenus oratione 44. de Spiritu Sancto, vbi sic loquitur: Οἱ τὸ Πνεῦμα Θεὸν νομίζοντες, ἔνθεοι καὶ λαμπροὶ διάνοιαν. Οἱ δὲ καὶ ὀνομάζοντες, εἰ μὲν εὐγνώμοσιν, ὑψηλοί. εἰ δὲ ταπεινοῖς, οὐκ οἰκονομικοί, πηλῷ μαργαρίτην πιστεύοντες. *Qui Spiritum Sanctum Deum esse censent, Diuini sunt viri, & præclaro animo: qui vero etiam ita nominant; siquidem apud bene sentientes verba faciant, sublimis animi ipsi sunt; sin autem apud abiecta mentis homines, satis prudentes dispensatores non sunt; qui margaritam luto credant.*

Putat quidem Casaubonus, hanc occultationem a Gregorio Nazianzeno indicatam ad συγκατάβασιν condescensionem, siue dispensatiuam Patrum prudentiam spectare. Verum cum mysterium Sanctissimæ Trinitatis ad dogma spectet, quod hæretici antiquitus occultatum fuisse nolunt, lectoribus suis illudit Casaubonus; ad disciplinam enim arcani spectat iam allata admonitio Gregorii Nazianzeni, qui sub abiectæ mentis hominibus procul dubio Catechumenos comprehendit; fideles enim mysterium Sanctissimæ Trinitatis, in quo baptizati erant, credere debebant; Catechumeni vero in primo gradu constituti illud ignorabant. Vnde Philotheus Patriarcha apud Casaubonum de Basilio, Nazianzeno, & Chrysostomo: *Credimus Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum eiusdem gloriæ, in quibus consummatur, & verbis, & rebus ipsis: scis hoc tu, qui es initiatus.* Et magnus Constantinopolitanus Episcopus Ioannes Chrysostomus homilia 40. in primam ad Corinthios epistolam expresse professus est, se non audere loqui de forma baptismatis, & Symbolo, quibus Sanctissimæ Trinitatis mysterium exponitur: *Non audeo, inquit, propter eos, qui non sunt initiati: ii enim expositionem nobis faciunt difficiliorem, vt qui nos cogunt, vel non aperte dicere, aut eis arcana enunciare. Sed tamen dicam, quoad eius a me fieri poterit, tecte & adumbrate: nam post mysticorum illorum, & terribilium verborum enunciationem, & horrendas regulas dogmatum, quæ e Cælo sunt demissa, hoc quoque in fine addimus, quando sumus baptizandi, iubentes dicere: Credo in resurrectionem mortuorum: & in hac fide baptizamur.* Omnium demum clarissime Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 6. agens de mysteriis symbolo contentis: *Hæc mysteria Sacramentaque nunc patefacit Ecclesia ei, qui ex Catechumenis excedit: nec moris est, Gentilibus exponere; non enim Gentili cuiquam de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto arcana mysteria declaramus, neque palam apud Catechumenos de mysteriis verba facimus, sed multa sæpe loquimur occulte, vt fideles, qui rem tenent, intelligant, & qui non tenent, non lædantur.* Clariora sunt hæc verba, quam vt negari possint, vel in contrarium sensum detorqueri. Vt autem vlterius de eorum testimoniorum fide constet, dabimus infra textum Græcum, ex quo Tentzelius suos errores, si velit, corrigere poterit; si nolit, saltem erubescere deberet.

ARTICVLVS II.

Non vnum, vel duo, sed reliqua etiam Sacramenta non initiatis occultari consueuisse.

De solo Eucharistiæ mysterio occultando egeram in commentario ad 2. Canon. Antiocheni Concilii, non quod alia occultata fuisse negarem, sed quod istius Sacramenti sub nomine Eucharistiæ mentionem ibi factam reperissem. Tentzelius num. 2. suæ disputationis de omnibus Sacramentis ex disciplina Ecclesiæ olim occultatus acturus: *Arcani*, inquit,

ſeu myſterii nomine nobis propriè veniunt Sacramenta Noui Teſtamenti, quorum duo tantum ſunt, Baptiſmus, & Euchariſtia. Duo tantum Sacramenta admittit, & quia ſola Sacramenta ex diſciplina arcani occultanda ſtatuerat, nihil aliud, quam Euchariſtiam, & Baptiſmum occultata fuiſſe credebat. Paulo cautius locutus eſt Albertinus diſputatione de reticentia myſteriorum: *Dico*, inquit, *non ſolam Euchariſtiam, ſed alterum quoque Eccleſiæ Sacramentum, videlicet Baptiſmum, imo & ſi quid aliud Sacramenti appellatione lato ſenſu cohoneſtabatur, vt oleum, ex quo baptizati vngebantur, & Sacerdotum ordinatio, haud initiatis occultari conſueuiſſe.* Subodoratus eſt homo vafer, plura, quam duo Sacramenta apud antiquos occultata fuiſſe, idque manifeſtiſſime Caſaubonus exercitatione 16. monſtrauerat, hinc ea ſubdidit verba; *& ſi quid aliud Sacramenti appellatione lato ſenſu cohoneſtabatur.*

Non inquiremus hic, quot Sacramenta antiquitus admiſerit Eccleſia; hoc vnum oſtendemus, plusquam duo Sacramenta occultaſſe. Clara ſunt Tertulliani verba in Apologetico cap. 7. *Ex forma omnibus myſteriis ſilentii fides adhibetur.* Illud quoque Zenonis Veronenſis in Pſal. 126. *Conuentus Eccleſiarum ſiue Templi, quos ad ſecretam Sacramentorum religionem ædificiorum ſepta concludunt, conſuetudo noſtra, vel Domum Dei ſolita eſt nuncupare, vel Templum.* Et illud Cyrilli Hieroſolymitani catecheſi 6. Οὐδὲ τῶν μυςηρίων ἐπὶ κατηχȣμένων λευκῶς λαλοῦμεν, ἀλλὰ πολλὰ πολλάκις λέγομεν. *De myſteriis neque palam apud Catechumenos verba facimus, ſed multa ſæpe loquimur occulte.* Et illud Chryſoſtomi in primam ad Corinthios homilia 16. *Eccleſia eſt arcanorum myſteriorum theſaurus, quæ foras efferre non licet.* Et illud Diui Auguſtini in Pſalmum 103. *Sacramenta vero occultantur illis*, nimirum paganis. Et vt alia omittam, illud Theodoreti in Num. interrog. 15. Ἀσήμως διὰ τȣ̀ς ἀμυήτους περὶ τῶν θείων διαλεγόμεθα μυςηρίων, τούτων δὲ χωριζομένων σαφῶς τȣ̀ς μεμυημένους διδάσκομεν. *Obſcure propter non initiatos de myſteriis diſſerimus, his vero ſemotis perſpicue initiatos docemus.* Hæc & plura repeꝛiuntur apud antiquos Patres de Sacramentis in genere, quæ plerumque apud Græcos, & non raro apud Latinos myſteria vocantur, vt ex ipſo nomine arcana non omnibus propalanda eſſe monſtraretur.

De Sacramentis in ſpecie variis locis egerunt quoque Patres. Et quidem de Baptiſmo habemus Theodoretum, in Diuinorum decretorum epitome, cap. 18. vbi agens de ſancto Baptiſmate adiungit: Ἀλλὰ μυςικωτέρων δεῖ λόγων ἐνταῦθα. *Verum hic magis myſtico ſermone opus eſt.* Cyrillum quoque Alexandrinum libro 1. contra Iulianum, vbi profitetur, ſe relinquere ea, quæ ſunt altioris intelligentiæ circa baptiſma: Ἵνα τοίνυν μὴ εἰς τῶν ἀμυήτων ἐκφέρων ἀκοὰς τὰ κεκρυμμένα, προσκρούσαιμι λέγοντι τῷ Χριςῷ. *Ne ad profanorum aures arcana deferens offendam Chriſtum dicentem.* &c. Et Chryſoſtomum homilia 40. in priorem ad Corinthios agentem de Baptiſmo: *Volo quidem aperte id dicere, non audeo vero propter eos, qui non ſunt initiati &c.* Et hom. 46. in Acta loquentem, de quibusdam baptizatis, quos Diaconus inſtruebat: *ad eos diſſerebat; nihil autem, quam quæ ad myſteria pertinebant, eos docebat.* Ὡς μηδὲ τοῖς ἀμυήτοις συγχωρεῖν παρεῖναι. *Adeo vt neque intereſſe permitteret non initiatos.* Gregorium denique Nazianzenum oratione 40. de Baptiſmo dicentem, quædam de myſterio ad vulgi aures efferri licitum eſſe, quædam vero occulte addiſci: ἃ δὲ κρύψεις παρὰ σεαυτῷ σφραγῖδι κρατούμενα: *quæ etiam ipſa apud te ipſum occultabis baptiſmo obſignata atque retenta.* Plura ſunt hac de re Patrum teſtimonia, quæ ex profeſſo omitto, ne in re a Tentzelio, cæteriſque omnibus admiſſa diutius inhæream.

Neque laborandum eſt, vt Patrum teſtimonia de occultato olim Euchariſtiæ myſterio inquiramus, cum in confeſſo ſit apud omnes illud Auguſtini in Pſ. 103. *Quid eſt, quod occultatum eſt, & non publicum in Eccleſia? Sacramentum Baptiſmi, Sacramentum Euchariſtiæ.* Ad Confirmationem

itaque ae-

accedamus, de qua Augustinus, seu Author antiquus sermonis de Oleo Sancto in appendice sermonum a Iacobo Sirmondo editorum: *Dimissis iam Catechumenis vos tantum ad audiendum retinuimus; quia præter illa, quæ omnes Christianos conuenit in commune seruare, specialiter de cælestibus mysteriis locuturi sumus, quæ audire non possunt, nisi qui ea donante iam Domino perceperunt.* Et infra ait: *solis baptizatis & fidelibus auditoribus committi.* Et interrogatus a Decentio Eugubino Episcopo Innocentius Primus respondet de forma Confirmationis: *Verba dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.* Et Diuus Basilius de Spiritu Sancto ad Amphilochium cap. 27. *Ipsam porro olei inunctionem, quis sermo proditus docuit?* Et infra, hanc vnum ex arcanis silentio conseruandis innuit: Ἃ γὰρ οὐδὲ ἐποπτεύειν ἔξεστι τοῖς ἀμυήτοις. *Quæ nec intueri fas est non initiatis.*

Agit illo loco D. Basilius de *Eucharistia*, *Baptismo & Oleo*, vt in terminis fatetur Albertinus, qui hæc tria olim occultata fuisse admittit. Licet autem Basilius de aliis Sacramentis eo loco mentionem non faciat, exinde tamen non sequitur, alia Sacramenta publicari potuisse; quin potius sequitur ex fundamento Basilii, alia olim ab Ecclesia occultata fuisse. *Quæ enim*, inquit, *nec intueri fas est non initiatis, non conueniebat horum doctrinam publicitus circumferri scripto.* Constat autem clarissime ex Canone 4. Laodiceni Concilii de mysterio Ordinationis: περὶ τοῦ μὴ δεῖν τὰς χειροτονίας ἐπὶ παρουσίᾳ ἀκροωμένων γίνεσθαι. *Quod non oporteat ordinationes sub conspectu audientium celebrari.* Isidorus Mercator vertit, *præsentibus Catechumenis*, quod Catechumeni inter audientes essent. Vnde „Casaubonus exercitatione 16. „Ordinationem Episcoporum, & Presbyterorum inter „Sacramenta vetus Ecclesia posuit propter impositionem manuum, & Spiritus Sancti inuo„cationem, & acceptionem. Quare huius etiam formulas clam habuit, & solis fidelibus „notas esse voluit Chrysostomus in posteriorem ad Corinthios Homilia 18. Ὁ μέλλων „χειροτονεῖν καὶ τὰς ἐκείνων εὐχὰς καλεῖ, καὶ αὐτοὶ ἐπιψηφίζονται, καὶ ἐπι„βοῶσιν, ἅπερ ἴσασιν οἱ μεμυημένοι. Οὐ γὰρ δὴ θέμις ἐπὶ τῶν ἀμυήτων „ἐκκαλύπτεσθαι ἅπαντα. *Qui in Sacrum Ordinem coaptaturus est aliquem, fidelium „preces exigit illo tempore: atque illi assensu suo, quæ geruntur, comprobant, & acclamant „illa, quæ nota habent initiati. Nam apud eos, qui initiati non sunt, omnia retegere fas non „est.* Quod de Ordine, hoc de Vnctione infirmorum dici posse videtur, cum quod Basilius scripsit de Chrismate, hic quoque locum habeat: *Ipsam porro Olei inunctionem, quis sermo proditus docuit?* Quis enim Sanctorum Patrum primis Ecclesiæ sæculis de Sacramento illo clare coram Catechumenis, aut infidelibus locutus est? Quis verba formæ scripto tradidit? D. Augustinus quidem enarratione in Psalmum 141. dicit, nos multa Sacramenta aliter atque aliter accipere: *Quædam*, inquit, *sicut nostis, ore accipimus, quædam per totum corpus accipimus.* Quibus verbis agit de Corpore & Sanguine Christi, quæ ore, & Baptismo ac Extrema vnctione, quæ per totum corpus olim accipiebantur. Sicut autem de Sacramento Eucharistiæ obscure tractat nihil aliud dicens, quam *sicut nostis*; ita & de Extrema vnctione, de qua D. Hieronymus ad caput 14. Oseæ, locuturus occasione vocis *Oliuæ*, dicit, Oliuæ fructum esse, *quo vnguntur in agone certantes.* Obscure nimirum de Extrema vnctione agunt hi Sancti Patres, ante quos paucos Latinorum vel Græcorum reperies clare ea de re tractantes, cum tamen Iacobus Apostolus in epistola sua Catholica monuerit fideles, vt si quis infirmaretur, induceret Presbyteros Ecclesiæ, qui orarent super eum, *vngentes eum oleo in nomine Domini.* Quod fideles post tempora Apostolorum adimpleuisse, constat ex epistola Innocentii

nocentii

nocentii I. ad Decentium Eugubinum. Vnde si rarius, aut obscurius de hoc Sacramento locuti fuerint primitiuæ Ecclesiæ Patres, illius, sicut cæterorum Sacramentorum, communis est ratio, quæ ex disciplina arcani desumitur. Et hoc plane est, quod Innocentius I. epistola citata docet, vbi post obscuram de Sacramentis Confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & Extremæ vnctionis doctrinam addit, se respondisse, prout potuit; reliqua vero, *quæ scribi fas non erat*, seipsi præsenti dicturum.

SECTIO II.

ANIMADVERSIONVM IN CAPVT II. APOLOGIÆ.

I.

Veteris Ecclesiæ Doctores id in more positum habebant, vt idiotas plebeiosque fideles de absconditis Christianæ religionis mysteriis clare ac perspicue informarent; cum vero sibi cum perfectioribus & in dogmatum abstrusorum cognitione magis versatis res esset, tum subtilius & maiori ἀκριβείᾳ procederent. Inde est, quod distinguit Origenes in Procemio Operis aduersus Celsum inter ἐν τῷ πλήθει τοὺς πιστεύειν νομιζομένους, & τοὺς ἐν φιλοσοφίᾳ προκόψαντας. Illis dicit Celsi scripta scrupulum posse iniicere, hos vero fraudem facile deprehensuros. Sed clariora sunt, quæ de eodem auditorum doctrinæque discrimine idem Origenes disserit tomo duodecimo Commentariorum in Matthæum p. 292. *Καὶ πᾶσα δ' οἶμαι ἡ πρὸς τὸ ῥητὸν οἰκοδομεῖν δυναμένη τοὺς μὴ χωροῦντας μείζονα διήγησις, γάλα ἂν εὐλόγως ὀνομάζοιτο, τὸ ῥέον ἀπὸ τῆς ἁγίας τῶν γραφῶν γῆς, τῆς ῥεούσης μέλι, καὶ γάλα. ἀλλ' ὡς ὁ Ἰσαὰκ ἀπογαλακτισθεὶς, ἀξίως εὐφροσύνης καὶ δοχῆς ἣν ἐποίησεν ἐπὶ τῷ ἀπογαλακτισμῷ τοῦ υἱοῦ ὁ Ἀβραὰμ, ζητήσειεν ἂν τὴν ἐν τούτοις καὶ πάσῃ γραφῇ στερεὰν οἶμαι οὖσαν οὐ βρώματος μὲν, οὐ στερεᾶς δὲ τροφῆς, καὶ τῶν ὀνομαζομένων τροπικῶς λαχάνων, ἅτινα τῷ ἀπογαλακτισθέντι μὲν, οὐκ ἰσχυρῷ δὲ, ἀλλ' ἀσθενοῦντι ἐστὶ τροφὴ, κατὰ τό· ὁ ἀσθενῶν λάχανα ἐσθίει. ὁμοίως καὶ ὁ ὡς Σαμουὴλ ἀπογαλακτισθεὶς καὶ ἀνατεθειμένος ἀπὸ τῆς μητρὸς τῷ Θεῷ. αὕτη δὲ Ἄννα ἦν, ἥτις ἑρμηνεύεται χάρις. καὶ εἴη ἂν τῆς χάριτος υἱὸς, ὁ ζητῶν, ὡς ἐν ναῷ τρεφόμενος, Θεοῦ κρέα, ἁγίαν τροφὴν τελείων ἅμα καὶ ἱερέων.* Locum in Græco alicubi mutilum ita vertit, & ex veteri interpretatione supplet Huetius: *Ac omnem quidem Scripturæ expositionem, quæ eos ædificat, qui maiora capere non possunt, lac recte appellari puto a sancta Scripturarum terra emanans, quæ lacte & melle profluit. Sed qui a lacte depulsus est, quemadmodum Isaac, pro dignitate lætitiæ & conuiuii, quod cum filium suum a mamma remoueret, Abraham celebrauit, in istis & in tota Scriptura quæsiuerit solidum cibum, qui alter est ab eo cibo, qui cibus qui-*

dem est, at alimentum solidum non est, & aliud ab iis, quæ olera tropice appellatur, quæ ei quidem cibus sunt, qui a lacte depulsus est, at robustus non est, sed infirmus, iuxta id: Qui infirmus est, olus manducat. *Similiter, qui ab vbere, sicut Samuel deductus est, & a matre sua Deo consecratus, (hæc autem Anna erat, quæ interpretatur* Gratia,*) sit quoq; & ille gratiæ filius, Dei carnes quærens, sanctum videlicet perfectorum simul & Sacerdotum cibum, vtpote in templo Dei nutritus.* Caue autem, vt per χρέα θεοῦ hoc loco intelligas Eucharistiam, vbi in allegoriis totus est Origenes, & duas expositiones verborum Christi: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem:* inter se confert, & alteram simpliciorem ac litteralem pro simplicibus facere, alteram vero profundiorem ac allegoricam perfectioribus propinandam dictat. Consueuit autem Origenes tropicas suas allegoricasque interpretationes splendida eiusmodi appellatione condecorare, vt patet ex Petri Danielis Huetii Origenianis lib. ii. Quæst. xiv. num. 2. vbi Origenis de Eucharistia opinionem excutiens nihil de hoc loco dicit, quem non fuisset prætermissurus, si de hoc mysterio eum agere credidisset. Clarior est alter ex tomo quinto decimo in Ioannem pag. 225. sed prolixior, quam vt integer describi possit. Notetur saltem, Origenem eandem ibi metaphoram de lacte, olere & solido cibo sequi, & postquam dixerat de diuersitate corporum, quorum aliqua copiosiore, aliqua minore cibo egeant, addit: ἀλλ᾽ οὐδὲ ἡ ποιότης τῶν τρεφόντων λόγων, καὶ νοημάτων τῶν ἐν θεωρίᾳ πράξεων τῶν τούτοις ἁρμοζουσῶν ἡ αὐτὴ ἁρμόζειν πάσαις ταῖς ψυχαῖς. *Sed neque qualitas sermonum, & conceptuum in contemplatione, qui sunt actiones his conuenientes, eadem congruit omnibus animabus. Quin etiam olus, & cibus solidus non eodem tempore eos nutriunt, qui ex ipsis fructum aliquem percepturi sunt: nam infantes recens nati, vt inquit Petrus, lac doli nescium, idque animi, non corporis, desiderant: idque etiam desideret, si quis infantiam Corinthiorum habet, ad quos inquit Paullus: Lactis vos potu alui, & non cibo: infirmus vero, eo quod non credit, holera comedat. Atque hoc etiam docet Paullus his verbis: Et alius quidem credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, holus manducat. Ac profecto melius est aliquando holera cum pace comedere, quam vitulum cum inimicitia & odio:* Quibus subiicit ex epistola ad Ebræos cap. v. vers. 14. τελείων δέ ἐστιν ἡ στερεὰ τροφὴ, τῶν διὰ τὴν ἕξιν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἐχόντων, πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ. *Perfectorum vero est solidus cibus, nempe eorum, qui per lectionem exercitata habent sensoria ad cognoscendum tum bonum, tum malum.* Quod sub tropicis figuratisque loquutionibus enuntiauerat Origenes, clarius apertiusque testatur quisquis est Auctor Commentariorum in Paulli epistolas sub Ambrosii nomine latentium, homo certe Damaso, Episcopo Romano, coævus, ad caput ii. prioris ad Thessalonicenses: *Quædam sunt mysteria religionis nostræ, quæ propter carnales sensus, ne scandalum patiantur,*

facile

facile publicari non debent: quia non omnibus dicenda sunt omnia, sed pro vnius cuiusque captu moderanda sunt dicta; aliter rudibus, aliter fundatis. Hunc duplicem docendi modum suo exemplo comprobat Augustinus in Ioannem: *Quid non profundius illa sententia Ioannis: In principio erat Verbum? aut ista altera, Verbum caro factum est? Quibus in sententiis multi hallucinari possunt & perniciose errare: non tamen desistimus illa & doctis & indoctis proponere, diuersa tamen adhibita loquendi ratione.*

II. Multa de hoc argumento disquisiuit Melchior Zeidlerus in tractatu de gemino veterum docendi modo, inprimis num. 14. *Dubium non est, quin multo plura & longe exquisitius inter se in Scholis disputarint Sancti Ecclesiæ Doctores, quam pro concione ad populum effati fuerunt. In his enim, quos ad populum instituebant, sermonibus, eo omnia dirigebant, vt vulgus in simplici fide, quæ omnibus ad salutem necessaria est, confirmaretur, & ad sanctimoniam vitæ incitaretur, sine qua nemini videre contingit Dominum, vt est in Epist. ad Hebr. XII. 14. At in iis, quos in Scholis conferebant, λόγοις, cuncta referebant ad γνῶσιν, quæ accuratiorem in omnibus tractationem postulat: & quid consequens, aut repugnans sit fidei, & vnicuique doctrinæ Christianæ, attendit. Multum namque interest inter fidem & γνῶσιν. Fides scilicet, vt Clemens ait lib.* VII. *Stromatum, est σύντομος τῶν κατεπειγόντων γνῶσις, breuis & compendiosa eorum, quæ necessaria sunt, cognitio. At γνῶσις est ἀπόδειξις τῶν διὰ πίστεως παρειλημμένων ἰσχυρὰ καὶ βέβαιος, διὰ τῆς κυριακῆς διδασκαλίας ἐποικοδομουμένη τῇ πίστει, εἰς τὸ ἀμετάπτωτον καὶ μετ' ἐπιστήμης καὶ καταληπτὸν παραπέμπουσα, firma ac stabilis demonstratio eorum, quæ assumta sunt per fidem, quæ per doctrinam Domini super fidem ædificatur, quæ transmittit ad id, quod non potest excidere & mutari, & potest comprehendi scientia.* Ac paucis interiectis: *Alio itaque loquendi genere vti cogebantur veteris Ecclesiæ Doctores, quando disserebant accommodate ad fidem, ad captum scilicet rudis populi: alio autem, nempe longe accuratiori, quando disserebant in Scholis, accommodate quippe ad γνῶσιν & informationem illorum, qui munus docendi suscipere, & alios similiter in fide erudire debebant.* Fundatur itaque gemina illa docendi methodus in diuersitate subiecti, vt coram rudibus idiotis diuina mysteria simplici apertaque loquela proponerentur, subtilius autem tractarentur coram solidioribus, quos γνωστικὰς vocat Clemens Alexandrinus. Hinc Dionysius Petauius Prolegomenis in Opus Theologicorum Dogmatum cap. IV. num. 2. post descripta varia Clementis loca, addit: *Est igitur γνῶσις idem omnino ac disciplina hæc nostra, quam Theologiam dicimus, & γνωστικὸς ille Clementis est Theologus. Quare omnia illa, quæ idem auctor in γνωστικῷ suo requirit ornamenta, in Theologum competunt. Cuiusmodi est inter alia doctrinarum omnium complexio, non solum magnarum, sed etiam mediocrium &c.*

 III. Hinc

III. Hinc natum est discrimen inter δόγματα & κηρύγματα, quod Basilius inculcat lib. de Spiritu Sancto cap. XXVII. Ἄλλο γὰρ δόγμα, καὶ ἄλλο κήρυγμα. τὰ μὲν γὰρ δόγματα σιωπᾶται, τὰ δὲ κηρύγματα δημοσιεύεται. *Aliud autem est dogma, aliud prædicatio. Nam dogmata silentur, prædicationes vero publicantur.* Quodnam vero horum sit discrimen, idem Basilius initio capitis exponit: Τῶν δὲ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πεφυλαγμένων δογμάτων καὶ κηρυγμάτων, τὰ μὲν ἐκ τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας ἔχομεν, τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν ἀποστόλων παραδόσεως, διαδοθέντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ παρεδεξάμεθα. Erasmi versio in Parisiensi quoque editione retenta ita habet: *Dogmata & instituta, quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus e doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus.* Sed optime Gebhardus Theodorus Meierus in Commentario de recondita veteris Ecclesiæ Theologia num. 20. monet, *non tamen ad mentem Basilii* Erasmum transtulisse, *quæ hæc sit: Ex dogmatibus (sacris arcanis) & prædicationibus (sacris in vulgus prodendis) quæ in Ecclesia seruantur & custodiuntur, has quidem (κηρύγματα, sacra propalanda) ex scripta doctrina habemus, illa vero (δόγματα, sacra opertanea) ex Apostolorum traditione absque Scripturis constant, & quicquid in Scripturis legitur, id in istorum censum non erit referendum. Atque ita quodammodo patet obiectum religiosæ occultationis Veteribus vsurpatæ. Occultari voluerunt sacra, non omnia, sed quædam talium, quæ ex scripta doctrina non habentur, sed ex traditione aut Apostolorum, & Apostolicorum virorum aut aliorum Doctorum Ecclesiæ. Multa enim, quæ non scripta sed tradita custodimus, ab ipsis Apostolis nec commendata nec statuta credimus. Igitur Incarnationis, Trinitatis & cætera mysteria, quoad substantialia, quoniam in Scripturis leguntur, in classem dogmatum seu sacrorum occultandorum, saltem ex mente Basilii, referri minime debent.* Iuuat his amplius immorari, & Basilii sententiam diligentius inquirere, quem & Schelstratius & alii mea quidem opinione ad disciplinam arcani referre nec possunt nec debent, quippe de occultatione dogmatum agentem. Sunt, qui velint, Basilium *inusitato stylo* dogmatum voce vti; neque nos peculiarem istam significationem respicimus, quando disciplinam arcani ad dogmata sese extendisse negamus, sed communiorem, qua dogma significat doctrinam Sacramentorum, quæ nimirum de intrinseca eorum ratione, salutarique vsu & effectu in Ecclesiis proponitur atque declaratur. Basilius autem per dogmata intelligit τὰ ἄγραφα τῶν ἐθῶν, *consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt,* vti vertit Erasmus, siue ea, quæ in moribus Ecclesiæ recepta sunt, in Scripturis vero Apostolicis non exstant. Cuiusmodi statuit signum crucis, precationem versus orientem, inuocationis verba in Eucharistia, ritusque Baptismi. Neque hæc absolute & simpliciter, sed ratione significationis potissimum, propter quam in Ecclesiam sunt introducta. Quod volunt

Basilii

Basilii verba: *σιωπῆς δὲ εἶδος καὶ ἡ ἀσάφεια, ᾗ κέχρηται ἡ γραφὴ, δυσθεώρητον κατασκευάζουσα τῶν δογμάτων τὸν νοῦν, πρὸς τὸ τῶν ἐντυγχανόντων λυσιτελές. Est autem silentii species etiam obscuritas, qua vtitur scriptum, intellectu difficilem reddens dogmatum sententiam* (*νοῦν*, sensum, intelligentiam, rationemque,) *idque ad vtilitatem in scripturis versantium.* His manifeste innuit Basilius, consuetudinum Ecclesiasticarum rationem intrinsecam in Scripturis proponi, quanquam earundem institutio, vt antea contenderat, *ἄγραφος* sit, & in sacris litteris non habeatur: Difficulter autem erui nucleum, qui sub externo cortice lateat, & ab iis tantum, qui exercitatos sensus in scripturis habent. Hanc esse mentem Basilii subiecta exempla satis declarant. *τούτου χάριν, πάντες μὲν ὁρῶμεν κατὰ ἀνατολὰς ἐπὶ τῶν προσευχῶν. ὀλίγοι δὲ ἴσμεν ὅτι τὴν ἀρχαίαν ἐπιζητοῦμεν πατρίδα τὸν παράδεισον, ὃν ἐφύτευσεν ὁ θεὸς ἐν Ἐδὲμ κατὰ ἀνατολάς. Hanc ob causam omnes spectamus ad orientem, quum precamur. Pauci tamen nouimus, quod id facientes antiquam requirimus patriam, videlicet paradisum, quem conseruit Deus in Eden ad orientem.* Habes *δόγμα ἄγραφον*, preces versus Orientem, quæ nunquam in scripturis præcipiuntur, caussam autem rationemque, id est, *νοῦν*, Basilii phrasi, scriptura de paradiso agens ex mente Basilii indicat, ad quem reditum parare debeamus. Eadem est ratio alterius consuetudinis Ecclesiasticæ, de qua ita Basilius: *καὶ ὀρθοὶ μὲν πληροῦμεν τὰς εὐχὰς, ἐν τῇ μιᾷ τοῦ σαββάτου. τὸν δὲ λόγον οὐ πάντες οἴδαμεν. At in prima Sabbathi* (siue die Dominica) *erecti perficimus deprecationes, sed rationem non omnes nouimus.* Hanc ille postea ex scripturis sumit, *quod is dies videatur aliquo modo imago venturi sæculi.* Similiter intermissionem genuflexionis a Paschate vsque ad Pentecosten, & erectionem post genua flexa explicat, subiiciens: *ἐπιλείψει με ἡ ἡμέρα, τὰ ἄγραφα τῆς ἐκκλησίας μυστήρια διηγούμενον. Deficiet me dies, si Ecclesiæ mysteria citra scriptum tradita pergam recensere.* Ex his facile patet, Basilium *δόγματος* vocem in eo significatu adhibuisse, quo *decretum, statutum, placitum Ecclesiasticum* denotat, unde etiam non dubitat, inter *θεσμοὺς ἐκκλησιαστικοὺς* dogmata illa referre. Respexit procul dubio ad morem Græcarum Rerumpublicarum, quæ decreta sua solebant *δόγματα* nominare: eodemque sensu Eusebius lib. v. Histor. Eccles. cap. 23. *ἐκκλησιαστικὸν δόγμα* vocat decretum in Synodis Episcoporum formatum de Paschatis festo die Dominica celebrando. Quemadmodum igitur *θεσμοὶ ἐκκλησιαστικοὶ*, siue *iura Ecclesiastica*, præscribebant & doctrinæ & rituum modum rationemque, ita Basilius neutrum a dogmatibus istis excludit, ritus tamen præ doctrina in exemplum profert, quoniam arcanam ipsis inesse caussam sensumque notius erat, & decreta ecclesiastica in iisdem ordinandis potissimum versabantur. Multa autem sunt argumenta, quibus ostendi potest, Basilium de disciplina arcani haud agere. Conuenit inter me &

F 3 Schel-

Schelſtratium, hanc diſciplinam non alios, quam Sacramentorum ritus occultaſſe, cæteros autem, qui Sacramentorum proprii non erant, in præſentia non-initiatorum exerceri non prohibuiſſe. At ex aduerſo Baſilius inter arcana dogmata refert precationem verſus orientem, ſignum crucis, & genuflexionem, quorum nullum a conſpectu gentilium prohibebatur. Præterea libenter Schelſtratio adſentior, diſciplinam arcani ad ſolos non-initiatos ſpectaſſe: at talia non ſunt dogmata arcana Baſilii, quæ ad fideles plebeios & idiotas etiam ſe extendere, non tantum ipſe haud obſcure innuit, quando λόγον & νοῦν, rationem cauſſamque eorum ὀλίγους & οὐ πάντας, *paucos nec omnes* ſcire ſcribit, imperitam adeo multitudinem excludens, & eruditis hanc notitiam adſerens: ſed apertiſſime etiam docet per comparationem cum ſacris Moſaicis: ἢ τί ποτε βουλόμενος ὁ μέγας Μωϋσῆς, οὐ πᾶσι βάσιμα εἶναι τὰ τοῦ ἱεροῦ πάντα πεποίηκεν; ἀλλ' ἔξω μὲν ἁγίων ἔστησε περιβόλων τοὺς βεβήλους, τὰς δὲ πρώτας αὐλὰς τοῖς καθαρωτέροις ἀνεὶς, τοὺς Λευίτας μόνους ἀξίους ἔκρινε τοῦ θείου θεραπευτάς. σφάγια δὲ, καὶ ὁλοκαυτώσεις, καὶ τὴν λοιπὴν ἱερουργίαν τοῖς ἱερεῦσιν ἀποκληρώσας, ἕνα τῶν πάντων ἐκκριτον εἰς τὰ ἄδυτα παραδέχεται. καὶ οὐδὲ τοῦτον διὰ παντός. ἀλλὰ κατὰ μίαν μόνον τοῦ ἐνιαυτοῦ ἡμέραν, καὶ ταύτης ὥραν τακτὴν εἰσιτητὸν αὐτῷ καταστήσας, ὥστε διὰ τὸ ἀπεξενωμένον καὶ ἄηθες θαμβούμενον ἐποπτεύειν τὰ ἅγια τῶν ἁγίων. εὖ εἰδὼς ὑπὸ σοφίας, τῷ μὲν πεπατημένῳ καὶ αὐτόθεν ληπτῷ, πρόχειρον οὖσαν τὴν καταφρόνησιν. τῷ δὲ ἀνακεχωρηκότι καὶ σπανίῳ, φυσικῶς πως παρεζευγμένον τὸ περισπούδαστον. κατὰ τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον, καὶ οἱ τὰ περὶ τὰς ἐκκλησίας ἐξ ἀρχῆς διαθεσμοθετήσαντες ἀπόστολοι καὶ πατέρες, ἐν τῷ κεκρυμμένῳ καὶ ἀφθέγκτῳ τὸ σεμνὸν τοῖς μυστηρίοις ἐφύλαττον. οὐδὲ γὰρ ὅλως μυστήριον, τὸ εἰς τὴν δημώδη καὶ εἰκαίαν ἀκοὴν ἐκφερόμενον. οὗτος ὁ λόγος τῆς τῶν ἀγράφων παραδόσεως, ὡς μὴ καταμελετηθεῖσαν τῶν δογμάτων τὴν γνῶσιν, εὐκαταφρόνητον τοῖς πολλοῖς γενέσθαι διὰ συνήθειαν. *Aut quid tandem ſibi voluit magnus ille Moſes, qui non omnia, quæ erant in templo paſſus ſit omnibus eſſe peruia, ſed prophanos extra ſacros cancellos ſtatuit? Sed priora atria purioribus permittens, Leuitas ſolos dignos cenſuit numinis miniſterio: mactationes autem & holocautomatum oblationes, reliquumque miniſterium ſacerdotibus aſſignauit: atque vnum ex omnibus ſelectum in adyta recepit: ac ne id quidem ſemper, ſed vno tantum die quotannis: rurſus & huius diei certam horam, qua fas eſſet ingredi, præſtituit, quo propter nouitatem & inſuetudinem, cum ſtupore intueretur Sancta Sanctorum: probe ſciens pro ſua ſapientia, res vſu tritas & vndecunque paruibiles expoſitas eſſe contemptui: cæterum ei quod ſepoſitum eſt, quodque rarum eſt, huic natura coniunctum eſſe ſummam admirationem ac ſtudium. Ad eundem profecto modum, & qui in primordiis Eccleſiæ certos ritus præſcripſerunt Apoſtoli & patres, in occulto ſilentioque myſteriis ſuam ſeruauere dignitatem.* Neque enim

enim omnino mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur. Hæc est ratio, cur quædam citra scriptum tradita sunt, ne dogmatum cognitio propter assuetudinem vulgo veniret in contemptum. Prolixa quidem hæc sunt, sed integre describenda, vt Basilii opinio clarius innotesceret, & quæ nos inde deduximus, luculentius constarent. Primo enim Basilium præcipue ritus Ecclesiæ respicere vox *διαθεσμοθετήσαντες* probat, quam recte interpretatus est Erasmus, *certos ritus præscripserunt Apostoli & patres*, & propterea Basilius dogmata arcana ad *θεσμοὺς* Ecclesiasticos retulit, vti paullo ante vidimus. Deinde non simpliciter & absolute ritus ipsos, sed rationem & sensum, *λόγον* ac *νοῦν* eorum inter arcana referre Basilium, aperte prodit conclusio, quam ex comparatione sacrorum Mosaicorum & Christianorum nectit, in qua hæc inprimis verba notanda sunt, *καταμελετηθεῖσαν τῶν δογμάτων τὴν γνῶσιν*. Vbi non solum id, quod *ἀγράφῳ παραδόσει* traditum est, vocat *γνῶσιν*, ea procul dubio significatione, qua perfectiorum & eruditorum Christianorum notitia innuitur, vt antea ex Clemente Alexandrino vidimus; sed etiam *γνῶσιν καταμελετηθεῖσαν*, id est, summo studio, cura, meditatione atque exercitatione acquisitam, quæ in perfectiores tantum & altioris cognitionis capaces cadere potest. Vnde etiam elicitur, dogmata Basilii arcana & non-initiatos & fideles plebeios latuisse, qui ea capere non poterant, sed *δημώδη καὶ εἰκαίαν ἀκοήν*, *populares & vulgares aures* adferebant, ac facile in contemtum rapiebant, quæ non intelligebant. Sicut igitur rationem mysticumque sensum consuetudinum Ecclesiasticarum ad altiorem notitiam refert Basilius, ita accuratiorem quoque mysteriorum, vt Trinitatis & incarnationis, tractationem eidem adserit, non tamen inficiatur, ea *quoad substantiam*, ut eleganter Meierus loquitur, vulgo proposita fuisse. Etenim substantia mysterii Trinitatis est, quam Irenæus lib. I. aduersus hæreses cap. II. proponit, & cap. III. *κήρυγμα* diserte vocat. Operæ pretium est, verba Irenæi dare: Ἡ μὲν γὰρ Ἐκκλησία, καίπερ καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης ἕως περάτων τῆς γῆς διεσπαρμένη, παρὰ δὲ τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν ἐκείνων μαθητῶν παραλαβοῦσα τὴν εἰς ἕνα θεὸν πατέρα παντοκράτορα τὸν πεποιηκότα τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, καὶ τὰς θαλάσσας, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς, πίστιν· καὶ εἰς ἕνα Χριστὸν Ἰησοῦν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν σαρκωθέντα ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας σωτηρίας· καὶ εἰς πνεῦμα ἅγιον τὸ διὰ τῶν προφητῶν κεκηρυχὸς τὰς οἰκονομίας, καὶ τὰς ἐλεύσεις &c. Vetus Interpres hunc in modum transtulit: *Ecclesia enim per vniuersum orbem vsque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis, & a discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in vnum Deum patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis sunt, & in vnum Iesum Christum filium Dei, incarnatum pro nostra salute, & in Spiritum Sanctum, qui per prophetas prædicauit dispositiones DEI & aduentum &c.* Tertii autem capitis initium hoc est: τοῦτο τὸ κήρυγμα παρειλη-

φυλήφυῖα, καὶ ταύτην τὴν πίςιν, ὡς προέφαμεν, ἡ ἐκκλησία, καίπερ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ διεσπαρμένη ἐπιμελῶς φυλάσσει, ὡς ἕνα οἶκον οἰκοῦσα· καὶ ὁμοίως πιςεύει τούτοις, ὡς μίαν ψυχὴν καὶ τὴν αὐτὴν ἔχουσα καρδίαν, καὶ συμφώνως ταῦτα κηρύσσει καὶ διδάσκει καὶ παραδίδωσιν, ὡς ἓν ςόμα κεκτημένη. *Hanc prædicationem cum acceperit, & hanc fidem, quemadmodum prædiximus, ecclesia, & quidem in vniuersum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi vnam domum inhabitans, & similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens & vnum cor, & consonanter hæc prædicat & docet & tradit, quasi unum possidens os.* Quum autem, docente Basilio, κήρυγμα in Scripturis contineatur, omnibusque promiscue exponatur, consequitur, fidem summæ Trinitatis eiusmodi κήρυγμα esse, quod vbique adhuc Ecclesiam κηρύττειν, *prædicare & propalare*, Irenæus fatetur. Subtilior autem & vulgari prædicatione maior est disputatio, quam præsente Clero suo instituit Alexander, Episcopus Alexandrinus, & Socrates lib. I. Historiæ Ecclesiasticæ cap. v. descripsit: Καί ποτε παρόντων τῶν ὑπ' αὐτῷ πρεσβυτέρων καὶ τῶν λοιπῶν κληρικῶν, φιλοτιμότερον περὶ τῆς ἁγίας τριάδος, ἐν τριάδι μονάδα εἶναι φιλοσοφῶν, ἐθεολόγει. Valesius vertit: *Forte quodam die, præsentibus suis presbyteris vna cum reliquo clero, de sacrosanctæ Trinitatis mysterio ambitiosius disputans, in Trinitate docebat esse vnionem.* Notanda sunt Socratis duo verba, θεολογεῖν & φιλοσοφεῖν. Priori enim indicat obiectum, de quo disseruerat Alexander, nempe de Deo, siue Trinitate. Posteriori modum disquirendi innuit, quem Alexander coram eruditis obseruauerat, subtiliorem longe & accuratiorem, quam coram vulgo in sacris sermonibus habendis consueuerat. Tralatitium est, φιλοσοφίας vocem hunc in sensum apud Græcos Christianorum Doctores vsurpari. Quod igitur δόγμα dixisset Basilius, Socrates φιλοσοφίαν vocat. Non inutiliter conferri poterit erudita Dissertatio de discrimine inter κήρυγμα & δόγμα, in veteri Ecclesia obseruato, quam ante aliquot annos Ioannes Philippus Pfeiffer Regiomonti edidit. Nec aliunde ortum traxit discrimen inter συγκαταβαίνειν & δογματίζειν, *quod quid sit multis exemplis allatis docet Chrysostomus sermone 3. in epistolam ad Titum. Vide eundem initio epistolæ ad Galatas. Sic Gregorius Nyssenus aduersus Græcos inter συγκατάβασιν & δόγμα distinguit*, monente Isaaco Casaubono, Notis in epistolam Gregorii Nysseni ad Eustathiam, Ambrosiam & Basilissam pag. 93.

IV. Quam συγκατάβασιν Christus ipse obseruauit, quando coram plebe parabolis vsus est, discipulis autem earum intelligentiam prodidit. Quod Hieronymus indicat Commentario in Matthæi caput XIIX. *Familiare est Syris, & maxime Palæstinis, ad omnem sermonem suum parabolas iungere: vt quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem exemplaque teneatur.* Consuetudinem istam Iudæorum exemplis latius probant Ioan. Light-

footus

footus Horis Ebraicis & Talmudicis ad Matth. XIII. pag. 355. 356. & Campegius Vitringa in Archisynagogo cap. XII. ac e Nostratibus Ioan. Benedictus Carpzouius cap. VIII. & IX. Introductionis in Theologiam Iudaicam, Raymundi Martini Pugioni fidei Lipsiæ recusæ præmissæ. Verissimum quoque Chrysostomi effatum est Homil. III. in Epistolam ad Titum: καὶ πανταχοῦ συγκατάβασίς ἐστι καὶ τὰ ἐν ταῖς γραφαῖς καὶ ῥήματα καὶ πράγματα. Ambrosius Camaldulensis vertit: *Huius condescensionis diuinæ argumenta inuenire liceat in sacris litteris, tum verba, tum res ipsas.* Præmiserat nobile Maiorum exemplum: τοῦτο καὶ ὁ Θεὸς ποιεῖ, οἷον ἐπὶ τῶν μάγων, οὐ δι' ἀγγέλου αὐτοὺς ἄγει, οὐ διὰ προφήτου, οὐ δι' ἀποστόλου, οὐ δι' εὐαγγελιστοῦ, ἀλλὰ πόθεν; διὰ ἀστροῦ. ἐπειδὴ γὰρ περὶ ταῦτα τὴν τέχνην εἶχον, ἐκεῖθεν αὐτοὺς εἵλκυσε *Fecit hoc & Deus in Magis; non illos per Angelum ducit, non per prophetam admonet, non Apostoli, non euangelistæ ministerio vtitur, sed stella illis signum, quo ducerentur, ostendit. Quippe in huiusmodi doctrinis atque artibus periti erant, faciliusque vernaculo signo admoniti sunt.* Hoc Magorum exemplum ad συγκατάβασιν πραγμάτων, vt vocat Chrysostomus, pertinet; idemque Doctor συγκατάβασιν ῥημάτων ex Paullo declarat, nam inquirens, τί δήποτε ἀπὸ τῶν ἑλληνικῶν ἄγει τὰς μαρτυρίας; *quamobrem Apostolus gentilium testimonia producit in medium?* Respondet: ὅτι μάλιστα τούτοις ἐντρέπομεν αὐτοὺς, ὅταν οἴκοθεν ἐνέγκωμεν τὰς μαρτυρίας, καὶ τὰς κατηγορίας, ὅταν τοὺς παρ' αὐτοῖς θαυμαστοὺς τούτους ἐπιστήσωμεν αὐτοῖς αἰτιωμένους. *Sed hæc profecto ratio est, quod illos his maxime reuincimus, quum suorum in eos torquemus maledicta, quoties eos, qui apud eos fuere mirabiles, accusatores illorum constituimus.* Duobus autem Paulli locis innititur Chrysostomus, altero Act. XVII. quo apud Athenienses concionatur Paullus; altero Tit. I. vbi Epimenidis testimonio vtitur. Prior & illustrior est, & maiori nunc consideratione dignus, quoniam eo Schelstratius abutitur ad disciplinam arcani. Certe Paullus in illo sermone tanta συγκαταβάσει vtitur, vt *consensum eius cum profanis scriptoribus, qui ante eum vixerunt, quoad phrasin & sensum planissime deprehenderit* ac demonstrarit Gothofredus Voigtius Exercitationis Historicæ de SS. Diuinitatis Triade cap. II. cuius prolixissimas collationes consulant, qui verbis nostris fidem habere detrectent. Prudenter autem Chrysostomus subiicit: ἀλλὰ πόθεν ἐχρῆν αὐτοῖς διαλεχθῆναι; ἀπὸ προφητῶν; ἀλλ' οὐκ ἂν ἐπίστευσαι. ἐπεὶ καὶ Ἰουδαίοις οὐδὲν ἀπὸ τῶν εὐαγγελίων φθέγγεται, ἀλλ' ἀπὸ τῶν προφητῶν. διὰ τοῦτο φησὶν, ἐγενόμην τοῖς Ἰουδαίοις ὡς Ἰουδαῖος, τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνομος, τοῖς ὑπὸ νόμον ὡς ὑπὸ νόμον. *Quid ergo? Num ex prophetis sibi sumenda erant testimonia, quum gentiles alloquerentur? At nunquam illi credidissent, quippe & Iudæis nihil ex euangelio loquitur, sed prophetarum testimonia semper adducit in medium: idcirco inquit, Factus sum Iudæis tanquam Iudæus: his qui sine lege erant, tanquam*

sine lege essem: & his qui sub lege, quasi sub lege sim. Eandem sententiam tenent Origenes Tom.X. in Ioannem pag. 155. & Hieronymus Commentario in caput I. epistolæ ad Titum. Vidimus de συγκαταβάσει Paulli apud gentiles, restat, vt videamus, quomodo apud Christianos se gesserit. Hoc autem ipse indicat metaphora de lacte solidoque cibo, quorum illud τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ Χριστοῦ λόγον complexum rudioribus, carnalibus, & ἀπείρεις λόγου δικαιοσύνης se dedisse scribit; hunc vero τὴν τελειότητα continentem ad διδασκάλους & τελείους pertinere, τῶν διὰ τὴν ἕξιν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἐχόντων πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ, I. Corinth. III. 2. & Ebr. V. 12. 13. 14. & cap. VI. I. docet. Origenis explicationem initio huius sectionis dedimus, eo magis commendabilem, quod ex illis Origenis reliquiis *adolescentioris Ecclesiæ sensus erui & spectari possint*, vt monet Huetius in fine præfationis. Prolixiora sunt, sed lectu non indigna, quæ ad intelligenda Paulli verba commentatur Clemens Alexandrinus Lib. I. Pædagogi cap. VI. p. 73. 74. Vnde quædam transferre operæ pretium puto, γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, φησίν· τὴν γνῶσιν ὑμῖν ἐνέχεα, λέγων τὴν ἐκ κατηχήσεως ἀνατρέφουσαν εἰς ζωὴν ἀΐδιον. *Lac vobis, inquit, potum dedi: cognitionem dicens vobis infudi, quæ ex catechesi data est, quæ nutrit in vitam æternam.* Et paullo post: γάλα νοεῖσθαι τὸ κήρυγμα δύναται τὸ ἐπιπλεῖστον κεχυμένον· βρῶμα δὲ, ἡ πίστις εἰς θεμέλιον ἐκ κατηχήσεως συνεστραμμένη. ἣ δὴ στερεμνωτέρα τῆς ἀκοῆς ὑπάρχουσα, βρώματι ἀπεικάζεται, ἐν αὐτῇ σωματοποιουμένη τῇ ψυχῇ τὴν τοιάδε τροφήν. *Potest a nobis lac intelligi prædicatio, quæ plurimum diffusa est. Cibus autem, fides, quæ a catechesi in fundamentum coacta & conuersa est: quæ cum sit auditione solidior, cibo assimilatur in ipsa anima corpus effecta.* Porro Iobius Monachus, quem alii sexto sæculo, alii serius vixisse putant, libro septimo Commentariorum de verbo incarnato cap. XXXIII. apud Photium Codice CCXXII. cum alia in hunc sensum disserit, tum hæc obseruatu digna proponit: Καὶ τῆς χάριτος δὲ τὸ ἀσαφὲς καὶ οὐ πᾶσιν ἐπίδηλον τὸ νεοκατήχητον αἴτιον ἔχει τῶν ἀκροατῶν, καὶ τῆς διανοίας τὴν ἀσθένειαν. διὸ καὶ τὸ σκεῦος τῆς ἐκλογῆς, γάλα, φησὶν, ὑμᾶς ἐπότισα, καὶ οὐ βρῶμα· οὔπω γὰρ ἠδύνασθε. ὥσπερ δὲ πᾶσα τροφὴ ἀκατάλληλος, βλαβερὰ τῷ μετέχοντι· οὕτω καὶ γνῶσις, κἂν τὸ πανalηθέστατον εἴη, προσβάλλουσα, τοῖς ἀτελέσιν ἀσύμφορος. εἰ γὰρ καὶ τῆς παλαιᾶς ἡ νέα τηλαυγέστερον ἐκδιηγεῖται τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον· ἀλλ' οὖν ὡς ἀρχῆς καὶ σπέρματος λόγον ἐπέχουσα, καὶ αὐτὴ πρὸς τὴν ἤδη πολιτείαν ἐγκαινιζομένην, οὐκ εὐθὺς τοῖς μυουμένοις, ἀλλὰ κατὰ προκοπὴν ἀποκαλύπτει τὰ τέλεια. Andreas Schottus ita transtulit: *Nunc quod gratiæ quoque lex obscurior, & non ita cuilibet perspicua sit, auditorum recens adbuc instructio, mentisque imbecillitas in caussa est. Unde & vas electionis:* Lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis. *Quemadmodum*

admodum autem minus conueniens cibus omnis accipienti noxius: sic & scientia tametsi verissima proponat, nullam imperfectis utilitatem adfert: Etsi enim nouum quam vetus Testamentum clarius fidei mysterium exponat: cum tamen principii aliquam ac seminis rationem obtineat, etiam hac ratione ad eam quæ nunc innouata est reipublicæ formam, non statim initiatis, sed sensim ac iuxta proficientium gradus, quæ perfectiora sunt, manifestat. Breuissime Oecumenius, sed accurate & veterum, ut reor, commentarios præ oculis habens, Paulli mentem expressit: Γάλα, φησὶ, τὴν ἔτι ἀτελῆ διδασκαλίαν, βρῶμα δὲ τὴν τελείαν. *Lac dicit imperfectam adhuc doctrinam, cibum vero perfectam.* Restat, vt exemplis rem declaremus, quæ non aliunde melius, quam ex vtraque illa Paulli epistola depromuntur. Lactis enim potum Corinthiis in epistola illa se præbere disertis verbis indicat, quando eos adhuc solidioris cibi incapaces dicit, nec perfectiora sese propositurum addit, quemadmodum in Epistola ad Ebræos fecit. Quare ex priori ad Corinthios epistola rationem lactis, solidi vero cibi ex ista ad Ebræos intelligere licebit. Quod ex parte agnouit Petauius lib. III. de Trinitate cap. I. num. 6. *Apostolus Corinthiis* (cap. XV. 5.) *reuocat in memoriam professionem illam fidei, quam paullo ante sub baptismum ediderant; in qua sic habetur*, Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem: Et in vnum Dominum Iesum Christum. *Quæ formula rudibus, ac tironibus, & ab idolorum ac deorum plurium cultu recens conuersis aptissima est: ne si statim Trinitatis arcanum mysterium illis offeratur, ac tres esse doceantur, qui vnus sint Deus, e quibus vnus sit Pater, fons & origo cæterorum, Filii vero genitor; & Spiritus Sancti vnum cum Filio principium: neque tamen Patrem anteriorem exstitisse Filio, vel Spiritu Sancto; sed ex omni æternitate tres simul fuisse; hæc, & huius generis cætera illorum animos offendant. Itaque tam abstrusa & humano captu maiora fidei mysteria non sunt teneris, ac velut e partu recentibus facile committenda.* Et postquam Paulli verba de lacte adplicauerat, addit: *Tales igitur erant Corinthii, quibuscum res erat Apostolo; vt adhuc lacte opus illis esset, hoc est, facilioribus & vulgaribus fidei rudimentis, non exquisita illius enarratione, qui cibus est solidus.* Quemadmodum igitur in illa epistola simpliciter de Trinitatis mysterio loquutus est Apostolus, ita pari methodo de mysterio eucharistiæ, de resurrectione, de charismatibus Spiritus Sancti, & similibus agere instituit. Sed in epistola ad Ebræos altiora sectatur, & de Sacerdotio Christi secundum ordinem Melchisedek tractat, quippe quod Ebræis Leuitico Sacerdotio adsuetis non satis cognitum & perspectum erat. Inde verum Leuiticarum rerum vsum exponit, tum accuratiorem fidei rationem tradit, & ad finem vsque epistolæ perfectiores virtutes Christianis dignas commendat.

V. Vidimus morem Christi & Apostolorum in docendis simplicioribus & perfectioribus obseruatum. Sed nonnulli Ecclesiæ Doctores longius postea

progressi alia etiam dogmata obscurare cœperunt, quæ Christus & Apostoli coram vulgo enuntiarant, & ex aduerso quædam omnibus exponere & seruanda obtrudere, quæ illi sub discrimine & perfectioribus tantum præscripserant. Etenim vt a posteriori incipiam, continentiam a Christo Matth. xix. & a Paullo 1. Corinth. vii. quibusdam saltem capacibus tributam (siquidem Christus *οὐκ ἐνομοθέτησεν τὴν ἀγαμίαν, ἀλλὰ δηλῶν τοῦ πράγματος τὴν φύσιν, ἔλεγεν, ὁ δυνάμενος χωρεῖν χωρείτω*, vt ait Chrysostomus apud Nicetam Catena in Iobum cap. xx. p. 463.) sæculo secundo a fidelibus promiscue exigebat Pinytus Gnossiorum Episcopus, & quanquam a Dionysio Corinthio moneretur, ne iugum istud omnibus imponeret, in sua tamen sententia persistebat, Dionysiumque hortabatur, vt paria faceret. Rem omnem exponit Eusebius lib. iv. Historiæ Ecclesiasticæ cap. xxiii. *Ταύταις ἄλλη ἐγκατείλεκται πρὸς Κνωσίους ἐπιστολή, ἐν ᾗ Πινυτὸν τῆς παροικίας ἐπίσκοπον παρακαλεῖ, μὴ βαρὺ φορτίον ἐπάναγκες τὸ περὶ ἁγνείας τοῖς ἀδελφοῖς ἐπιθεῖναι, τῆς δὲ τῶν πολλῶν καταστοχάζεσθαι ἀσθενείας. πρὸς ἣν ὁ Πινυτὸς ἀντιγράφων, θαυμάζει μὲν καὶ ἀποδέχεται τὸν Διονύσιον· ἀντιπαρακαλεῖ δὲ στεῤῥοτέρας ἤδη ποτὲ μεταδιδόναι τροφῆς, τελειοτέροις γράμμασιν εἰσαῦθις τὸν ὑπ᾽ αὐτῷ λαὸν ὑποθρέψαντα, ὡς μὴ διατέλους τοῖς γαλακτώδεσιν ἐνδιατρίβοντες λόγοις, τῇ νηπιώδει ἀγωγῇ λάθοιεν καταγηράσαντες.* In eodem Volumine continetur etiam epistola (Dionysii) *ad Gnossios, in qua Pinytum Ecclesiæ illius Episcopum monet, ne graue onus castitatis fratrum ceruicibus tanquam necessarium imponat, sed eius quæ in plerisque hominibus inest infirmitatis rationem habeat. Cui epistolæ respondens postea Pinytus, admiratione quidem ac laudibus effert inprimis Dionysium: sed tamen hortatur, vt solidiorem cibum tandem imperiat, & transmissis iterum perfectioris doctrinæ litteris plebem sibi commissam alere velit: ne forte lacteis sermonibus perpetuo innutriti homines, in infantili quadam disciplina paullatim consenescant.* Prius, quod dixi, illi præsertim obseruabant, qui ante fidem Christianam Platonicæ Philosophiæ adhæserant, nec post conuersionem suam plane deserebant, sed magnum potius consensum inter Christianam & Platonicam doctrinam intercedere arbitrati hanc in Ecclesiam sensim introducebant. Quod cum tralatitium est, tum peculiari de Philosophicis Veterum Patrum opinionibus libro mihi nondum viso Paganinus Gaudentius docuisse perhibetur. Hinc etiam Patres diuersum tradendi modum ad Platonicorum consuetudinem instituebant, vt Synesii Cyrenæi exemplo ostendit Zeidlerus num. 14. Is enim epistola 105. conditiones exponens, secundum quas Episcopatus onus in se suscipere velit, has quoque numerat: *Mundum & huius partes interituras esse non confitebor sermonibus apud populum. Prædicatam resurrectionem arbitror rem esse arcanam, & multum abest, vt cum multitudinis opinione de hac re consentiam.* Intellexit nimirum Synesius *ἀναβίωσιν,*

βίωσιν Platonicam, siue metempsychosin & transmigrationem animarum ex vno corpore in aliud, quam quæ experiebantur animæ ἀναβιώσκεσθαι siue *reuiuiscere* ipsi Platoni in Phædro dicuntur. Verum hanc ἀναβίωσιν & similia Platonicæ Philosophiæ dogmata, quæ ibi enumerat Synesius, tanquam ἱερόν τι καὶ ἀπόρρητον, *rem sacram & arcanam*, vulgo committenda non esse statuit, pro ratione adiungens: δήμῳ γὰρ δὴ καὶ φιλοσοφίᾳ τί πρὸς ἄλληλα; τὴν μὲν ἀλήθειαν τῶν θείων ἀπόρρητον εἶναι δεῖ. τὸ δὲ πλῆθος ἑτέρας ἕξεως δεῖται. *Vulgo enim cum Philosophia quid esse commune potest? Diuinarum quidem rerum veritatem occultam esse conuenit: vulgus vero alio modo affectus esse debet.* Subiungit Zeidlerus: *Etsi autem in eo lapsus est ille, quod communem & omnibus necessariam Christianorum fidem de resurrectione in dubium ad tempus traxit; in eo tamen ipsi cum aliis Ecclesiæ Doctoribus conuenit, quod non omnia vulgo esse committenda existimauit, nempe* μυστηριώδη *illa, quorum intelligentia superat vulgi captum, quaque non ad* πίστιν *pertinent, sed ad* γνῶσιν. *Ad quam fine dubio retulit & mysticam illam, quam ipse errore ductus statuebat, resurrectionem.* Singularem de Synesio Diatribam scripsit Schelstratii in Vaticanæ Bibliothecæ cura quondam antecessor, Lucas Holstenius, quam cum aliis post Theodoreti & Euagrii Historiam Ecclesiasticam edidit Henricus Valesius, eamque consulere poterunt, qui plura hanc in rem desiderant. Enimuero notabilis est Holstenii obseruatio de hymnis Synesii, in quibus Christianismus & Platonismus sociatur. *Sane primum hymnum a Christiano scriptum editumque testatur Sacrosanctæ Trinitatis mysterium, quod obscuris quidem verborum inuolucris adumbrat potius, quam describit; ita tamen describit, vt per timidæ orationis nebulam in sacra quadam caligine animus Christianus facile agnoscatur. Nam Deum Patrem* αὐτόσσυτον ἀρχὰν, *Filium* πρωτόποργον εἶδος: *totam vero Trinitatem,* τρικόρυμβον ἀλκὰν *appellat. Ea vero, quæ de humana mentis origine ex intellectualibus mundis deducta, atque in materiam delapsa subiungit, pura puta sunt Platonica, & cum Origenis dogmate plane consentientia &c. De secundo hymno similia producere licet, quem auctoris iam Christiani fœtum esse Sacrosanctæ Trinitatis* δοξολογία, *multo clarior priori, illa satis superque indicat. Cui deinde succedit series mentium, Angelorum, Heroum, Dæmonum, hominum: quam Pythagoricam & Platonicam catenam ex vno Hierocle discere facile est.*

VI. Ex quibus omnibus cum ratio occultandi dogmata facile intelligatur, tum discrimen eius a disciplina arcani pariter elucescit. Differunt enim ratione obiecti tam realis quam personalis. Hæc circa ritus & symbola Sacramentorum duntaxat versabatur: illa quodlibet fidei mysterium doctrinæque caput ambitu suo comprehendebat. Hæc Catechumenos, Iudæos Ethnicosque

 cosque

eosque respiciebat; illa promiscuum vulgus & idiotas, adeoque ipsos etiam Christianos simpliciores & rudiores. Deinde differunt ratione modi, qui plane contrarius est. Arcani disciplina multas secum trahebat verborum ambages, quibus in præsentia Catechumenorum & infidelium ritus Sacramentorum obtegendi erant: sed ex aduerso dogmatum occultatio plane respuebat eiusmodi inuolucra,& quoniam se extendebat ad omnia fidei mysteria,simplici,plano apertoque sermone rudi populo ea instillabat. Porro differunt ratione subiecti. Nam disciplina arcani orthodoxis erat propria, nec a plerisque hæreticis obseruabatur, fatente Schelstratio: dogmatum vero occultatio vtrisque erat communis, quanquam hæretici excusari nequeunt, quod pessimas impiasque doctrinas tegebant, cum orthodoxi non ipsas doctrinas, sed abstrusiorem solum tractandi modum ab auribus vulgi prohiberent. Differunt denique ratione finis. Etenim occulta dogmatum traditio homines e fæce vulgi simpliciores remouebat a tractatione subtiliori, quæ captum eorum superabat, & difficultatem potius in salutis negotio ipsis creabat. At arcani disciplina maius in Catechumenis desiderium generabat, vt ritus tandem & Symbola Sacramentorum tantopere hactenus occultata introspicerent, & Baptismo Cœnaque Domini fruerentur.

VII. Sed vt propius cum Schelstratio congrediar, videndum est, quemadmodum in Trinitatis mysterio explicando se gesserint Ecclesiæ Doctores. Equidem dubium nemini esse potest, quin simpliciorem methodum sequuti sint, quum docebant promiscuum populum, subtiliorem vero, quando cum eruditis disserebant. Vtrique porro in triplici differentia erant, & vel initiati ac fideles, vel infideles, gentiles nempe & Iudæi, vel catechumeni. De omnibus sigillatim agere putamus operæ pretium, vt Schelstratii tela felicius declinemus. Si quando cum eruditis baptismo initiatis negotium erat Doctoribus, adeoque hi, seclusis plebeiis, apud γνωστικοὺς Clementis Alexandrini, & τοὺς ἐν φιλοσοφίᾳ πρoκόψαντας, vt vocat Origenes, versarentur, tum omnes scientiæ de hoc mysterio diuitias, quas vnquam præeunte Scripturæ luce humana imbecillitas acquirit, largiter effundebant, & subtilitate qua fieri poterat maxima terminisque in scholis vsitatis disputabant. Cuius rei luculentum exemplum præbet Alexander Alexandrinus Episcopus, quod antea ex Socrate attulimus num. III. Vbi autem in publicis Ecclesiæ conuentibus verba facerent, potiorem auditorum partem respiciebant, quæ ex vulgo constare solet, adeoque accuratiori tractatione seposita simplicioribus verbis explanabant Trinitatis mysterium, vnum Deum dicentes Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Quod cum ex innumeris Veterum homiliis patet, tum ex clausula earum solenni confirmatur, de qua Henricus Valesius in Annotationibus Eusebianis pag. 110. *Et in Homiliis*

liis quidem fere haec solemnis erat clausula, vt Tractator Deo Patri & Filio cum Spiritu Sancto gloriam daret: quam clausulam in omnibus fere Origenis in Psalmos Homiliis appositam esse testatur Basilius. Huc faciunt Polycarpi, discipuli Ioannis Apostoli & Smyrnensium Episcopi, Conciones Catecheticae, quas hortante Bucolo, antecessore suo, in ecclesia habuit, si quae fides est vitae eius scriptori, quem Halloixius & Bollandus Pionium vocant, Bollandus etiam post Nicaenum Concilium vixisse coniicit. Ita igitur scribit Pionius ille apud Bollandum ad d. XXVI. Ianuarii, num. 13. *Crebro autem eum admonens & adhortans Bucolus, vix tandem persuasit, vt Christianam fidem publice doceret, & in ecclesia catecheseos sermones haberet, & mysteria sufficienter interpretaretur, quae multis occulta. Quae dein ita perspicue exposuit, vt testarentur auditores, se non solum ea audire, sed quodammodo oculis intueri.* Et num. 14. *Quod vero ad doctrinam attinet, illud praecipue curabat, vt auditores scirent Deum omnipotentem, inuisibilem, immensum; qui dignatus est proprium Verbum ac Filium e caelis mittere, vt hominem induens & vere Verbum incarnatum, propriam creaturam saluaret: qui & iuxta Prophetarum vaticinia ex pura & immaculata Virgine & Spiritu Sancto generationis multis incomprehensibile mysterium compleuit, & pati quoque pro hominum salute sustinuit; quemadmodum per Legem & Prophetas ipse de se Christus, & de Filio Pater praenuntiarat: quem & Deus suscitauit a mortuis, & viderunt discipuli talem in corpore, qualis & ante passionem fuerat, & spectarunt deinde in lucida nube adscendentem ad caelos in eodem ipso corpore, in quali Adamum ante lapsum creauerat. De Spiritu Sancto & dono Paracleti, caeterisque charismatibus, ostendit ea non percipi extra Catholicam Ecclesiam, quemadmodum neque membrum a caeteris abscissum virtutem vllam retinet.* Paullum quoque Apostolum I. Corinth. IIX. v. 5. hac συγκαταβάσει vsum esse prolixe contendit Petauius lib. III. de Trinitate cap. I. num. 4. 5. 6. & 7. vbi Chrysostomus Homil. XX. ait: ὅθεν δῆλον ὅτι φειδόμενος τῆς ἀσθενείας τῶν ἀκουόντων, ταύτῃ ἐχρήσατο τῇ διασκευῇ. *Vnde est perspicuum, quod parcens imbecillitati auditorum, hac loquendi structura vsus est.* Apposite Petauius: *Huc illa cautio veteri in Ecclesia sanctorum Patrum ac Doctorum pertinet, quos timide, ac pedetentim altiora quaeque dogmata, & sanctiora mysteria scimus explicasse populo: nec nisi longo vsu firmatis, interiorem illorum notitiam obiecisse. Cuius instituti innumera sunt exempla. Et apparet initio communia quaedam & ad assensum faciliora illis tradita fuisse: aut si quae maiora essent, non ea penitus expressa, sed adumbrata, & inchoata tantisper, dum ad Christianum robur adolescerent. Huius generis doctrina illa, de qua nunc agimus, Symboli Apostolici fuit; quae Trinitatis mysterium non plene absoluteque, sed leuiter ac primis veluti lineamentis designat.*

VIII. Non

VIII. Non opus eſt, in re manifeſta amplius occupari, nec de Iudæis ſeorſim commentabimur, quoniam Schelſtratius haud rogatus concedit, myſterium Trinitatis illis propoſitum fuiſſe: Quare de Ethnicis & Catechumenis latius agemus, de quibus potiſſimum inter nos controuerſia eſt. Ad gentiles quod attinet, methodum paullo diuerſam a priſcis Doctoribus adhibitam reperio in Chriſtiana fide illis vel inſtillanda vel apud eos defendenda. Si quando promiſcuam ethnicorum multitudinem docerent, cuius maior pars ex plebe conſtabat, captui eorum ſeſe accommodabant, & Paulli Apoſtoli apud Athenienſes concionantis exemplo de myſterio illo tacebant, ne viderentur πολυθεότητα Gentilium mutatis ſaltem nominibus introducere. De qua συγκαταβάσει prolixe agit Ambroſius a Schelſtratio allegatus, Commentario ad caput 9. Lucæ adiungitque: *Quid intereſt, quo quisque credat ordine? non in principio perfecta quaeruntur, ſed de principiis ad ea, quae perfecta ſunt, peruenitur. Ergo tali Athenienſes informauit praecepto: talis nobis apud Gentiles ordo ſeruandus eſt.* Quoniam vero gentilium nulli prohibitum erat publicis Chriſtianorum concionibus intereſſe, vbi Trinitatis myſterium in ſacris homiliis explanabant magiſtri, calumnia hinc orta eſt Tritheiſmi Chriſtianorum, quam Athanaſius Oratione IV. contra Arianos refellit: ἐξ ὧν καὶ τοὺς προδότας ἰουδαίους δυσωπεῖν δυνάμεθα, καὶ τὴν ἑλλήνων διαλύειν κατηγορίαν φασκόντων καὶ νομιζόντων διὰ τὴν τριάδα λέγειν καὶ ἡμᾶς πολλοὺς Θεούς. *Quibus & proditores Iudaeos pudefacere, & Graecorum calumnias refellere poſſumus, qui dicunt & ſimul arbitrantur, nos, quia Trinitatem agnoſcimus, plures deos agnoſcere.* Eſt & alia συγκαταβάσεως ſpecies, quam in docendis eruditis ethnicis Patres obſeruarunt, prolixe expoſita a Petauio Præfatione in Tom II. Theologicorum dogmatum cap. III. num. III. *Mihi videntur illi, cum aduerſus gentiles doctos, & philoſophiae deditos pro Chriſtiana fide diſceptarent, quo eam vendibiliorem facerent, ac magis perſuaderent, minus accurate, ac ſubtiliter illius intima & arcana commiſiſſe libris iſtis, quos emanare in vulgus cuperent: atque ad Platonis decreta, eamque, quam illi combiberant, Theologiae formulam, Chriſtianum iſtud conformaſſe myſterium. Ita plane ſeſe res habuit, vt idem in hoc inſtituerent dogmate fidei, quod in plerisque aliis longe etiam poſtea factum nouimus ab iis, qui rudes ad Chriſtianam religionem imbuebant animos, & iis ſermonibus erudiebant, quos κατηχητικοὺς appellant. Nam initio ſic illa tradebant, vt prima duntaxat adumbrarent eorum lineamenta; & ex communibus placitis, atque inſitis ex vſu philoſophorum notionibus, colorem illis, ac plauſibilem ſpeciem captarent.* Quam conſuetudinem poſtquam ad imitationem Paulli Athenienſes de vnitate Dei informantis ſuſceptam, & ab acerrimo myſterii illius vindice, Athanaſio magno, confirmatam, ab Origene autem latius, quam

quam par erat, extensam esse notauerat, subiicit: *Quocirca omnium fere, quæ paullo incuriosius ab sanctis illis Patribus de hoc mysterio interdum iacta sunt, caussa illa primaria videtur esse, quam dixi, quod cum gentiles philosophos alienos a Christiana professione conciliare vellent, & probabilem iis caussam fidei nostræ reddere, salua dogmatis ipsius, vt loqui soleo, substantia, pleraque illorum more, institutoque declararunt.* Nobile huius συγκαταβάσεως exemplum occurrit ἐν τῇ πρὸς Αἰλιανὸν διαλέξει, quam Gregorius Thaumaturgus Neocæsareensis sæculo tertio Episcopus, conscripsit, Basilius autem vindicavit Epistola LXIV. ad Neocæsareenses pag. 849. Cum enim Sabellianismi in urbe illorum instauratores quædam a Gregorio in illa Disputatione minus accurate dicta pro se allegarent, tum Basilius inter alia respondet, eam ad gentilem scriptam esse: ἔπειτα μέν τοι τὸν ἕλληνα πείθων, οὐχ ἡγεῖτο χρῆναι ἀκριβολογεῖσθαι περὶ τὰ ῥήματα. ἀλλ᾽ ἔστιν ὅπη καὶ συνδιδόναι τῷ ἔθει τοῦ ἐναγομένου, ὡς ἂν μὴ ἀντιτείνοι πρὸς τὰ καίρια. διὸ δὴ καὶ πολλὰς ἂν εὕροις ἐκεῖ φωνάς, τὰς νῦν τοῖς αἱρετικοῖς μεγίστην ἰσχὺν παρεχομένας. ὡς τὸ κτίσμα, καὶ τὸ ποίημα, καὶ εἴ τι τοιοῦτον. *Porro cum Gentilem ad fidem adducere niteretur, non existimabat sibi circa verba accuratius disceptandum esse, sed alicubi consuetudini eius, quem ad fidem induceret, nonnihil condonandum; ne forte necessariis reluctaretur. Vnde etiam multas inuenias illic voces, quæ iam hæreticis plurimum addunt roboris, ut creatura & factura, & similia.* Magnum sane pondus hæc Basilii verba addunt nostræ Petauiique sententiæ de condescendentia veterum Patrum ad captum doctorum Gentilium in Trinitatis mysterio explanando. Sed pergamus ad id, quod amplius est, magisque Schelstratio aduersatur, quod orthodoxæ Theologiæ vindices cum Arianis aut Semiarianis aliisque hæreticis coram iudicibus ethnicis de Trinitatis mysterio disputarunt. Siccine enim improuidi fuissent Veteres, vt de summa religionis nostræ capite sententias conferrent ac vltro citroque disceptarent coram illis, quibus nihil ea de re tradi conueniebat? Quare aut magnæ imprudentiæ priscos Ecclesiæ doctores insimulet Schelstratius, aut inuitus concedat, Trinitatis mysterium paganis olim non fuisse plane occultatum. Ne autem id fingere videar, adducam testimonium omni exceptione maius de Hosio Cordubensi & Gregorio Elliberitano. Hosius in Synodo Sirmiensi Constantii minis perterritus, confessionem heterodoxam ediderat, Arianosque in communionem receperat. Nam *metuens ne senex & diues exilium proscriptionemue pateretur, dat manus impietati, & post tot annos præuaricatur in fidem, & regreditur in Hispanias maiore cum auctoritate, habens regis terribilem iussionem, vt si quis eidem Episcopus iam factus præuaricatori minime velit communicare, in exilium mitteretur. Sed ad sanctum Gregorium, Elliberitanæ ciuitatis Episcopum constantissimum, fidelis nuntius detulit impiam Osii præuari-*

cationem, vt loquuntur Marcellinus & Faustinus in libello precum pag.14. editionis Oxon. qui præterea referunt, quemadmodum Hosius Gregorium detulerit apud *Clementinum Vicarium*, qui Gregorium per officium Cordubam iusserit exhiberi. Ibi autem Gregorio veritatem vindicante & cedere nesciente, Hosius commotus Clementinum stimulauit, vt mandatum regium exequeretur, Gregoriumque in exilium pelleret. Sed Clementinus, *licet non esset Christianus, tamen exhibens reuerentiam nomini Episcopatus, in eo maxime, quem videbat rationabiliter & fideliter obtinere*, iudicium ferendum Hosio commisit; qui *dum vellet dare sententiam*, preces ad Christum fundit Gregorius, & *ecce, repente Osius, cum sententiam conatur exponere, os vertit, distorquens pariter & ceruicem de sessu in terram eliditur, atque illic exspirat, aut, vt quidam volunt, obmutuit. Inde tamen effertur vt mortuus. Tunc admirantibus cunctis etiam Clementinus ille gentilis expauit: & licet esset iudex, tamen timens, ne de se quoque simili supplicio iudicaretur, prostrauit se ad pedes sancti viri, obsecrans eum vt sibi parceret, qui in eum diuinæ legis ignoratione peccasset, & non tam proprio arbitrio, quam mandantis imperio.* Hæc omnia ex citato libello hausi, neque illos audiendos arbitror, qui fidem eius auctoribus, tanquam Luciferianis, detrahunt, hoc potissimum argumento, quod Athanasius Hosium ante finem vitæ resipuisse tradat. Sed quid obstat, quo minus vtrumque verum sit, ac Hosius diuinitus percussus & tanquam mortuus elatus fuerit; antequam vero animam exhalaret, pœnitentiam egerit; *μέλλων γὰρ ἀποθνήσκειν ὥσπερ διατιθέμενος ἐμαρτύρατο τὴν βίαν, καὶ τὴν ἀρειανὴν αἵρεσιν ἀναθεμάτιζε· καὶ παρήγγελλε μηδένα ταύτην ἀποδέχεσθαι, moriturus enim, quasi in testamento suo eorum vim protestatus est, & Arianam hæresim condemnauit, vetuitque eam a quoquam probari aut recipi*, vt Athanasius loquitur in epistola ad solitarios. Fateor magnam esse Athanasii hac in re auctoritatem, sed is tamen Hosium non nisi morti proximum fatisque imminentibus ad meliorem mentem rediisse fatetur, adeoque non impedit, quo minus diuino iudicio ad palinodiam coactus dicatur, quod tamen ob summam viri reuerentiam Athanasius silentio inuoluere maluit. Ex opposito Faustinus & Marcellinus, quod omnes cum Arianis communicantes abominarentur, conuersionem Hosii moribundi insuper habuerunt, satisque putarunt, narrationem de tragico eius exitu, vtpote scopo suo apprime conuenientem, ad terrorem reliquis incutiendum pertexere, quam in dubium vocari nolunt, & ad totius Hispaniæ notitiam prouocant: *Scit melius omnis Hispania, quod ista non fingimus.* Sed peritiores litem hanc determinent: mihi sufficit, eundem Gregorii cum Hosio conflictum laudare Eusebium Vercellensem in epistola ad ipsum Gregorium perscripta, & in Hilarii Pictauiensis fragmentis Parte II. pag. 4.5.

conser-

conſeruata, cuius initium transſcribere operæ putamus pretium: *Litteras ſinceritatis tuæ accepi, quibus, vt decet Epiſcopum & Dei Sacerdotem, transgreſſori te Oſio didici reſtitiſſe, & plurimis cadentibus Arimino in communicatione Valentis & Vrſacii & cæterorum, quos ipſi agnito blaſphemiæ crimine ante damnauerunt, ad ſenſum tuum denegaſſe, fidem ſcilicet ſeruans, quam patres Nicæni ſcripſerunt. Gratulamur tibi in hoc, gratulamur & nobis: quia hoc propoſito & hac fide pollens noſtri dignatus es meminiſſe. Permanenti autem tibi in eadem confeſſione, & nullam cum hypocritis retinenti ſocietatem, noſtram tibi communicationem promitte, quibus potes tractabis, quanto labore præuales, transgreſſores: obiurga infideles, increpa, nihil metuens de regno ſæculari, vt feciſti: quia potior eſt, qui in nobis eſt, quam qui in mundo.* Plura eiusmodi diſputationum exempla collegit Baronius in Appendice Annalium: *Ethnico quoque Philoſopho, Eutropio videlicet, arbitro ex conſenſu delecto, cuius ſtandum eſſet iudicio, Origenes quinque perditiſſimos hæreticos ſuperauit, ipſumque iudicem ad fidem Chriſtianam capeſſendam induxit. Sed & ſanctiſſimus Epiſcopus in Meſopotamia Archelaus, coram Gentilibus adhibitis ex conſenſu iudicibus, Manetem hæreſiarcham nefandiſſimum confutauit. Sunt & alia de his exempla, quibus appareat, eos, qui veritate pollerent, nullius recuſaſſe iudicium, vel refugiſſe ſententiam.* At Origenes Trinitatis myſterium neutiquam reticuit in iſto Dialogo, ſi tamen verus eius auctor eſt, quod contendit Græci textus editor Wetſtenius: ſin minus, vt Huetius, Halloixius, Alexander & alii volunt, compoſitus ſaltem eſt intra centum poſt mortem Origenis annos, & Baſilio Nazianzenoque in Philocalia laudatus, adeoque eo adhuc tempore adornatus, quo diſciplina arcani vbique florebat. Quis igitur in homine Gentili, Eutropio nempe iudice & Philoſopho, quærat præclaram Trinitatis confeſſionem, quæ ad finem Dialogi habetur, niſi a Chriſtianis Doctoribus antea informatum ſtatuat? Quomodo autem hi potuerunt Eutropium informare, ſalua Eccleſiæ diſciplina, quæ ex Schelſtratii ſententia Trinitatis myſterium ethnicis occultari volebat? Patres ſane nihil hoc in negotio peccaſſe quilibet facile videt: vnde in Schelſtratium culpa erroris relabitur. Vtinam vero exſtaret integra Archelai cum Manete diſputatio, vt pateret, quemadmodum is ſermones cum hoc hæretico miſcuerit coram quatuor iudicibus ethnicis a Marcello deſignatis. Nunc contenti ſimus oportet nudo diſputantium & iudicum indicio, quod apud Epiphanium Hæreſi LXVI. Græce exſtat, & a Valeſio cum Socratis & Sozomeni Hiſtoria ex Veteri Latina translatione editum eſt. Ex his omnibus relinquitur, permiſſum fuiſſe Orthodoxis ſententiarum collationem cum hæreticis inſtituere coram Ethnicis de myſterio Trinitatis, non autem id facere licuit de ritibus ad Euchariſtiæ Sacramentum ſpectantibus. Hoc enim cum aliquando aduerſus Athanaſium in examine Mareotico auderent Ariani,

ni, grauiter reprehensi sunt a Iulio Papa & Synodo Alexandrina, vt videre est apud Athanasium in Apologia ad Constantium. Quod si autem eadem fuisset vtriusque mysterii occultandi ratio, quemadmodum Schelstratius autumat, certe Ariani & Orthodoxi non minorem animaduersionem incurrissent, siquando de Trinitate in præsentia Ethnicorum disputarunt. Sed quia id neutris a quoquam exprobratum est, Schelstratius vero tantopere de Iulii ac Synodi Alexandrinæ sententiis gloriatur, restat, vt tandem agnoscat, mysterium Trinitatis ad arcani disciplinam non pertinuisse, nec Ethnicis occultatum, ex eius præscripto fuisse. Quam consuetudinem ab Apostolorum ætate obtinuisse, Conciones Polycarpi Catecheticæ fidem faciunt, quarum præcedenti numero meminimus, iisque Ethnicos interesse solitos Pionius innuit. Libenter etiam perciperem Schelstratii sententiam de confessione Dionysii Areopagitæ & sociorum martyrio destinatorum, quam iudicibus ethnicis edidisse dicuntur a Methodio Constantinopolitano: *Patrem enim eos quasi ex vno ore asseuerantes ingenitum, Filium genitum solum ex solo singulariter, & Spiritum Sanctum procedentem ex Patre & Filio, vnius substantiæ, & vnius gloriæ, vnam Trinitatem personarum, essentiam vnam atque naturam, Deum vnum adoramus & colimus, audierunt.* Si hæc vere de Dionysio scripsit Methodius, edisserat quæso nobis Schelstratius, vtrum Dionysius disciplinam arcani violarit, an non? Prius citra summam viri iniuriam non dicet; quare posterius statuat, amplectetur que veritatem a nobis ostensam. Laudat infra Blandinam & Bibliadem, quod mysterium Eucharistiæ ad calumniam infanticidii ab ethnicis tractum prodere noluerint, sed ad mortem & martyrium vsque summa constantia & conspicuo exemplo occultarint; cum autem mysterium Trinitatis reuelarit Dionysius, diuersam in vtroque tradendo disciplinam methodumque veteri Ecclesiæ placuisse luce meridiana clarius videbit. Neque tantum Dionysius, sed alii etiam martyres diuinitatem Christi & Trinitatem coram gentilibus professi sunt, vt patet ex Actis Tarachi, Probi & Andronici a Bigotio editis cap. I. p. 249.

IX. Superest de Catechumenis quæstio: non ex Iudæorum colluuie conuersis, nec de Competentibus & mox Baptismo initiandis, qui olim gentiles fuerant, quippe quibus Schelstratius Trinitatis mysterium expositum esse haud rogatus concedit; sed tantum de imperfectioribus, qui Christianismo amplectendo primum studebant. His Trinitatis notitiam derogat Schelstratius, nos autem variis argumentis vindicabimus. Equidem in antecessum repetenda est, quam antea notauimus, diuersa veterum methodus homines doctos plebeiosue de hoc mysterio instituendi, quam apud Catechumenos religioni nostræ animum primum applicantes obseruandam præscribit Augustinus Diacono Carthaginensi, Deo gratias, in libro de Catechizandis rudibus, cap. V. VI. VII. & VIII.

Tribus

Tribus prioribus docet, quemadmodum rudes & plebeii informandi veniant, neque Trinitatis mysterium illis diserte præcipit inculcandum, ad *συγκατάβασιν* supra a nobis expositam procul dubio respiciens. Neque tamen Catechumenos illos e fæce vulgi plane hoc mysterium ignorare potuisse vel inde liquet, quod Augustinus cap. VI. eos ad Lectionem Sacrarum Scripturarum, quibus notitiam Trinitatis contineri Schelstratius sponte fatetur, exhortari vult: *Sane ab huiusmodi miraculorum siue somniorum, ad scripturarum solidiorum viam & oracula certiora transferenda est eius* (Catechumeni) *intentio: vt & illa admonitio quam misericorditer ei prærogata sit, nouerit, antequam scripturis sanctis inhæreret. Et vtique demonstrandum est ei, quod ipse dominus non eum admoneret aut compelleret fieri Christianum, & incorporari ecclesiæ, & talibus signis aut reuelationibus erudiret, nisi iam præparatum iter in scripturis sanctis, vbi non quæreret visibilia miracula, sed inuisibilia sperare consuesceret, neque dormiens sed vigilans moneretur, eum securius & tutius carpere voluisset.* Præter Scripturam diuiniorem eiusmodi Catechumenis alii quoque libri proponebantur, vt patet ex Athanasii fragmento epistolæ *ἑορταστικῆς* siue festalis, quod secundo Operum eius tomo pag. 39. 40. habetur. Postquam enim libros Canonicos enumerasset, addit: Ἀλλ᾽ ἕνεκά γε πλείονος ἀκριβείας προστίθημι, καὶ τοῦτο γράφων ἀναγκαίως· ὡς ὅτι ἔστιν καὶ ἕτερα βιβλία τούτων ἔξωθεν· οὐ κανονιζόμενα μὲν, τετυπωμένα δὲ παρὰ τῶν πατέρων ἀναγινώσκεσθαι τοῖς ἄρτι προσερχομένοις καὶ βουλομένοις κατηχεῖσθαι τὸν τῆς εὐσεβείας λόγον· σοφία σολομῶντος, καὶ σοφία σιρὰχ, καὶ ἐσθὴρ, καὶ ἰουδὶθ, καὶ τοβίας, καὶ διδαχὴ καλουμένη τῶν ἀποστόλων καὶ ὁ ποιμήν. *Sed maioris euidentiæ caussa adiiciam & hoc necessario, sciens, quod etiam alii libri sint extra hosce enumeratos, qui non quidem canonem constituunt, sed propositi sunt a patribus legenda eis qui primum accedunt & simpliciter edoceri volunt sermonem pietatis. Sapientia Salomonis, & Sapientia Sirach, & Esther, & Iudith, & Tobias, & doctrina, quæ vocatur Apostolorum, & Pastor.* Manifestum est, Athanasium loqui de iis, quibus primum amplectendi Christianismi propositum est. His autem præter libros Sapientiæ, Siracidis, & reliquos, quos contra Papistarum morem ex Canonicorum Veteris Testamenti numero segregat, Doctrinam Apostolorum & Pastorem ad legendum exhiberi memorat. Prius scriptum pro *γνησίως*-Apostolico neutiquam venditat, mentemque suam adiecta voce *καλουμένη* satis aperte significat: multo minus libros constitutionum Apostolicarum, qui hodie circumferuntur, suo suffragio comprobat, quemadmodum vult ineptum glossema in editione Parisiensi, nescio qua *ἀβλεψίᾳ*, Latinæ huius loci versioni insertum, quam ex Commeliniana integram sanamque adduximus. Nec de illa *διδαχῇ καλουμένῃ τῶν ἀποστόλων*, scripto hodie deperdito, solliciti amplius sumus, sed tantum de Pastore, quo nomine antiquum

Hermæ librum intelligit Athanasius, quædam monebimus. Varia is fata olim in Ecclesia expertus est, nec de vero eius auctore inter eruditos conuenit, quanquam Schelstratius P. II. Antiquitatis Illustratæ Differt. III. Cap. I. num. 247. in eam propendet sententiam, quod *libri Pastoris, cuius meminere antiqui, & qui hucusque exstat, auctor sit Hermas Paulli Apostoli Discipulus.* Qua posita maior vis argumento nostro accedit, quod ex Athanasio formamus ad euincendum, nouitiis Catechumenis omnem Trinitatis notitiam haud fuisse denegatam. Etenim *non obscuris lineamentis expressa est doctrina Trinitatis illo in libro*, vti contendit Petauius Præfatione Tomi II. Theologicorum dogmatum cap. II. num. 6. Quando igitur librum istum legebant rudiores Catechumeni, non poterant, non aliquam Trinitatis cognitionem animo concipere. Hanc confirmabat Doctorum Christianorum diligens informatio, quam Lucianus etiam imitatus more suo irrisit, aut si quis alius auctor est Dialogi Philopatris, vbi Critias & Triephon loquentes introducuntur, hic tanquam Catecheta Christianus, ille tanquam ethnicus a Christianorum sacris minime alienus, quemque Triephon hortatur, vt Catechumenus fiat: ἐυσόμει καὶ μηδὲν εἴπῃς φλαῦρον Θεοῦ δεξιοῦ, ἀλλὰ κατηχούμενος πείθου παρ' ἐμοῦ εἴπερ ζῆν χρῄζεις εἰς τὸν αἰῶνα. Proinde rogat magistrum suum Critias, quo iuramento vellet se obstringi, ad fidem Christianam fouendam & profitendam? Respondet Triephon: ὑψιμέδοντα Θεὸν, μέγαν, ἄμβροτον, οὐρανίωνα, υἱὸν πατρὸς, πνεῦμα ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον, ἓν ἐκ τριῶν, καὶ ἐξ ἑνὸς τρία. *Iura Deum alte regnantem, magnum, æternum, atque æternum Filium Patris, & Spiritum Sanctum ex Patre procedentem, vnum ex tribus, & ex vno tria, tres hæc tu Iouem puta, & Deum existima.* Non possum, quin de luculentissima hac Trinitatis confessione adferam Stephani le Moyne iudicium in Notis ad Polycarpi epistolam, tomo secundo Variorum Sacrorum p. 187. *Quis contra hæc verba hiscere tantum posset, si hodie frons de rebus non periisset, & si Hæreticis superesset vel leuissimus pudoris & verecundiæ sensus. Ideo Socinus ad ista verba attonitus, profitetur se nihil firmius & euidentius in toto antiquitate inuenisse, quo mysterium Trinitatis, prout hodie ab Orthodoxis docetur, probari & adstrui posset. Nam ista non sunt Luciani figmenta, non sunt illusoris & irrisoris somnia, fingit Proselytam ad Christianismum transeuntem, fingit mystam Christianum Catechesi Christiana Ethnicum initiandum imbuentem & informantem, dogmata Christiana, quibus Proselyta fidem suam debebat alligare, mimus Christianus obtrudit & ingerit, & inter ista dogmata primum, nimirum credendum in vnicum Deum, & iurandum, per Deum vnum ex Tribus & Tria ex vno.* Hæc omnia clarissime euincunt, Catechumenis novitiis siue, ut communiter vocantur, *audientibus*, Trinitatis mysterium propalasse Doctores Christianos; idque Luciani testimonium eo magis notari meretur, quod Triephon se a Paullo Apostolo institutum adserat.

vt Apostolicam istam fuisse consuetudinem pariter constet. En verba Triephonis, quanquam in Paullo describendo a sarcasmis sibi temperare non potuit Lucianus: ἐγὼ γάρ σε διδάξω τὶ τὸ πᾶν, καὶ τὶς ὁ πρῶτος πάντων, καὶ τὶ τὸ σύστημα τοῦ παντός. καὶ γὰρ πρώην κἀγὼ ταῦτα ἔπαθον, ἅπερ σὺ, ἡνίκα δέ μοι Γαλιλαῖος ἐνέτυχεν, ἀναφαλαντίας, ἐπίρρινος, ἐς τρίτον οὐρανὸν ἀεροβατήσας, καὶ τὰ κάλλιστα ἐκμεμαθηκὼς, δι' ὕδατος ἡμᾶς ἀνακαίνησεν, εἰς τὰ τῶν μακάρων ἴχνια παρεισώδευσε, καὶ ἐκ τῶν ἀσεβῶν χώρων ἡμᾶς ἐλυτρώσατο. *Ego enim docebo te, quid sit vniuersum, & quis fuerit ante omnia, & quæ item constitutio, quodue corpus vniuersi. Quando autem me Galilæus ille conuenit, recaluaster, naso aquilo, qui in tertium vsque cœlum per aërem ingressus est, quæque optima atque pulcherrima sunt, inde didicit, per aquam nos renouauit, in beatorum vestigia insistere fecit, & ex impiorum regionibus nos redemit.* Sed ne quidquam suspicionis supersit, quasi Apostolicum catechizandi morem ista non referant, Polycarpi Conciones catecheticas in memoriam reuocemus, quas num. VII. ex Pionio descripsimus, nullatenus dubitantes, quin magistrum suum, Ioannem Apostolum, vt in aliis, ita etiam hoc loco imitatus fuerit. Idem magis confirmatur exemplo Philippi Diaconi, qui Eunuchum Æthiopem catechizauit Act. VIII. Quanquam enim Lucas tantum ait, εὐηγγελίσατο αὐτῷ τὸν Ἰησοῦν, Philippum tamen Christi diuinitatem mysteriumque Trinitatis non reticuisse, ex confessione Eunuchi patet, versu 37. πιστεύω τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ εἶναι τὸν Ἰησοῦν Χριστόν. Præterea, quis credat, Catechumenos ignorasse Trinitatis mysterium, qui nouerit, eos interfuisse sermonibus Doctorum, quos in Ecclesia ad populum faciebant, nec istud silentio inuoluebant? Imo in Ecclesia Alexandrina peculiaris viguit ritus, quem Socrates adnotauit, Catechumenos publicæ Scripturæ lectioni cantuique sacro præficiendi: quotus autem quisque nescit, tam in diuinis Codicibus, quam in veterum hymnis Trinitatem celebrari? Socrates quidem libr. V. cap. XXII. aliter in reliquis vbique Ecclesiis receptum scribit: ἐν τῇ αὐτῇ δὲ Ἀλεξανδρείᾳ ἀναγνῶσται καὶ ὑποβολεῖς ἀδιάφορον, εἴτε κατηχούμενοι εἰσὶν, εἴτε πιστοί· τῶν πανταχοῦ ἐκκλησιῶν πιστοὺς εἰς τὸ τάγμα τοῦτο προβαλλομένων. *In eadem vrbe Alexandria, Lectores & Psaltæ absq; vllo discrimine fiunt, tam catechumeni, quam fideles; cum tamen omnes vbiq; Ecclesiæ non nisi fideles ad hunc gradum promoueant.* Id tamen quilibet facile adsequetur, auctores huius consuetudinis, qui antistites Ecclesiæ Alexandrinæ procul dubio fuerunt, neutiquam existimasse, eam cum disciplina arcani pugnare, quæ sarta tecta semper apud eos viguit. At ex Schelstratii opinione maxime sibi inuicem opponendæ sunt, siquidem alioquin Catechumenis liber ad cognoscendum Trinitatis mysterium patuisset aditus, nisi fungos illos stupidissimosque homines fuisse fingas. Fac enim. Psaltem siue Cantorem decantasse hymnum illum vespertinum vetustissimis Christianis receptum, ex quo Basi-

Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. XXIX. diuinitatem eius adstruxit: ἔδοξε τοῖς πατράσιν ἡμῶν, μὴ σιωπῇ τὴν χάριν τοῦ ἑσπερινοῦ φωτὸς δέχεσθαι· ἀλλ' εὐθὺς φανέντος εὐχαριστεῖν. καὶ ὅς τις μὲν ὁ πατὴρ τῶν ῥημάτων ἐκείνων τῆς ἐπιλυχνίου εὐχαριστίας, εἰπεῖν οὐκ ἔχομεν· ὁ μέν τοι λαὸς ἀρχαίαν ἀφίησι τὴν φωνήν, καὶ οὐδενὶ πώποτε ἀσεβεῖν ἐνομίσθησαν οἱ λέγοντες· αἰνοῦμεν πατέρα, καὶ υἱόν, καὶ ἅγιον πνεῦμα Θεοῦ. *Visum est patribus nostris, vespertini luminis gratiam haudquaquam silentio arripere, sed mox vt apparuit, agere gratias. Quis autem fuerit auctor illorum verborum, quæ dicuntur in gratiarum actione ad lucernas, dicere non possumus. Populus tamen antiquam profert vocem, neque cuiquam vnquam visi sunt impietatem committere, qui dicunt, Laudamus Patrem & Filium & Spiritum Sanctum Dei.* Integrum vero hymnum Vsserius, Smithius, aliique ediderunt: Φῶς ἱλαρὸν ἁγίας δόξης ἀθανάτου πατρὸς, οὐρανίου, ἁγίου μάκαρος, Ἰησοῦ Χριστέ. ἐλθόντες ἐπὶ τοῦ ἡλίου δύσιν, ἰδόντες φῶς ἑσπερινὸν, ὑμνοῦμεν πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα Θεοῦ. Ἄξιος εἶ ἐν πᾶσι καιροῖς ὑμνεῖσθαι φωναῖς ὁσίαις, υἱὲ Θεοῦ, ζωὴν ὁ διδούς. Διὸ ὁ κόσμος σε δοξάζει. *Lumen hilare sanctæ gloriæ immortalis, Patris, cælestis, sancti, beati, Iesu Christe: quum ad Solis occasum peruenerimus, lumen cernentes vespertinum, laudamus Patrem & Filium & Spiritum Sanctum Dei. Dignus es tempore quouis sanctis vocibus celebrari, fili Dei, vitæ dator! Quapropter te mundus glorificat.* Quæso Te, an mysterium Trinitatis ignorasse potuit, qui hæc in laudem eius quotidie recitauit, præsertim, si aliorum Codicum præferatur lectio, & pro πνεῦμα Θεοῦ, legatur πνεῦμα, Θεόν, vt trium personarum vnitas essentialis denotetur? Atqui hoc munus in Ecclesia Alexandrina Catechumenis demandatum Socrates refert. Ecquomodo igitur iis, quamdiu in primo audienrium gradu erant, mysterium illud traditum non fuerit, quæ Schelstratii est opinio? quum indubium sit, Catechumenos, antequam in perfectiorem Competentium classem referrentur, Lectorum Cantorumque ordini Alexandriæ fuisse adscriptos. Erunt forte, qui existimabunt, non ex vulgo, sed ex eruditis lectos sacrarum illarum τάξεων homines, quibus non admodum refragabor, & Augustini caput octauum libri de catechizandis rudibus illis commendo, vnde cognoscant modum, quo docti Catechumeni a doctoribus Christianis fuerint informandi. Nihil vetat, quo minus aliqua adscribamus: *Sed illud plane non prætereundum est, vt si ad te quisquam catechizandus venerit liberalibus doctrinis excultus, qui iam decreuerit esse Christianus, & ideo venerit, vt fiat, difficillimum omnino est, vt non multa nostrarum scripturarum litterarumque cognouerit, quibus iam instructus ad Sacramentorum participationem tantummodo venerit. Tales enim non eadem hora Christiani fiunt, sed ante solent omnia diligenter inquirere, & motus animi sui cum quibus possunt, communicare atque discutere. Cum his itaque breuiter agendum est, & non odiose inculcando quæ norunt, sed modeste perstrin-*

ſtringendo : ita vt dicamus nos credere quod iam nouerint illud atque illud : atque hoc modo curſim enumerare omnia, quæ rudibus indoctisque inculcanda ſunt ; vt etſi quid nouit eruditus iſte, non tanquam a doctore audiat : & ſi quid forte adhuc ignorat, dum ea commemoramus quæ illum noſſe iam credimus, diſcat. Dehinc ex eo quærendum monet Auguſtinus, an librorum canonicorum, aut vtilium tractatorum, aut etiam hæreticorum, lectione perſuaſus fuerit, explicatque, quomodo in ſingulis hiſce caſibus verſandum ſit, non obſcuro argumento, tam diuinæ Scripturæ, quam eccleſiaſticorum hominum codices ethnicis ad legendum concedi ſolitos. Claudit autem caput his verbis: *Cætera vero ſecundum regulas doctrinæ ſalutaris, ſiue de fide, quæcunque narranda vel diſſerenda ſunt, ſiue de moribus, ſiue de tentationibus, eo modo percurrendo quo dixi, ad illam ſupereminentiorem viam omnia referenda ſunt.* Illuſtris profecto locus ad confirmandum ea, quæ antea diximus de diuerſa methodo in catechizandis doctis indoctisue adhibita. Nam non ſolum *ſupereminentiori via* cum Eruditis agi vult, ſed multa quoque religionis Chriſtianæ capita cognita eos habere præſupponit. Inter quæ cum dogma Trinitatis haud poſtremum ſit, incredibile eſt, nihil de eo eruditum percepiſſe, qui Scripturam ſacram & Doctorum Eccleſiaſticorum libros ſæpiſſime de hoc myſterio agentes legerit, quod Catechumenum ſuum conſueuiſſe Auguſtinus obſeruat. Neque exemplis deſtituimur, quum ipſe Auguſtinus nobis ſuppeditet Honoratum, doctum virum & Catechumenum, & in epiſtola ad ipſum ſcripta, quæ CXX. in ordine eſt, luculenter confirmet, quæ ex alio eius libro diduximus. Etenim quæſtiones Honorati ſatis produnt, eum in Scripturæ veteris nouique fœderis lectione haud leuiter verſatum, quas enumerat Auguſtinus cap. I. & cap. III. exponit initium Euangelii Ioannis, ac diuinitatem Chriſti præclare explicat, diſerteque de myſterio Trinitatis agit ad finem capitis IV. quando egregia Paulli verba Philipp. II. interpretatur: *Vides, quemadmodum eundem hominem, quem Deum commendat, vt perſona vna ſit, etiam filium hominis proteſtetur, ne non trinitas ſed quaternitas inducatur. Sicut enim non augetur numerus perſonarum, cum accedit caro animæ, vt ſit vnus homo: ſic non augetur numerus perſonarum, cum accedit homo verbo, vt ſit vnus Chriſtus. Legitur itaque, Verbum caro factum eſt: vt intelligamus huius perſonæ ſingularitatem, non vt ſuſpicemur in carnem mutatam diuinitatem.* Nemo non videt, Auguſtinum in Honorato ſuo Trinitatis notitiam ſupponere, & ne quaternitatem in diuinis propter incarnationem cogitet, ſollicite cauere. Præterea in fine libri ſiue epiſtolæ eum hortatur: *Sed ama etiam Eccleſiaſticas legere litteras, & non multa inuenies, quæ requiras ex me, ſed legendo & ruminando, ſi etiam pure dominum largitorem bonorum omnium depreceris, omnia quæ cognitione digna ſunt, aut certe plurima, ipſo magis inſpirante, quam hominum aliquo commonente perdiſces.* Aliud exemplum ſuppeditat Cæſarius, Gregorii Nazian-

Nazianzeni frater, qui in Catechumenatu vsque ad finem vitæ mansit, & in extremis demum baptismo tinctus est. Hunc in omni litteraturæ genere excellentem, doctrinæque Christianæ peritissimum fuisse, cum Gregorius frater in Oratione funebri testatur, tum Quæstiones eius hodienum residuæ fidem faciunt; in quibus multa occurrunt ad mysterium Trinitatis illustrandum vindicandumque pertinentia. At vnde hæc scire potuisset Cæsarius, si hoc mysterium non nisi Competentibus & proximis Baptismi Candidatis traditum fuisset? Superest, vt tertium hominum genus scrutemur, quod cap. IX. Augustinus proposuit. *Sunt item quidam de scholis vsitatissimis Grammaticorum Oratorumque venientes, quos neque inter idiotas numerare audeas, neque inter illos doctissimos, quorum mens magnarum rerum est exercitata quæstionibus. His ergo qui loquendi arte cæteris hominibus excellere videntur, cum veniunt, vt Christiani fiant, hoc amplius, quam illis illiteratis impartiri debemus: quod sedulo monendi sunt, vt humilitate induti Christiana, discant non contemnere, quos cognouerint morum vitia quam verborum amplius deuitare: & cordi casto linguam exercitatam nec conferre audeant, quam etiam præferre consueuerant. Maxime autem isti docendi sunt scripturas audire diuinas, ne sordeat eis solidum eloquium, quia non est inflatum: neque arbitrentur carnalibus integumentis inuoluta atque operta dicta vel facta hominum, quæ in illis libris leguntur, non euoluenda atque aperienda vt intelligantur, sed sic accipienda vt literæ sonant: deque ipsa vtilitate secreti, vnde etiam mysteria vocantur, quid valeant ænigmatum latebræ ad amorem veritatis acuendum, discutiendumque fastidii torporem, ipsa experientia probandum est talibus, cum aliquid eis quod in promtu positum non ita mouebat, enotatione allegoriæ alicuius eruitur.* Quid autem de eiusmodi Catechumenis dicemus, an iis quoque Trinitatis mysterium propositum sit, priusquam competentibus adnumerarentur, sacrique lauacri digni iudicarentur? Equidem nihil vereor adfirmatiue respondere, quum suppetat exemplum omni exceptione maius in Arnobio Rhetore, idque tanto carius æstimandum, quod sit Augustino domesticum, & ex Africa petitum. Hieronymus in Chronico: *Arnobius Rhetor clarus in Africa habetur: qui quum in ciuitate Siccæ ad declamandum iuuenes erudiret, & adhuc Ethnicus ad credulitatem somniis compelleretur, neque ab Episcopo impetraret fidem, quam semper impugnauerat, elucubrauit aduersus pristinam religionem luculentissimos libros: & tandem velut quibusdam obsidibus pietatis fœdus impetrauit.* Nihil sane dubitare attinet, quin Arnobius, cum istos septem libros aduersus nationes scriberet, in Catechumenorum imperfectiorum classe fuerit constitutus, quoniam ad perfectiores Baptismi Candidatos referri antea non potuit, quam prouidam Episcopi cautionem scripto suo expleuisset. At diuinitatem Christi agnouit & insigni παρρησίᾳ professus est, libro præcipue secundo: *Et ideo Christus licet vobis inuitis, Deus; Deus, inquam Chri-*

Christus (hoc enim sæpe dicendum est, vt infidelium dissiliat, & dirumpatur auditus) Dei principis iussione loquens sub hominis forma &c. Petauius in citata Præfatione cap. vi. num. 4. hoc aliaque Arnobii testimonia congerens subdit: *Aut igitur duos a Christianis poni Deos putauit Arnobius; quod est falsum, cum nonnisi vnum esse scribat : aut Christum, quem* verum, *&* sublimem Deum *esse credidit, vnum & eundem cum eo, a quo missus est, Deum esse voluit. In quo Trinitatis inest aperta, & omnibus numeris expleta confessio : atque eo profecto mirabilior, & pluris facienda, quod libros illos scripsisse dicitur, antequam Christianus esset.* Auget admirationem, quod multa in isto opere occurrunt, *quæ vix digna sunt Christianismi tirone, & hominem indicant non satis Christiani dogmatis peritum : sed rudem adhuc, & vix prima fidei elementa callentem*, vt productis exemplis idem docet Petauius lib. vi. de Deo cap. vi. num. xi. & lib. viii. cap. v. num. iv. Ecquomodo igitur contingere potuit, vt Arnobius in aliis Christianæ fidei dogmatibus rudior tam præclaram Trinitatis confessionem ederet; nisi mysterium hoc rudioribus etiam & imperfectioribus Catechumenis tradi consueuerit? tantum abest, vt celatum occultatumque fuerit, quemadmodum Schelstratius opinatur.

X. Quis ergo amplius digredietur a recto veritatis tramite, hæsitabitque ne statuat, tam Ethnicis, quam Catechumenis imperfectioribus, supra vulgus saltem sapientibus, mysterium Trinitatis a priscæ Ecclesiæ Christianæ Doctoribus propositum fuisse? Quod agnouit etiam Cardinalis Perronius, præcipue quoad Catechumenos; cuius auctoritatem sibi obuerti non ægre feret Schelstratius, qua totiens aduersum nos se tueri consueuit. Perronii verba allegat Edmundus Albertinus in Opere Latino de Sacramento Eucharistiæ pag. 405. *Quid erat in Eucharistia, propter quod Ethnici ceremoniis & figuris ænigmaticis & hieroglyphicis assueti, Eucharistiæ mysterium potius quam varios alios fidei articulos, qui eis libere propalabantur, ludibrio habuissent, si Eucharistia fuisset simplex ceremonia mortis Christi commemoratiua? Rursum & quamobrem periculosum fuisset Eucharistiæ mysterium Catechumenis reuelare, ne curiositas eorum scandalizaretur, ac a Christiana religione alienaretur? Annon enim quotidie de arduis fidei articulis, de TRINITATE, de incarnatione, de morte & resurrectione Christi informabantur? Annon imbuebantur cognitione figurarum & parabolarum Veteris & Noui Testamenti? Annon sciebant, virgam Mosis figuram fuisse crucis Christi, manna & aquam e petra profluentem corporis & sanguinis Christi, & immolationem agni Dominicæ mortis typum?*

XI. Ne autem quidquam dubii remaneat, age, ea, quæ Schelstratius in sui defensionem attulit, pariter perstringamus. Equidem non satis possum mirari, virum doctum in fronte collocare Pseudo - Clementis Recognitiones, quas mo-

ris Apoſtolici teſtimonium reddere non poſſe in Diſſertatione mea num. xii. luculenter monſtraueram. Siquidem nemo iudicii compos (vt iterum repetam) librum hæreticum & fabulis plenum eam in rem producet. At eiuſmodi eſt Recognitionum opus, quod propterea ab antiquis & hodiernis eruditis reiicitur atque exploditur. Schelſtratius fingit, me errare, ipſique tribuere, quaſi auctorem huius operis fecerit Clementem. At vbi ego hoc dixi? Nihil enim in Diſputatione mea amplius negaui, quam *Petro Apoſtolo adſcribi*, aut *diſciplinam Apoſtolicam* arguere poſſe verba ex Pſeudo-Clemente allata. Obſeruaui potius, Schelſtratium non minus ac nos & quemuis eruditum, Recognitiones Clementi Romano perperam tribui atque adfingi, ſtatuere in Antiquitate Illuſtrata. Quam vellem autem, vt Schelſtratius auſcultaſſet Bellarmino ſuo, qui in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis iſtud Recognitionum opus examinatis inter alia ſcribit: *Admiſcentur diſputationes ex media Platonis philoſophia depromtæ, quas nullo modo credibile eſt S. Petri eſſe.* Notari eam in rem meretur obſeruatio Ferdinandi Mendozæ lib. ii. de confirmando Concilio Illiberitano cap. ix. qua ſuſpicatur, *Clementem alium Philoſophum, Platonicæ doctrinæ ſectatorem, cuius meminit S. Dionyſius Areopagita lib. de Diuinis Nominibus, vel Actium, aut Arium Clementem, Philoſophum Platonicum, ad quem exſtant Plinii iunioris literæ, operam dediſſe, vt epiſtola quinta Clementis Romani ad Iacobum fratrem Domini, qua Platonis doctrina de communione vxorum protegitur, ſpecioſo & ſancto Clementis Romani nomine proderetur, quo facilius in fidelium animos error poſſit irrepere.* At epiſtola illa ſub nomine Clementis ex ipſis Pſeudorecognitionibus depromta eſt, vt adeo vnum eundemque vtriusque auctorem eſſe nullatenus ſit dubitandum. Qui tamen Clemens Philoſophus in Operibus Dionyſio Areopagitæ adſcriptis laudatus eſſe nequit, quandoquidem ea non minus ſpuria ſunt & quarto demum ſæculo efficta, vt infra pluribus oſtendemus: recognitionum vero opus ſecundo iam vergente compoſitum eſt. Nec Actius Clemens intelligi poteſt, quum is Plinii amicus fuerit, adeoque circa confinia primi & ſecundi ſæculi vixerit: recognitiones autem poſt medium demum ſecundum ſæculum conſcriptæ fuerint, quoniam *duo integra folia recitantur ex perſona Petri in nono libro huius operis, ad verbum tranſcripta ex libro de fato aduerſus Abydam aſtronomum Bardeſanis Syri; qui, teſte Epiphanio, claruit ſub Marco imperatore annis ſeptuaginta poſt mortem Clementis* (Romani) *quam etiam Bardeſanis ſcripturam Euſebius in ſexto libro de euangelica præparatione iisdem plane verbis recitat, nec vna quidem immutata dictione*, vt obſeruat Sixtus Senenſis lib. ii. Bibliothecæ Sanctæ. Vnde Natalis Alexander Diſſert. xviii. Sæculi primi pag. 490. merito cenſet, *nullo monumento niti iſtam Mendozæ coniecturam.* Nobis autem ſufficit, quod Mendoza cum Bellarmino conuenit, dum ſtatuit, Platonis doctrinam in epiſtola, & conſequenter in recognitionibus Pſeudo-Clementis, protegi; idemque agnoſcit Alexander in

Synopſi

Synopsi eiusdem pag. 129. Quibus omnibus præiuerat Sixtus Senensis, *suspicans, hæc volumina non esse Clementis, quod multa in ipsis sub persona Petri Apostoli ex intima Platonis & Aristotelis philosophia referuntur.* Posita autem hac sententia, quam nemo non adsumet, qui a primo saltem limine recognitionum opus salutauerit, dilucide colligitur, ea etiam, quæ de *principali summæ diuinitatis intelligentia* apud imperitam multitudinem occultanda Pseudo-Petrus præcipit, ad Platonicæ philosophiæ normam esse interpretanda. Atenimuero notum est Platonis in Timæo & alibi monitum, quod periculo non careat vera de rebus diuinis apud vulgus disserere: Τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα λέγειν εἰς πάντας ἀδύνατον. Cicero ita interpretatur: *Atque illum quidem quasi parentem vniuersitatis inuenire difficile est; & cum etiam inueneris, indicare in vulgus nefas.* Nec minus constat, Platonem Dei vnitatem occultasse, ne simile ac Socrates supplicium subire cogeretur. Quod prolixe vehementerque exagitat Iustinus Martyr in Parænesi ad Græcos, pag. 18. Πλάτων δὲ, ἀποδεξάμενος μὲν ὡς ἔοικεν, τὴν περὶ ἑνὸς καὶ μόνου Θεοῦ Μωϋσέως καὶ τῶν ἄλλων προφητῶν διδασκαλίαν, ἣν ἐν αἰγύπτῳ γενόμενος ἔγνω, διὰ δὲ τὰ συμβεβηκότα Σωκράτει δεδιὼς μήπως καὶ αὐτὸς Ἄνυτόν τινα ἢ καὶ Μέλιτον καθ' ἑαυτοῦ γενέσθαι παρασκευάσῃ κατηγοροῦντα αὐτοῦ παρ' Ἀθηναίοις καὶ λέγοντα, Πλάτων ἀδικεῖ καὶ περιεργάζεται, Θεοὺς οὓς ἡ πόλις νομίζει ἐυ νομίζων, φόβῳ τοῦ κωνείου ποικίλον τινα καὶ ἐσχηματισμένον τὸν περὶ Θεῶν γυμνάζει λόγον, εἶναί τε θεοὺς τοὺς βουλομένοις, καὶ μὴ εἶναι οἷς τἀναντία δοκεῖ, τῷ λόγῳ κατασκευάζων, ὡς ἔσται ῥάδιον ἀπ' αὐτῶν τῶν ὑπ' αὐτοῦ λεχθέντων γνῶναι. *Plato vero, accepta, cum in Ægypto esset, sicuti videtur, Mosæ & aliorum prophetarum de vno eoque solo Deo doctrina: ne quo modo, sicuti Socrati accidisse viderat, ipse quoque Anytum quempiam, aut etiam Melitum contra se apud Athenienses excitaret accusatorem, qui diceret, Plato iniurius est & curiosus; quos ciuitas recepit, ipse non rejiciens Deos; veritus, veneni metu variam quandam atque fucatam de Diis subinde instituit orationem: Esse deos, hos esse volentibus; & non esse, diuersa opinantibus, scriptis suis adstruens, id quod procliue est ex dictis eius intelligere.* Hæc postquam multis probasset, subiicit p. 23. ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἄκων, ὡς ἔοικεν ὁ Πλάτων, τοὺς τὴν πολυθεότητα ἀσπαζομένους δεδιὼς, ἀλλόκοτα περὶ Θεῶν διεξιέναι φαίνεται. ὅσα δὲ παρὰ Μωϋσέως καὶ τῶν προφητῶν περὶ ἑνὸς Θεοῦ μεμαθηκὼς, οἴεται δεῖν λέγειν, ταῦτα μυστικῶς προήρηται λέγειν τοῖς θεοσεβεῖν βουλομένοις, τὴν ἑαυτοῦ σημαίνων δόξαν. *Enimuero inuitum, vt videtur, Platonem, plurium Deorum cultum complexos veritum, aliena ista de diis protulisse apparet. Quæ vero a Mose & prophetis de vno Deo acceperat, cum referri oportere arbitraretur, arcane sibi ea exponenda esse censuit, sententiam suam veram religionem consectantibus insinuans.* Ad eundem

dem igitur modum Pseudo-Clemens Petrum loquentem inducens intelligendus venit de occultatione Platonica, quæ tamen non personarum Trinitatem, ad quam a Schelstratio trahitur, sed essentiæ vnitatem celandam præscripsit. Sed Apostoli ab hac tantopere fuerunt alieni, vt potius Lystris, Athenis & Cæsareæ vnum Deum prædicauerint, ipso fatente Schelstratio, vt nihil magis Apostolorum doctrinæ moribusque aduersari merito iudicaueris, quam fictitii Petri sermonem. Imo quando Petrus ibi *principalem de summa diuinitate intelligentiam minus dignis auribus non publicasse* dicitur, tantum abest, vt Schelstratii explicatio locum inueniat, *altissimaque de Trinitatis mysterio doctrina* intelligatur, vt potius verus Petrus Apostolus in concione Pentecostali Act. II. eam tradiderit in maximo populi concursu, cui plurimos empactas interfuisse Lucas diserte testatur; & in domo Cornelii Act. x. fidem in Christum filium Dei & Dominum vniuersi coram gentilibus prædicarit. Cæterum dum Veteris Ecclesiæ sinistrum de his libris iudicium memoria repeto, & plurimarum hæreseon vestigia in iis notata altius perpendo, non possum dissimulare, quod sub verbis a Schelstratio citatis ὕπουλόν τι deprehenderim. De Valentinianis & Basilidianis proditum accepimus, quanto studio innumeras Æonum suorum turbas aliaque figmenta coram vulgo occultare, & non nisi discipulis inculcare consueuerint. Notanda etiam Petauii confessio, lib. I. de Trinitate cap. VI. num. I. *omnium fere dogmatum, quæ contra Catholicam fidem extiterunt, præsertim vero, quibus sanctissimæ Triadis oppugnata professio est fundum & auctorem fuisse Platonem. Nam cum omnes illi ferme in Principiorum constituenda multitudine concordant inuicem; tum plerique vnum esse summum, & Ingenitum asserunt, qui nec animo capi, nec sermone declarari possit, nec vllum cum rebus creatis vsum & commercium habere potuerit. Ab eo vero inferioris aliquod Principii genus, ac numinis esse productum, quod deinceps procrearet omnia. Atque hoc aliis vnum, atque simplex, esse placuit; quod quidem, nullo interiecto, ab summo & primo descenderet; ab eoque gradatim propagatos esse cæteros: cuiusmodi Basilidæ sententia fuit, ac Nicolai, & Apellis: qui cæteris hoc disertius asseruerunt alii plures statim exstitisse volunt ab summo, quales Valentinianorum Æones, & aliarum pestium ridicula fuere commenta, quidam duo, ac disparata, mutuoque pugnantia, vel etiam tria esse Principia finxerunt. Ex quibus priores duæ sectæ ad imitationem Platonis expressæ sunt. Siquidem vnum fere tum Platonem Philosophiæ scholæ personabant: cuius dogmata miscere cum Christianis, eaque re vendibiliorem hanc facere professionem, & huius inuidiam minuere studebant.* Quare nemini dubium videri potest, quin hæretici illi, vt doctrinæ suæ fundamentum, ita & occultationem a Platone sumserint, & mystica sua principia profanum vulgus celarint. Ac eiusmodi sane hominem fuisse recognitionum Pseudo-Clementis conditorem arbitror, qui proinde in sui patrocinium Petrum produ-

producere nihil veritus sit. Notus quippe est illorum hæreticorum furor, sub sanctis Apostolorum & virorum Apostolicorum nominibus libros condendi, quo facilius imperiti decipiantur. Nec insuetum illis fuit Christi verbis abuti, præeunte Basilide, de quo Epiphanius hæresi XXIV. num. 5. ἡμεῖς, φησιν, ἐσμὲν οἱ ἄνθρωποι, οἱ δὲ ἄλλοι πάντες ὕες καὶ κύνες. καὶ διὰ τοῦτο εἶπε. μὴ βάλητε τοὺς μαργαρίτας ἔμπροσθεν τῶν χοίρων, μηδὲ δότε τὸ ἅγιον τοῖς κυσί. *Nos, inquit* (Basilides) *homines sumus: cæteri omnes nihil aliud quam sues & canes. Ideoque scriptum est: Nolite iacere margaritas ante porcos, neque dare sanctum canibus.* Et mox: λέγει ὅτι ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων δεῖ ὁμολογεῖν τὴν ἀλήθειαν, ἡμεῖς γάρ ἐσμεν οἱ ἄνθρωποι, οἱ δὲ ἄλλοι ὕες καὶ κύνες ὡς προεῖπον. Φάσκει δὲ μόνον περὶ πατρὸς καὶ τοῦ ἑαυτοῦ μυστηρίου μηδενὶ ἀποκαλύπτειν, ἀλλὰ σιγῇ ἔχειν ἐν ἑαυτοῖς. ἑνὶ δὲ ἀπὸ χιλίων ἀποκαλύπτειν, καὶ δυσὶν ἀπὸ μυρίων. *Igitur coram hominibus profitendam esse veritatem docet. Nos enim homines sumus; cæteri suum canumque numero, vti diximus. Et illud admonet, vt de Patre duntaxat, arcanoque suo nemini significent, sed tacitum apud se retineant, aut vni saltem e millibus, ac duobus e decem millibus aperiant.* Quam similia autem his sunt, quæ apud Pseudo-Clementem sub fictitii Petri persona leguntur? difficillimum nempe esse, *de veritate apud permixti populi multitudinem disputare*, & de ea *ad indiscretum populum sermonem facere.* Christi etiam mandatum inculcat planus ille, *ne mittat verborum eius margaritas ante porcos & canes &c.* Sed non Basilidis tantum, verum Bardesanis etiam discipulum fuisse exinde colligo, quia præceptoris sui librum de fato compilauit, vt Sixtus Senensis paullo ante docuit. Primo enim Bardesanis dogmata Recognitionibus inspersa leguntur, de quibus Epiphanius num. II. scribit: προσφθείρεται γὰρ οὗτος οὐαλεντίνοις, καὶ ἐκ τῆς αὐτῶν μοχθηρίας ἀνιμᾶται τὸ δηλητήριον τούτων, καὶ ζιζανιῶδες. πολλάς τε καὶ ἄλλας καὶ αὐτὸς ἀρχὰς καὶ προσβολὰς διηγήσατο. καὶ τὴν τῶν νεκρῶν ἀνάστασιν ἀρνησάμενος ἐδογμάτισε ταύτην τὴν αἵρεσιν. χρῆται δὲ Νόμῳ καὶ Προφήταις, παλαιᾷ τε, καὶ καινῇ Διαθήκῃ, καὶ Αποκρύφοις τισὶν ὡσαύτως. *Nam cum ad Valentinos miserrime sese applicasset, ex eorum improbitate pestiferum illud virus ac lolium contraxit. Multa hic perinde & alia principia, & productiones inuexit. Mortuorum resurrectionem sustulit, itaque priuatam hæresim condidit. Porro Legis, ac Prophetarum libros, adeoque Vetus ac Nouum Testamentum; nec non Apocryphos quosdam adhibet.* Tria in Bardesane reprehendit Epiphanius. Primum est de principiis Valentinianorum, quibus non contentus alia adiecit. Sic Pseudo-Petri *principalis summæ diuinitatis intelligentia* monstrosum quid portendere, & τῶν ἀρχῶν ἔννοιαν, quam crepare Valentiniani solebant, sapere videtur. Si Græcus textus superesset, expeditiorem cognitionem suppeditaret. Constat enim inter omnes eruditos, qua

fraude

fraude Rufinus, qui Recognitionum interpres creditur, versiones suas contaminarit, resecando aut interpolando, quæ vel orthodoxæ religioni, vel suæ saltem opinioni repugnabant. Hinc factum esse puto, vt nihil aduersus resurrectionem in Recognitionibus reperiatur, quam Bardesanem negasse Epiphanius secundo loco notauit. Tertii vero ἐγκλήματος non obscura exstant vestigia. Præcipue vero alicuius Bardesanistæ spiritus elucet, ex iis, quæ de fato traduntur, si conferantur cum fragmento Diodori Tarsensis Episcopi ex cap. LI. & LII. de fato apud Photium Cod. CCXXIII. Etenim Diodorus τοὺς ἀπὸ Βαρδισάνους αἱρετικοὺς διελέγχει, δέχεσθαι μὲν προσποιουμένους τοὺς προφήτας, καὶ τὰς μὲν ψυχὰς γενέσεως ἐλευθέρας καὶ αὐτεξουσίους ὁμολογοῦντας. τὸ σῶμα δὲ τῇ ταύτης ὑποτάττοντας διοικήσει. πλοῦτον γὰρ καὶ πενίαν, καὶ νόσον, καὶ ὑγίειαν, καὶ ζωὴν καὶ θάνατον. καὶ ὅσα οὐκ ἐν ἡμῖν, ἔργον εἶναι λέγουσι τῆς εἱμαρμένης, *a Bardisane ortos hæreticos redarguit, quod cum profiteantur se Prophetas admittere, animas quidem a Genesi liberas & sui iuris confiteantur, sed corpus nihilominus huius gubernationi subiiciant. nam diuitias, paupertatem, morbum, sanitatem, vitam, mortem, & quæcunque in nostra non sunt potestate, per Fati vim effici affirmant.* Hanc suam opinionem vt incrustaret Bardesanista & sub Clementis Apostolici viri nomine obtruderet, ex Dialogo magistri sui ea omnia resecuit, quæ ad personam patriamque eius, Syriam faciebant, & e contrario inseruit, quæ hominem cum Apostolis versantem decerent. Quod luce meridiana clarius patet ex fragmento Bardesanis apud Eusebium lib. VI. Præparationis cap. IX. quod Sixtus Senensis intellexit. Nos duo tantum specimina notabiliora nunc proferemus, reliqua Lectorum oculis commissuri. Etenim postquam multa de variis Gentium moribus legibusque dixisset Bardesanes, quorum pleraque Pseudo-Clemens in Recognitionibus pariter inculcat, obiectio aliqua a Philippo nescio quo proponitur, cui Bardesanes respondet: Ταῦτα, ὦ Βαρδισάνη, ἄκρως ὑμᾶς πέπεικε, φημὶ αὐτῷ. οἱ δὲ Ἀστρονόμοι φασὶ τὴν γῆν ταύτην μεμερίσθαι εἰς ἑπτὰ κλίματα, καὶ ἄρχειν ἑκάστου κλίματος ἕνα τῶν ἑπτὰ ἀστέρων. καὶ τοὺς διαφόρους νόμους μὴ τοὺς ἀνθρώπους τεθεικέναι ἑαυτοῖς, ἀλλ' ἑκάστου ἄρχοντος κλεονάζειν τὸ θέλημα ἐν τῇ ἰδίᾳ χώρᾳ, ὃν νόμον νενομίκασιν οἱ κρατούμενοι. ἀπεκρίνατο οὐκ ἀληθῶς ἡ ἀπόκρισις αὕτη ὦ Φίλιππε. εἰ γὰρ καὶ διῄρηται ἡ οἰκουμένη εἰς μέρη ἑπτὰ &c. *Hæc inquam, o Bardesane, huius mihi sententiæ veritatem abunde persuadent. At enim Astronomi terram aiunt in septem climata diuisam esse, quibus singulis singuli Planetæ præsint: ita diuersas illas ab hominibus positas & constitutas leges non fuisse, sed principis cuiuscunque sideris voluntatem sua in regione dominari, quam loco legis habuerint, qui eius imperio ac ditione tenentur. Verum id, Philippe, falso respondetur. Nam, vt demus orbem terrarum septem in partes distributum esse* &c. Verum compilator Recognitionum nomi-

nomina illa omittit, & Clementem ita loquentem introducit: *Sed dicet aliquis eorum qui in disciplina mathesis eruditi sunt, Genesim in septem partes dirimi, quæ illi climata appellant, dominari vero vnicuique climati vnam ex septem stellis, & istas quas exposuimus diuersas leges, non ab hominibus positas, sed ab istis principibus secundum vnius cuiusque voluntatem, & hoc quod stellæ visum est, legem ab hominibus obseruatam. Ad hæc ergo respondebimus* &c. Multo maiorem interpolandi libertatem sibi sumsit in iis, quæ paullo post de Christianorum institutis addidit Bardesanes: τί δὲ ἐροῦμεν περὶ τῆς τῶν χριστιανῶν αἱρέσεως, ἧς ἡμεῖς οἱ δοξασταὶ πολλοὶ ὄντες καὶ ἐν διαφόροις ἀνέστημεν κλίμασιν, ἐν παντὶ ἔθνει καὶ κλίματι, οἵτινες πολλοὶ ὄντες, ἑνὶ ὀνόματι κεκλήμεθα. καὶ οὔτε οἱ ἐν παρθίᾳ χριστιανοὶ πολυγαμοῦσι, πάρθοι ὑπάρχοντες, οὔθ᾽ οἱ ἐν Μηδίᾳ κυσὶ παραβάλλουσι τοὺς νεκροὺς· [illegible] οἱ ἐν περσίδι γαμοῦσι τὰς θυγατέρας αὐτῶν, Πέρσαι ὄντες· οὐ παρὰ Βάκτροις καὶ Γάλλοις φθείρουσι τοὺς γάμους· οὐχ οἱ ἐν Αἰγύπτῳ θρησκεύουσι τὸν Ἄπιν, ἢ τὸν κύνα, ἢ τὸν τράγον, ἢ αἴλουρον. ἀλλ᾽ ὅπου εἰσὶν, οὔτε ὑπὸ τῶν κακῶς κειμένων νόμων, καὶ ἐθῶν νικῶνται. οὐχ ἡ ὑπὸ τῶν ἀρχῶν πρυτανευομένη γένεσις αὐτοὺς ἀναγκάζει τοῖς ἀπειρημένοις κακοῖς ὑπὸ τοῦ διδασκάλου αὐτῶν χρῆ[illegible]. νόσῳ δὲ, καὶ πενίᾳ, καὶ πάθεσι, καὶ ταῖς νομιζομέναις ἀτιμίαις ὑπόκεινται. *Quid porro de Christianorum instituto dicemus, cuius nos sectatores & plurimi & diuersis in terræ partibus exstitimus, qui tamen in omni cum gente, tum climate vno omnes eodemque nomine appellati sumus? Enimuero nec in Parthia Christiani, Parthi licet, pluribus vtuntur vxoribus, nec in Media defunctorum corpora canibus obiiciunt, nec in Perside, Persæ licet, filias vxores ducunt: nec apud Bactros aut Gallos nuptiarum honestatem aut iura contaminant, nec in Ægypto Apin, Canem, Hircum Felemue colunt. Ita, vbicunque degant, nec Legum morumque sceleratorum improbitate vincuntur, nec ad flagitium vllum, præceptoris sui legibus interdictum, nascendi conditionis ex Principum Astrorum imperio nutuque descriptæ vi adiguntur. Iidem tamen morbis, egestati, calamitatibus & contumeliis, vt vulgo appellantur, obnoxii sunt.* His fabulas suas de Christo, Thoma & Petro admiscuit ὑποβολεὺς, vt pro viro apostolico haberetur. *Quin imo & maiorem fidem rerum præsentium dabo, ecce enim ex aduentu iusti & veri prophetæ, vixdum septem anni sunt, in quibus ex omnibus gentibus conuenientes homines ad Iudæam, & signis ac virtutibus quæ viderant, sed & doctrinæ maiestate permoti, vbi receperunt fidem eius, abeuntes ad regiones suas, illicitos quosque gentilium ritus, & incesta spreuere coniugia. Denique apud Parthos, sicut nobis Thomas, qui apud illos euangelium prædicat, scripsit, non multi iam erga plurima matrimonia diffunduntur, nec multi apud Medos canibus obiiciunt mortuos suos, neque Persæ matrum coniugiis, aut filiarum incestis matrimoniis delectantur, nec mulieres Susides licita ducunt adulteria, nec potuit ad crimina Genesis compellere, quos religionis doctri-*

doctrina prohibebat. Ecce ex hoc ipso coniice, & de his de quibus sumus locis, coniecturam cape, quomodo fama tantum perferente ad aures hominum, quod propheta in Iudæa apparuit, qui signis & virtutibus doceret homines vnum colere Deum, omnes paratis intentisque animis exspectabant, etiam ante aduentum Domini mei Petri, vt sibi aliquis quæ docuisset ille qui apparuit, nunciaret. Ex hoc vngue leonem satis agnoscimus, manifestumque fraudis exemplum notamus, qua olim homines maleferiati aliorum scripta peruertere consueuerunt.

XII. Quum itaque in ipso limine lapsus sit Schelstratius, & Platonicas hæreticasque sententias pro Apostolicis obtruserit, facile augurabuntur prudentes Lectores, quid sequentia in recessu habeant. Imputat mihi, quasi nullam differentiam inter fideles & infideles constituerim: quum tamen ipse potius huius confusionis reus sit, quando nullum inter dogmatum & ritu[illegible] occultationem discrimen statuit. Fatetur, *Apostolos de indiuidua Trinitate claris, & perspicuis verbis egisse in epistolis suis & sermonibus*, sed negat, id coram gentilibus factum. At contrarium ex praxi Apostolica nullo negotio elicitur. Lectio epistolarum & aliorum Apostolicorum scriptorum vel publica erat, vel priuata. Publicam ab ipsis Apostolis in Ecclesia institutam, & coram gentilibus ac Catechumenis factam esse Schelstratius non potest inficiari. Quare manus det veritati, quæ hinc aperte consequitur, statuatque, Apostolos non prohibuisse, quo minus non initiati dogma de Trinitate in libris sacris, ipso fatente, comprehensum audirent, quandoquidem sæpius publico Christianorum cultu interesse solebant. Quod magis confirmat priuata lectio, quam Schelstratius quidem non initiatis denegat, ego autem partim in præcedentibus concessam monstraui, partim infra in animaduersionibus ad sextum Apologiæ caput, quo nos hoc loco vir doctus remittit, amplius adseram. Ad sermones autem Apostolicos quod attinet, notandum omnino est discrimen inter gentiles impietatis ac πολυθεότητος luto adhuc immersos, & ad veritatem agnoscendam animum applicantes. Ad priores quum sermo habendus esset, prudenti cautela vtebantur Apostoli, & vnitatem, non Trinitatem Dei prædicabant, vti initio num. VIII. dixi. Eiusmodi erant Lystrenses Act. XIV. Paullum pro Mercurio & Barnabam pro Ioue turpi errore habentes: & Athenienses Act. XVII. idololatriæ maxime dediti, & nouarum tantum rerum cupidi: & Felix Præses Act. XXIV. homo epicureus, & nullius religionis: quorum exempla Schelstratius attulit. Posteriores autem cum alloquerentur Apostoli, tantam cautelam non adhibebant. Tales fuisse puto, qui in Synagogis cum Iudæis conueniebant, eo ipso significantes, se ab ethnicis superstitionibus abhorrere. Certe cum agnoscit Schelstratius, *Apostolos passim in Synagogis prædicasse fidem in Christum vnigenitum æterni Patris Filium*, non potest negare, eandem prædicationem gentilibus simul ibi congregatis pariter impertitam fuisse, vt Antiochiæ Act. XIII. Iconii

Iconii cap. XIV. Thessalonicæ ac Berhœæ cap. XVII. & Corinthi cap. XIIX. Frustra etiam locum Paulli de lacte solidoque cibo repetit, quem nihil plane ad arcani disciplinam probandam facere in Dissertatione mea num. XIII. adeo aperte monstraui, vt Schelstratius, quod reponeret, non habens, vltima tantum istius paragraphi verba sibi impugnanda sumserit, otiose inculcatis Clementis Alexandrini verbis, quorum verum germanumque sensum pariter erueram, arcanique disciplinam iis non intelligi commonstraueram. Nec debuit de mea concessione admodum gloriari, quum dogmatum occultatio plane diuersa sit ab ista disciplina, vt num. VI. luculenter monstraui. Clementem autem prorsus mecum sentire duplici argumento euincam. Alterum est, quod eodem modo Paulli locum interpretatur, quem ego seruaui num. IV. & diuersam docendi methodum in eo repertam explicat. Alterum, quod ipse Clemens in Protreptico ad gentes mysterii Trinitatis clarissimam facit mentionem: Κυβερνήσει σε ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῖς λιμέσι καθορμίσει τῶν οὐρανῶν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. τότε μου κατοπτεύσεις τὸν Θεὸν, καὶ τοῖς ἁγίοις ἐκείνοις τελεσθήσῃ μυστηρίοις &c. *Gubernabit te Verbum Dei, & ad portum cœlorum te adducet Spiritus Sanctus. Tunc meum Deum intueberis, & Sanctis illis initiabere mysteriis* &c. Diuinitatem quoque Filii Dei in eodem opere Clementem non reticuisse, Petauius obseruat Lib. I. de Trinitate cap. IV. num. I. Quomodo autem hæc coram gentilibus libera professio cum disciplina arcani consistere potest? Vt vel ex contraria Clementis praxi concludendum fuisset Schelstratio, eum in altero loco quinti στρωματέων libri distinctam ab illa disciplina occultationem in mente habuisse. Certe Clemens κατάληψιν τῆς θείας δυνάμεως καὶ οὐσίας, *comprehensionem diuinæ potentiæ & essentiæ* nominans, satis innuit, sibi non esse sermonem de cognitione, quæ in hac vita acquiritur, sed de ea, quam in futura vita exspectamus. Neque enim immemor erat eorum, quæ non longe ab initio eiusdem libri quinti dixerat: Δῆλον γὰρ, μηδένα ποτὲ δύνασθαι παρὰ τὸν τῆς ζωῆς χρόνον τὸν Θεὸν ἐναργῶς καταλαβέσθαι. Οἱ καθαροὶ δὲ καρδίᾳ τὸν Θεὸν ὄψονται, ἐπὰν εἰς τὴν ἐσχάτην ἀφίκωνται τελείωσιν. *Perspicuum est enim, nullum vnquam vitæ suæ tempore posse Deum perspicue comprehendere. Qui autem sunt mundi corde, Deum videbunt, postquam extremam perfectionem attigerint.* Plura haud proletaria & huc apprime facientia de genuina vocis καταλήψεως significatione disquirit Petauius Lib. VII. de DEO cap. III. & VII. adductisque iisdem Clementis verbis subiicit: *Quo in loco manifeste significat, in futura vita* τὴν ἐναργῆ κατάληψιν *Dei, id est claram & perspicuam comprehensionem, siue perceptionem, habituros esse homines: quam duntaxat in præsenti vitæ statu negat obtineri.* Ex his patet, quam incongrue Schelstratius Clementis locum ad disciplinam arcani traxerit, quæ in sym-

symbolorum rituumque occultatione tantum consistens nihil occultabat, quod ab homine baptizato in hac vita cognosci nequit.

XIII. Nec maiorem adsensum apud Ambrosium impetrat, cuius prolixum locum de sermone Paulli apud Athenienses exscribit. Neque enim nego, Paullum ibi subticuisse Trinitatis mysterium: verum hanc συγκατάβασιν ad disciplinam arcani non pertinere vtriusque discrimen supra euictum facile persuadet. Vnde etiam relinquitur, Ambrosium de disciplina arcani non agere: Qui differentiam potius a me allegatam inter gentiles nondum veritati studentes, & quorum oculos ea illustrare cœperat, luculenter confirmat, quum ait: *Cum aliqui ex gentibus vocantur ad ecclesiam, ita praeceptorum seriem formare debemus, vt primo vnum Deum auctorem mundi omniumque esse doceamus, &c. Deinde opinionem illam, quae est de idolis destruamus* &c. *Cum vnum Deum esse persuaseris, tunc iudicio eius adstrues per Christum nobis salutem datam: incipiens ab illis quae gessit in corpore, & ea diuina describens, vt plus quam homo fuisse videatur, victam vnius virtute mortem, mortuumque ab inferis suscitatum: paullatim enim fides crescit, vt cum supra homines fuisse videatur, Deus esse credatur.* Tum vero quae de Catechumenis addit Ambrosius, quanquam a Schelstratio ad Competentes tantum trahuntur, ad primi tamen gradus Catechumenos aeque pertinere ipsa loquendi ratio euincit. Constat enim, apud Latinos Catechumenorum nomen Christianae fidei tironibus tamdiu adhaesisse, donec Baptismi capaces haberentur, & ab hoc simul tempore Competentes vocarentur. Quando igitur Ambrosius, scriptor Latinus, *Catechumenos* de Trinitate edoctos fuisse testatur, quos quaeso intelligit, quam priores, qui alio nomine *audientes* dicebantur? Id quidem inficiatur Schelstratius, sed inuitó plane Ambrosio, cuius alterum locum ex epistola 33. a seipso prolatum si probe ponderasset, nunquam aliter ac nos Ambrosium interpretaretur, quippe cuius haec sunt verba: *Post lectiones & tractatum dimissis Catechumenis Symbolum aliquibus Competentibus in baptisteriis tradebam.* Vides, quomodo a Catechumenis ipse Ambrosius distinguat Competentes, illos, vtpote imperfectiores, dimittens, hos, tanquam perfectiores, retinens. Hinc manifestum est, quo sensu Catechumenum dixerit Ambrosius in Commentario, vt nempe imperfectior & in primo adhuc gradu consistens intelligatur. Nec Competentem statim arguit, quod addit Ambrosius, *ad Sacramenta fidelium tendens*; quum eo tantum fine id adiecerit, vt distincte gentilem & Christianae religionis tironem informari doceret; alioquin de primi secundique gradus Catechumenis aeque verum est, eos ad Sacramenta fidelium tendere, quanquam hi citius, illi tardius, optatum finem consequantur. Ex quibus omnibus simul patet veritas eorum, quae num. IX. docuimus, ostendentes, Catechumenis imperfectioribus Trinitatis mysterium haud fuisse occultatum.

XIV. Ca-

XIV. Cætera, quæ de Symbolo apud Veteres coram Catechumenis occultato adiicit vir doctus, nihil plane ad occultationem mysterii Trinitatis faciunt. Nam si hanc ob causam Symbolum occultatum fuisset, nulla dari potest ratio, quare cætera Symboli mysteria, puta Filii Dei incarnationem, passionem, resurrectionemque tam Christi, quam nostram, non eodem modo ab infidelium Catechumenorumque auribus prohibuissent. At vero hæc diserte exposuerunt ac prædicarunt non Apostoli tantum, quod ex noui fœderis libris patet, sed sequentium quoque sæculorum Patres, vt allegato Origenis aduersus Celsum testimonio ipse fatetur Schelstratius. Nec obstat, quod mysterium Trinitatis expresse non addiderit Origenes. Quam ridiculum enim foret, ea omnia Christianæ religionis dogmata occultata fuisse contendere, quæ ibi non nominat Origenes? Imo potius dum κήρυγμα χριστιανῶν vocat, idem procul dubio fidei nostræ systema animo complexus est, quod apud Irenæum hac adpellatione venit, & Trinitatis quoque mysterium inuoluit, quemadmodum extremo num. III. prolixius exposui. Propterea Origenes ipse in iisdem aduersus Celsum libris non dubitat diuina Filii & Spiritus Sancti axiomata celebrare, quanquam de Trinitatis mysterio sat periculosos errores ipsum fouisse communis fert opinio; quæ etiam caussa videri potest, quod expressam eius mentionem in verbis a Schelstratio obiectis non fecerit. Quando autem Sozomenus Symbolum Nicænum omittit, tantam cautelam ea de caussa non adhibet, quoniam Symbolo continentur Trinitatis aliaque mysteria, sed quoniam illud tanquam tessera Christianæ fidei in Baptismo recitabatur, adeoque ad Baptismi ritus spectabat, quos apud non initiatos abscondi suadebat disciplina arcani. Quis enim ignorat, baptizandum quemlibet professionem fidei edere debuisse, quæ Apostolorum quidem æuo breuior fuit, vt exemplo Eunuchi Act. IIX. patet; postea autem propter varios hæreticos aucta est, & diuersimode in Orientalibus Occidentalibusque Ecclesiis concepta, donec Symbolum Nicænum in Synodo Constantinopolitana auctum in rota Oriente pro formula fidei in Baptismo edenda reciperetur. Quod ex ipso Sozomeno luce meridiana clarius liquet; siquidem is cap. XX. μυστῶν & μυσταγωγῶν mentionem faciens ad Baptismi Sacramentum procul dubio respicit, &, quod in hoc negotio præcipuum est, omisso licet Symbolo, dogma tamen de ὁμουσίᾳ Patris & Filii initio capitis XXI. Lectoribus tam initiatis quam non initiatis propinat, sequutus Doctorum suæ ætatis morem, qui eandem doctrinam tam in sacris ad promiscuum populum sermonibus, quam in Disputationibus coram iudicibus ethnicis institutis citra vllam tergiuersationem exponebant: vt adeo nemini dubium esse amplius possit, quin Sozomenus Nicænum Symbolum describere veritus fuerit, quia tessera Baptismi erat, non autem propter mysterium Trinitatis, vt vult Schelstratius. Sed præstat Sozomenum ipsum audire, vt omnis scrupulus tollatur:

tur: ἵνα δὲ καὶ εἰς τὸν ἑξῆς χρόνον βέβαιον καὶ δῆλον τοῖς ἐσομένοις ὑπάρχῃ τὸ σύμβολον τῆς τότε συναρεσάσης πίστεως, ἀναγκαῖον ᾠήθην εἰς ἀπόδειξιν τῆς ἀληθείας, αὐτὴν τὴν περὶ τούτων γραφὴν παραθέσθαι· εὐσεβῶν δὲ καὶ φίλων καὶ τὰ τοιαῦτα ἐπιστημόνων, οἷα δὲ μύσταις καὶ μυσταγωγοῖς μόνοις δέοντα λέγειν καὶ ἀκούειν ὑφηγουμένων ἐπῄνεσα τὴν βουλήν· οὐ γὰρ ἀπεικὸς καὶ τῶν ἀμυήτων τινὰς τῇδε τῇ βίβλῳ ἐντυχεῖν· ὡς ἔνι δὲ τῶν ἀπορρήτων ἃ χρὴ σιωπᾷν ἀποκρυψάμενον· ὡς μὴ πάμπαν ἀγνοεῖν τὰ δόξαντα τῇ συνόδῳ, ἰστέον δὲ, ὅτι τὸν μὲν υἱὸν ὁμοούσιον εἶναι τῷ πατρὶ ἀπεφήναντο. *Porro vt posteris in perpetuum ratum ac manifestum esset eius fidei Symbolum, in quam vniuersi tum consenserunt, initio quidem existimaueram, exemplum illius fidei ad veritatis demonstrationem hic necessario apponendum esse. Sed cum quidam ex amicis, viri pii & harum rerum notitia praediti suasissent mihi, vt ea quidem, quae a solis initiatis ac sacerdotibus dici audirique fas est, silentio inuoluerem, eorum consilium probaui. Quippe verisimile est, quosdam sacramentis fidei nostrae minime initiatos, hunc librum lecturos esse. Verum occultatis a me, quantum fieri potuit, arcanis quae reticenda sunt, ne lectores ea, quae in Concilio decreta sunt, penitus ignorent, sciendum est Episcopos definiuisse, Filium Patri consubstantialem esse.* Eadem Chrysostomi est ratio, qui tantum abest, vt propter mysterium Trinitatis non audeat loqui de forma baptismi & Symbolo, quemadmodum Schelstratius contendit, vt potius Homilia LXXVIII. in Ioannem, quanquam Baptismi formulam ex disciplina arcani praescripto obscurius commemorat, apertissime tamen doctrinam Trinitatis insinuet, quum ait: Καὶ γὰρ ὁ πατὴρ τὸ πᾶν ἐργάζεσθαι δύναται, καὶ ὁ υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. ἀλλ' ἐπειδὴ περὶ τοῦ πατρὸς οὐδεὶς ἀμφιβάλλει, τὸ δὲ ἀμφίβολον ἦν περὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ πνεύματος, παρείληπται ἐν τῇ μυσταγωγίᾳ, ἵνα ἐν τῇ κοινωνίᾳ τῆς χορηγίας τῶν ἀπορρήτων ἐκείνων ἀγαθῶν καὶ τὴν κοινωνίαν τῆς ἀξίας καταμανθάνωμεν. *Potuit Pater totum efficere, & Filius, & Spiritus Sanctus. Verum quia de Patre nemo ambigit: omnis autem ambiguitas de Filio est, ac de Spiritu Sancto: idcirco ad mystica illa sacra vterque assumitur, vt ex communione largitionis arcanorum illorum bonorum, dignitatis etiam communionem intelligamus.* Consule Petauium Lib. V. de DEO cap. IIX. num. 13.

XV. Nazianzeni verba Orat. 44. de συγκαταβάσει Patrum, quae a disciplina arcani diuersa est, interpretabatur optime Casaubonus, cui immerito dicam scribit Schelstratius; quum Nazianzenus de iis loquatur, qui iamtum baptizati erant, sed abstrusam mysteriorum tractationem capere non poterant, & a Macedonio seducebantur, vt Spiritus Sancti diuinitatem impugnarent: quemadmodum patet ex integro loco, quem adferemus. Τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οἱ μὲν εἰς κτίσμα κατάγοντες, ὑβρισταὶ, καὶ δοῦλοι κακοὶ, καὶ κακῶν κάκιστοι. δούλων

γὰρ

γὰρ κακῶν ἀθετεῖν δεσποτείαν, καὶ ἐπανίστασθαι κυριότητι, καὶ ὁμόδουλον ποιεῖν ἑαυτοῖς τὸ ἐλεύθερον. οἱ δὲ θεὸν νομίζοντες, ἔνθεοι καὶ λαμπροὶ τὴν διάνοιαν. οἱ δὲ καὶ ὀνομάζοντες, εἰ μὲν εὐγνώμοσιν, ὑψηλοί· εἰ δὲ ταπεινοῖς, οὐκ οἰκονομικοί. πηλῷ μαργαρίτην πιστεύοντες, καὶ ἀκοῇ σαθρᾷ, βροντῆς ἦχον, καὶ ὀφθαλμοῖς ἀσθενεστέροις ἥλιον, καὶ τροφὴν στερεὰν, τοῖς ἔτι γάλακτι τρεφομένοις· δέον κατὰ μικρὸν προσάγειν αὐτοὺς εἰς τὸ ἔμπροσθεν, καὶ προσβιβάζειν τοῖς ὑψηλοτέροις, φωτὶ φῶς χαριζομένους, καὶ ἀληθείᾳ προξενοῦντας ἀλήθειαν. διὸ καὶ ὑμεῖς τὸν τελεώτερον ἀφέντες λόγον, οὔπω γὰρ καιρὸς, οὕτως αὐτοῖς διαλεξόμεθα. εἰ μὲν οὐδὲ ἄκτιστον, ὦ οὗτοι, ὁμολογεῖτε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὐδὲ ἄχρονον, τοῦ ἐναντίου πνεύματος σαφῶς ἡ ἐνέργεια. δότε γὰρ τῷ ζήλῳ τί καὶ παρατολμῆσαι μικρόν. εἰ δὲ τοσοῦτόν γ' οὖν ὑγιαίνετε, ὥστε τὴν πρόδηλον φεύγειν ἀσέβειαν, καὶ τῆς δουλείας ἔξω τιθέναι τὸ καὶ ὑμᾶς ποιοῦν ἐλευθέρους, τὸ ἑξῆς αὐτοὶ σκέψασθε μετὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος καὶ ἡμῶν. πείθομαι γὰρ πως τούτου μετέχειν ὑμᾶς, καὶ ὡς οἰκείοις ἤδη συνδιασκέψωμαι. ἢ δότε μοι τὸ μέσον τῆς δουλείας καὶ τῆς δεσποτείας, ἵν' ἐκεῖ δῶ τὴν ἀξίαν τοῦ πνεύματος, ἢ τὴν δουλείαν φεύγοντες, οὐκ ἄδηλον ὅποι τάξετε τὸ ζητούμενον. *Qui Spiritum Sanctum in rerum creatarum ordinem deiiciunt, contumeliosi sunt & mali serui, atque adeo malorum pessimi. Malorum enim seruorum est, imperium reiicere, & aduersus dominationem insurgere, atque id, quod liberum est, in eandem secum seruitutis classem redigere. Qui autem Deum eum censent, diuini profecto viri sunt, ac splendido animo præditi. Qui vero etiam appellant, siquidem apud probo iudicio præditos auditores, sublimes & excelsi sunt: sin autem apud abiectos & humi prouolutos, haud satis prudentes, vtpote qui luto margaritam, & imbecillæ auri tonitrui sonum, & solem infirmis oculis, & lacte adhuc vtentibus solidum cibum committant: cum eos paullatim ad vlteriora promouere conueniat, lumini lumen largiendo, ac veritati veritatem conciliando. Quocirca nos quoque, perfectiori interim sermone misso facto, nondum enim tempus id postulat, ad hunc modum cum ipsis disseremus. Siquidem, o viri, nec increatum, nec temporis expertem Spiritum Sanctum creditis, spiritu aduersario haud dubie afflamini: dabitis enim veniam, si zelo commotus asperius aliquod verbum extulero. Quod si hactenus saltem recte sentitis, ac belle valetis, vt manifestam impietatem fugiatis, atque eum, qui nos quoque liberos efficit, a seruili ordine eximatis, quod sequitur, vna cum Spiritu Sancto ac nobis expendite. Vos quippe quadamtenus ipsius participes esse confido, ac iam velut cum nostris simul rem considerabo. Aut mihi aliquid, quod inter seruitutem & dominationem interiectum sit, date, vt illic Spiritus dignitatem collocem: aut cum seruitutis nomen fugiatis, non obscurum erit, quo loco atque ordine id, quod exquiritur, ponetis.* Verba Nazianzeni plenius descripsimus, ut apertius constaret, cuiusmodi sint ταπεινοὶ, quos Gregorius

rius

rius intelligit, nempe *hæretici*, & *Macedoniani*, quo nomine in margine Parisiensis editionis veniunt, non Catechumeni, vt vult Schelstratius; haud conuenienter hypothesibus suis: Statuit enim, Trinitatis mysterium Catechumenis tum demum traditum fuisse, cum inter Competentes numerarentur: At Nazianzenus istis ταπεινοῖς suis, quos alloquitur, in verbis mox sequentibus & Trinitatis notitiam & sanam integramque de Filio sententiam tribuit, vt plane dubium nullum supeesse possit, quin homines baptizatos ibi intellexerit. Ait enim: μιᾶς θεότητος, ὦ οὗτοι, τὴν τριάδα ὁμολογήσατε, εἰ δὲ βούλεσθε μιᾶς φύσεως. *Trinitatem, o viri, vnius deitatis esse fateamini, aut, si magis placet, vnius naturæ: atque hanc vocem, Deus, vobis a Spiritu postulabimus.* Et paucis interiectis: ταῦτα ὑμῖν παρ' οἷς τι καὶ ζωτικὸν εὑρίσκομεν, τοῖς περὶ τὸν υἱὸν ὑγιαίνουσιν. *Atque hæc ad vos dicta sint: apud quos vitale quidpiam reperimus, quippe qui sane atque integre de Filio sentiatis.* De cætero idem Gregorius in orationibus suis coram initiatis pariter ac non initiatis mysterium Trinitatis neutiquam reticuit, quod egregio exemplo ex Orat. XXXVII. declarauit Petauius lib. II. de Trinitate cap. VII. num. I. Ἔχει γὰρ οὕτως. ἐκήρυσσε φανερῶς ἡ παλαιὰ τὸν πατέρα, τὸν υἱὸν ἀμυδρότερον. ἐφανέρωσεν ἡ καινὴ τὸν υἱόν, ὑπέδειξε τοῦ πνεύματος τὴν θεότητα. ἐμπολιτεύεται νῦν τὸ πνεῦμα, σαφέστερον ἡμῖν παρέχων τὴν ἑαυτοῦ δήλωσιν, οὐ γὰρ ἦν ἀσφαλὲς, μήπω τῆς τοῦ πατρὸς θεότητος ὁμολογηθείσης τὸν υἱὸν ἐκδήλως κηρύττεσθαι· μηδὲ τὴν τοῦ υἱοῦ παραδεχθείσης, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἵν' εἴπω τι καὶ τολμηρότερον, ἐπιφορτίζεσθαι &c. *Sic enim se res habet: Vetus Testamentum Patrem aperte prædicabat, Filium obscurius. Nouum autem nobis Filium perspicue ostendit: & Spiritus diuinitatem subobscure quodammodo indicauit. Nunc vero Spiritus ipse nobiscum versatur; seseque nobis apertius declarat. Neque enim tutum erat, Patris diuinitate nondum confessa, Filium aperte prædicari: nec Filii diuinitate nondum admissa, Spiritum Sanctum, velut grauiorem quandam, si ita loqui fas est, sarcinam nobis ingeri &c.* Sic etiam Trinitatis mysterium celebrat Orat. XLII. in qua tamen Schelstratius arcani disciplinam infra quæsiuit: Θεοῦ δὲ ὅταν εἴπω, λέγω πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος. οὔτε ὑπὲρ ταῦτα τῆς θεότητος χεομένης, ἵνα μὴ δῆμον Θεῶν εἰσαγάγωμεν. οὔτε ἐντὸς τούτων ὁριζομένης, ἵνα μὴ πενίαν θεότητος καταγνωσθῶμεν, ἢ διὰ τὴν μοναρχίαν ἰουδαΐζοντες, ἢ διὰ τὴν ἀφθονίαν ἑλληνίζοντες. Τὸ γὰρ κακὸν ἐν ἀμφοτέροις ὅμοιον, κἂν ἐν τοῖς ἐναντίοις εὑρίσκηται. *Deum porro cum dico, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum dico, nec vltra hæc sese diffundente deitate, ne deorum turbam inducamus, nec rursus intra hæc finita atque restricta, ne diuinitatis inopia premi iudicemur, vel propter vnius principatum Iudaismo fauentes, vel propter effusam deorum multitudinem Gentilismo. Nam vtrobique malum æquale est, tametsi in contrariis reperiatur.* Philotheus incli-

nante

nante decimo quarto sæculo Patriarcha Constantinopolitanus fuit, cuius verba, nescio casu an consilio, mutila sunt apud Schelstratium, omissa *baptismi* voce, quæ ad verum eorum sensum indagandum maxime facit. Sed integra apud Casaubonum exstant, vnde ea proferemus: πιστεύομεν εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ πνεῦμα ἅγιον, ὁμοούσιά τε καὶ ὁμόδοξα· ἐν οἷς καὶ τὸ βάπτισμα τὴν τελείωσιν ἔχει ἔν τε ὀνόμασι καὶ πράγμασιν. οἶδας ὁ μυηθείς. *Credimus in Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, eiusdem essentiæ, eiusdem gloriæ: in quibus baptismus consummatur & verbis & rebus ipsis: scis hoc tu qui es initiatus.* Notatu dignum est, Philotheum sub initium sermonis illius Encomiastici in Basilium, Nazianzenum & Chrysostomum, promisisse, *se eorum verbis diuinisque dictis ac sententiis vberius adhibitis cum ipsos tum orationem suam cohonestaturum.* Idque hoc etiam loco præstitit, quem totum desumsit ex Nazianzeni Oratione XXXII. in Concilio Oecumenico II. Constantinopolitano recitata, vt vel sola collatio docet. Ita enim ibi Nazianzenus: πιστεύομεν εἰς πατέρα καὶ υἱὸν καὶ πνεῦμα ἅγιον, ὁμοούσιά τε καὶ ὁμόδοξα, ἐν οἷς καὶ τὸ βάπτισμα τὴν τελείωσιν ἔχει, ἔν τε τοῖς ὀνόμασι καὶ πράγμασιν (οἶδας ὁ μυηθεὶς) ἄρνησις ὂν ἀθεΐας, καὶ ὁμολογία θεότητος. *Credimus in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum eiusdem essentiæ, eiusdemque gloriæ: in quibus & baptisma perfectionem habet; quod tum in nominibus, tum in rebus (nosti qui initiatus es) abnegatio est Atheismi, & confessio Deitatis.* Hinc vero facile intelligitur, Nazianzeno & Philotheo sermonem esse de formula Symboloque Baptismi, quæ non initiatos celabantur; planeque similis est alter Chrysostomi locus ex Commentario in Epistolam ad Galatas cap. IV. quem huic Casaubonus præmisit: ἐπὶ τῆς ἀναγεννήσεως τῆς ἡμετέρας, φύσις μὲν οὐδεμία, τὰ δὲ ῥήματα τοῦ Θεοῦ διὰ τοῦ ἱερέως λεγόμενα, ἅπερ ἴσασιν οἱ πιστοί· *In regeneratione nostra, natura quidem nulla est; sed verba Dei per Sacerdotem prolata, quæ norunt fideles.* Cyrillus denique Hierosolymitanus loquitur de disputatione Archelai cum Manete, qua pius ille Episcopus hæreticam eius opinionem de alio V. T. alio noui Deo redarguerat, simulque egerat de loco Paulli, qua opertum dixerat Euangelium pereuntibus, & explicuerat, quemadmodum Deus excœcare dicatur infidelium mentes, nempe *ad rem bonam, vt ad sancta respiciant,* ἐπὶ καλῷ ἐτύφλωσεν, ἵνα εἰς τὰ ἅγια ἀναβλέψωσιν. Itaque genuinus verborum Cyrilli sensus ex scopo eius verbisque proxime sequentibus petendus est, quæ hæc sunt: Καὶ οὐκ εἶπεν, ἐτύφλωσε τὰ νοήματα, εἰς τὸ μὴ ἀκοῦσαι τὸ Εὐαγγέλιον, ἀλλ' εἰς τὸ μὴ διαυγάσαι τὸν φωτισμὸν τῆς δόξης τοῦ εὐαγγελίου τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. τὸ μὲν γὰρ ἀκοῦσαι τοῦ Εὐαγγελίου, πᾶσιν ἐφεῖται· ἡ δόξα δὲ τοῦ Εὐαγγελίου, τοῖς Χριστοῦ μόνοις γνησίοις ἀφώρισται. ἔλεγεν ὁ Κύριος, τοῖς μὲν ἀκοῦσαι δυναμένοις, ἐν παραβολαῖς· τοῖς δὲ μαθηταῖς ἐπέλυε κατ' ἰδίαν τὰς παραβολάς, ὁ αὐγασμὸς τῆς δόξης

τοῖς πεφωτισμένοις, ἡ τύφλωσις τοῖς ἀπίστοις. *Nec dixit, excæcauit cogitationes, ne audiant Euangelium, sed ne fulgeat in illis illuminatio gloriæ Euangelii Domini nostri Iesu Christi. Nam Euangelium audire ab omnibus expetitur: at Euangelii gloria solis Christi germanis tribuitur. Dominus loquebatur in parabolis iis quidem qui poterant audire: discipulis vero priuatim parabolas & similitudines explicabat. Gloriæ fulgor eorum est, qui iam illustrati sunt: excæcatio, infidelium.* Ex his patet, Cyrillum intelligere *συγκατάβασιν* Apostolicam, pluribus supra num. VIII. & XII. a nobis explicatam, quæ solis gentilibus, promiscuis & *πολυθεότητος* luto adhuc immersis, Trinitatis mysterium statim in concione publica propalare vetat. Itaque Cyrilli verba nullum mihi ruborem incutiunt, quibus dictum Ecclesiæ morem declarat: *οὐ γὰρ ἐθνικῷ τὰ περὶ Πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος διηγούμεθα μυστήρια.*

XVI. Secundi articuli initio putat Schelstratius, *paullo cautius* Albertinum disciplinæ arcani obiectum adsignasse, quam me, qui eam ad duo tantum noui fœderis Sacramenta pertinuisse contendo. Enimuero satis caute me agere putabam, Augustinum imitando, cuius disertissima hanc in rem verba Schelstratius ipse adduxit ex Commentario in Psalmum CIII. *Quid est, quod occultum est, & non publicum in Ecclesia? Sacramentum Baptismi, Sacramentum Eucharistiæ. Opera nostra bona vident & pagani, Sacramenta vero occultantur illis.* Non opus est vlla horum verborum expositione, quæ clariora sunt, quam vt negari possint, vel in contrarium sensum detorqueri. Videat igitur Schelstratius, num ipse *cautius* in hoc negotio versatus sit, dum septem Romanæ ecclesiæ Sacramenta occultata olim fuisse dixit. Certe vna Augustini auctoritas omnes eius conatus subruit, qui non septem, sed duo tantum nominat Sacramenta, nec plura occultata fuisse aperte fatetur. Præterea mirus est procedendi modus, quo ex locis Tertulliani, Zenonis Veronensis, Cyrilli Hierosolymitani, Augustini & Theodoreti, ab Albertino acceptis, dum illi *mysteria* aut *Sacramenta* foras efferenda negant, probare vult, *plusquam duo Sacramenta Ecclesiam occultasse.* Quasi vero cuiquam ignotum sit, de *duobus* in plurali numero apud Latinos sermonem etiam institui: quinimo Tertullianus in genere de mysteriis loquutus non Christiana tantum, sed ethnica quoque intelligit, vt ex contextu patet.

XVII. Porro cum inter vtrunque nostrum conueniat, Baptismum & Eucharistiam ad obiectum illius disciplinæ pertinuisse, ea tantum examinanda veniunt, quæ de Confirmatione, Ordinatione, Pœnitentia & Extrema Vnctione Schelstratius obiecit. Obseruandum igitur in antecessum, apud Veteres consueuisse alia etiam occultari, in quibus peragendis ritus aliquot in Baptismo & Eucharistia alioquin vsitati adhibebantur. Quo factum est, vt ista quoque non initiatos celarentur, quos a conspectu rituum Baptismalium & Eucharisticorum arcebat

cebat disciplina arcani. Siquidem inconueniens maxime putabatur, ea per quamcunque actionem prodere, quæ fidelibus & baptizatis tantum nota esse debebant. Ex hoc fonte de Confirmatione & Ordinatione iudicium fieri par est. Illam enim non peculiare Sacramentum antiquioribus fuisse, sed ad Baptismi ritus spectasse, Nostrates Theologi dudum ostenderunt. Quare oleum operamque perdidit Schelstratius, dum de Confirmatione seorsim egit, quam ceu partem complementumue ceremoniarum Baptismalium ad arcani disciplinam pertinuisse lubens largior. Quæ vero ex Basilio adiicit, vt probet, cætera quoque Sacramenta publicari non potuisse, nimis diluta sunt. Præterquam enim, quod ipsi adhuc probandum incumbat, Basilium de arcani disciplina ibi agere, quod non sine ratione negaui num. III. eundemque plura quam duo Sacramenta proprie dicta agnouisse; certe quibus perspectum est, quanta olim latitudine Sacramenti mysteriique voces vsurpatæ fuerint, ii facile cognoscent, nullum fere abstrusum dogma, nullum prope ritum esse, qui in Sacramentorum occultandorum numerum referri nequeat. Sed hac ratione terminos disciplinæ arcani multo amplius, quam par est, extendi, nemo non videt. Ordinationis ritum clam habuisse Patres Laodicenos & Chrysostomum fateor; id tamen propterea non fiebat, quasi illum pro Sacramento proprie dicto venditarent, sed quoniam nonnullas Baptismi ceremonias includebat, & Eucharistiæ Sacramentum ordinatus accipiebat, a quorum conspectu non initiati pellebantur. Sic analogia rituum obseruabatur, qui ordinationi cum Sacramentis Baptismi & Eucharistiæ communes erant. Eadem analogia fecit, vt a ritibus exequialibus excluderentur per Archidiaconum Catechumeni, non quidem ab omnibus, sed tantum a commemoratione defunctorum, & ab osculo, quo tam mortuum, quam præsentes omnes salutabat Antistes: non alia sane de caussa, quam quia vtraque hæc ceremonia in celebratione Eucharistiæ adhibebatur. Quis autem iudicii compos sepulturam inter proprie dicta noui fœderis Sacramenta collocabit? quanquam inter mysteria refertur a Dionysio, qui ex Schelstratii sententia vere, ex nostra falso Areopagitæ cognomen sibi tribuit, & de modo memorata Catechumenorum dimissione in exequiis agit cap. VII. de Ecclesiastica Hierarchia. Par ratio est Pœnitentiæ, de qua non nisi Innocentium I. proferre potuit Schelstratius, qui tamen de ea occultanda nihil statuit. Certe Apostoli & Patres nec doctrinam, nec salutarem effectum celarunt vnquam, sed in concionibus scriptisque suis ad non-initiatorum quoque manus peruenientibus abunde exposuerunt. Et quid est, quod latius tractatur in Pastoris libro, quem a Catechumenis lectum ex Athanasio antea commemorauimus, quam argumentum de pœnitentia? Hinc Ioannes Morinus Lib. VIII. de Administratione Sacramenti Pœnitentiæ cap. VIII. num. 3. formulas tantum absolutionis celatas vult: *Quanquam rarissime aut nunquam antiqui Patres vel cum*

 scri-

ſcribebant, vel cum canones condebant, formulas Abſolutionis referunt, ſæpiſſime tamen adnotant, precibus Eccleſiæ vel Sacerdotum Pœnitentes a peccatis abſolui, peccata dimitti, nonnunquam Deum remiſſionis illius eſſe auctorem, Sacerdotes miniſterium tantum precibus ſuis illi præbere, & alia eiusmodi plurima, quæ nunc exſcribimus. Quod ad formulas abſolutionis attinet, eas libris ritualibus & Pœnitentialibus conſignarunt, e quibus, vt aliquando adnotant, repeti voluerunt. Cuius rei ratio Sacramentorum omnium formulis communis eſt, ne ſcilicet myſteria in vulgus emitterent, & margaritas porcis obtruderent. Eorum enim ſcripta in omnium manibus verſabantur, ſed rituales pœnitentialesque libri Epiſcoporum & Presbyterorum proprii erant, & in Eccleſiarum cimeliis conſeruati. Præterea probe notandum eſt, ritus pœnitentiæ prioribus ſæculis a gentilium conſpectu non fuiſſe prohibitos, vt vel ex ipſius Schelſtratii principiis conſequatur, tum temporis arcani diſciplinam nondum exſtitiſſe, quo variæ calumniæ ex apertis adhuc Chriſtianorum ſacris ortæ ſpargebantur. Inter quas non poſtrema fuit adfictus iis genitalium Sacerdotis cultus, cui occaſionem dederat mos pœnitentium in genua coram Antiſtite procumbendi. Quod libere fatetur Gabriel Albaſpinæus Notis in Canonem XXXVI. Concilii Eliberini: *Adhæc ex Apologeticis pro Chriſtianis, ex Tertulliano & Minutio diſcimus, varios Deos Deorumque formas Chriſtianis Gentiles affinxiſſe, vt quisque ex eorum ritibus aliquid hauſiſſet, aut aliquid in eorum Eccleſiis adnotaſſet: ita vulgatum Solem eos adorare, quod diebus ſolis frequenter in Eccleſias conuenirent: res turpes eosdem colere ſuſpicio fuit, quod ad pedes Epiſcoporum voluerentur pœnitentes.* Subſcribit Cardinalis Bona Lib. I. Rerum Liturgicarum cap. XVII. num. VI. *Manuum autem impoſitio ſuper Subſtratos, quædam tantum oratio & benedictio erat, quam in terram procumbentes a Sacerdotibus accipiebant. A qua proſtratione probabile eſt ortam aduerſus Chriſtianos Paganorum calumniam, aſſerentium apud Minutium Felicem: Eos Antiſtitis ac Sacerdotis colere genitalia, & quaſi parentis ſui adorare naturam; eo quod Pœnitentes Presbyteris aduolui ſolerent; & charis Dei adgeniculari, vt loquitur Tertullianus.* Extrema denique Vnctio hodiernorum Romanorum ad diſciplinam arcani plane non pertinet. Nullum quippe eius occurrit veſtigium in ſcriptis Veterum, qui iis ſæculis floruerunt, quorum decurſu arcani diſciplina in vtraque Eccleſia viguit. Schelſtratius quidem contrarium probare conatur, ſed argumentis admodum infirmis. Baſilius ſane, dum olei inunctionem memorat, ad confirmationem Baptiſmo connexam reſpicit, vt ipſa verborum ſeries docet, quæ Schelſtratium quidem infra Cap. IV. num. VII. deſcripſiſſe, ſed σιωπᾷ φέρειν eorum non animaduertiſſe, haud immerito miramur. Auguſtini mentem ex ipſo Auguſtino optime intelligemus. Is enim dum duo tantum Sacramenta, vbi accurate & ſtricte loquitur, agnoſcit in Pſalmum CIII. & Lib. III. de Doctrina Chriſtiana cap. IX. plura

non

non poteſt intelligere in Pſalmum CXLI. quando ait: *Multa Sacramenta aliter atque aliter accipimus. Quædam, ſicut noſtis, ore accipimus, quædam per totum corpus accipimus.* Quis non videt, priori commate Euchariſtiam, poſteriori Baptiſmum innui, & de vtroque per vſitatam Oratoribus enallagen numero pluratiuo ſermonem eſſe? Quare fruſtra extremam ſuam vnctionem inde exſculpere conatur Schelſtratius, qui dum concedit, priori commate Auguſtinum agere *de corpore & ſanguine Chriſti*, quæ tamen vnum tantum Euchariſtiæ Sacramentum conſtituunt, facile cogitare poterat, poſteriori etiam commate de vno Baptiſmi Sacramento eundem loqui. Quemadmodum enim Auguſtinus de Euchariſtia propterea in pluratiuo numero loquitur, quia ex duabus ſpeciebus, corpore & ſanguine Chriſti conficitur; ſic de Baptiſmo etiam pluralem adhibet, quoniam is trina in aquam totius corporis immerſione conſtabat. Sed Schelſtratio præterea incumbit onus probandi, extremam ſuam vnctionem Auguſtini ætate & in vſu fuiſſe, & per totum corpus acceptam: quod antequam præſtet nullam interpretationis ſuæ fidem merebitur. Hieronymi vero locus nihil huc facit, qui diſerte agit de vnctione non ſpirituali, ſed corporali eorum, qui in palæſtris certabant. Ita enim habent verba: *Oliuæ fructum quinque ſibi ſapientes virgines parauerunt, ex quo vulnerum mitigatur tumor: languentis membra requieſcunt: in tenebris lumen accenditur: vnguntur in agone certantes.* Hinc clariſſime patet, Hieronymo de corporali & communi olei vſu ſermonem eſſe, non autem de ſpirituali & myſtico, ad quem proinde perperam a Schelſtratio trahitur. Tantum igitur abeſt, vt *hi Sancti Patres obſcure de extrema vnctione agant*, quemadmodum noſter ſibi imaginatur, vt ea potius Latinorum vnctio ne per ſomnium quidem in mentem illis venerit. Æque infeliciter Iacobi locum adfert, quem de miraculoſa potius vnctione Apoſtolorum tempore vſitata, qua vnctus ſanitatem recuperabat, antiquiores prudentioresque Interpretes communi conſenſu accipiunt. Eandem Innocentium I. intelligere, adeoque nihil Schelſtratio patrocinari clariſſime docet Ioannes Dallæus Lib. II. de Extrema Vnctione cap. IX. qui etiam cap. VI. oſtendit, miraculoſam illam infirmorum vnctionem diu in Eccleſia manſiſſe, indeque Latinorum extremam tandem ortam fuiſſe. Non igitur negamus, in primitiua Eccleſia aliquam exſtitiſſe infirmorum vnctionem, ſed ea & a Pontificiorum hodierna toto cœlo diuerſa fuit, &, quod caput controuerſiæ eſt inter me & Schelſtratium, a gentilium conſpectu minime prohibita, ſed illis potius ipſis impertita, vti inter exempla a Dallæo congeſta multa euincunt. Maxime illuſtre illud eſt Proculi, quod Tertullianus inculcat Lib. ad Scapulam cap. IV. *Ipſe etiam Seuerus pater Antonini, Chriſtianorum memor fuit. Nam & Proculum Chriſtianum, qui Torpacion cognominabatur, Euhodeæ procuratorem, qui eum per oleum aliquando curauerat, requiſiuit, & in palatio ſuo habuit vsque ad mortem eius:*

 quem

quem & Antonius optime nouerat: lacte Christiano educatus. Nec desunt eruditi, qui cum Gerardo Ioanne Vossio in Commentario de Christianorum persequutione existimant; *Christianorum presbyteros* in epistola Adriani Imperatoris propterea vocari *aliptas, quia vt iatroliptæ inungebant ægros, ita & Christiani sacerdotes.* Vt taceam, quod Antonius Pagi in Critica Annalium Baronii A. C. LXI. n. 4. obseruauit, vnctionem illam, quam vult Schelstratius, *sub finem tantum sæculi XII. extremam vocari cæpisse:* tantum abest, ut primitiuæ Ecclesiæ cognita fuerit.

XVIII. Stat itaque immota & firma sententia mea, proprium disciplinæ arcani obiectum duo tantum noui fœderis Sacramenta, Baptismum & Eucharistiam, fuisse: nec quidquam solidi pro cæteris sectæ suæ Sacramentis attulit Schelstratius, qui nescio quo casu aut consilio matrimonium plane emisit, quod cum cæteris Pontificiis inter septem Sacramenta numerare debuerat. Certe Catechumeni etiam matrimonia contraxerunt, quibus benedictionem Sacerdotalem denegatam fuisse nemo credet. Hac autem concessa cur cæteros ritus occultatos dicamus? Nullum quippe testimonium exstat, quo aliter baptizatos aliter Catechumenos matrimonio olim initiatos fuisse probetur.

CAPVT III.

Quòd non soli Sacramentorum ritus, sed etiam dogmata occultari olim consueuerint.

MOnuerat Casaubonus exercitatione 16. in Baronium: *Cum in Sacramentis tria occurrant consideranda, symbola significantia, res symbolis significatæ, & ritus celebrandorum Sacramentorum; veteres non adeo res in Sacramentis significatas, & efficaciam illorum siluisse, quam symbola ipsa, & ritus ac rituum caussas.* Et quamuis propter Sacramentum Eucharistiæ Casaubonus dicere debuerat, non solum res symbolis significatas, sed etiam *sub eis contentas*, ac magnum eius verba errorem contineant, in eo quod negant, res in Sacramentis significatas vel contentas olim occultari consueuisse: eius tamen obseruationem verissimam esse, clamat Albertinus, eamque nobis opponit Tentzelius in disputatione sua num. 2. & 8. vbi disertis verbis asserit, arcani disciplinam apud Orthodoxos in mera rituum occultatione constitisse, ideoque hæreticos accusatos olim fuisse, quod *pestilentissima sua dogmata proloqui nefas putarent:* atque Diuum Irenæum lib. 3. aduersus hæreses capite 15. Valentini sectatores damnasse, *quod apud eos alia quidem in abscondito, alia vero in manifesto doceantur:* quin imo apud Tertullianum Orthodoxos ex hoc ipsorum Silentio & latebris certissimam sibi victoriam pollicitos fuisse, *quia quod tanto impendio absconditur, etiam solummodo demonstrare, destruere est.* Vnde concludit Tentzelius: „Omnino aperte & certe colligitur, silentium dogmatum nec ad arcani disciplinam apud Orthodoxos proprie vmquam pertinuisse, nec ab Apostolis traditum, „sed a Valentino, eiusque sectatoribus inuentum fuisse, qui vanissimi silendorum dogmatum „magistri imperante Adriano exorti sunt, vt patet ex demonstrationibus Ioannis Pearsonii.

Ante-

Antequam aliorum fundamenta proferam, visum est, Tentzelii opinionem examinare, & quam erronea sit, ostendere. Mirum namque videtur, hominem, qui antiquitatis studiosus videri voluit, ignorasse, quod apud ipsas Philosophorum sectas diu ante Christi aduentum obseruatum fuerit, vt profani procul a sacris arcerentur, testante Iamblicho l.b. 2. de vita Pythagoræ, cap. 28. *Cum externis, & vt dicam profanis, si quandoque vsus ferret congrediendum esse, nequaquam sua Sacra enunciabant, sed per symbola & arcanas tesseras obscure & latenter sibi mutuo sensa mentis velut ænigmatibus significabant.* Idem omnino testatur Clemens Alexandrinus lib. 5. stromatum: *Non soli autem Epicurei, & Plato multa occultabant, sed etiam Epicurei dicunt, quædam esse apud se arcana, & non permittere omnibus, vt ea scripta legant.* Et hæc quidem de profanis, & externis; de discipulis autem subiungit Clemens: *Quin etiam Stoici a Zenone primo quædam fuisse conscripta, quæ non facilè permittunt legere discipulis, quorum non prius fuerit factum ab ipsis periculum, an germane & sincere philosophentur.* Hæc Clemens Alexandrinus eo ipso loco, quo ex Paullo probat, patuulis in fide notitiam de Religionis Catholicæ mysteriis tamquam lac tribuendam esse, quod illico Catechesim vocat, vt ostendat, Christianos suis discipulis seu Catechumenis non statim omnia exposuisse, sed postquam periculum ab ipsis factum erat, & solidioris cibi, ac altioris cognitionis capaces credebantur.

Probauimus supra ex Clemente Alexandrino, fideles dogma de Summa Diuinitate seu Sanctissima Trinitate Catechumenis in primo gradu occultare debuisse; vt mirum in modum hallucinetur Tentzelius, qui eo titulo Sectatores Valentini ab Irenæo, & Tertulliano impugnatos fuisse existimet, quod quædam arcana apud ipsos essent ad dogma spectantia. Dicit quidem Tertullianus de Valentini sectatoribus, *Nihil magis curant, quam occultare, quod prædicant:* sed legenda sunt, quæ in eodem contra Valentinianos libro addit, illos nimirum sanctitatem nostræ Religionis exterius præ se tulisse, occulte vero impudica professos fuisse, Deoque ipsi affinxisse: *Sanctis nominibus, & titulis, & argumentis vera Religionis, vanissima atque turpissima configurantes.* Et hoc est, quod dicit D. Irenæus lib. 3. cap. 15. hypocritarum esse, & hæreticorum, alia quidem in abscondito, alia vero in manifesto docentium: non autem quod per hæc verba damnare voluerit vsum Ecclesiæ, quæ quorundam auribus mysteria Religionis occultabat, aliis manifesto exponebat. Non enim alia, & alia docebat, sed vnum idemque verbis obscurioribus tegebat illis, qui nondum amplioris notitiæ capaces erant, & exponebat clarioribus pro iis, qui capere poterant. Quo sensu Paullum Apostolum Corinthiis aliquando lac, non potum dedisse, testis est Clemens Alexandrinus, qui ex Apostolico instituto deducit, cognitionem de Summa Diuinitate omnibus statim credendam non esse. Id quoque est, quod Celsus apud Origenem κρύφιον δόγμα *doctrinam clancularium* appellat, quam cum Christianis obiiceret, respondit Origenes contra eundem lib. 1. non omnia Christianæ Doctrinæ capita occultari, plura enim de Christi natiuitate ex Virgine, de eius quoque crucifixione & resurrectione palam prædicari. *Quod vero quædam insunt,* inquit, *quæ non communicantur quibusuis: id non solum doctrina Christianæ proprium est, verum etiam Philosophicæ. Nam & illi exteriorem & penitiorem doctrinam habebant: & alii Pythagoram audiebant contenti ipsius auctoritate: alii discebant rationes non euulgandas in profanos nondumque purgatos.* Quid in rem nostram clarius? Admittit Origenes κρύφιον δόγμα pro aliquibus Religionis nostræ capitibus, & vsum Ecclesiæ ea occultandi contra Celsum tuetur, vt vel ex hoc manifestum fit, non ritus tantum, sed & dogmata occultata olim fuisse.

Manifestum est, quod pro hac Ecclesiæ disciplina desumitur ex Arnobio seniore argumentum. Hic enim libros septem contra Gentes editurus, non disputat cum eis de Sanctissimæ

mæ Trinitatis mysterio, non exponit ritus baptismatis, non tradit dogma de Sacratissimo Altaris mysterio, sed lib. 2. modum, quo instruendi sunt infideles, attingit, vt nimirum ex animarum immortalitate doceantur ad notitiam veri Dei peruenire: *Tum deinde feritate atque inhumanitate depositis, resumant ingenia mitiora, & ad illud, quod dabitur, esse possint parata.* Ad quæ verba Heraldus in Notis: „Sic Catechumenorum ordinem subindicat. His enim „verbis: *Feritate atque inhumanitate depositis, resumant ingenia mitiora*, regenerationem „per Baptismum significat: illis vero, *& ad illud, quod dabitur, possint esse parata*, procul dubio „significat Eucharistiam, qua de re loquitur tamen vt Catechumenus obscure, & trepide. Ra„tionem addit infra: Nam quod ait, *Illud, quod dabitur*, translatum videtur a gentium myste„riis, in quibus dabantur quædam symbola & memoracula. Arnobius igitur, quia audierat, „dari fidelibus panem & vinum, nec mysterii huius rationem satis cognitam habebat, idcirco „hac de re ita loquitur, vt confuse tantum vidisse eum aliquid appareat, nihil adhuc distincte.„ Ita fere Heraldus, qui recte supponit, Arnobium, dum hæc scribebat, fuisse Catechumenum. Quod autem adiungat, audiuisse, dari fidelibus panem & vinum, ex ipso Arnobio non colligitur, qui nulla istorum facta mentione generaliter dicit, *Quod dabitur;* significans, se omnino nesciuisse, & gentibus proinde indicare non potuisse tam symbola panis & vini, quam Corpus, & Sanguinem Christi sub illorum speciebus contenta.

Post septem libros Arnobii aduersus gentes edi quondam solebat octauus, quo continetur dialogus inter Cæcilium Ethnicum, & Octauium, vnde *Octauius* inscribebatur: quod non animaduertentes typographi, loco Octauii octauum legerunt, crediderunt que esse octauum Arnobii contra gentes librum. Verum errorem typographorum subolfecit Franciscus Balduinus, qui librum non octauum, sed *Octauium* inscriptum fuisse, ex dialogo ipso collegit, & authorem fuisse non Arnobium, sed Minutium Felicem, qui 60. annis ante Arnobium floruerat, ex Lactantio lib. 5. cap. 1. didicit, vbi: *Minutius Felix non ignobilis inter causidicos loci fuit. Huius liber, cui Octauius titulus est, declarat quam idoneus veritatis assertor esse potuisset, si se totum ad id studium contulisset.* Apud hunc itaq; authorem Tertulliano coætaneum obiicit Ethnicus non sola occulta Christianorum Sacra, vt putat Tentzelius, sed occulta quoque Religionis ipsorum dogmata. Ait proinde de gente Christianorum; *Latebrosa & lucifugax natio in publicum muta, in angulis garrula.* Addit de infante farre contecto, & occiso, cuius Christiani *sitienter sanguinem lambunt, certatim membra dispertiunt:* & tunc exclamat, *hæc fœderantur hostia*, innuens, se agere de incruento Christianorum Sacrificio, quod cum Ethnici ignorarent, variis fabulis ornatum cruentum somniabant. Concludit demum, se multa consulto præterire, *quæ aut omnia, aut pleraque omnium vera declarat ipsius prauæ Religionis obscuritas. Cur etenim occultare, & abscondere quidquid illud colunt, magnopere nituntur, cum honesta semper publico gaudeant, scelera secreto sint? Cur nullas aras habent, Templa nulla, nulla nota simulacra? Numquam palam loqui, numquam libere congregari, nisi illud, quod colunt, & interprimunt, aut puniendum est, aut pudendum.*

Plura sunt, quæ Cæcilius Christianis obiicit circa occultationem mysteriorum, ad quæ Octauius clare respondere debebat, si poterat. At tantum abest, id fecisse, vt ad primam obiectionem nihil aliud reponat, quam: *Nec in angulis garruli, si nos audire publice aut erubescitis, aut timetis.* Numquid de Sacrificio Christianorum clarius respondit, vt Gentilis obiectionem refutaret; dixisset que, non cruentum esse, sed incruentum, quo Christus Dominus per Sacerdotem offertur Deo Patri, eiusque corpus & Sanguis sub speciebus panis & vini sumi a fidelibus? Tantum abest, id exposuisse Octauium, vt ne verbum quidem de Christianorum mysterio reuelarit, sed simpliciter responderit: *Illum iam velim conuenire, quo initiari nos dicit,*

dicit, aut credit de cæde infantis, & sanguine. Putas fieri posse, vt tam molle, tam paruulum corpus fata vulnerum capiat? Vt quisquam illum rudem sanguinem nouelli, & vixdum hominis cædat, fundat, exhauriat? Nemo hoc potest credere, nisi qui possit audere. Et infra: *Nobis homicidium nec videre fas est, nec audire: tantumque ab humano sanguine cauemus, vt nec edulium pecorum in cibis sanguinem nouerimus.* Hæc ibi pro Christianis Octauius, nullam Corporis & Sanguinis Christi per incruentum Sacrificium Deo Patri oblatorum, & sub speciebus panis & vini a fidelibus sumptorum mentionem faciens, quod hoc Christianorum dogma vnum esset ex iis, quæ occultanda erant Gentilibus. Quod autem de Eucharistia, hoc de summæ Diuinitatis, seu Sanctissimæ Trinitatis mysterio obseruauit cum Cælio Octauius, solam vnius Dei notitiam cum eo communicans, Trinitatis enim mysterium & Eucharistiæ Sacramentum homini Gentili occultandum erat, vt vidimus supra.

Complura sunt Sanctorũ Patrũ testimonia, ex quibus luce clarius monstrari potest, antiquam Ecclesiæ disciplinam non solum in Symbolis Sacramentorũ, eorumq; ritibus, sed etiam in rebus per ipsa significatis s. contentis occultandis viguisse. Sed duo nobis hoc loco sufficiant, quorũ primum est celeberrimum illud totius Italiæ testimonium, quod Iulius Primus suo nomine ad Eusebianos transmisit, & contra eosdem vrget Magnus Alexandriæ Patriarcha Athanasius apologia 2.: non solum enim accusant Eusebianos, quod de calice & mensa sermonem habuissent in præsentia Præfecti, assistentibus tum Ethnicis & Iudæis, sed quod coram iisdem præsentibus quoq; Catechumenis *quæstionem de sanguine & Corpore Christi habuissent.* Quæ his verbis totius Ægypti Episcopi in Synodica ad omnem sub cœlo Ecclesiam deplorant: *Coram Ethnicis hominibus quæstiones de Ecclesia, de Calice, de Mensa Domini, de Sanctis Sanctorum habuere.* Per *Sancta enim Sanctorum* intelligenda sunt Sacramenta Corporis & Sanguinis Christi, quæ Gentilibus, Iudæis, Catechumenis occultanda, non publicanda erant. Vnde D. Epiphanius in Ancorato n. 57. acturus de verbis Christi, quibus Eucharistiam consecrauit, non est ausus Corporis Christi mentionem facere: sed duabus vicibus formam repetens nihil aliud scripsit, quam; *Hoc meum est hoc. Videmus enim,* inquit, *Saluatorem ipsum in manus accepisse, vt in Euangelio legitur, quod a cœna surgens hæc acceperit, & gratias agens dixerit: Hoc meum est hoc.* Quod Epiphanii testimonium dignum existimaui, vt secundo loco hic adiiceretur, quia & panis, & Corporis mentionem prætermisit, & ne Corpus Christi nominaret, ipsa Scripturæ verba mutans, pronomen *Hoc* loco *Corporis* substituit.

Neque in contrarium faciunt testimonia D. Augustini ab Albertino allata, quibus Sanctus ille Ecclesiæ Doctor panis mentionem facere omisit, vt sæpe ad Iudæos loquens de Sacrificio Melchisedech fecit, signanter vero sermone 10. a Parisiensibus edito: *Qui nouerunt Scripturas, sciunt, quid protulerit Melchisedech, quando benedixit Abraham. Non oportet, vt hoc memoremus propter Catechumenos, fideles tamen agnoscunt.* Ex hoc enim, aliisque Augustini locis nihil aliud concluditur, quam illum panis mentionem omisisse ob figuram Eucharistiæ, seu mysticam rationem, ob quam alii quoque Patres sæpius eius mentionem omiserunt: nullatenus tamen sequitur, Corporis Christi mentionem coram Catechumenis factam fuisse, quin potius omitti debuisse. Si enim de pane, & vino a Melchisedech Dauidi oblatis propter Catechumenos nihil dicendum erat, quia figura erant Corporis, & Sanguinis Christi; quanto magis de ipso Corpore, & Sanguine Christi coram Catechumenis tacendum erat, cum illa proprie essent, de quibus ne profanarentur, aut ludibrio non initiatorum exponerentur, cauendum erat. Vnde ipse Augustinus tractatu 11. in Ioannem, agens de Catechumeno: *Interrogemus eum; Manducas Carnem Filii hominis, & bibis Sanguinem Filii hominis? Nescit, quid dicimus.* Et iterum: *Nesciunt Catechumeni, quid accipiant Christiani.*

Obstare quidem huic Diui Augustini testimonio videtur locus Irenæi apud Oecumenium, quem, teste Arnaldo, opponunt Ministri his verbis: *Que les Payens ayant pris des escla-*

esclaues des Chrestiens, qui n'estoient encore que Catechumenes, & les forçant de leur apprendre quelque chose de secret touchant les Chrestiens; ces esclaues, qui n'auoient point d'autre moyen de les satisfaire, qu'en leur disant, qu'ils auoient ouy dire a leur Maistre, que la Diuine Communion estoit le Corp, & le Sang de Iesus Christ: & qui s'imaginoient, que c'estoit effectiuement de la Chair & du Sang, le dirent en effet ainsi a ceux, qui les pressoient: & sur cela les Payens persuadez, que les Chrestiens pratiquoient en effet, ce qui leur estoit impute par ces esclaues, repandirent ce bruit parmy les autres Payens; & tacherent par les tourmens, de le faire auoyer a Sanctus & a Blandine. Mais Blandine leur repondit auec vne liberte pleine de sagesse, comment ceux, qui s'abstiennent par piete des viandes, qui leur seroit permis de manger, seroient-ils capables de faire ces choses, que vous nous imputez? Locum hunc, prout apud Arnaldum reperitur, Gallice retuli; quod in Oecumenio nec Latine, nec Græce reperire potuerim, & etiamsi reperiissem, non magni tamen faciendum existimassem.

Oecumenius adfertur, qui circa nonum, vel decimum sæculum floruit, & ex Irenæo locum citauit, qui in eius Operibus non reperitur, sed neque inter fragmenta Irenæi ex aliis Authoribus edita conspicitur. Reperitur autem historia ab Oecumenio relata apud Martyres Lugdunenses & Viennenses in epistola ad Fratres per Asiam constitutos, quam epistolam nobis seruauit Eusebius lib. 5. cap. 1. qui ibidem Irenæi, tamquam Lugdunensis Episcopi meminit: & hoc in causa fuisse existimem, si verum est, quod Ministri ex Oecumenio adferunt, quod Irenæo verba fidelium Lugdunensium tributa sint. Verba autem illa non consonant iis, quæ ex Oecumenio adferuntur, sed longe diuersa sunt; ita enim habet illorum epistola: Συνελαμβάνοντο δὲ καὶ ἐθνικοί τινες οἰκέται τῶν ἡμετέρων, ἐπεὶ δημοσίᾳ ἐκέλευσεν ὁ ἡγεμὼν ἀναζητεῖσθαι πάντας ἡμᾶς· οἳ καὶ κατ' ἐνέδραν τοῦ σατανᾶ, φοβηθέντες τὰς βασάνους, ἃς τοὺς ἁγίους ἔβλεπον πάσχοντας, τῶν στρατιωτῶν ἐπὶ τοῦτο παρορμώντων αὐτοὺς, κατεψεύσαντο ἡμῶν Θυέστεια δεῖπνα, καὶ Οἰδιποδείους μίξεις, καὶ ὅσα μήτε λαλεῖν, μήτε νοεῖν θέμις ἡμῖν, ἀλλὰ μηδὲ πιστεύειν εἴ τι τοιοῦτο πώποτε παρὰ ἀνθρώποις ἐγένετο. Τούτων δὲ φημισθέντων πάντες ἀπεθηριώθησαν εἰς ἡμᾶς. *Capti sunt etiam quidam nostrorum serui, qui Gentiles erant, quandoquidem Præses nos omnes requiri palam iusserat. Qui Dæmonis impulsu cum tormenta reformidarent, quæ Sanctos perpeti videbant, militibus ad hoc ipsum incitantibus, Thyesteas quasdam cœnas, & incestos Oedipi concubitus, & alia quæ nec proloqui nobis, nec cogitare fas est, ac ne credere quidem sustinemus, apud homines vnquam gesta fuisse, aduersus nos ementiti sunt. Hisce autem euulgatis, omnes in nos vt feræ desæuierunt.*

Ex his verbis colligitur, plura aliter omnino contigisse, quam ex Oecumenio apud Arnaldum adferunt Ministri. Oecumenius enim fertur scripsisse ex Irenæo, seruos Christianorum a Paganis captos, fuisse Catechumenos; cum fideles Lugdunenses apud Eusebium testentur, fuisse Gentiles. Apud Oecumenium dicitur, seruos illos confessos fuisse, quod audiuissent a Domino suo, communionem esse Corpus & Sanguinem Iesu Christi: contra referunt Martyres Lugdunenses, seruos illos militibus ad hoc ipsum eos incitantibus Thyesteas quasdam cœnas aduersus nos ementitos fuisse. Non igitur Domini Christiani seruis Catechumenis reuelarant mysterium, vel arcanum de Corpore, & Sanguine Christi, vt cum Ministris ex Oecumenio supponit Arnaldus; sed serui Ethnici ex fama de infanticidio apud Paganos sparsa Thye-
steas

ſteas epulas Chriſtianis affinxerant. Quod autem additur apud Oecumenium, Paganos hoc ſeruorum teſtimonio incitatos maiorem perſecutiooem mouiſſe contraChriſtianos,illud idem adiungunt fideles Lugdunenſes in ſua epiſtola,pro exemplo adferentes martyrium Blandinæ, quæ cum a mane vſque ad veſperam tormentis reſtitiſſet,dixit: *Chriſtiana ſum, & nihil apud nos mali geritur.*

Supradicta autem Blandinæ verba reperiuntur in Epiſtola apud Euſebium, non vero illa,quæ leguntur apud Oecumenium,& potius Bibliadæ alteri martyri Chriſtianæ,quam Blandinæ conueniunt. De illa enim habent ibidem fideles Lugdunenſes. *Sed & Bibliadem quandam ex eorum numero, qui Chriſti fidem abnegauerunt, cum iam Diabolus a ſe abſorptam crederet, velletque inſuper damnationem illius cumulare blaſphemia, ad ſupplicium duxit, adigens eam, vtpote fragilem iam, & ignauam, impia de nobis proloqui. Verum illa reſipuit inter cruciatus, ac veluti ex altiſſimo ſomno excitata eſt, præſente ſupplicio de æterna gehenna cruciatibus ipſam ſubmonente. Et contradicens impiis, Qui fieri poſſet, inquit, vt infantes comederent, quibus ne ſanguinem quidem animantium deguſtare licet? Abhinc Chriſtianam ſe eſſe confeſſa, in conſortium martyrum relata eſt.* Hæc Bibliades, ex cuius verbis clariſſime patet, Gentilium calumniam fuiſſe de infanticidio,martyremque nihil aliud reſpondiſſe, quam fieri non poſſe,vt infantes comederent, qui ne ſanguinem quidem animantium deguſtabant. Paucioribus verbis Blandina reſponderat, nihil mali apud Chriſtianos geri. Tam vna, quam altera diſciplinam arcani obſeruarunt: nihil de Corpore,& Sanguine Chriſti ſub ſpeciebus panis,& vini Paganis reuelarunt; ſed ad mortem & martyrium vſque ſumma conſtantia, & conſpicuo exemplo myſterium occultarunt.

Hæc cum ita eſſe, ex indubitato antiquitatis monumento conſtet, ad aliud argumentum ſeſe conuertit Caſaubonus, qui Ethnicos Corporis Chriſti notitiam habuiſſe, probat ex his verbis Maximi Madaurenſis epiſtola ad Auguſtinum: *Illud quæſo, Vir ſapientiſſime, vti remoto facundiæ colore, atque exploſo, quia cunctis clarus es, omiſſis eciam, quibus pugnare ſolebas, Chryſippeis argumentis; poſtpoſita paululum dialectica, quæ neruorum ſuorum luctamine, nihil certi quicquam relinquere nititur: ipſa re approbes, quis ſit iſte Deus, quem vobis Chriſtiani quaſi proprium vindicatis, & in locis abditis præſentem vos videre componitis.* Ex his Maximi Madaurenſis in Africa Philoſophi verbis,myſterium Euchariſtiæ quoad dogma notum fuiſſe Paganis, concludit Caſaubonus „ Ex huius, inquiens, miſeri Philoſophi verbis colligi„ tur,non initiatos & Paganos notum habuiſſe, quod Chriſtiani in ſuis conueotibus Deum „ ſuum Chriſtum præſentem adorabant,& videbant, ſed rationem celebrandi Sacramenti i„ gnoraſſe „. Verum neque hanc Caſauboni obſeruationem vllatenus ſubſiſtere, ex ipſius Philoſophi verbis deducitur, qui ab Auguſtino quærit: Quis ſit iſte Deus, quem ſibi Chriſtiani quaſi proprium vindicabant,& in locis abditis vt præſentem colebant. Si Philoſophus ſciuiſſet,Chriſtum Deum a Chriſtianis io occulto coli, non quæſiuiſſet, ea de re ab Auguſtino inſtrui: & ſi notitiam habuiſſet Corporis,& Sanguinis Chriſti,eius mentiooem aliquam feciſſet. Aſſerit quidem Caſaubonus,eum notitiam habuiſſe Sacramenti,ſed ratiooem Sacramenti celebrandi ignoraſſe. At hoc dicit Caſaubonus,non Philoſophus. Ad ſummum enim innuit in verbis a Caſaubono omiſſis,aliqualem de Sacrificio Chriſtiano famam ad aures ſuas perueniſſe, & forſan illam apud Gentes ſparſam de infanticidio,vnde publicas Gentilium *Hoſtias*,easque *ſuaues* prædicat,vt eas Chriſtianorum hoſtiis opponat. Ad quæ D. Auguſtinus reſpondet epiſtola 44. & in noua editione 17. *Quod vos publice colitis Deos, nos autem ſecretioribus conuenticulis vtimur; primo illud abs te quæro,quomodo oblitus ſis Liberum illum,quem paucorum Sacratorum oculis committendum putatis.* Hæc contra vltima Maximi verba, quibus

 nota-

notabat, profanos ad nostra Sacra non admitti. Nunc Augustini responsum audire oportet ad priora, quibus Maximus tam anxie de Deo illo Christianorum inquisiuerat, qui in occultis eorum Sacris adorabatur. Hæc enim, si Gentilibus publicare licuisset res sub Sacramentorum symbolis contentas, consistere debuisset in Corporis & Sanguinis Christi nuda & clara expositione. At tantum abest, eorum notitiam cum Maximo communicasse, vt Augustinus ne verbum quidem fecerit, sed respondens, epistolæ suæ hoc modo finem imposuerit: *Ad summam tamen, ne te hoc lateat, & in sacrilega conuitia imprudentem trahat, scias, a Christianis Catholicis, quorum in vestro oppido etiam Ecclesia constituta est, nullum coli mortuorum, nihil denique vt numen adorari, quod sit factum, & conditum a Deo, sed vnum ipsum Deum, qui fecit, & condidit omnia.* Hæc Augustinus, nec plura. Vnde errant, qui Ethnicis non Sacramenta, sed ritus solum occultatos fuisse volunt.

Vnum est Theodoreti testimonium, quod præ cæteris vrget Albertinus, & hoc præsertim loco exponendum est. Cum Theodoretus dialogo 2. disputationem Orthodoxi cum Eraniste proponens ageret de Sacramento Eucharistiæ, introduxit Eranisten hoc modo interrogantem: *Qui appellas donum, quod offertur ante Sacerdotalem inuocationem?* Et Orthodoxum sic primo respondentem: *Aperte dicendum non est: verisimile enim, aliquos non initiatos adesse.* Tum pacto inito, quod responsio ænigmatice fieret, orthodoxum secundo respondisse de pane sub obscuris hisce verbis: *Cibum ex talibus seminibus.* Et de alterius symboli nomine interrogatum tertio respondisse; *Commune & hoc nomen est potus speciem designans.* Demum cum Eranistes quæsiuisset: *Post Sanctificationem vero quomodo illa nominas?* libere Orthodoxum dixisse: *Corpus, & Sanguinem Christi.* Quid clarius? exclamat Albertinus, nam Theodoretus symbola occultauit, absque vllo autem scrupulo nominauit Corpus, & Sanguinem Christi. Verum nimis alte clamat Albertinus, non ignorans, in eodem dialogo Sacramenta a Theodoreto non solum Corpus Christi, sed etiam *panem vitæ* nominari. Non ignorabat quoque egregium Eminentissimi Cardinalis Peronii responsum, vtpote a se his verbis relatum: „Quasi vero idem Theodoretus, & postquam professus esset, „se ænigmatice responsurum, non dixisset in primo dialogo; *Fructus vitæ expressus quomodo appellatur? Appellatur vinum.* Et paulo post: *Sicut mysticum vitis fructum post Significationem Sanguinem Dominicum appellamus, sic vera vitis Sanguinem vuæ Sanguinem nominauit.* Et rursus: *In traditione mysteriorum panem appellauit Corpus, & quod mixtum erat, Sanguinem.* Quod igitur veteres Christiani haud initiatis celabant, non erat, mysteria Eucharistiæ ex pane & vino confici. Quod enim scandalum id potuisset afferre Ethnicis, qui in mysteriis Mithræ panem offerebant, vt Tertullianus obseruat, & in mysteriis Cereris panem & vinum: vnde nonnulli eorum credebant, Christianos suos esse in Bacchi & Cereris adoratione? *Nonnulli*, inquit Sanctus Augustinus, *nos propter panem & calicem Cererem ac Liberum colere existimant.* Persius quoque aiebat: *admoueant templis, & farre litabo.* Sed quod Christiani celabant, quodque haud initiati absque derisionis & scandali periculo audire non poterant, erat, creaturam vilem & corruptibilem, qualis panis est, in forma & natura externa panis remanentem, fieri Corpus Christi, & quidem non Corpus mortuum & inanimatum, sed Corpus viuens, & animatum, & gloriosum, Corpus Diuinitate repletum, Corpus Diuinum, Corpus Deificatum; denique fieri personaliter Deum, quemadmodum ait Hildebertus Cenomanensis: *fit cibus hic ex pane caro, Deus ex elemento.* Illud est, quod haud initiati absque derisionis & scandali periculo audire non poterant„.

Conatur quidem ad ista respondere Albertinus, sed rationibus adeo friuolis, vt ponde-

ponderari non mereantur. Admittit, duobus saltem locis Theodoretum, postquam professus esset, se ænigmatice responsurum, mysticum vitis fructum & panem nominasse. Ex quibus apparet, Theodoretum in symboli occultatione totam arcani disciplinam non constituisse, sed quandoq; facta panis mentione Corpus, & Sanguinem Christi tacuisse, quandoq; nominando Corpus, & Sanguinem panis mentionem omisisse. Rationem, cur quandoque ipsorum symbolorum mentio omissa fuerit, dedit Perronius supra, qui rerum ipsarum sub symbolis contentarum occultationem strictius a Patribus obseruatam fuisse innuit, afferens exemplum Tertulliani in secundo ad vxorem libro panis, non Corporis Christi mentionem facientis; Origenis contra Celsum de oblatis panibus loquentis; aliorumque testimonia omittens, quæ reperiri poterunt in sermonibus Zenonis Veronensis Episcopi, & aliorum Patrum operibus infra citandis.

SECTIO III.

ANIMADVERSIONVM

IN

CAPVT III. APOLOGIÆ.

I.

VEnio nunc ad præcipuum controuersiæ caput, quo Schelstratius per disciplinam arcani non ritus tantum & Symbola Sacramentorum, sed dogmata etiam occultata contendit: ego autem cum Casaubono, Albertino & aliis prius solum sustineo. Dixeram proinde, dogmatum silentium a Valentino eiusque sectatoribus inuentum, quod erroneum putat Schelstratius, meque ex Iamblicho & Clemente Alexandrino redarguit, ipse potius culpandus, quod non animaduertit, non de gentilibus, sed Christianis, (seu vere, seu nomine saltem talibus,) sermonem nobis esse, inter quos Pythagoreos, Epicureos & Platonicos referre perridiculum foret. Ne autem quis existimet, his aduersari, quæ superiori sectione de occultatione dogmatum apud Orthodoxos recepta disputauimus, is probe perpendat differentiam num. VI. assignatam, quod hæretici ipsas doctrinas, orthodoxi tantum subtiliorem methodum occultauerint. Gratis etiam placita sua de Paulli lacte repetit Schelstratius, quum in confesso sit, simplicem, non obscurum docendi modum, siue Catechesin, vt ipse Clemens Alexandrinus vocat, per lac ab Apostolo intelligi, eumque a disciplina arcani manifeste differre, vti & in Dissertatione mea & superiori sectione monstravi. Imo lac illud, prout a Paullo in ea epistola præbetur, disciplinam arcani prorsus excludit. Ait enim, Corinthios ne nunc quidem Validiorum ciborum, sed lactis tantum capaces esse, quoniam carnales adhuc sint. Quod si igitur per lac intelligeretur obscurior mysteriorum traditio, vt vult Schelstratius, quam male rebus suis consuluisset Paullus, & disciplinam arcani violasset, dum Corinthiis Eucharistiæ mysterium clare aperteque, & sine vllis verborum inuolucris exponit. Idque multo magis

notari meretur, quia in eadem epiſtola Paullus ad captum Corinthiorum myſterium Trinitatis explicat, ut ex Petauio antea notauimus. Nec iuuat excipere, Corinthios iamtum fuiſſe baptizatos & myſteriis initiatos. Nam Paullus hoc diſcrimen non attendit, Corinthiosque non minus ante baptiſmum & initio prædicationis ſuæ, quam nunc carnales lacteque tantum veſci poſſe diſerte adſerit. Præterea idem Apoſtolus in epiſtola ad Ebræos rationem lactis, ſiue τοῦ τῆς ἀρχῆς τοῦ Χριστοῦ λόγου tradens, eam inter alia a baptiſmo & manuum impoſitione ſumi oſtendit; vnde patet, myſteria ab Apoſtolis in prima ſtatim Catecheſi expoſita, nec adeo diſciplinam arcani obſeruatam eſſe.

II. Porro vt facile admiſerim diſcrimen, quod inter hæreticorum & orthodoxorum occultationem ſtatuit Schelſtratius, cum dicit, *hæreticos alia in abſcondito, alia in manifeſto docuiſſe; Eccleſiam vero vnum idemque verbis obſcurioribus texiſſe incapacibus, & clarioribus expoſuiſſe capacibus:* id tamen nihil obſtat, quo minus arcani diſciplina a dogmatum ſilentio diuerſa ſit, prout antea docui, adeoque non nos ſed aerem feriat Schelſtratius. Fruſtra etiam Celſum & Origenem ad partes vocat: quum nondum ſatisfecerit dubio meo in Diſſertatione num. III. expoſito, annon Celſus intellexerit clancularia Chriſtianorum ſacra ob perſequutionis metum in angulis celebrata, quæ a Cæcilio etiam ſuggillantur in loco Minutii ab ipſo Schelſtratio prolati. Hunc ſenſum Origenis interpres, Gelenius, ſequutus eſt, cuius integram verſionem non produxit Schelſtratius. Addit enim: *cætera quoque myſteria, quæ vbiuis fiunt per Græciam & Barbariam, nemo calumniatur eo nomine, quod occulte fiant; igitur & inconſiderate calumniatur Chriſtianorum ſacra clancularia.* Sed demus Schelſtratio, ex Origenis reſponſione conſequi, *non ritus tantum, ſed & dogmata olim occultata fuiſſe*, ipſi tamen probandum adhuc reſtat, vtrumque ad arcani diſciplinam pertinuiſſe, ſi quidquam aduerſus nos obtinere cupit. Certe Origenes plane noſter eſt, & quæ præcedenti Sectione ex Baſilio diduximus, luculenter confirmat. Æque enim diſtinguit inter κήρυγμα & δόγμα, & imperitam plebis multitudinem ab altiori cognitione excludit, cum ait: τό δ' εἶναί τινα οἷον μετὰ τὰ ἐξωτερικά, μὴ εἰς τοὺς πολλοὺς φθάνοντα, οὐ μόνον ἴδιον τοῦ Χριστιανῶν λόγου, ἀλλὰ γὰρ καὶ τῶν φιλοσόφων. *Quod vero quædam inſunt, quæ non communicantur quibuuis: id non ſolius doctrinæ Chriſtianæ proprium eſt, verum etiam philoſophicæ.* Clare igitur & ſine troporum inuolucro enuntiat Origenes, quod alibi ſub ſchematibus dixerat, vt Sect. II. num. I. prolatis verbis vidimus. Quod vbi accuratius penſitauerit doctiſſimus Pagius, nullus dubito, quin meam potius amplexus ſit explicationem Origenis, quam Schelſtratianam, in Critica Baroniana An. CXVIII. num. 7. excerptam.

III. Progredimur ad Arnobium, quem nec myſterium Trinitatis, nec ritus Baptiſmi

Baptiſmi, nec dogma Euchariſtiæ Gentilibus tradidiſſe Schelſtratius contendit. Sed vti in prima parte Petauio contrariatur, qui *Trinitatis apertam & omnibus numeris expletam confeſſionem* in libris Arnobii reperit & laudauit; ita in altera parte caute quidem, non tamen ad hypotheſin ſuam loquitur, dum *ritus Baptiſmi* nominat. Videbat enim, Arnobium dogma de ſalutari Baptiſmi effectu minime reticuiſſe, ſed verbis: *feritate atque inhumanitate depoſitis, reſumant ingenia mitiora*, Heraldo interprete, *regenerationem per Baptiſmum ſignificaſſe*; quod Heraldi gloſſema dum non refellit, ſed tacite probat Schelſtratius, propria cædit vineta, ac inuitus concedat, oportet, Arnobium, rudiorem vtique Catechumenum, nec inter Competentes adhuc numeratum, dogma de Baptiſmi Sacramento haud ignoraſſe. Nec feliciori ſucceſſu in tertia parte de Euchariſtia contra Heraldum diſputat. Arnobius enim ad mores formulasque gentilium cum alibi, tum hoc quoque loco reſpexit, vnde Heraldus bene animaduertit, verba, *illud quod dabitur*, a Gentium myſteriis tranſlata eſſe, in quibus Symbola quædam dabantur. Enimuero Arnobius vtpote Catechumenus diſciplinæ arcani ignorauit, quibus Symbolis externis in Euchariſtia vterentur fideles, proindeque ea non potuit exprimere. Inde tamen non ſequitur, eum quoque neſciuiſſe, quod corpus & ſanguinem Chriſti in ſanctiſſimo Sacramento iidem acciperent. Id enim ex Doctorum ſuorum ſermonibus perceperat, ab illis edoctus, Chriſti corpus & ſanguinem in Sacramento diſtribui & ſumi; quoniam autem neſciebat, qua ratione & ſub quibus Symbolis ſacratiſſima illa dona nobis communicarentur, maluit coram gentilibus ſacrum tenere ſilentium, quam ignorantiam prodere, quod ipſi vtpote celebri viro ignominiam apud eos conciliaſſet. Quare ſatis habuit indicaſſe, *dari* aliquid apud Chriſtianos iis, qui regenerati eſſent, quanquam non potuit ediſſerere, ſub quibus ſymbolis externis id fieret. Ac ſane ipſum illud verbum non obſcure innuit, dogma Euchariſtiæ Arnobii haud fugiſſe notitiam. Quum enim Eccleſiæ Doctores, e quorum inſtitutione id hauſerat Arnobius, nunquam *dari* aliquid & *accipi* in ſanctiſſimo illo Sacramento dicerent, niſi adderent ſimul, quid daretur, corpus nempe & ſanguis Domini, tum perſpicuum eſt, Arnobium, dum *præparationem ad illud, quod datur*, commemorat, cognitum ſimul habuiſſe dogma Euchariſtiæ, quod in eo conſiſtit, vt corpus & ſanguinem Chriſti in peccatorum remiſſionem fideique confirmationem accipiamus, præuia pia probatione, ne indigni ſimus conuiuæ, ex præſcripto Paulli 1. Corinth. xı. Ex his perſpiciet, credo, Schelſtratius, Arnobium ſuæ ſententiæ nihil patrocinari, in qua defendenda non parum abit a Perronio, cuius tamen auctoritate in fine huius capitis ſeſe tueri haud dubitat. Nam Perronius contendit, *haud initiatis non celatum fuiſſe, myſteria Euchariſtiæ ex pane & vino confici.* Schelſtratius autem vult, *Arnobium omnino neſciuiſſe, & gentibus indicare non potuiſſe Symbola panis & vini*; quo

ni; quo ipso annon aperte contrarietur Perroniano effato, prudens Lector iudicet.

IV. Minutii Felicis Octauium feliciter restituisse Balduinum, docti omnes consentiunt, e quo tamen infeliciter pro occultatione tam dogmatis Eucharistiæ, quam mysterii Trinitatis pugnat Schelstratius. Etenim vt a posteriori incipiam, Petauius Præfatione in tomum II. Theologicorum dogmatum cap. VI. num. 3. *Minutium in Octauio suo Trinitatis confirmasse fidem* statuit, atque hunc in modum probauit: *Principio namque Deum esse confitetur vnum.* Ideo nec nomen Deo quærendum, quia solus est, *quod verbis illis declarat, quæ Cyprianus ex eo transtulit: pergitque porro ex omnium consensu mortalium vnum esse monstrare Deum; præsertim philosophorum*, quibus illustrior gloria est: vt quiuis arbitretur, aut nunc Christianos philosophos esse, aut philosophos fuisse iam tunc Christianos. *Verum idem, Christum esse Deum agnoscit. Etenim exprobranti Cæcilio, qui gentilium caussam contra Christianos agit, hominem ab his pro Deo coli in cruce suffixum; obuiam it Octauius:* Nam quod religioni nostræ hominem noxium & crucem adscribitis, longe de vicinia veritatis erratis; qui putatis Deum credi aut meruisse noxium, aut potuisse terrenum. *Ita Deum esse Christum, eoq; nomine coli a Christianis, quemadmodum ethnici deos suos venerabantur, Octauius fatetur. Quare cum nonnisi vnus Deus sit, oportet Christum vnum eundemque esse cum illo Deum.* Prius prolixe incrustauit Schelstratius, sed in eo præcipue lapsus est, quod veteris Ecclesiæ de Eucharistia doctrinam ex hodierna Pontificiorum de sacrificio incruento metitur, quum vtramque diuersissimam esse a Nostratibus dudum fuerit probatum. Hoc si notasset Schelstratius, nunquam Octauio inuito dogma adfinxisset, de quo ille nunquam cogitauerat. Frustra etiam Cæcilium obiicit non sola Christianorum sacra, sed dogmata quoque occulta calumniari. Nam de illis tantum agere Cæcilium totus contextus clamat, quo in angulis eos conuenire propterea criminatur, vt scelera liberius peragerent, a quibus si innocentes essent, in propatulo, gentilium more, congregarentur. Satis itaque erat Octauio respondere, se non sua, sed Ethnicorum culpa in angulis conuenticula agere, cædis autem infantum falso accusari, qui ab omni homicidio sanguinisque esu abstineant. Quid opus habebat Octauius mysteriorum rationem exponere, vbi Cæcilius aduersarius nullam eorum fecerat mentionem? Calumniam quidem infanticidii ex publica Christianorum de Eucharistia doctrina ortam esse facile largior, quanquam id neget Schelstratius, infra pluribus refellendus; sed Octauius nec debuit, nec potuit doctrinam illam explicare. Non debuit, quia directe eam non oppugnabat Cæcilius: nec potuit, quia Calumniæ modum prius non statuisset, quam addidisset, corpus & sanguinem Christi non nude ac visibiliter, sed sub speciebus panis & vini distribui ac sumi. Cum igitur symbola ista occultari

tari

tari præciperet arcani disciplina, tum Octauius per solam negationem respondere consultius duxit, quam veram calumniæ originem detegendo Sacramentum prodere. Minutio addi potest Iulius Firmicus Maternus, cuius liber de errore profanarum religionum post annum 340. ante 350. docente Labbeo, scriptus, non solum gentilibus oppositus, sed & dedicatus est Constantio ac Constanti Augustis, quorum vterque adhuc Catechumenus erat. Nihilominus doctrinam de Eucharistia exposuit, si Scribonio ad eum prouocandi fidem adhibemus, quanquam Albertinus aliter interpretatur p. 421. 422.

V. Posthæc gloriatur Schelstratius, complura Patrum testimonia sibi adstipulari, nec tamen plura quam duo proferre potuit, quæ cordatus Lector ἀπροσδιόνυσα esse statim animaduertet. Nam qua de re quæstio erat inter Macarium & Arianos? De calice ab ipso confracto. At num calix ad dogma pertinebat? Recordemur, quomodo id paullo ante Schelstratius definiuerit, indeque perspiciemus, quam belle ad Iulium & Alexandrinos prouocarit. Vbi enim illi quidquam dicunt de incruento papicolarum sacrificio Deo patri offerendo? Memorant quidem corpus & sanguinem Christi, vt Iulius Papa, cuius verba integra adferemus ex Apologia Athanasii secunda pag. 750. Ait enim, τὴν ἐξέτασιν γεγενῆσθαι περὶ ποτηρίου καὶ τραπέζης, ἐπὶ παρουσίᾳ τοῦ ἐπάρχου καὶ τῆς τάξεως αὐτοῦ, παρόντων ἐθνικῶν καὶ ἰουδαίων. τοῦτο δὲ κατὰ τὰς ἀρχὰς ἄπιστον ἦν, εἰ μὴ ἐκ τῶν ὑπομνημάτων ἐδείκνυτο, ἐφ᾽ ᾧ καὶ ἐθαυμάσαμεν, νομίζω δὲ καὶ ἡμᾶς ἐπιθαυμάζειν ἀγαπητοί· πρεσβύτεροι μὲν, οὐκ ἐπιτρέπονται παρεῖναι οἱ καὶ τῶν μυστηρίων λειτουργοὶ τυγχάνοντες, ἐπὶ δὲ ἐξωτικοῦ δικαστοῦ παρόντων κατηχουμένων, καὶ τότε χείριστον ἐπὶ ἐθνικῶν καὶ ἰουδαίων τῶν διαβεβλημένων περὶ τὸν χριστιανισμὸν, ἐξέτασις περὶ αἵματος Χριστοῦ, καὶ σώματος Χριστοῦ, γίνεται. εἰ γὰρ καὶ ὅλως ἐγεγόνει τι πλημμέλημα, ἔδει ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ὑπὸ κληρικῶν νομίμως ἐξετάζεσθαι τὰ τοιαῦτα· *quæstionem habitam fuisse de calice & mensa in præsentia præfecti & eius cohortis, assistentibus tum Ethnicis, tum Iudæis. Id principio nobis incredibile videbatur, nisi ex ipsis Actorum monumentis demonstratum fuisset, certe nobis magnæ admirationi fuit, vt etiamnum vobis esse puto. Atqui ne presbyteris quidem adesse permittitur in mysteriis, quum tamen ipsi quoque sacrorum administri sint. Iam quis non exsecretur sub externo iudice præsentibus catechumenis, & quod peius est, Ethnicis & Iudæis Christianismum blasphemantibus, quæstionem de sanguine & corpore Christi haberi? Nam si omnino delictum aliquod perpetratum fuisset, oportebat de eo in Ecclesia inquiri sub legitimis Clericis.* Attamen qui totum controuersiæ statum considerat, facile animaduertit, non de reali corporis & sanguinis Christi præsentia, nec de salutari fructu, similibusue ad dogma spectantibus, sermonem agitasse Orthodoxos & Arianos, sed his præsuppositis Sacrilegii crimen Macario ab

Eusebianis impactum esse, quod is inter sacrorum mysteriorum celebrationem calicem frangens, vinum, cui sanguis Christi vnitus erat, effudisset. Hinc Arianis exprobrant Iulius & Alexandrina Synodus, quod ea tragœdia manifestarentur Ethnicis & Iudæis tam symbola externa, sub quibus sanguis & corpus Christi distribuebantur, quam vasa sacra, eorumque vsus, ac ritus consecrationis, quæ alioquin ex præscripto & iure disciplinæ arcani occultanda erant.

VI. Magis miror a Schelstratio adductum esse Epiphanii Ancoratum, quem in talium librorum numero collocare oportet, quales nec cum Gentilibus, nec cum Catechumenis communicari par erat. Quod cum ipse Schelstratius infra haud rogatus fateatur, vbi Ignatii epistolas ab hoc negotio segregat; tum quilibet videt, haud congrue eum nunc prouocare ad Epiphanii scriptum Ignatianis simillimum. Epiphanius enim rogatus fuerat a Presbyteris, qui Suedris Pamphiliæ degebant, & a Palladio eiusdem vrbis Magistratu, (quorum epistolæ Ancorato adhuc præfixæ leguntur) vt de diuinitate Spiritus Sancti aduersus nouam Macedonii hæresin eos instrueret, πρὸς τὸ δυνηθῆναι καὶ τοὺς ἁπλουστέρους, καὶ ἔτι περὶ τὴν πίστιν ἐνδιάζοντας, βεβαιωθῆναι διὰ τῶν ἱερῶν σου γραμμάτων, *quo rudiores atque in fide adhuc hæsitantes sacris tuis litteris confirmentur*, quemadmodum Presbyteri ad finem suæ epistolæ loquuntur, & postrema litterarum Palladii verba clarius indicant. Paruit Epiphanius honestis eorum petitionibus, & Ancoratum non tantum Presbyteris & Palladio, sed καὶ λοιποῖς πᾶσι τοῖς σὺν ὑμῖν, *& cæteris, qui apud Vos sunt, omnibus*, inscripsit. Vnde patet, Epiphanium ad eos scribentem, qui mysteriorum participes erant, non opus habuisse obscura & circumspecta loquendi ratione, sed verbis illis, *Hoc meum est hoc*, rem ipsis probe cognitam enuntiasse. Hinc cum ipsis tanquam præsens cum præsentibus agit, & panem Eucharisticum manu quasi tenens, ipsisque ostendens, inquit: ὁρῶμεν, videmus, scil. panem, quem Christus in manus sumsit; videmus eum non esse æqualem corpori eius, sed rotundum & sensus expertem &c. Et quomodo disciplinam arcani eo in opere Epiphanius respexerit, cui plura illam respuentia argumenta inseruit? Audiuimus nuper Sozomenum, in libris suis Symbolum Nicænum producere propter non initiatos veritum, quos si Ancoratum etiam aliquando lecturos timuisset Epiphanius, vt Schelstratius fingit, eandem proculdubio cautelam adhibuisset. Quod tantum abest, vt fecerit, vt potius ad finem libri num. 120. & 121. tam Symbolum Nicænum, quam longiorem fidei formulam τοῖς τῷ ἁγίῳ λουτρῷ προσιοῦσιν, *iis, qui baptismo initiandi sunt*, præcipi solitam, proponere haud dubitauerit. Imo summa fidei mysteria, in Ancorato luculenter accurateque tractat, vt vel ex præfixa Synopsi liquet: Ἀγκυρωτὸς δὲ κέκληται ὁ λόγος αὐτοῦ, ὅτι ἀγκύρας δίκην τὸν περὶ τῆς ζωῆς καὶ σωτηρίας ἐρευνῶντος νοῦν ἄγει, διὰ τὸ περιεκτικὸν τῆς ἐν αὐτῷ συντάξεως τῶν πολ-

πολλῶν τῆς πίστεως μερῶν· Φημὶ δὴ τοῦ περὶ τῆς πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος ὁμοουσιότητος, τοῦ περὶ τελείας τῆς Χριστοῦ ἐνσάρκου παρουσίας, τοῦ περὶ ἀναστάσεως νεκρῶν, καὶ ζωῆς αἰωνίου καὶ κρίσεως, σαρκός τε, καὶ ψυχῆς ἐπὶ τὸ αὐτό. *Ancoratus vero liber iste nominatur, propterea quod animum de vita ac salute sollicitum instar ancoræ moderatur. Nam complures hoc opus fidei partes continet: vt puta de Patris, Filii, ac Sancti Spiritus vna, eademque substantia: de perfecta Christi Incarnatione: de mortuorum resurrectione: de æterna vita, ac iudicii animæ pariter & corporis.* Vides mysterium Trinitatis primo loco collocari, quod dum Schelstratius ad arcani disciplinam refert, necesse est, vt vel Epiphanium magnæ postulet imprudentiæ, (a qua tamen prudentiorum quisque eum hic absoluer,) vel agnoscat tandem, ad huius disciplinæ præscriptum Ancoratum non fuisse adornatum. Denique in loco a Schelstratio obiecto tam præclare dogma Eucharistiæ exprimit confirmatque Epiphanius, vt Petauius hanc glossam margini alleuerit: *Insignis locus, quo Dominici corporis in Eucharistia præsentia comprobatur.* Ex quibus omnibus nemini non manifestum est, disciplinam arcani, etiamsi ex Schelstratii sententia ad dogmata extendatur, ab Epiphanio ibi minime fuisse spectatam, neque adeo propter non-initiatos obscurioribus eum verbis vsum.

VII. Nunc Albertinum aliosque Reformatos adgreditur Schelstratius, quorum de Eucharistia opinionem licet meam non faciam, reiicienda tamen haud arbitror, quæ ad stabiliendam communem de arcani disciplina sententiam contulerunt. Recte quippe monet Albertinus, *Chrysostomum & Augustinum passim dicere, corpus & sanguinem Christi manducandum & bibendum nobis a Deo dari; de Symbolis autem Eucharisticis iisdem locis Augustinum dicere: accepit in manus suas, quod norunt fideles. Et rursum: nos quid bibamus, norunt fideles.* Ac postea plurima Augustini loca describit pag 709. quibus is occultauit, quæ (non *Dauidi*, sed *Abrahamo*) obtulit Melchisedech, panem nempe & vinum. Nos vno tantum ex eorum numero contenti erimus, sermone primo in Psalmum xxxiii. in quo Augustinus disertissime commemorat sacrificium corporis & sanguinis Christi, quod ipse Schelstratius ad dogma refert, prout antea vidimus: addit vero Augustinus solennem formulam: *quod fideles norunt;* nimirum sub quibus Symbolis & speciebus Corpus Christi sanguinemque accipiant. Verba sancti viri hæc sunt: *Erat autem, vt nostis, sacrificium Iudæorum antea secundum ordinem Aaron in victimis pecorum; & hoc in mysterio nondum erat sacrificium corporis & sanguinis Domini, quod fideles norunt, & qui Euangelium legerunt: quod sacrificium nunc diffusum est toto orbe terrarum.* Quid ad clarissima hæc Augustini ab Albertino obiecta testimonia Schelstratius? Priora, quod ad palatum sibi non essent, sicco pede præterit; ad posteriora nihil reponit, nisi vt antiquis Patribus re-

 gulam

gulam præſcribat, ſecundum quam loqui debuerint. Ait enim, *Corporis Christi mentionem potius omitti debuiſſe.* Sed Albertinus luculenter oſtenderat, & Chryſoſtomum & Auguſtinum diſerte corpus ac ſanguinem Chriſti nominaſſe, eaque manducari & bibi docuiſſe; quod ſcite diſſimulat Schelſtratius, qui animaduertere potius debuiſſet, quam aperte hi duo patres regulam ipſius argumentumque a minori ad maius contemnant atque infringant. Quod ſi enim vllam huius rationem habuiſſent, nunquam in publica concione diſertam corporis ſanguinisque Christi feciſſent mentionem, ſed rem cœleſtem non minus ac terrenam, hoc eſt, Symbola, occultaſſent. Id autem cum feciſſe nullibi legantur, fruſtraneam eſſe oportet collationem, quam Schelſtratius commentus eſt. Neque ex Auguſtini tractatu XI. in Ioannem quidquam ipſi præſidii accedit, quanquam duo inde loca deſcripſit. Priori enim notanter addit Auguſtinus: *Neſcit quid dicimus, quia Ieſus ſe non credit ei;* ſignificans, Catechumenorum ignorantiam inde procedere, quia nondum in baptiſmo Chriſtum induerant, & conſequenter myſteriorum celebrationi non interfuerant, ignorantes adeo, ſub pane & vino corpus & ſanguinem Chriſti manducari & bibi, quare capere non poterant, quomodo fideles ea ſumerent, quæ poſt Chriſti in cœlos adſcenſum inuiſibilia erant. Quod confirmat poſterior locus a Schelſtratio mutilatus, ſed ab Albertino integre prolatus: *Quo ergo* (Ieſus) *perducit credentes & baptizatos? Ad manna. Ecce dico manna. Notum eſt, quid acceperint Iudæi, populus ille Iſrael, notum eſt, quid illis pluiſſet Deus de cælo: & neſciunt Catechumeni, quid accipiant Chriſtiani. Erubeſcant ergo, quia neſciunt: tranſeant per mare rubrum, manducent manna, vt quomodo crediderunt in nomine Ieſu, ſic ſe ipſis credat Ieſus.* Quis non videt ab Auguſtino comparationem inſtitui inter Manna & panem Euchariſticum, quem quia Catechumeni ignorabant, certe neſciebant, quid acciperent Chriſtiani. Nihil eam in rem expreſſius dari poterat ſermone XLVI. Auguſtini de verbis Domini cap. I. quem ipſe Schelſtratius citauerat Commentario in Canonem II. Antiochenum cap. V. p. 201. *Cum ſanctum Euangelium legeretur, Dominus Ieſus exhortatus eſt promiſſione vitæ æternæ ad manducandam carnem ſuam, & bibendum ſanguinem ſuum, qui audiſtis hæc, necdum omnes intellexiſtis. Qui enim baptizati & fideles eſtis, quid dixerit, noſtis. Qui autem inter vos adhuc Catechumeni vel audientes vocantur, potuerunt eſſe, cum legeretur, audientes, nunquid & intelligentes?* Totus fere ſermo nobis deſcribendus eſſet, ſi omnia, quæ huc facerent, in medium proferre vellemus. Etenim diſertiſſime ſæpiſſimeque corpus & ſanguinem Chriſti manducari & bibi clamat Auguſtinus, nuſpiam tamen ſymbola ritusque nominat, ſed Catechumenos ad maturandum baptiſmum, indeque pendentem S. Cœnæ vſum hortatur. Non minus illuſtris eſt alius Auguſtini locus lib. III. de Trinitate cap. X. ab Albertino adnotatus: *Infantes non nouerunt, quod in altari ponitur, & per-*

& peracta pietatis celebratione consumitur, vnde, vel quomodo conficiatur, & in vsum religionis adsumatur. Subiicit ex re & vero Albertinus: *At apud omnes in confesso est, id quod in mensa Eucharistica ponitur & sanctificatur, panem esse & vinum. Panis ergo & vinum id sunt, quod in Eucharistia Catechumeni non nouerant, quodque illis occultabatur.*

VIII. Sed misso Augustino ad Oecumenium pergimus, cuius locum a *ministris* Reformatis pro sua hypothesi adferri dicit Schelstratius, sed a se nec Graece nec Latine reperiri potuisse; oblitus procul dubio Albertini, qui libro II. de Eucharistia inter Irenaei testimonia cap. III. p. 313. 314. eundem locum vtraque lingua exscripsit, & in margine *Oecumenii Commentarium in I. Petri cap. III.* citauit, vbi hodienum leguntur, quae Schelstratius quaesiuit. Ne igitur quidquam desiderent Lectores, Oecumenii verba producam ex editione Parisiensi an. CIↃ IↃC XXXI. pag. 498. Cum enim Petrus v. 16. Christianos adhortatus esset, vt conuersationem honestam habeant inter gentes propter obtrectatores, Oecumenius ita commentatur: *καταλαλοῦντας δὲ εἰσάγει ὑμῖν τοὺς ἐθνικούς. καὶ εἴ τις βούλεται τοῦτο μαθεῖν, ἐκ τῶν Εἰρηναίῳ τῷ Λουγδούνου τῆς Κελτικῆς ἐπισκόπῳ, περὶ Σάγκτου καὶ Βλανδίνης τῶν μαρτύρων γραφέντων μάθοι ἂν ἀκριβῶς. ὡς δὲ διὰ βραχέων παραθέσθαι, ἔστι ταῦτα. Χριστιανῶν κατηχουμένων δούλους ἕλληνες συλλαβόντες, εἶτα μαθεῖν τι παρὰ τούτων δῆθεν ἀπόρρητον περὶ χριστιανῶν ἀναγκάζοντες, οἱ δοῦλοι οὗτοι μὴ ἔχοντες πῶς τὸ τοῖς ἀναγκάζουσι καθ' ἡδονὴν ἐρεῖν, παρ' ὅσον ἤκουον τῶν δεσποτῶν, τὴν θείαν μετάληψιν αἷμα καὶ σῶμα εἶναι Χριστοῦ, αὐτοὶ νομίσαντες τῷ ὄντι αἷμα καὶ σάρκα εἶναι, τοῦτο ἐξεῖπον τοῖς ἐκζητοῦσι. οἱ δὲ λαβόντες ὡς αὐτόχρημα τοῦτο τελεῖσθαι Χριστιανοῖς, καὶ δὴ τοῦτο τοῖς ἄλλοις ἕλλησιν ἐξεπόμπευον. καὶ τοὺς μάρτυρας Σάγκτον καὶ Βλανδῖναν ὁμολογῆσαι διὰ βασάνων ἠνάγκαζον. οἷς εὐστόχως Βλανδῖνα ἐπαῤῥησιάσατο, πῶς ἂν εἰποῦσα, τούτων ἀνάσχοιντο οἱ μηδὲ τῶν ἐφειμένων κρεῶν δι' ἄσκησιν ἀπολαύοντες.* *Obtrectatores autem nobis inducit Ethnicos. Quod si quis velit hoc discere, ex his quae scripta sunt ab Irenaeo Lugdunensis Galliae Episcopo de Sancto & Blandina martyribus licebit exacte cognoscere. Vt autem in medium breuiter proponantur, haec sunt: Quum enim Graeci seruos horum Christianorum in diuinis mysteriis edoctorum apprehendissent, deinde vim inferrent, vt videlicet arcanum quippiam ab his de Christianis discerent: quum hi serui non haberent, quomodo vim inferentibus ad delectationem & gratiam loquerentur, praeterquam quod a Dominis audierant diuinam participationem esse sanguinem & corpus Christi, existimantes ipsi, quod vere sanguis & caro esset, hoc responderunt inquirentibus. Illi vero id sumentes, tanquam reipsa hoc perageretur a Christianis, id aliis quoque manifestabant Graecis: & martyres Sanctum & Blandinam tormentis id fateri cogebant. Quibus libere ac scite Blandina loquuta est, dicens: Quomodo haec ferrent, qui*

qui ob diuinum studium ac meditationem ne concessis quidem carnibus vescuntur. Hanc Oecumenii narrationem falsitatis postulat Schelstratius, nec cum vera martyrum Lugdunensium apud Eusebium epistola congruere iudicat, idemque olim ex ipsis Ministris Reformatis voluit Ioan. Dallæus Lib. II. de Cultus Religiosi Obiecto cap. XXIIX. Mihi tamen re vltro citroque expensa neutrius argumenta tanti videntur ponderis, quæ nos cogant, vt ab Oecumenio dicta figmentis accenseamus. Nam quod apud Irenæum ea non reperiri Schelstratius obiicit, apud æquos æstimatores parui momenti esse debet, quum constet, exigua & paucissima fragmenta nobilissimi istius scriptoris hodie natiua lingua superesse, quæ in nouissima Parisiensi editione omnia collecta non sunt, vt ex eius defectu argumentari non liceat. Spe tamen nitimur optima, in noua accuratiorique editione, quam Henricus Dodvvellus in Anglia meditatur, Irenæum si non integrum, meliori saltem facie, quam hactenus, compariturum. Interea obseruasse sufficit, Dallæum hac parte aliam viam ingressum esse, quam verbis eius delineabimus: *Quod enim ista velut ex Irenæo Lugdunensi Episcopo nobis* (Oecumenius) *recitat, frustra est. Bene est quod adhuc exstat illud quod Irenæi scriptum vocat. Neque enim putandum est, aliud eum hoc nomine intelligere, quam illa ipsa Martyrum Lugdunensium laudatissima ac præclarissima Acta, quæ apud Eusebium extant; quæ haud quaquam absurde censuit Oecumenius ab Irenæo Pothini, vnius ex ipsis martyribus in Lugdunensi Episcopatu successore, litteris esse mandata. Et si quis Irenæi fuisset alius eadem de re Commentarius, non dubito quin eum fuisset Eusebius in hac parte diligentissimus, isto loco memoraturus. Tum si quid aliud scripsit ea de re Irenæus, id profecto neque cum Actis, quæ habemus, Lugdunensium pugnauit. At hæc, quæ velut ex Irenæo refert Oecumenius, ea & cum ipso & cum Actis illis recta fronte pugnant.* Vt ex incertis hisce Dallæi fluctuationibus certi aliquid seligamus, opera danda est. Equidem Oecumenium Acta Lugdunensium apud Eusebium respexisse ne concedam, insignis illa varietas (non tamen *contrarietas*, quam quæsiuit Schelstratius) obstat, quæ inter vtrumque deprehenditur. Acta enim Lugdunensia de omnibus Antonini persequutione interemtis illius vrbis martyribus, nominatis plerisque, agunt: Oecumenius autem Irenæum in scripto a se citato de duobus tantum, Sancto & Blandina, scribere refert. Acta Thyesteas epulas seruos confessos esse nude indicant: Irenæus modum confessionis exprimit, de quo paullo post latius agemus. Adde, quod Eusebius auctorem Lugdunensium Actorum cognitum non habuit, quem Irenæum vult Dallæus, præeunte Valesio in Annotationibus Eusebianis pag. 86. *Hujus autem Epistolæ auctorem fuisse arbitror Irenæum; qui quidem eo tempore Ecclesiæ Lugdunensis erat presbyter.* Sed si Eusebii silentio tantum tribui debet, quantum hoc ipso loco tribuit Dallæus, id sane prohibet, quominus illa Valesii coniectura ipsi Dallæo probata admittatur. Vtut sit,

sit, per me licet auctorem epistolæ Lugdunensium facere Irenæum, dummodo Occumenio liberum fuerit, ex alio Irenæi scripto narrationem suam promere. Nota est veteris Ecclesiæ consuetudo, singulorum martyrum acta diligentissime annotandi & in codices referendi. Hanc Irenæi ætate Lugduni viguisse cum in confesso est, tum nihil dubitare attinet, vniuscuiusque martyris in Lugdunensium epistola nominati acta peculiariter excepta & seruata fuisse, cui pietatis officio manum suam commodasse Irenæum quis negauerit? Porro ex his singulorum martyriorum descriptionibus instar breuiarii adornatam puto epistolam Lugdunensium, quam Eusebius seruauit; Oecumenium autem incidisse in eiusmodi Codicem, quo Acta Sancti & Blandinæ seorsim & integra continebantur. Quam conciliandi rationem veritati apprime consentaneam iudicaturos arbitror harum rerum peritos; nec Eusebii silentium quidquam obstat, qui singulorum Lugdunensium martyrum acta forsan non habuit; aut si habuit, epistolam ecclesiæ Lugdunensis, summaria eorum continentem, sufficere putauit. Multo minus pugnam aut contrarietatem inter epistolam illam & Oecumenium intercedere statuo, quidquid etiam Dallæus Schelstratiusue contenderint, siue propriis siue communibus argumentis vtantur. Prima enim differentia a Schelstratio allegata non aliunde ortum traxit, quam quod Oecumenii locum ipse non inspexit. Oecumenius quippe non seruos, sed Dominos eorum Catechumenos appellat, χριςιανῶν κατηχουμένων δούλους ab ethnicis comprehensos indicans, & eatenus cum Lugdunensium epistola consentit. Vt autem Schelstratius aliter sentiret, inde prouenit, quia verba Arnaldi Gallica, *que les payens ayant pris des esclaues des Chrestiens, qui n'estoient encore que Catechumenes*, ita interpretatus est, quasi pronomen *qui* ad *esclaves* pertineret, quod ad *Chrestiens* potius referendum esse cum Oecumenii textus, tum melior interpretandi ratio postulant. Altera contrarietas, quam Dallæus prolixius vrget, nulla est, si rem recte ponderaueris. Quæ enim Irenæus apud Oecumenium de peruerso mysteriorum Christianorum a seruis & gentilibus intellectu refert, ea Capernaitarum blasphemias sapere nemo non videt. Nec aliter intellexit Arnaldus, quando in Gallica sua paraphrasi scribit, *& qui s'imaginoient, que c'estoit effectiuement de la Chair & du Sang, le dirent en effet ainsi a ceux, qui les pressoient.* Hoc autem posito, carnis & sanguinis manducatio sensu Capernaitico accepta idem plane est cum epulis Thyesteis, quas seruos illos commentos esse Lugdunensis ecclesia refert. Vnde patet, discrepantiam frustra Dallæum & Schelstratium hic quæsiuisse. Modus duntaxat tradendi apud Oecumenium clarior est, quam apud Eusebium; & quod ecclesia Lugdunensis generali θυεςείων δείπνων vocabulo comprehendit, id Irenæus specialius enuntiauit, quando gentiles tam seruos, quam tortores, capernaiticam siue physicam manducationem & bibitionem, hoc est, *carnem crudam, crudumque sanguinem*, vt Io-

vt loquitur Gaudentius Brixiensis tractatu II. in Exodum, intellexisse refert, quam Sacramentalem tantum esse nouimus. Nec obstat, quod in Lugdunensium epistola serui dicantur confessi, τῶν στρατιωτῶν ἐπὶ τοῦτο παρορμώντων αὐτοὺς, *militibus ad hoc ipsum eos incitantibus*; idem enim Irenæus subindicat apud Oecumenium, quando seruos nihil aliud habuisse scribit, quo potuerint τοῖς ἀναγκάζουσι καθ' ἡδονὴν εἰπεῖν, *tortoribus ad gratiam loqui.* Notanda etiam Dallæi spontanea concessio: *Sed & illud fatcor, quod supponit Oecumenius, facile fieri potuisse, vt homines odio in nostros excæcati, quæ hi probo & vero sensu de Sacramento sic dicerent, ea praue ac ex animi sui studio arriperent, quasi se Christi corpus & sanguinem* vere *&* αὐτόχρημα *edere nostri intelligerent; adeoque & hoc exinde consequi facile potuisse, ut ex peruersa hac interpretatione spargerent illa de Thyesteis dapibus contra nostros vulgata.* Latet quidem communis Reformatorum opinio in his Dallæi verbis, quam ex Oecumenio etiam defendere satagit Albertinus: quanquam veritate prorsus inuita, quum manifestum sit, verbis illis, τῷ ὄντι & παραχρῆμα, physicum & Capernaiticum corporis atque sanguinis esum, notari quem recte Oecumenius reiicit, & ex prauo sensu gentilibus placuisse significat. Idque non tantum Arnaldus in sua paraphrasi expressit; sed apud veteres quoque similes loquendi modi occurrunt, vbi de Capernaitis agunt. Nam Tertullianus de Resurrectione inquit: *Durum & intolerabilem existimauerunt sermonem eius, quasi vere carnem suam illis edendam determinasset.* Gemella habet Augustinus in Psal. XXXIII. & XCVIII. nec non tract. XXVII. in Ioannem, & alii. Accipimus autem, quod Dallæus largitur, natam exinde epularum Thyestearum calumniam, concludimusque, Irenæum Oecumenii Lugdunensibus apud Eusebium minime contradicere. Cætera Dallæi obiecta facile soluuntur ex iis, quæ diximus. Cum enim nostra ferat sententia, cuiusque Lugdunensis martyris acta seorsim descripta fuisse, & epistolam Lugdunensem ex iis concinnatam, nullum periculum inde nobis oritur, quoniam illa epistola nihil de Sancto & Blandina in ea re singulare habet, quippe quorum peculiaria acta ab Irenæo consignata Oecumenium habuisse verisimile est. Nec vlla est contradictio, quam inde elicit Dallæus, quod in epistola siue Actis Lugdunensibus apud Eusebium verba quædam Bibliadi tribuuntur, quæ Irenæus apud Oecumenium Blandinæ adscribit. Quid enim obstat, quo minus prohibitum apud Christianos sanguinis esum pro suæ religionis innocentia duæ mulieres allegauerint, quem plerique nostrorum Apologistæ, Tertullianus, Minutius Felix, alii, eundem in finem produxerunt? Præterea cur ἀσκήσεως vocem in Blandinæ verbis strictiori sensu vsurpemus, & non potius latiori omnibusque vere Christianis competente, quo exercitium pietatis & virtutum denotatur? Sed misso Dallæo ad Schelstratium reuertor, qui pariter alucinatur, dum verba ab Oecumenio citata non Blandinæ, sed Bibliadi conueni-

re cen-

re censet; quasi vero absurdum sit, a duabus fœminis vnum adhiberi argumentum a re inter Christianos vulgata desumtum, & in Apologeticis libris toties vsitatum, vt paullo ante monuimus. Defensa autem Oecumenii fide clarissimum ac præstantissimum Irenæi pro vera nostra sententia testimonium oritur, quippe ex quo constat, nec Catechumenis, nec gentilibus in primitiua Ecclesia dogma Eucharistiæ celatum fuisse. Nam Dominos diserte κατηχουμένους vocat Irenæus: serui autem gentiles erant, vtut in prauum sensum Dominorum suorum dicta perperam traxerint. Quod addit Schelstratius, Blandinam & Bibliadem arcani disciplinam seruasse, sine vllo sententiæ nostræ dispendio concedere possumus, quum sane illis incubuisset, totam mysterii rationem explicare, & quomodo Christi corpus sub specie panis, sanguinem vero sub specie vini acciperent, indicare, adeoque disciplinam arcani violare, si gentilium quæstionibus satisfacere calumniamque funditus euellere voluissent.

IX. Quemadmodum Schelstratius in Albertino refutando dissimulauit varia veterum testimonia, quæ sibi displicebant, ita etiam aduersus Casaubonum se gessit. Tria is produxerat Augustini dicta, nostram sententiam euidenter confirmantia, e quibus vltimum tantum elegit Schelstratius, quo vtpote obscuriusculo abuti poterat. Ac primo quidem negat, Maximum Madaurensem sciuisse Christum Deum a Christianis in occulto edi: quod aut supinam Maximi negligentiam prodit, curioso eiusmodi Philosopho plane indignam; aut aperte potius falsum est, quum Iustini Martyris, Athenagoræ, Origenis, & in Africa quoque Tertulliani, Cypriani, Arnobii, ipsiusque Augustini scripta Apologetica Gentilibus opposita, nec iisdem ignota, nihil clarius frequentiusque inculcare soleant, quam Christum esse Filium Dei diuino cultu prosequendum. Et quum in scriptis laudatis Patres non dissimulent dogma Eucharistiæ, quis credat, Maximum inde perspicere non potuisse, quæ sit Christianorum fides? præsertim si cogitauerit, ex eorum numero Maximum fuisse, de quibus supra dicentem audiuimus Augustinum, *difficillimum omnino esse, vt non multa nostrarum scripturarum litterarumque cognouerint &c.* Præterea verba Philosophi antecedentia satis innuunt, non ignotum ipsi Augustinum fuisse, cujus homilias singulari facundia exornatas sæpenumero audiuerat; quoniam vero Augustinum dogma de præsentia corporis & sanguinis Christi promiscuo populo perspicue exposuisse ex quamplurimis locis constat, inde certe colligere est, quod ex Augustini doctrina cognouerit Maximus, Christianos Deum suum præsentem videre; neque adeo frustraneam esse Casauboni opinionem, qua non initiatis & paganis dogma Eucharistiæ notum fuisse censet. Hanc quidem impugnare vult Schelstratius, sed adeo leuiter tangit, vt haud serio rem egisse videatur. Concedit enim, *aliqualem de Sacrificio Christiano famam ad aures Maximi peruenisse*; quod satis est pro Casaubono,

bono, qui accuratam Maximo ſcientiam nunquam adſcripſit. Addit Schelſtratius, *forſan illam famam apud Gentes ſparſam de infanticidio* Maximo innotuiſſe; quod veritati non congruit, quum Maximi tempore fœda illa calumnia pridem euanuerit, quam antiquitatis eccleſiaſticæ periti Cypriani iamtum ætate, centum quinquaginta plus minus ante Maximum annis, in fumum ventosque abiiſſe obſeruant, vt infra commodiori loco docebimus. Cum igitur ex fama illa ſiniſtra apud Gentiles notitiam ſuam non hauſerit Maximus, alium illius fontem quæramus oportet, quem in publicis Auguſtini tractatibus optime certiſſimeque reperiemus; vt adeo Maximus merito plenius ſe ab eodem informari voluerit. Quoniam autem eo animo non acceſſit, vt veritati Chriſtianæ manus daret, haud opus habebat Auguſtinus, vt diſciplinam Eccleſiæ violaret, & quæ publice coram initiatis pariter & non - initiatis docuerat, amplius explicaret, quod alia ratione facere non poterat, quam vt Symbola etiam Euchariſtica proderet, dicendo, panem quidem & vinum tantummodo videri, ſed cum iis inuiſibiliter vnitum eſſe corpus & ſanguinem Chriſti &c. Ne autem hoc incurreret crimen, conſulto ab Euchariſtiæ mentione abſtinuit, præſertim, quia Maximus non de modo præſentiæ quæſiuerat, ſed tantum, *quis ſit* Chriſtianorum Deus, ſcire optauerat. Quare ſatis habuit Auguſtinus, ad præcipuum argumentum reſpicere, eumque inſtruere, quis ſit ille Deus, nullus ſcilicet mortuorum, non fictus aut factus &c.

X. Pari arte perſpicuum Theodoreti teſtimonium obfuſcare conatur Schelſtratius, quod non Albertinus tantum, ſed Caſaubonus etiam aliique magni faciunt ad oſtendendum, diſciplinam arcani non in dogmatum, ſed ſymbolorum & rituum occultatione conſiſtere. Etenim Theodoretus in ſecundo Dialogo aperte quidem docet, corpus & ſanguinem Chriſti in Euchariſtia accipi, ſed Symbola panis & vini adeo obſcure & ænigmatice proponit, idque ex metu, quod interſint forte non - initiati, vt nihil obſcurius dici poſſit. Reſpondet Schelſtratius, in eodem Dialogo *panem vitæ* etiam nominari, non animaduertens, hanc tropicam eſſe loquutionem, & ob adiectum *vitæ* vocabulum æque obſcuram non initiatis, ac priores. Si enim diceres Ethnico aut Catechumeno, in Sacramento Euchariſtiæ accipi *panem vitæ*, is non magis inde exſculperet, ſub pane contineri ac ſumi corpus Chriſti, quam ſub *cibo ex talibus ſeminibus*, vti antea Theodoretus appellauerat, cuius verba a Schelſtratio obiecta integra dabimus: Ait Eraniſtes: Καὶ μὴν τὸ μυστικὸν σύμβολον τὴν προτέραν ἀμείβει προσηγορίαν. οὐκέτι γὰρ ὀνομάζεται ὅπερ πρότερον ἐκαλεῖτο, ἀλλὰ σῶμα προσαγορεύεται. χρὴ τοίνυν, καὶ τὴν ἀλήθειαν Θεὸν, ἀλλὰ μὴ σῶμα καλεῖσθαι. *Atqui Symbolum myſticum priorem mutat appellationem: non enim amplius nominatur vt prius, ſed corpus appellatur, oportet ergo etiam veritatem Deum, & non corpus vocari.* Reſpondet Orthodoxus: ἀγνοεῖν μοι δοκεῖς. οὐ γὰρ σῶμα μόνον, ἀλλὰ καὶ ἄρ-

τος ζωῆς ὀνομάζεται. οὕτως αὐτὸς ὁ Κύριος προσηγόρευσε. καὶ αὐτὸ δὲ τὸ σῶμα θεῖον ὀνομάζομεν σῶμα, καὶ ζωοποιὸν καὶ δεσποτικὸν, καὶ κυριακὸν, διδάσκοντες ὡς οὐ κοινόν τινος ἐστιν ἀνθρώπου, ἀλλὰ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃς Θεός ἐστι καὶ ἄνθρωπος. *Ignorare mihi videris. Non enim corpus solum, sed etiam panis vitæ nominatur: Dominus ipse sic vocauit. Et corpus quoque ipsum diuinum corpus appellamus, & vinificum, & Dominicum, docentes non commune hominis cuiuspiam esse, sed Domini nostri Iesu Christi, qui Deus est & homo.* Ex his luce meridiana clarius apparet, Theodoretum rem Eucharistiæ cœlestem plane aperteque enuntiasse, Symbolum vero terrenum sub *panis vitæ* appellatione ita tegisse, vt qui mysteriis interfuerant, facile intelligerent, non-initiati autem minime assequerentur. Perronius alia Theodoreti loca obiicit, ad quæ Albertinus respondet pag. 820. 821. e cuius verbis ea tantum describemus, quæ huc proprie faciunt, vt Lectores ipsi iudicare queant, num rationes eius tam friuolæ sint, quam a Schelstratio habentur, qui sine dubio examen earum suscepisset, si potuisset. *Mirum est,* inquit Albertinus, *Perronium cæcutire in re tam clara. Nam si quod Veteres haud initiatis celabant, non erat, Christianos simplici panis & vini oblatione vti, quamobrem Theodoretus refugeret panem & vinum nominare, & ea per periphrasin obscuram* cibi ex seminibus & speciei potus *designare? Quamobrem induceret Orthodoxum Eranistæ dicentem,* Memineris quod accipiens Dominus fregerit, quomodo autem acceptum nominauerit: *Et Eranistam respondentem,* propter non initiatos mysterio conuenientius dicam, cum accepisset & fregisset ac Discipulis diuisisset, dixit, hoc est corpus meum, &c. *nisi panem celare vellet? Quid enim Dominus accepit & fregit, nisi panem? Quamobrem Augustinus in sermone coram Catechumenis facto, diceret;* Dominus cum commendaret ipsum corpus suum, accepit in manus suas quod norunt fideles; *nisi propositum illi esset de pane tacere? Quamobrem rursum diceret,* Nesciunt Catechumeni, quid accipiunt Christiani, *nisi propter panem & vinum? Orthodoxus enim hic* (apud Theodoretum) *agnoscit, se corpus Christi percipere. Nec obstant tria Auctoris nostri loca, quæ in contrarium ab Aduersario obiiciuntur. Nam, vt taceam, in primo illorum nondum de Eucharistia agi cœpisse, in secundo quidem sermonem de illa esse, sed obscuramento addito* mysticum vitis fructum *eam nominari, in tertio denique mentionem haberi* panis, *quia aliter fieri non poterat,* & eius quod mixtum est, *confuse & ænigmatice, in toto autem opere deinceps panem & vinum nullo modo nominari, sed perpetuo aut reticeri prorsus & prætermitti in mysteriorum mentione, aut ænigmatica circumloquutione innui, aut mystica symbola appellari; notandum est, nullos haud initiatos huic colloquio reuera adfuisse, sed Theodoretum ideo tantum monere, non esse aperte loquendum de mysteriis, quasi haud initiati nonnulli interfuissent, vt doceret quid illis præsentibus esset præstandum, hoc est, a panis*

& vini mentione quantum fieri posset abstinendum, nec ea nisi in casu necessitatis nominanda. Hæc & plura Perronio reposuit Albertinus, quæ soluere debuisset Schelstratius, si apud aduersarium quidquam istis Perronii argutiis se obtenturum sperasset. Neque tamen præterire possum primi loci ex Theodoreto a Perronio allati corruptionem siue sponte siue ex accidente apud Schelstratium patrata. Vbi enim legitur, *Fructus vitis expressus quomodo appellatur?* apud Schelstratium exstat, *Fructus vitæ expressus &c.* Voluit forte suppetias ferre Perronio, cui Albertinus ex re & vero responderat, nondum ibi de Eucharistia agi cœpisse; quod Schelstratius infringere cupiens pro *vitis* reposuit *vitæ*, sed inuita veritate & Græco textu reclamante, quem paullo plenius describere operæ pretium est. Disputant de sensu Prophetiæ Iacobi Genes. XLIX. & Eranistes eam accipit de vestimentis, sed de corpore Christi Orthodoxus. Et postquam Eranista probationem ab orthodoxo flagitauit, σὺ δεῖξον, ὅτι τὸ σῶμα τούτοις ἐφοίνιξεν, *Tu vero demonstra, quod corpus his tinxerit:* respondet ille: ἀξιῶ σε μυστικώτερον ἀποκρίνασθαι, τινὲς γὰρ ἴσως παρεστήκασιν ἀμύητοι. *Peto vt reuerenter de tantis mysteriis respondeas. Adsunt enim fortassis aliqui nondum sacris initiati.* Quo ab Eranista promisso, pergit Orthodoxus: οἶσθ᾽ ὅτι ἄμπελον ὁ κύριος ἑαυτὸν προσηγόρευσεν. E. οἶδα ὡς εἴρηκεν, ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος, ἡ ἀληθινή. O. ὁ δὲ τῆς ἀμπέλου καρπὸς πιεσθεὶς, ποίαν ἔχει προσηγορίαν; E. οἶνος προσαγορεύεται. *O. Scis, quod vitem Dominus seipsum appellauerit. E. Scio, quod dixerit, Ego sum vitis vera. O. Fructus vero vitis pressus, quo nomine appellatur? E. Vinum nuncupatur.* Recte etiam Albertinus monet, in altero Theodoreti apud Perronium loco vini Eucharistici obscuram fieri mentionem. En verba: ὥσπερ γὰρ ἡμεῖς τὸν μυστικὸν τῆς ἀμπέλου καρπὸν μετὰ τὸν ἁγιασμὸν αἷμα δεσποτικὸν ὀνομάζομεν· οὕτω τῆς ἀληθινῆς ἀμπέλου τὸ αἷμα σταφυλῆς ὠνόμασεν αἷμα. *Sicut enim nos mysticum vitis fructum post sanctificationem sanguinem Domini nominamus, sic veræ vitis sanguinem vuæ sanguinem nominauit.* Tertius denique locus non minus obscure panis Eucharistici meminit. Fateor, expresse nominari panem, sed adiectum prædicatum in auribus non initiatorum rem admodum insuetam perplexamque sonat. Ait enim Theodoretus, quod Christus corpus suum nominauerit panem; vnde Catechumenus siue ethnicus haud cogitabit, panis vocem in significatu proprio & naturali sumi, sed ad tropicum potius confugiet, qui corpori possit conuenire: Initiatus autem his difficultatibus non obruetur, quoniam nouit, Christum corpus suum adpellasse panem propter Sacramentalem vnionem. Verba Orthodoxi apud Theodoretum sunt: οἶσθα ὅτι ἄρτον ὁ θεὸς τὸ οἰκεῖον προσηγόρευσε σῶμα. E. οἶδα. O. καὶ ἑτέρωθι δὲ τὴν σάρκα, σῖτον ὠνόμασεν. E. οἶδα καὶ τοῦτο. ἤκουσα γὰρ αὐτοῦ λέγοντος &c. O. ἐν δέ γε τῶν μυστηρίων παραδόσει σῶμα τὸν ἄρτον ἐκάλεσε, καὶ αἷμα τὸ κρᾶμα.

ρα. E. οὕτως ὠνόμασεν. O. ἀλλὰ δὲ κατὰ φύσιν τὸ σῶμα, σῶμα κληθείη, καὶ τὸ αἷμα αἷμα. E. ὡμολόγηται. O. ὁ δέ γε σωτὴρ ὁ ἡμέτερος ἐνήλλαξε τὰ ὀνόματα καὶ τῷ μὲν σώματι τὸ τοῦ συμβόλου τέθεικεν ὄνομα. τῷ δὲ συμβόλῳ τὸ τοῦ σώματος. οὕτως ἄμπελον ἑαυτὸν ὀνομάσας, αἷμα τὸ σύμβολον προσηγόρευσεν. E. τοῦτο μὲν ἀληθῶς εἴρηκας. ἐβουλόμην δὲ τὴν αἰτίαν μαθεῖν τῆς τῶν ὀνομάτων ἐναλλαγῆς. O. δῆλος ὁ σκοπὸς τοῖς τὰ θεῖα μεμυημένοις. ἠβουλήθη γὰρ τοὺς τῶν θείων μυστηρίων μεταλαγχάνοντας μὴ τῇ φύσει τῶν βλεπομένων προσέχειν, ἀλλὰ διὰ τῆς τῶν ὀνομάτων ἐναλλαγῆς πιστεύειν τῇ ἐκ τῆς χάριτος γεγενημένη μεταβολῆ. ὁ γὰρ δὴ τὸ φύσει σῶμα σῖτον καὶ ἄρτον προσαγορεύσας, καὶ αὖ πάλιν ἑαυτὸν ἄμπελον ὀνομάσας, οὗτος τὰ ὁρώμενα σύμβολα τῇ τοῦ σώματος καὶ αἵματος προσηγορίᾳ τετίμηκεν, οὐ τὴν φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προστεθεικώς. Latina versio hæc est: O. *Scis, quod panem DEUS proprium appellarit corpus.* E. *Scio.* O. *Alibi vero carnem triticum nominauit.* E. *Scio & hoc. Audiui enim ipsum dicentem: Venit hora, vt glorificetur filius hominis. Et nisi granum tritici in terram cadens mortuum fuerit, solum manet &c.* O. *In mysteriorum vero traditione panem appellauit corpus, & quod mixtum erat sanguinem.* E. *Sic nominauit.* O. *Sed & corpus illud, quod iuxta naturam est, corpus vocabitur, & sanguis sanguis.* E. *In confesso est.* O. *Saluator autem noster nomina permutauit, & corpori quidem Symboli nomen imposuit, & Symbolo nomen corporis. Sic, cum se vitem nominasset, Symbolum Sanguinem appellauit.* E. *Hoc quidem vere dixisti. Vellem autem permutationis nominum caussam discere.* O. *Manifestus est scopus iis, qui diuinis sunt initiati. Voluit enim eos, qui diuina mysteria participant, non attendere ad naturam eorum quæ cernuntur, sed per nominum mutationem mutationi quæ ex gratia facta est, credere. Qui enim quod natura corpus est frumentum & panem appellauit, is visibilia Symbola corporis & sanguinis sui appellatione honorauit, non naturam mutans, sed gratiam naturæ adiiciens.* Non potuisset Theodoretus clarius dogma Eucharistiæ exprimere, fabulamque transsubstantiationis explodere, disciplinam simul arcani non dissoluens, sed confirmans: vt mira sit Schelstratii interpretatio & ipsius hypothesibus contraria, quibus & dogmata & symbola occultari debuisse contendit. Rationem vero a Perronio datam refutauerat Albertinus p. 706. ex Augustino, cuius auctoritatem apud Schelstratium merito præualere oportebat. Verba Augustini habentur tract. 96. in Ioannem: *Etsi Catechumenis Sacramenta fidelium non produntur, non ideo fit, quod ea ferre non possint, sed vt tanto ardentius ab eis concupiscantur, quanto eis honorabilius occultantur.*

XI. Quanquam autem ex hactenus disputatis falsitas opinionis Schelstratianæ satis cognosci potest, alia tamen veterum testimonia addere placet, quibus pro-

betur, dogmata Sacramentorum non initiatis celata haud fuisse. Initium faciam a Sacramento initiationis, Baptismo, cuius doctrinam Gentilibus etiam proponi solitam confidenter adserit Gabriel Albaspinæus in Gallico de Administratione Eucharistiæ tractatu lib. 1. c. 11. cuius verba hunc in modum latine transtulit Albertinus pag. 705. *Nam non dubitabant Ethnicis dicere, in nostra religione baptismum esse, per quem Deus peccata remittit, quo homines saluantur, ac per quem in vitam æternam regenerantur, quamuis non exponerent quomodo id fieret, nec media & probationes deducerent.* Sic Tatianus in Oratione contra Græcos pag. 145. indicat baptismi doctrinam in regeneratione & veritatis cognitione, eiusque fructum in veteris Adami emendatione. Καὶ καθάπερ ὁ λόγος ἐν ἀρχῇ γεννηθεὶς, ἀντεγέννησε τὴν καθ᾽ ἡμᾶς ποίησιν, αὐτὸς ἑαυτῷ τὴν ὕλην δημιουργήσας· οὕτω κἀγὼ κατὰ τὴν τοῦ λόγου μίμησιν ἀναγεννηθεὶς, καὶ τὴν τοῦ ἀληθοῦς κατάληψιν πεποιημένος, μεταρυθμίζω τῆς συγγενοῦς ὕλης τὴν σύγχυσιν. *Et quemadmodum verbum in principio genitum, mundum & nos vicissim genuit, cum sibimet materiam produxisset: sic ego quoque ad imitationem verbi regenitus, & veritatis illustratus cognitione, materiæ mihi cognatæ confusionem emendo.* Quod clarius enuntiauerat præceptor eius, Iustinus Martyr, in Apologia pag. 94. baptismi rationem a se allegatam ab Apostolis deriuans, cuius verba ex Latina saltem versione recitabimus: *Quandoquidem priorem natiuitatem nostram ignorantes, necessitate quadam, liquido genitali fœtu, mutua parentum mixtione intercedente, progenerati sumus, & in malis moribus prauaque consuetudine educti, vt ne necessitatis & ignorantiæ liberi permaneamus, sed delectus & scientiæ filii fiamus, ac remissionem antecomn. ipsorum peccatorum consequamur in aqua: super eo qui renascendum sibi esse statuerit, atque per pœnitentiam ab admissis delictis resipuerit, Parentis rerum omnium & Domini Dei nomen nominatur, atque id ipsum solum, lauaturum istum ad lauacrum ducentes, inuocamus.* Sed quia vterque horum scriptorum ex nostra sententia ante introductam arcani disciplinam vixit, operæ pretium est sequentium ætatum Doctores consulere. Quod si faciamus, hos eodem plane modo ac illos doctrinam Baptismi haud initiatis nunquam celasse deprehendemus. Innumera testimonia eam in rem produci possent, ac nonnulla infra inspergam, cum examinauero, quæ Schelstratius seruato temporis ordine ex Patribus congessit. Nunc contenti simus duobus, altero Græco, altero Latino. Græcus est Clemens Alexandrinus in Protreptico ad Gentes pag. 55. Ἧκέ μοι ὦ πρέσβυ καὶ σὺ τὰς θήβας λιπὼν, καὶ τὴν μαντικὴν καὶ τὴν βακχικὴν ἀποῤῥίψας, πρὸς ἀλήθειαν χειραγωγοῦ· ἰδοὺ σοι τὸ ξύλον ἐπερείδεσθαι δίδωμι· σπεῦσον Τειρεσία· πίστευσον ὄψει· Χριστὸς ἐπιλάμπει φαιδρότερον ἡλίου, δι᾽ ὃν ὀφθαλμοὶ, τυφλῶν ἀναβλέπουσιν. νύξ σε φεύξεται, πῦρ φοβηθήσεται, θάνατος οἰχήσεται. ὄψει τοὺς οὐρανοὺς, ὦ γέρον, ὁ θήβας μὴ βλέπων. ὦ τῶν

ἁγίων

ἁγίων ὡς ἀληθῶς μυστηρίων· ὢ φωτὸς ἀκηράτου. δᾳδουχοῦμαι, τοὺς οὐρανοὺς καὶ τὸν Θεὸν ἐποπτεύσας· ἅγιος γίνομαι μυούμενος· ἱεροφαντεῖ δὲ ὁ κύριος, καὶ τὸν μύστην σφραγίζεται φωταγωγῶν· Καὶ παρατίθεται τῷ πατρὶ τὸν πεπιστευκότα, αἰῶσι τηρούμενον. ταῦτα τῶν ἐμῶν μυστηρίων τὰ βακχεύματα. εἰ βούλει, καὶ σὺ μυοῦ &c. *Veni tu quoque mihi o senex: relictis Athenis, diuinatione abiecta & arte Bacchica, ad veritatem deducere. Ecce do tibi lignum quo innitaris. Festina Tiresia, crede. Christus illuminabit visum sole splendidius, per quem cæcorum oculi respiciunt: nox te fugiet, ignis perterrebitur, mors peribit. Videbis cælos, o senex, qui Thebas non adspicis. O vere sancta mysteria. O purum lucem. Præferuntur mihi faces, cum cælos & Deum adspexero: sanctus fio initiatus. Sacrorum autem interpres est Dominus, & mystam obsignat illuminans, & Patri commendat eum qui credidit, qui seruatur sæculis. Hæ mysteriorum meorum debacchationes sunt. Si velis, tu quoque initiare* &c. Latinus est Augustinus, cuius insigne de Ciuitate Dei Opus paganis oppositum in manibus omnium versatur. Illius Libro I. Cap. XXVII. diserte scribit, *homines lauacro sanctæ regenerationis ablutos, vniuersorum remissionem accipere peccatorum.*

XII. Progredior ad Eucharistiæ Sacramentum, vt non dogma, sed ea tantum non-initiatis occultata fuisse ostendam, quæ externa sunt, & in oculos incurrunt, hoc est, Symbola & ritus. Huc faciunt omnia testimonia, quæcunque a Pontificiis ipsis pro reali præsentia probanda ex homiliis Patrum coram promiscuo populo habitis depromi solent. Quum enim Schelstratius haud rogatus fateatur, in publico Christianorum cultu non prohibitos vel Catechumenos vel Iudæos ethnicosque, quo minus iis interessent post finitum vsque Concionatoris sermonem: perspicuum sane est, quidquid in iis proposuerunt Doctores siue de aliis Christianæ religionis dogmatibus, siue de Eucharistia, ad initiatorum pariter ac non-initiatorum aures peruenisse. Loca Patrum omnia describere inutilis foret operæ, quoniam ea passim apud controuersiarum Scriptores collecta & discussa sunt. Quare in Chrysostomo tantum subsistam, qui cum disciplinam arcani in homiliis suis exacte seruauerit, debuisset dogma ipsum obscurius circumloqui, si Schelstratii opinionem fouisset. At tantum abest, vt hoc fecerit Chrysostomus, ut realem potius præsentiam clarissime & luculentissime expresserit. Recordetur Schelstratius, quot fundamenta Perronius ex vna homilia XXXIII. in Matthæum petierit, male quidem pro transsubstantiatione, optime vero pro reali præsentia allegata. Nos vnicum saltem locum inde adferemus, cum tota fere homilia foret describenda: οὐδὲ ἤρκεσεν αὐτῷ τὸ γενέσθαι ἄνθρωπον, οὐδὲ τὸ ῥαπισθῆναι καὶ σφαγῆναι, ἀλλὰ καὶ ἀναφύρει ἑαυτὸν ἡμῖν; καὶ οὐ τῇ πίστει μόνον, ἀλλ᾽ αὐτῷ τῷ πράγματι σῶμα ἡμᾶς αὐτοῦ κατασκευάζει. Τίνος οὖν οὐκ ἔδει καθαρώτερον εἶναι τὸν αὐτῆς ἀπολαύοντα τῆς θυσίας; ποίας ἡλιακῆς ἀκτῖνος

τὴν

τὴν χεῖρα τὴν ταύτην διατέμνουσαν τὴν σάρκα, τὸ στόμα τὸ πληρούμενον πυρὸς πνευματικοῦ, τὴν γλῶσσαν τὴν φοινισσομένην αἵματι φρικωδεστάτῳ; ἐννόησον, ποίαν ἐτιμήθης τιμήν; ἀπολαύεις ποίας τραπέζης; ἥπερ ἄγγελοι βλέποντες φρίττουσι, καὶ οὐδὲ ἀντιβλέψαι τολμῶσιν ἀδείας, διὰ τὴν ἐκεῖθεν ἐκφερομένην ἀστραπήν. τούτῳ ἡμᾶς τρεφόμεθα, τούτῳ ἀναφυρόμεθα, καὶ γεγόναμεν ἡμεῖς Χριστοῦ σῶμα καὶ σὰρξ μία. *Non suffecit ipsi* (Christo) *hominem fieri, nec flagellis cædi & iugulari, sed & seipsum nobis permiscet, & non fide solum, sed reipsa corpus suum nos efficit. Qua igitur re mundiorem non oportet esse eum, qui huic sacrificio participaturus est? Quales radios solares non deberet puritate excedere manus illa, quæ discindit hanc carnem, os quod impletur igne spirituali, lingua purpurata tremendo hoc sanguine? Veniat in mentem tibi, quo sis honore honoratus, qua mensa fruaris? Ea nempe re nos alimur, quam angeli videntes tremunt, nec absque pauore propter fulgorem, qui inde resilit, aspicere possunt, & nos in vnam cum illo massam reducimur, Christi corpus vnum & caro vna facti sumus.* In eandem sententiam sermocinatur Chrysostomus homilia XLV. in Ioannem, & præmissa solenni formula, οἱ μεμυημένοι παρακολουθείτωσαν τοῖς λεγομένοις, *initiati intelligant quæ dicuntur*, de orali in Sacramento corporis & sanguinis Christi manducatione indeque resultante mystica vnione aperte & sine vllis verborum inuolucris differit. Probe enim notandum est, nos doctrinæ Eucharisticæ aliarumq; in nostra religione abstrusarum auditum, non tamen intellectum non-initiatis tribuere, consentiente Chrysostomo Homilia VII. in priorem ad Corinthios, cujus verba vtut longiuscula, mihi nec transscribere, nec Lectoribus, vt spero, perpendere tædio erit: Καὶ ἄλλως δὲ μυστήριον καλεῖται, ὅτι οὐχ ἅπερ ὁρῶμεν, βλέπομεν, ἀλλ' ἕτερα ὁρῶμεν καὶ ἕτερα πιστεύομεν. τοιαύτη γὰρ καὶ ἡ τῶν μυστηρίων ἡμῶν φύσις. ἑτέρως γοῦν ἐγὼ, καὶ ἑτέρως ὁ ἄπιστος περὶ τούτων διακείμεθα. ἀκούω ἐγὼ ὅτι ἐσταυρώθη ὁ Χριστὸς καὶ τὴν φιλανθρωπίαν εὐθέως θαυμάζω· ἀκούει ἐκεῖνος, καὶ ἀσθένειαν νομίζει. ἀκούω ὅτι δοῦλος γέγονε, καὶ τὴν κηδεμονίαν θαυμάζω· ἀκούει ἐκεῖνος, καὶ ἀτιμίαν λογίζεται. ἀκούω ὅτι ἀπέθανε, καὶ τὴν δύναμιν ἐκπλήττομαι, ὅτι ἐν θανάτῳ γενόμενος οὐκ ἐκρατήθη, ἀλλὰ καὶ ἔλυσε θάνατον· ἀκούει ἐκεῖνος, καὶ ἀδυναμίαν ὑποπτεύει· ἀκούων ἀνάστασιν ἐκεῖνος, μῦθον τὸ πρᾶγμα φησί· ἐγὼ δὲ τὰς διὰ τῶν πραγμάτων δεξάμενος ἀποδείξεις, προσκυνῶ τοῦ Θεοῦ τὴν οἰκονομίαν· ἀκούων λουτρὸν ἐκεῖνος, ἁπλῶς ὕδωρ νομίζει. ἐγὼ δὲ οὐ τὸ ὁρώμενον ἁπλῶς βλέπω, ἀλλὰ τὸν τῆς ψυχῆς καθαρμὸν τὸν διὰ τοῦ πνεύματος. ἐκεῖνος λελοῦσθαί μοι τὸ σῶμα νομίζει μόνον, ἐγὼ δὲ πεπίστευκα ὅτι καὶ ἡ ψυχὴ γέγονε καθαρά τε καὶ ἁγία· καὶ λογίζομαι τὸν τάφον, τὴν ἀνάστασιν, τὸν ἁγιασμὸν, τὴν δικαιοσύνην, τὴν ἀπολύτρωσιν, τὴν υἱοθεσίαν, τὴν κληρονομίαν, τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν τοῦ πνεύματος τὴν χορηγίαν. οὐ γὰρ τῇ

ὄψει

ὄψει κρίνω τὰ φαινόμενα, ἀλλὰ τοῖς ὀφθαλμοῖς τῆς διανοίας. ἀκούω σῶμα Χριστοῦ, ἑτέρως ἐγὼ νοῶ τὸ εἰρημένον, ἑτέρως ὁ ἄπιστος. *Quanquam vocatur etiam mysterium, quoniam non quæ videmus aspicimus, sed alia videmus, alia credimus. Est enim etiam huiusmodi natura nostrorum mysteriorum. Aliter enim ego, & aliter infidelis de iisdem afficimur. Audio enim, quod Christus fuerit crucifixus, & statim admiror eius benignitatem & in homines charitatem: audit ille, & existimat imbecillitatem. Audio factum fuisse seruum, & quam nostri curam gerit admiror: audit ille, & reputat infamiam. Audio esse mortuum, & stupeo virtutem ac potentiam, quod quum a morte teneretur, non fuerit victus, sed mortem etiam fregerit. Audit ille, & suspicatur imbecillitatem. Audiens ille resurrectionem, dicit esse fabulam. Ego autem suscipiens ipsas quæ per res fiunt demonstrationes, adoro Dei consilium & dispensationem. Audiens ille lauacrum, aquam solum esse existimat. Ego autem non aspicio solum id quod videtur, sed etiam mundationem animæ, quæ fit per spiritum. Ille existimat solum mihi lotum esse corpus: ego vero credo, animam quoque factam esse mundam & sanctam: & reputo sepulturam, resurrectionem, sanctificationem, iustitiam, redemtionem, filiorum adoptionem, regnum cœlorum, suppeditationem Spiritus. Non enim visu iudico ea, quæ apparent, sed mentis oculis. Audio corpus Christi, aliter ego intelligo, quod dictum est, aliter infidelis.* Idem discrimen quoad Eucharistiam sigillatim exaggerat Augustinus sermone XLIV. de Verbis Domini, quem intra Sect. IV. num. XXIX. commodius excerpemus. Præterea opportunus in rem nostram est alius Chrysostomi locus ex Homilia XXIV. in priorem ad Corinthios, vbi initiatum alloquitur, & Magorum exemplo ad venerationem excitat: σὺ δὲ οὐκ ἐν φάτνῃ ὁρᾷς, ἀλλ' ἐν θυσιαστηρίῳ, οὐ γυναῖκα κατέχουσαν, ἀλλ' ἱερέα παρεστῶτα, καὶ πνεῦμα μετὰ πολλῆς τῆς δαψιλείας τοῖς προκειμένοις ἐφιπτάμενον. οὐχ ἁπλῶς αὐτὸ τοῦτο τὸ σῶμα ὁρᾷς, ὥσπερ ἐκεῖνοι, ἀλλ' οἶσθα αὐτοῦ καὶ τὴν δύναμιν, καὶ τὴν οἰκονομίαν ἅπασαν, καὶ οὐδὲν ἀγνοεῖς τῶν δι' αὐτοῦ τελεσθέντων, μετὰ ἀκριβείας μυσταγωγηθεὶς ἅπαντα. *Tu autem non in præsepi vides, sed in altari, non fœminam eum tenentem, sed sacerdotem adstantem & spiritum cum magna copia ea quæ sunt proposita superuolantem. Non solum hoc ipsum corpus vides sicut illi, sed nosti eius & virtutem & dispensationem, & nihil ignoras ex iis quæ per ipsum effecta sunt, vt qui in omnibus mysteriis sis exacte & accurate initiatus.* Vides, quam sobrie & circumspecte Chrysostomus in præsentia non-initiatorum alloquatur ipsos initiatos de Symbolis & ritibus Eucharistiæ, dogma autem realis præsentiæ absque tergiuersatione exprimat. Eundem morem seruat in homilia de beato Philogonio: Μάγοι μὲν ἄνθρωποι βάρβαροι καὶ ἀλλόφυλοι ἐκ περσίδος τρέχωσιν, ὥστε αὐτὸν ἰδεῖν ἐπὶ τῆς φάτνης κείμενον. σὺ δὲ ὁ χριστιανὸς, μηδὲ μικρὸν διάστημα ὑπομένῃς, ὥστε τῆς μακαρίας ταύτης ἀπολαῦσαι θεω-

ρίας. καὶ γὰρ ἂν μετὰ πίστεως παραγενώμεθα, πάντως αὐτὸν ὀψόμεθα ἐπὶ τῆς φάτνης κείμενον. ἡ γὰρ τράπεζα αὕτη, τάξιν τῆς φάτνης πληροῖ. καὶ γὰρ καὶ ἐνταῦθα κείσεται τὸ σῶμα τὸ δεσποτικὸν, οὐχὶ ἐσπαργανόμενον, καθάπερ τότε, ἀλλὰ πνεύματι πανταχόθεν ἁγίῳ περιστελλόμενον. ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τὰ λεγόμενα. οἱ μὲν οὖν μάγοι προσεκύνησαν μόνον. σὺ δ' αὖ μετὰ καθαροῦ προσέλθῃς συνειδότος, καὶ λαβεῖν σοι αὐτὸ συγχωρήσομεν, καὶ ἀπελθεῖν οἴκαδε. *Magi, homines barbari & alienigenæ ex Perside accurrunt, vt illum videant in præsepi iacentem, tu vero qui Christianus es, ne breue quidem spatium emetiri sustineas, vt hoc felici spectaculo fruaris. Nam si cum fide accesserimus, omnino videbimus illum in præsepi iacentem: siquidem hæc mensa vicem explet præsepis. Nam & hic iacet corpus Dominicum, non fasciis inuolutum sicut tunc, sed spiritu vndique sancto inuolutum. Qui mysteriis initiati sunt, intelligunt quæ dicuntur. Magi quidem nihil aliud quam adorarunt, tibi vero, si cum pura conscientia accesseris, nos concedemus ipsum sumere, & domum abire.* Eundem cum Chrysostomo cæteri Patres morem tenuerunt, & coram promiscuo populo ex initiatis pariter ac non-initiatis mixto sermonem facientes obseruarunt. Vnde luce meridiana clarius patet, disciplinam arcani non in dogmatum sed rituum occultatione consistere. Imo vero si disciplina illa dogmatum quoque obscuriorem traditionem comprehendit, libenter a Schelstratio caussam perciperem, qua factum sit, vt Patres in aliis scriptis, quæ ad haud initiatorum manus deuentura non foret metuendum, multo obscurius de corporis & sanguinis Christi præsentia reali sæpius loquantur, & frequentius figuræ, typi ac similia, vocabula adhibeant. Quod verum esse vel ex eo liquet, quoniam Reformatorum inde petitæ obiectiones maximam partem ex ἀκριβεστέροις Patrum Commentariis aut sermonibus coram solis initiatis habitis, non ex vulgaribus concionibus depromtæ sunt. Certe aut propria rursus vineta cædat Schelstratius, & disciplinam arcani circa sanctissimum Eucharistiæ mysterium apud fideles præcipue, ad quorum videlicet vsum scripta illa sermonesque acroamatici cedebant, a Doctoribus Ecclesiasticis obseruatam inuitus agnoscat, aut mecum tandem statuat, disciplinam hanc non in dogmatibus sed ritibus tantum occupatam fuisse: quo pacto facile deprehendet, ex diuersa potius docendi methodo, quam arcani disciplina obscuritatem illam fluere, ac proinde ad perspicuam simplicemque docendi rationem spectare, quæ in homiliis coram promiscuo populo habitis Patres dixerunt; altiorem vero magisque reconditam Philosophiam sapere, quæ proposuerunt in operibus ad eos directis, qui ob laudabiles in cognitione mysteriorum profectus accuratiorem institutionem requirebant. Quemadmodum autem sæpe contingit, vt κατ' ἀκρίβειαν loquentes eiusmodi formulas adhibeant, quæ a communi sensu alienæ sunt, & nonnunquam ipsi obiecto contrariari primo intuitu videntur, re autem satis expensa opti-

me

me conueniunt; ita etiam antiquos Patres in hoc negotio sese gessisse Orthodoxi Theologi pridem animaduerterunt, quos prolixe exscribere nostri non est instituti. Subiungemus tantum Christiani Lupi suffragium, viri cum apud omnes Pontificios, tum apud Schelstratium magnæ auctoritatis, quo is Casauboni nostramque sententiam luculenter comprobat, Scholio in caput XLI. Tertulliani de Præscriptionibus hæreticorum, quanquam nonnulla de transsubstantiatione & superfluis Pontificiorum Sacramentis admiscet, quæ nobis quidem non probantur, Schelstratio autem maxime aduersantur: *Recte vero addit Casaubonus: Non adeo res in Sacramentis significatas & efficaciam illorum siluit vetus Ecclesia, ac Symbola ipsa, & ritus celebrandi & rituum caussas. Insigniter id patet ex secundo Theodoreti Dialogo. Eranistæ enim roganti, Quidnam esset Eucharistia? Orthodoxus reposuit:* Aperte dicendum non est, verisimile est enim, adesse aliquos mysteriis non initiatos. *Et vrgenti,* respondeatur ænigmatice, *respondit:* Cibum ex talibus seminibus. *Et pergenti quærere de sacrosancto calice reddidit:* Commune & hoc nomen est, poculi speciem significans. *Sunt vera ænigmata. Nec aliud Theodoretus edixit de Sacramenti elementis. At vero ipsorum significata, contenta, transelementationem edixit lucidissime;* Post sanctificationem appello corpus & sanguinem Christi. *Discriminis radicem aperit in libro de Baptismo cap. 2. noster Tertullianus:* Nihil adeo est, quod tam obduret mentes hominum, quam simplicitas diuinorum operum, quæ in actu videtur, & magnificentia, quæ in effectu repromittitur. Vt hic quoniam tanta simplicitate, sine pompa, sine apparatu nouo aliquo, denique sine sumtu homo in aqua demissus, & inter pauca verba tinctus, non multo vel nihilo mundior resurgit, eo incredibilis existimetur consequutio æternitatis. *A vilibus elementis donari diuinos adeo ac æternos effectus videbatur infidelibus vanum, risu dignum, impossibile. Iudicabant de aqua Baptismi, alioque omni, Eucharistico præsertim, Sacramentali elemento, quod olim de Iordanis aqua censuerat Naaman Syrus. Hinc illa singulariter ipsis Maiores nostri occultauerunt. In septimo aduersus Imperatorem Iulianum Apostatam libro insigniter hæc exponit S. Cyrillus Alexandrinus.*

CAPVT IV.

Disciplinam arcani ab ipsis Apostolorum temporibus in vsu fuisse.

Disciplinam arcani a Christo Domino institutam, ab Apostolis traditam, ab Ecclesia demum post Apostolorum tempora vsu continuo obseruatam fuisse, ex variis testimoniis ostenderam in Commentario ad Canonem 2. Antiocheni Concilii. Dubitat ea de re Albertinus in sua Dissertatione de mysteriorum reticentia ob testimonium Iustini Martyris, qui in

 Apo-

Apologia pro Christianis Antonino Ethnico Imperatori omnia Sacræ Eucharistiæ arcana exposuit: negat vero Tentzelius in disputatione sua num. 2. asserens, longe aliud scripta Apostolica primorum Ecclesiæ Patrum euincere, & numero IV. pro ratione adiungens, „ Non „ esse aliquod pietatis Christianæ mysterium, quod non perspicue a Christo & Apostolis tra„ditum fuerit. „ Constat Christum (vt ait num. XI.) Ioannis VI. clare de Eucharistia locutum fuisse, Apostolos in Epistolis, vt Paulum ad Romanos & Corinthios, Euangelistas in Euangeliis & Actibus Apostolorum, non minus de Baptismi, ac Eucharistiæ doctrina, & ritibus clare, & sine omni inuolucro scripsisse. *Eumdem morem*, inquit, *in tradendis Religionis nostræ mysteriis, obseruarunt Viri Apostolici;* Ignatius in epistola ad Philadelphios, referens, quod *Vna sit caro Domini nostri Iesu Christi, & vnus Calix in vnionem Sanguinis ipsius;* Iustinus Martyr in Apologia II. adeo clare doctrinam, & ritus de Baptismo, ac Eucharistia proponens, vt Gabriel Albaspineus lib. I. obseru. XIII. eorum euidentia motus, *primi sæculi Christianos sua lubentes mysteria annuntiasse* affirmet; Irenæus demum Lugdunensis lib. IV. aduersus hæreses, cap. XXXIV. & lib. V. cap. II. non solum de Corpore & Sanguine Christi clare disserens, sed lib. III. cap. XV. *fictorum, & praue seducentium hypocritarum molimini* acceptum ferens, *si alia quidem in abscondito, alia vero in manifesto doceantur.*

Hæc sunt præcipua fundamenta, quibus nititur Tentzelii opinio, quæ cum in multis deficiat, vel in illis præcipue, quod nullam inter fideles & infideles distinctionem faciat, & Apostolica, Apostolicorumque Virorum pro fidelibus scripta confundat cum iis, quæ pro infidelibus exarata sunt, vel ad eorum manus deuentura timebantur: tum etiam erronee supponat, disciplinam arcani in omnibus casibus æque obligasse, nullamque rationem dari potuisse, ob quam Catholici a reticentiæ disciplina excusarentur. Quam deuia sint hæc omnia, ostendimus cap. I. huius Dissertationis, vbi pro solis Catechumenis, Iudæis, & Gentilibus disciplinam arcani institutam fuisse monstrauimus, & ostendemus hoc capite, vbi, non semper, & vbique disciplinam illam obseruari debuisse, videbimus.

Grauiter monuerat Christus Matthæi VII. *non esse dandum sanctum canibus, neque margaritas proiiciendas esse ante porcos:* quem locum ab antiquioribus de occultandis coram non initiatis Christianæ Religionis mysteriis intellectum fuisse, in Commentario ad Antiochenum Concilium notaueram. Ad quæ Tentzelius num. XI. „ *Quis non videt, hæc nullo modo posse* „ *consistere, quin imo secum pugnare? Nam si mandatum Christi apud Matthæum de silentii* „ *disciplina capiatur; quare Seruator ipse eam obseruare noluit in concione ad Samaritanos,* „ *quæ post sermonem in monte habitum instituta est, vt certe ex harmonia Euangelica liquet?* „ Adeo monitum Christi de seruando arcano generaliter a nobis intelligi putat Tentzelius, vt iuxta mentem nostram Christum Ioannis 6. Capharnaitis arcanum manifestare non potuisse, credat. Verum respondet pro nobis Augustinus, Christum Ioannis VI. *Non dedisse sanctum canibus, qui capere non poterant, sed eis, qui capere poterant, & simulauerant, quos propter aliorum immunditiam negligi non oportebat.* Aderant itaque concioni plures Christi sequaces, discipuli, & Apostoli omnes, illosque instruxit de veritate Eucharistiæ, præuidens, maius bonum ex fide illorum prouenturum, quam ex infidelitate Iudæorum detrimentum. Sciebat quidem Christus, Iudæos ad inuicem litigaturos, sed non obinde Apostolos, & discipulos negligendos duxit: quin imo, vt eorum fidem probaret, & fideles ab infidelibus separaret, occasionem illam de Eucharistia loquendi arripuit, scandalumque Iudæorum permisit, vt fideles cauti redderentur, cognoscerentque Apostoli, quam recte præmoniti erant, ne darent *sanctum canibus, & proiicerent margaritas ante porcos.*

Quam accurate hæc conueniant iis, quæ Christus Dominus eiusque Apostoli ab initio obseruarunt; patet primo ex eo, quod ea nocte, qua Christus tradebatur, mysterium illud in priuato cœnaculo coram solis Apostolis instituerit, ibidemque eos Sacerdotes creauerit, & interuen-

cruentum Sacrificium in sui commemorationem offerre præceperit. Dum Discipuli eum cognouerunt in fractione panis,quam Sacræ Eucharistiæ communionem interpretatur D.Augustinus, non erant plusquam duo, qui inclinato iam Sole mensæ Dominicæ accumbebant. Narrat Sanctus Lucas Act. 1. Apostolos post Christi in Cœlum ascensionem adeo remote a Iudæorum oculis orationes suas peregisse, vt referat, eos non solum in cœnaculum introisse, sed & ascendisse in locum superiorem, ibique mansisse Apostolos, *qui omnes erant perseuerantes Vnanimiter in orationibus cum Maria Matre Iesu, & fratribus eius.* Et hoc in loco mysticas Deo preces obtulisse tradit Hesychius. Post aduentum Spiritus Sancti, etiamsi Synagogam, & Templum pro oratione & concione adibant, numquam coram Iudæis offerebant, sed teste Luca Actorum 11. vers. 46. qui in Templo prædicabant, circa domos panem frangebant: *Erant*, inquit,*quotidie perdurantes Vnanimiter in Templo,& frangentes circa domos panem.* Quo loco nihil clarius, nihil expressius desiderari potest pro occultatione Sacrificii & rituum,quam Apostoli primis nascentis Ecclesiæ temporibus obseruabant.

Neq; obest,tam in Euangeliis,quam in Pauli ad Corinth.& Ignatii Martyris ad Philadelphienses Epistolis claram de mysteriis mentionem fieri: notandum enim est,pro quibus, & ad quos scripta sunt. Euangelia pro fidelibus scripta fuisse,videbimus infra. Epistolam Pauli non ad Gentiles,sed ad fideles scriptam esse,patet ex inscriptione: *Omnibus,qui sunt Romæ, dilectis Dei Vocatis sanctis.* Epistola quoq; eius prima ad Corinth. inscribitur: *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu,Vocatis sanctis,cum omnibus,qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi in omni loco ipsorum,& nostro.* Epistola item Ignatii Martyris scripta est ad Ecclesiam Philadelphiensem: vt mirum omnino non sit, in his omnibus clare mentionem fieri Sacræ Eucharistiæ, vel mysteriorum Religionis Catholicæ.

Maiorem difficultatem habere videtur Apologia Iustini Martyris,quæ Antonino Pio Imperatori,eiusque filiis,ac Romano Senatui oblata est. Cum enim Rom.Senatum Gentilem tunc fuisse, Antoninum quoq; cum eius filiis Paganos extitisse, certum sit; ostendi debet,quomodo salua disciplina arcani tam clare de Baptismi ritibus,& Eucharistiæ Sacramentis tractare potuerit Iustinus. Fateor quidem, Gabrielem Albaspineum Aurelianens. Episc. ex Iustini Martyris Apologia conclusisse,quod *primi sæculi Christiani sua lubentes mysteria enuntiarint.* Verum, quod vnum Iustinum fecisse constat,cur aliis quoq;Christianis & licuisse,& in vsu fuisse dicendum sit,videre non possum. Viuebat Iustinus iis temporibus, quibus Christianorum nomen odio erat Gentibus,fama conuiciis lacerata, vita de occultis criminibus accusata,ideoq; continuo mortis periculo exposita. Hanc infamiam,hæc crimina immerito Christianis tribui,ostendere volebat Iustinus Philosophus,cumq; id præstare nequiret, nisi aperta & nuda Christianæ Religionis expositione, disciplinam arcani sibi hoc casu obseruandam non esse credidit, sed Antonino Imperatori, & Senatui Romano occultata & arcana Ecclesiæ mysteria patefecit. Peculiarem hanc Iustini rationem pro Christianis coram Imperatore & Senatu Rom.intercedendi non habuere omnes Christiani,neq; omnes etiam iussu Imperatorum de Religione interrogati hanc sibi licentiam assumpsere. Constat enim ex Plinii Secundi relatione ad Traianum Imperatorem, se nihil aliud ex Christianis cognoscere potuisse, quam ipsos conuenire solitos fuisse ad *capiendum cibum innoxium & promiscuum*: additque,eo sese magis necessarium credidisse,*ex duabus ancillis, quæ ministræ dicebantur, quid esset Veri,& per tormenta quærere*; sed nihil aliud inuenisse,*quam superstitionem prauam & immodicam.* Ex quibus meo quidem iudicio clarissime patet,Christianos Asiæ disciplinam arcani coram Plinio II.Bithyniæ Proconsule adeo caste obseruasse,vt ne quidem ex ancillis Christianis per tormenta arcanorum publicationem extorquere potuerit. Quinimo Iustinus ipse,postquam prima sua Apologia nihil apud Antoninum profecisset,in secunda ad Marcum & Lucium eius filios nihil deReligionis nostræ arcanis reuelauit, sed altum de iis silentium tenuit.

Extat

Extat quidem Iustini Dialogus cum Tryphone Iudæo, in quo de mysteriis nostræ Religionis agens, de Sanctiss. Trinitate clarius, de Eucharistia vero obscurius loquitur. Meminit panis & poculi Eucharistici, sicque obscurioribus verbis mysteriũ exponit, quod illud ex disciplina Ecclesiæ Iudæis occultandũ esset. Non ita tamen de mysterio Trinitatis, quod Iudæis, vt ante monuimus, exponi poterat. Clare itaque de Trinitatis mysterio egit cum Tryphone, neq; ita egisset, si Tryphon Gentilis & non Iudæus fuisset: Gentilibus enim, non vero Iudæis ex disciplina Ecclesiæ occultari debebat. Neque adeo clare de Sanctissima Trinitate fidelium mentem exponere solebat Iustinus, vt præ se ferre videtur liber de *expositione fidei* inter Opera Iustini editus, de quo Bellarminus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis diserte scribit, se ambigere, an Iustini sit: „ Primo, quia Veteres eius non meminerunt. Secundo, quia stylus videtur es- „ se diuersus a stylo Iustini. Tertio, quoniam multo apertius & distinctius disserit de myste- „ riis Trinitatis, & Incarnationis, quam Scriptores eius sæculi facere solebant.

Quod de Iustino Martyre in occultando Eucharistiæ mysterio Iudæis, hoc Lactantium Firmianum in libris suis Institutionum obseruasse pro Gentilibus, vel ex eo patet, quod nullam mentionem faciat mysterii Eucharistici, cum tamen de singulis Religionis Catholicæ dogmatibus Symbolo contentis clarissime tractet. Vnum est hoc loco exponendum, quomodo in libris illis de Sacro Trinitatis mysterio agere non dubitauit? Consideranti mihi integrum Lactantii Opus in septem libros distributum, duæ potissimum rationes occurrunt, quarum prima supponit, Lactantium vere opus pro Gentilibus edidisse, sed illo tempore, quo Arius dogma de Sanctissima Trinitate oppugnabat, & Romanum Imperium sub Costantino Magno fidem amplexum erat. Hoc enim tempore, dum passim Gentiles ad fidem conuertebantur, & Arii hæresis Trinitatis mysterium oppugnabat, putauit Lactantius, sibi licitum esse, clarius de mysterio illo agere, eiusque vestigia ex antiquis Philosophorum scriptis ostendere, quodque Gentilibus ipsis dogma illud non omnino ignotum fuerit, monstrare. Lactantius namque ex antiquis Philosophis vbique probat id, quod nostris temporibus probandum suscepit Steuchus Eugubinus libro de perenni Philosophia, non Trismegistum solum cum aliis Ægyptiis, sed & Ethnicos ipsos, Trinitatem quamdam agnouisse; & hac forsan ratione moti Tatianus, Athenagoras, & Lactantius crediderunt Trinitatis mysterium Gentilibus exponi potuisse, sicut Iudæis (qui in Prophetarum oraculis illius notitiam acceperant) exponebatur. Secunda ratio supponit, libros illos non pro Gentilibus, sed pro Catechumenis compositos fuisse, cum illa omnia contineant, quæ Catechumenis ante Baptismum exponi solebant, ideoque iisdem nomen *Diuinarum Institutionum* datum fuisse. Quidquid autem sit, certum est, post Lactantium disciplinam arcani obtinuisse in Ecclesia, vt probauimus cap. II. artic. I. supra. Vnde omisso vlteriori hac de re tractatu, monstrabimus contra Tentzelium, & alios Nouatores, disciplinam arcani non in supposititiis dumtaxat Apostolorum operibus, sed in genuinis quoque antiquissimorum Patrum scriptis, tribui Christo Domino, velut Authori, adeo, vt a Saluatore nostro institutam, ab Apostolis Ecclesiæ traditam, & ab Ecclesia etiam duobus primis seculis obseruatam fuisse, iis Patrum testimoniis confirmaturi simus, quæ nemo prudens contempserit; nemo, qui recte sapere velit, negare poterit.

ARTICULUS VNICUS.

Quod plurimorum antiquiorum Patrum traditione constet, Christum Matthæi 7. Disciplinam Arcani obseruandam proposuisse.

Allatum supra Christi mandatum, quo Matthæi 7. statuit, *Nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*, ita ab antiquioribus intellectum fuisse ad cano-

canonem 2. Antiocheni Concilii notaueram, vt non exponerentur sanctiora Christianæ fidei mysteria, *nisi fidelibus.* Verba mea repetit Tentzelius num. 11. suæ disputationis, & ait: *Falsum est, quod addit vir doctus, locum Matthæi ab antiquioribus de occultandis Christianæ Religionis mysteriis explicari, quum diuersos explicandi modos habeat, vt ex discrepantibus Patrum sententiis constat.* Mirum est Tentzelii argumentum, quo dicta mea impugnat, cum ego ipse in Commentario ad Antiochenum Concilium varias Patrum interpretationes indicassem spectare ad participationem Sacræ Eucharistiæ, vel eiusdem aliorumque mysteriorum doctrinam, quæ tamquam Sancta canibus danda non esse, & tamquam margaritas ante porcos proiici non debere, Christus Matthæi 7. grauissime monuit, vt Sancti Patres interpretati sunt. Id falsum esse dicit Tentzelius: mitioribus verbis vti potuerat, & certe præstitisset: falsum enim dicit, quod verum esse, luce clarius ex antiquiorum testimoniis patebit.

§. I.

Ex Libris sub nomine Recognitionum editis.

LIcet Recognitionum libri Clementi Primo immerito tribuantur, esse tamen antiquissimi Authoris Græci, patet ex Ruffino, qui seculo quarto eas in Latinum sermonem conuertit, ex cuius interpretatione libro 3. refertur, Petrum in medio fratrum dixisse: *Nihil est difficilius, fratres mei, quam de veritate apud permixti populi multitudinem disputare. Quod enim est, omnibus, vt est, dici non licet propter eos, qui maligne & insidiose audiunt: fallere vero non expedit, propter eos, qui sincere audire desiderant veritatem. Quid ergo faciet, cui ad indiscretum populum sermo est? Occultet quod verum est? Et quomodo instruet eos, qui digni sunt? Sed si meram proferat veritatem his, qui salutem consequi non desiderent, illi, a quo missus est, iniuriam facit, a quo mandatum accepit, ne mittat verborum eius margaritas ante porcos, & canes, qui aduersus eas argumentis ac sophismatibus reluctantes, ipsas quidem cœno intelligentiæ carnalis inuoluant, latratibus autem suis, & responsionibus sordidis, rumpant & fatigent prædicatores verbi Dei. Propter quod & ego in plurimis circuitu quodam verbi vtens, tentare nitebar, ne principalem de summa Diuinitate intelligentiam minus dignis auribus publicarem.*

Clara sunt huius Autoris verba, neque expositione vlla indigent, quandoquidem locum Matthæi 7. de non mittendis margaritis ante porcos & canes interpretetur etiam de intelligentia summæ Diuinitatis non omnibus, sed iis, qui salutem consequi non desiderant, hoc est Ethnicis, & non initiatis ex mandato Christi occultanda. Neque refert, Opus, ex quo hoc testimonium desumtum est, ab aliis Periodum, Itinerarium, & Circuitum Petri, vel Clementis nominari, falsoque recognitionum titulo a librariis ornatum esse, vt contendit Tentzelius, qui illud suppositiriis scriptis diserte ab Athanasio Alexandrino Patriarcha, & Gelasio Papa accenseri notauit. Non enim hic disputamus de Operis titulo, sed sub illo proferimus, sub quo editum habetur. Non etiam contendimus, Opus illud Clementi Primo tribuendum esse, cum nobis hic sufficiat, ab vno ex antiquioribus scriptum esse, & in eo disciplinam arcani, tamquam a Christo institutam, & Apostolis obseruatam tradi, hocque etiam genuinis antiquiorum Patrum operibus consonum esse. Quod autem Operis Auctor ex antiquioribus fuerit, ipse Tentzelius admittit num. XII. suæ disputationis: *Equidem non diffiteor, inquit, opus hoc perantiquum esse, & circa sæculi secundi finem conscriptum videri Blondello, Dallæo, & Alexandro, idque ab Origene in Philocalia cap. XXII. & alibi, multisque veterum memorari.* Constat quoque ex verbis citatis, ab Authore disciplinam arcani Christo, & Apostolis tribui, & ex dicendis constabit, testimonium eius quoad hoc genuinæ antiquiorum Patrum traditioni consonum esse.

SECTIO

SECTIO IV.

ANIMADVERSIONVM

IN

CAPVT IV. APOLOGIÆ.

I.

POstquam disciplinæ arcani obiectum vindicaui, ad tempus, quo cœpit, vt progrediar, ordo postulat. Mea quidem fert sententia, ad secundi sæculi extrema originem eius in Orthodoxa Ecclesia referendam esse. Quam ita impugnat Schelstratius, vt satis innuat, argumenta mea non nullius esse ponderis; quibus vtcunque remouendis tria κρηστφύγετα excogitauit, quorum primo falso iterum mihi tribuit, quasi nullam inter fideles & infideles distinctionem faciam: id enim tantum a mea opinione abest, vt Schelstratio potius conueniat, qui inter dogmatum & rituum occultationem discrimen nullum agnoscens, sed vtramque pro solennis reticentiæ obiecto venditans fateri omnino necesse habet, arcani disciplinam ad fideles pariter ac infideles pertigisse. Alterum effugium scripta Apostolica concernit, quasi ea a gentilibus lecta non fuerint, quod infra cum Schelstratio expendam; nunc saltem admirari satis non possum, qua ratione scripta pro infidelibus exarata vel ad eorum manus deuentura admittat, quum ex iisdem mysterium Trinitatis probauerit Petauius, & Iustinus Martyr in Apologia Baptismi & Eucharistiæ dogmata ritusque diserte exposuerit. Vidit hoc Schelstratius, aliamque elabendi rimam quæsiuit, & quum aliter non posset, disciplinam arcani non semper & æque obseruatam fuisse contendit, Christique & Apostolorum exemplum allegauit. Atenimuero præterquam quod hac ratione probationis loco ea attulit, de quibus controuersia erat, quum Christum & Apostolos disciplinā arcani tenuisse negem; cur tantopere repugnat Schelstratius vnico Constantini Baptismo in fine vitæ suscepto, eo præcipue argumento, quod in Concilio Nicæno alioquin disciplina arcani violata fuisset? Cur non potius concedit, quod Nostrates & e suis non pauci largiuntur, multa extra ordinem permissa fuisse Constantino fouendo & Ecclesiæ bono conseruando, quæ aliis Catechumenis nequaquam concedebantur? Reliquum est igitur, vt vel effugii sui nullitatem agnoscat, vel argumenti aduersus Eusebium infirmitatem. Nam si vnquam laxandæ disciplinæ causam habuerunt Patres, ea sane in Constantino maxima fuit, postquam Christianismum amplexus est, ne disciplinæ asperitate deterritus ad gentiles relaberetur. Certe si Iustinus Martyr coram ethnicis Imperatoribus & Christianorum hostibus arcana reserare debuit, vt Schelstratius supponit, quanto magis Constantino ea exponere conueniebat, qui ante victum Maxentium diuino impulsu

pulsu paganam superstitionem deposuerat, & Christianam religionem pro virili fouebat ac protegebat? quanquam pro more illius ætatis baptismum differebat, volebatque in Iordane tingi. Ex his autem manifestum est, vtrumlibet dixerit Schelstratius, in alterutrius adserti eius detrimentum vergere. Sed nos insuper ab eo postulamus, vt ex libris, tertio, quarto quintoue sæculo, quando arcani disciplina potissimum floruit, siue ad gentes siue aduersus eas pro defendenda Christiana fide scriptis, vnicum saltem locum proferat, qui de Symbolis ritibusque Eucharistiæ tam clare aperteque agat, quam Iustinus Martyr in sua Apologia. Quod si enim huic concessa fuit diserta confessio, quidni sequenti ætate in simili casu id fecerint Tertullianus, Minutius, Arnobius, Clemens Alexandrinus, aliique Doctores? Mallem sane veritatem confiteri, statuendo, hos arcani disciplina fuisse prohibitos, quæ Iustini ætate nondum erat introducta, quam cum Schelstratio errare, & in has angustias me sponte coniicere.

II. Plura hanc in rem adferam, postquam Schelstratii de Christi & Apostolorum more asserta excussero. Neque enim opus esse existimo tanto testimoniorum apparatu, ad verborum Christi Matth. VII. genuinum sensum intelligendum, quantum paullo post congerit Schelstratius; non animaduertens, eo tempore, quo Christus ad discipulos de sancto canibus non dando loquebatur, neque Baptismum cum vniuersali obseruandi obligatione, neque omnino Eucharistiæ Sacramentum fuisse institutum: ecquomodo igitur de iis rebus occultandis Apostolos tunc monuerit Seruator, de quibus nihil adhuc ipsis constabat? Vt vel ex hoc solo colligendum sit, Patres, si quando ad disciplinam arcani mandatum Christi trahunt, id tantum applicare, non explicare. Quod sane generale est, & in sua latitudine omnia religionis Christianæ mysteria inuoluit: quum autem disciplina arcani, etiam ex Schelstratii sententia, non circa omnia, sed quædam tantummodo mysteria versata sit, manifestissime patet, eam a Christo ibi institutam præceptamque non esse. Præclare hanc in rem scribit Gebhardus Theodorus Meierus num. LVI. *Christus non respicit ad solennem aliquam & singularem silentii sacrorum disciplinam, quam vel institueret, vel institutam lege firmaret, aut cui instituendæ saltem occasionem praberet, sed tantum ne Euangelicæ sapientiæ mysteria sine delectu prodantur dignis & indignis, communi prudentiæ regula cauet. Ex lege illa Christi nulla sacra dogmata canibus & porcis sunt aperienda; disciplina autem Veteris Ecclesiæ quædam tantum sacra vult tegi, & quidem coram iis etiam, qui non sunt canes & porci.* Nec vidit Schelstratius absurdum, quod ex sua interpretatione consequitur; suam nimirum Ecclesiam Christi mandatum hodie non amplius obseruare, quoniam arcani disciplinam aboleuit, vtut tam Iudæi in Imperio Romano, quam Ethnici in Oriente plerunque intermixti viuunt. Atenimuero, quia Ecclesiæ liberum non est, Christi mandata abrogare, quæ vsque ad nouissi-

nissimum diem valorem suum obtinent, nemo non videt, aut arcani disciplinam Christum ibi non instituisse, aut Romanam Ecclesiam in maximo versari piaculo. *Non enim in potestate est hominum, immutare illa, quæ ab Christo semel ordinata sunt: aut alio modo, quam ex eius præscripto, ac voluntate tractare*, vt apposite Petauius Tom.III. Dogmatum Theologicorum Lib. I. de Ecclesiastica Hierarchia cap.I.n.2. Præterea Christus per canes & sues intelligit obstinatos, epicureos, acriterque resistentes; cuiusmodi ne cunctos quidem Ethnicos aut Iudæos, multo minus Catechumenos fuisse constat, quos tamen omnes promiscue arcani disciplina a conspectu Sacramentalium actionum arcebat. Itaque hoc Christi mandatum exsequuti sunt Apostoli, quando impiis Iudæis acriter obiurgatis ad ethnicos verbum Dei detulerunt, cuius rei illustre exemplum exstat Actuum XIII. 46. & XIX. 6. Cætera quæ aduersus instantiam ex Ioan.VI. a me factam reposuit Schelstratius, meam potius confirmant, quam infringunt sententiam. Quum enim disciplinam arcani dogmata non attigisse euicerim, tum facile relinquitur, etiamsi a Christo eam obseruatam esse ponamus tantisper cum Schelstratio, nihil tamen obstare, quo minus ille coram promiscuo populo de corporis sui manducatione sanguinisque bibitione verba fecerit. Quanquam haud ignoro, Christum Capernaumi non de Sacramentali sed spirituali manducatione egisse, vti Orthodoxi Theologi pridem docuerunt, adstipulantibus nonnullis e prudentioribus Pontificiis, a quibus in Concilio etiam Tridentino eam in rem disputatum esse Petrus Suauis lib. VI. p. 434. & Sfortia Pallauicinus Lib.XVII. cap. XI. prolixe commemorant. Enimuero quia Schelstratius communem suorum interpretationem sequitur, (in cuius societatem me immerito trahit, quasi dixerim, Christum Ioan. VI. clare *de Eucharistia agere*) & per arcani disciplinam dogmata etiam occultata fuisse contendit, non mirum est, quod inextricabiles incurrit difficultates, quas præsentiens ad tertium illud effugium sese proripuit, quasi solennis reticentia non æque obseruari semper debuerit. Hinc comminiscitur, Christum rationem potius habuisse discipulorum, quam Iudæorum, quos litigaturos sciebat. At Seruator non minus sciebat, plurimos discipulorum non credituros, nec secum porro ambulaturos esse, solis XII. Apostolis remanentibus, vt diserte eodem capite Ioannes testatur. Quum autem plurima seorsim Apostolis tradiderit Iesus, sane conueniens necessariumque erat, vt legem solennis reticentiæ a se (ex Schelstratii opinione) latam ipse obseruaret, & Apostolos suo doceret exemplo, quomodo ea sit tenenda, eosdemque solos priuatim instrueret de veritate Eucharistiæ, quemadmodum coram iis solis ex Schelstratii sententia eam instituit, vt mox videbimus.

III. Etenim Schelstratius disciplinam arcani ex institutione Eucharistiæ, & fractione panis a Luca in Euangelio & Actibus commemorata vult euincere. Sed vbi ille apud Matthæum, Marcum & Lucam reperit, Christum illud mysterium

coram

coram solis Apostolis instituisse, eos Sacerdotes creasse, & incruentum sacrificium afferre præcepisse? Nullum sane verbum iis de rebus apud Euangelistas exstat, quas mera Pontificiorum placita esse nulloque fundamento niti Nostrates sæpe monuerunt. Equidem soli Apostoli cum Christo accubuerunt, soli etiam de sacra Eucharistia participarunt, coram iis autem solis hæc gesta esse vnde nouit Schelstratius? Multo sane verosimilior est opposita sententia, quum constet, accumbentibus semper adfuisse ministros in cibo potuque subministrando occupatos; neque dubium esse possit, quin in extrema Domini cœna tales seruitia præstiterint. Hos autem a conspectu institutionis Eucharistiæ fuisse segregatos & exire iussos nullibi legimus. Potius mansisse colligitur ex Lucæ XXII. 27. vbi Christus celebrato Sacramento discipulos ad humilitatem hortatur exemplo τῶν διακονέντων τοῖς ἀνακειμένοις, eorum qui mensæ accumbentibus ministrabant, occasionem sumens a ministris adstantibus, quemadmodum similem discipulorum pugnam infante in medium eorum constituto sedauerat Matth. XIIX. 2. Ipse enim vtpote perfectissimus Doctor optime nouerat, non aliunde melius & efficacius quam a rebus præsentibus exempla duci posse. Porro in verbis Lucæ de discipulis Emaunticis non Eucharistiam sed vulgarem cœnam intelligi debere, cum rationibus, tum Lyrani, Widefortii, Dionysii Carthusiani aliorumque suffragiis probauit Gerhardus in Harmonia Euangelica cap. CCXI. & Iansenii verba addidit, censentis, *panem a Domino in Emmaus benedictum non fuisse ipsam Eucharistiam, sed tantum figuram Eucharistiæ, neque aliud ex Augustino, Beda, & Theophylacto, qui eo accommodant, colligi posse.* Ex recentioribus Guilielmus Estius in Annotationibus in præcipua ac difficiliora S. Scripturæ loca p. 994. postquam verbum *benedixit* apud Lucam de benedictione cibi vulgaris explicauit, e vestigio subiicit: *Vnde ex vocabulo BENEDIXIT nullum sumitur argumentum pro consecratione corporis Domini. Imo Christum hic non consecrasse corpus suum, etiam his argumentis monstrari videtur: tum quia non dedisset talibus nondum satis confirmatis in fide; tum quia non daret corpus suum iis, qui de huius mysterii veritate nondum erant instructi; quia hi non adfuerant in cœna, qua institutum fuit hoc mysterium. Nemini autem dandum est corpus Christi, nisi illud mysterium cognoscenti & credenti. Item si dixit:* hoc est corpus meum, *iam ante debebant eum nosse: quia in illo verbo, quod ex eo nunquam audierant, nosse eum non potuissent.* Respondet quidem Estius ipse ad primam ex his obiectionibus: *potest ad hoc dici: quod iam erant per Christi instructionem satis confirmati in fide resurrectionis eius;* & in fine allegat Commentarium suum in Librum quartum sententiarum distinct. II. Sed cum reliquæ eius rationes satis prægnantes sint, his amplius haud immorabimur, sed preces Apostolorum aliorumque fidelium Act. I. 14. considerabimus, quas stricte nimis accipit Hesychius a Schelstratio allegatus. Potior nobis est Cypria-

mus, qui in Expositione Orationis Dominicæ de precibus in communi explicat: *Sic & Apostolos cum Discipulis inuenimus orasse. Erant, inquit, perseuerantes omnes vnanimes in oratione cum mulieribus & Maria, quæ fuit mater Iesu, & fratribus eius. Perseuerabant in oratione vnanimes; orationis suæ & instantiam simul & concordiam declarantes. Quia Deus, qui inhabitare facit vnanimes in domo, non admittit in diuinam & æternam Domum, nisi eos, apud quos est vnanimis oratio.* Quæ Cypriani interpretatio magis commendata nobis esse debet, quod liber eius quarto quintoque sæculo non tantum in Africa, sed & in Gallia magnæ fuerit auctoritatis, vt ex Hilarii & Augustini testimoniis colligitur, quæ in editione Oxoniensi pag. 139. habentur. Hesychius autem & incertus est scriptor, sæculoque sexto recentior, & ad tantæ auctoritatis fastigium nusquam ascendit. Frustra quoque est Schelstratius, quando ex congregatione fidelium in cœnaculo pro disciplina arcani argumentatur; illi enim sequuti sunt communem Iudæorum consuetudinem, *vt cum de lege & rebus religionis esset tractandum extra Synagogam ascenderent* לעליה, *εἰς ὑπερῷον, in aliquam partem domus superiorem*, quod Ioannes Lightfootus ad hunc locum annotat, pluribusque Iudæorum & Christianorum exemplis illustrat. Denique *fractio panis* Act. II. 46. non necessario de Eucharistia intelligenda est, sed a Grotio de Agapis verosimilius exponitur. Tantum vero abest, vt Agapas coram non-initiatis occultarint Christiani, vt potius vniuersam illarum rationem Tertullianus in Apologetico enarrarit. Sed demus, de Eucharistia Lucam loquutum, vnde nouit Schelstratius, nullos in istis domibus fuisse Iudæos infideles; cum potius constet, non integras semper familias, sed personas aliquas ad Christum conuersas: & quis negauerit, Iudæos proditores sæpe Christianorum domos, clam intrasse, sacrisque eorum superuenisse? Imo quis crediderit Iudæos concessuros, vt Eucharistia ab Apostolis in templo aut Synagogis offerretur? vnde patet, non disciplinæ arcani, sed communis periculi caussa primos Christianos in priuatis domibus de Eucharistia participasse.

IV. Priusquam ad alias Schelstratii responsiones pergam, Petri Apostoli exemplum allegabo, vt eo perspecto Schelstratius ad meliorem mentem redeat, quoniam Apostolorum Princeps arcani disciplinam non seruauit. Enimuero & dogma Baptismi proposuit in maxima Iudæorum proselytorumque frequentia, cum die Pentecostes sermonem ad eos haberet, Act. II. 38. & a rituum baptismalium conspectu eosdem non fuisse prohibitos haud obscure præsupponit capite III. prioris epistolæ v. 21. Quum enim Sacramentum istud trina immersione vel adspersione perageretur, Iudæi non minus ac Ethnici spectatores cogitabant, esse ablutionem sordium carnis, qualis in sacris suis erat frequentissima. Hanc occupationem ibi diluit Petrus, & veram baptismi rationem explicat. Quod obseruauit Sebastianus Schmidius in Collegio Biblico posteriori Loco XVII. Dicto II. num. 6.

Quan-

Quandoquidem nimirum in Sacramentali baptiſmo aqua vera, qua alias ad lauandum corpus vtimur, vſurpatur: potuiſſet, qui actum baptiſmi ſpectabat, cogitare, finem quoque Sacramentalis baptiſmi hunc eſſe, vt corpus ſeu caro ablueretur a ſordibus ſuis. Iſtas itaque nimis profanas cogitationes Apoſtolus occupat, dicitque, baptiſmum hunc non eſſe ablutionem ſordium carnis. Sed eiuſmodi cogitationes Chriſtianorum ſane haud erant, quippe qui ſacrum Baptiſmi myſterium optime nouerant, ſed Iudæorum ac Gentilium, qui a ſpectandis Chriſtianorum ceremoniis ſacris nondum arcebantur. Porro quia ibidem baptiſmi dogma Petrus diſertis verbis explanat, diſciplinam arcani ex Schelſtratii quoque definitione non tenuit, ſi Pontificiorum hypotheſin admittamus, qui Petrum Babylonis nomine Romam obſcure ſignificaſſe volunt, quod metus ſubeſſet, epiſtolam in Gentilium manus forte deuenturam. Ita enim Natalis Alexander Diſſertatione XII. ſæculi primi: *Cur autem Romam proprio nomine non deſignauerit Apoſtolorum Princeps, ratio in promptu eſt: quia nempe ex carcere Hieroſolymitano fuga lapſus, commorationis locum ſuæ omnibus notum eſſe nolebat; & Chriſtianorum, qui Romæ degebant, ſaluti cupiebat eſſe conſultum; ne ſi in Gentilium manus hæc forte epiſtola perueniret, ſcirent multos Romanorum Chriſto nomen dediſſe; atque mouendæ contra ipſos perſequutionis anſam arriperent.* At ſi nomen loci reticuit Petrus, quanto magis de religionis noſtræ myſteriis obſcure ipſi erat loquendum, ne gentilibus ratio eorum innoteſceret, ſi ad hanc epiſtolam legendam accederent, adeoque arcani diſciplina ex mente Schelſtratii deſcripta violaretur? Sed nulla apud Petrum obſcuritas occurrit, omnia potius aperte & ſine vllis verborum inuolucris enuntiat. Eadem Paulli fuit conſuetudo, ut initio tertiæ Sectionis vidimus: cujus diſcipulum dum ſe iactat Triephon in Dialogo Philopatris apud Lucianum, innuit ſimul, arcani diſciplinam Apoſtolorum æuo non receptam fuiſſe. Conſtat enim, ex huius diſciplinæ præſcripto orationem Dominicam coram non-initiatis fuiſſe occultatam, idque poſt alios probat Cardinalis Bona lib. II. Rerum Liturg. cap. XV. num. 2. Sed Triephon ille, Catechetæ Chriſtiani perſonam gerens, quanquam Critiæ, rudiori Catechumeno, & ad baptiſmum nondum præparato, vix ea propoſuerat, quæ imperfectioribus tradi Auguſtinus Donato præcipit; hortatur tamen diſcipulum ſuum, vt orationem Dominicam recitet, quam his verbis indicat ſub finem Dialogi: τὴν εὐχὴν ἀπὸ πατρὸς ἀρξάμενος, καὶ τὴν πολυώνυμον ᾠδὴν εἰς τέλος ἐπιθείς. *Precationem recita, quæ incipit a Patre, & ad finem eius adde hymnum decantatum.* Rigaltius ad Tertullianum optime notat, per εὐχὴν ἀπὸ πατρὸς intelligi orationem Dominicam: πολυώνυμον ᾠδὴν Ioannes Gregorius Notis in aliquot loca Scripturæ cap. XXXIIX. interpretatur de clauſula orationis illius: ſed Thomas Smith in Miſcellaneis p. 139. mauult accipere de vetuſtiſſimo quodam hymno in Conſtitutio-

 nibus

nibus etiam Apostolicis memorato: *Quæ sic intelligo*, inquit, *istius aui Christianos preces ab oratione Dominica auspicatos, hoc hymno, qui varias Dei & Christi appellationes continet, addito quasi colophone, iisdem defungi consueuisse.* Vtcunque sit, nobis sufficit, ex illo Dialogi loco euinci, arcani disciplinam nondum obtinuisse tempore Neronis, vel Traiani, vel Antonini, quo is scriptus perhibetur. Neque enim Triephon opinor, prodidisset Critiæ, quod ex præscripto illius disciplinæ ἀμυήτοις occultandum erat. Nescio, an his subiicere debeam testimonium, quod in Passione S. Andreæ reperitur. Omittendum suadet quidem notoria libri apud nos *νοθεία*; quia tamen Bellarminus & Posseuinus germanum esse prolixe contendunt, nec eorum sententiam improbat Schelstratius P. II. Antiquitatis Illustratæ Dissertat. III. cap. I. num. 245. breuiter de illo dispiciemus. Posito enim non concesso, Apostolos disciplinam arcani obseruasse, inde tamen luculenter pateret, eosdem non dogma sed symbola Eucharistiæ occultasse. Andreas enim Apostolus coram Ægea, *Ego*, inquit, *agnum immaculatum quotidie sacrifico.* Sed modum hunc Schelstratio, qui incruentum sacrificium semper in ore habet, soluendum relinquentes ad Hadriani & Antonini Pii æuum redimus, quo vixit Celsus Epicureus, acerrimus Christianorum aduersarius. Hic inter alias calumnias, quas libro III. diluit Origenes, hanc etiam habet, quod Christianorum Doctores non sicut præcones gentiles ad mysteria vocare soleant eos, qui ab omni scelere puri sunt, sed omnibus potius sceleribus pollutos. Inde luculentissime patet, isto tempore nondum viguisse disciplinam arcani. Nam ex quo ea introducta fuit, Diaconus semper ab Eucharistiæ celebratione exclusit altaque voce egredi iussit non-initiatos pariter ac pœnitentes. Id procul dubio sciuisset Celsus, suamque obiectionem aliter instituisset: nec Origenes ex disciplina arcani respondet, quippe quam sua quidem ætate obtinere videbat, Celso autem viuente nondum exstitisse optime nouerat.

V. Antonino Pio obtulit etiam Iustinus suam Apologiam, in qua nec dogmata, nec ritus Sacramentorum siluit: cuius testimonii grauitatem persentiscens Schelstratius, in omnes se vertit angulos, vt illam a se declinet. Vult itaque, id Iustini factum peculiare fuisse, vt Antonino Imperatori & Senatui Romano mysteria exponendo infames calumnias Christianis immerito tribui ostenderet, neque idem cæteris Christianis licuisse aut in vsu fuisse. Sed hoc gratis dicit, quum nihil obstante Iustini confessione calumniæ perseuerauerint, sequentes tamen Apologetæ idem cum eo minime fecerint; nulla autem huius differentiæ caussa alia est, quam arcani disciplina, quæ Iustini quidem ætate nondum recepta haud prohibebat, quo minus aperte dissereret; hinc Apologia eius non tantum Imperatoribus, sed καὶ δήμῳ παντὶ Ῥωμαίων, *etiam vniuerso populo Romano* inscripta est, qui tum temporis per πᾶσαν τὴν οἰκουμένην late domina-

ba-

batur, vt adeo Iuſtini Martyris Apologia toti fere terrarum orbi patuerit. Iam ſi Christus & Apoſtoli diſciplinam arcani inſtituiſſent, quis ab audacia abſoluerit Iuſtinum, eam proditione myſteriorum violantem? Excuſationem ſaltem is addere debuiſſet, ſi non ethnicorum, rudiorum tantum Chriſtianorum gratia, qui ſcandalizari poterant earum rerum per orbem diuulgatione, quas occultari Chriſtus & Apoſtoli præceperant. Quod tantum abeſt, vt fecerit Iuſtinus, vt potius dogmate Euchariſtiæ ritibusque expoſitis ſubiecerit p. 99. de Chriſto, quod die Solis apparens diſcipulis ſuis & Apoſtolis, ἐδίδαξε ταῦτα, ἅπερ εἰς ἐπίσκεψιν καὶ ὑμῖν ἀνεδώκαμεν, *ea docuerit, quæ etiam apud vos, vt inſpiceretis, retulimus*. Qui autem poſt Iuſtinum vixerunt, vt Tertullianus & Minutius Felix, nulla calumniarum atrocitate adigi potuerunt, vt arcanum proderent, quod diſciplina eccleſiæ ſuo tempore vetabat, quanquam non ignorarent, ſimplici veritatis expoſitione calumniantibus optime os obſtrui. Potuiſſent ſane eandem ſibi cum Iuſtino ſumere libertatem, quippe eandem agentes cauſſam, niſi diſciplinæ poſt Iuſtinum magis adſtrictæ ratio obſtitiſſet, omniq; modo cauendum dictaſſet, vt ne gentilibus Sacramentum proderent. Conatur quidem Schelſtratius ex Plinii ad Traianum epiſtola ſuppetias accerſere, ſed fruſtra & inuita veritate. Neque enim deſunt inter eruditos, qui per *Sacramentum*, quo Chriſtianos ſeſe obſtringere ait Plinius, non aliud intelligunt, quam corporis ſanguinisque Chriſti Sacramentum: *cibus autem innoxius & promiſcuus* non ſignificat Euchariſtiam, vt velle videtur Schelſtratius, ſed agapas potius, quas poſt celebratā Euchariſtiam inſtituere conſueuiſſe Chriſtianos ipſe fatetur in prolegomenis Eccleſiæ Africanæ num. v. isque conuiuandi ordo ex hoc etiam Plinii loco probari ſolet ab antiquitatum peritis, quorum nonnulli inſuper *carmen Chriſto quaſi Deo dici* ſolitum ad hymnos Euchariſticos applicant. Inprimis vero attendendum eſt, quibus teſtibus hoc aſſerat Plinius. Hi ſane non ſunt *ex Chriſtianis*, ut perperam habet Schelſtratius, ſed ex eorum numero, qui ob fidem abnegatam hoc nomine plane indigni ſunt. Eos ita depingit Plinius: *Alii ab indice nominati, eſſe ſe Chriſtianos dixerunt, & mox negauerunt: fuiſſe quidem, ſed deſiiſſe, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti quoque. Omnes & imaginem tuam deorumque ſimulacra venerati ſunt; ii & Chriſto maledixerunt.* Tum ſtatim addit: *Adfirmabant autem, hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ, vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem conuenire: carmenque Chriſto, quaſi Deo, dicere ſecum inuicem: ſeq; ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent: quibus peractis morem ſibi diſcedendi fuiſſe, rurſusque coëundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen & innoxium quod ipſum facere deſiiſſe poſt edictum meum, quo ſecundum mandata tua hetærias eſſe vetueram.* Atqui non eſt credibile, apoſtatas præcipuam publici Chriſtiani cultus partem, qui in Euchariſtia conſiſtebat,

sistebat, plane præteriisse, nec more Iuliani aliorumque παραβατῶν quæuis mysteria propalasse; cum enim id Simonem Magum aliosque hæreticos fecisse infra asserat Schelstratius, quanto magis præsumitur de iis, qui plane ad gentilismum relapsi sunt? Quamobrem obscuritas in Plinii verbis occurrens non istis transgressoribus, sed ipsi potius Plinio adscribenda venit, qui, vt Buchnerus in Notis recte obseruat, *non satis percepta vi vocis Sacramenti, quam ei Christiani indiderant, iusiurandum significatu Romano intellexit*, imo suam rerum Christianarum *ignorantiam* initio epistolæ diserte fassus est. Cum autem ne quidem mysteriorum nomen intellexerit, ecquomodo rem modumque satis capere & describere potuit? Eadem Plinii inscitia obstitit, quo minus Diaconissarum Christianarum confessionem distincte exprimeret, fidem nostram vt superstitionem prauam & immodicam traducens. Vnde patet, inane lubricumque esse fundamentum, quod pro disciplina arcani ex Plinii verbis struxit Schelstratius, vbi sane Plinius non Christianorum, sed propriam suam de sacris illorum sententiam exponit; quanquam dubium non est, quin is ex Diaconissis per tormenta sciscitatus, *quid esset veri* sub iis, quæ a Christianæ religionis desertoribus acceperat, de *Sacramento* etiam, quod audiuerat, confessionem earundem extorserit, in qua cum nihil, nisi *prauam & immodicam superstitionem* sua opinione reperisset, satius duxit, generali hac loquutione eam comprehendere. Haud meliori successu ad alteram Iustini Apologiam prouocat Schelstratius. Etenim adhuc sub iudice lis est, annon epistola ad commune Asiæ, quam exhibet ac Iustini aliorumque fratrum precibus impetratam vult Eusebius lib. IV. Historiæ Ecclesiasticæ cap. XIII. Antonino Pio adscribenda sit, quemadmodum inscriptio eiusdem, prout Apologiæ Iustini in vulgatis Codicibus subiicitur, docet, & Xiphilinus, Zonarasque adstipulantur. Sed demus Valesio & Huetio, eam a Marco Aurelio profectam; certissimum tamen est, Antoninum Pium in fauorem Christianorum rescriptum aliquod edidisse, quod vterque eorum fatetur, & ex Melitone ipsaque Marci epistola probat. Quare adsentiri nequeo Schelstratio, contendenti, Iustinum prima sua Apologia nihil apud Antoninum profecisse, qui certe reliquorum Christianorum precibus stipatus epistolam illam Antonini ad ciuitates Græcas impetrauerat, quam in rem latius disputat Petrus Halloixius in libello de vita & documentis Iustini Martyris, cap. V. p. 31. 32. & in Notis ad cap. V. a pag. 341. usque ad 345. cum antea pag. 334. 335. refutasset contrariam Baronii sententiam, quam nescio cur Schelstratius sequi maluerit: vt nihil dicam de quorundam opinione, Antoninum Iustino suadente statuam Christo dedicasse, quod apud Danielem Beguinum legas in Demonstratione Diuinitatis Christi pag. 95. *Antoninus Pius, cum audisset, Christianos frequenter hoc effatum vsurpare:* Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; *perscrutatus Christi vitam eidem statuam dicauit. Quod forsan*

fecit

fecit Iustini Martyris suasu, qui ei librum pro Christiana religione dedicarat. Nec opus fuit Iustino ea, quæ semel proposuerat de religionis nostræ Sacramentis, in altera Apologia repetere, vtpote in quibus nihil erat immutatum aut innouatum isto decem pluriumue annorum spatio, quod inter vtramque Apologiam intercessit. Quis denique ignorat præstantiorum scriptorum consuetudinem, vt non eadem semper occinant, sed nouis subinde argumentis veritatem eruere ac confirmare studeant? Non satis autem mirari possum alteram Schelstratii obiectionem ex Iustini Dialogo cum Tryphone petitam. Num enim putandus est Iustinus arcani disciplinam eo in loco obseruasse, vbi panis & poculi diserte meminit, quibus nihil magis occultarunt sacri silentii auctores? Recordamur, Schelstratium supra ex disciplina arcani explicasse disputationem de poculo confracto, quam Ariani male coram non-initiatis instituerant: quomodo igitur disciplinam illam a Christo & Apostolis eiusdem sententia traditam non violasset Iustinus, Symbola Iudæis prodens, sub quibus corpus & sanguinem Christi accipiebant Christiani? Sed procul ab hoc crimine abfuit Martyr sanctissimus, qui ob solennem reticentiam sua ætate nondum receptam nihil videbat periculi, quo minus & ritus & dogma Eucharistiæ Tryphoni exponeret. Quum enim Schelstratius ad hanc disciplinam dogma etiam de *incruento sacrificio* referat, non ægre feret, opponi sibi ὁμόδοξον Petauium, qui lib. III. de Ecclesiastica Hierarchia cap. IV. num. 8. & lib. XII. de incarnatione cap. XII. num. 12. existimat, *Iustinum Martyrem in Dialogo cum Tryphone Christianæ legis sacrificium euidentissime adstruere ex Malachiæ vaticinio.* Sed præstat Iustinum ipsum audire, pag. 260. Περὶ δὲ τῶν ἐν παντὶ τόπῳ ὑφ' ὑμῶν τῶν ἐθνῶν προσφερομένων αὐτῷ θυσιῶν, τουτέστι τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας, καὶ τοῦ ποτηρίου ὁμοίως τῆς εὐχαριστίας, προλέγει τότε εἰπὼν καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ δοξάζειν ἡμᾶς, ὑμεῖς δὲ βεβηλοῦν. *De nostris vero, gentium, quæ in omni loco offeruntur, sacrificiis, hoc est pane eucharistiæ, & poculo similiter eucharistiæ, iamtum loquutus prædixit, nos quidem glorificare nomen eius, vos autem profanare.* Et infra pag. 296. 297. aliud Esaiæ vaticinium explanans: ὅτι μὲν οὖν καὶ ἐν ταύτῃ τῇ προφητείᾳ περὶ τοῦ ἄρτου ὃν παρέδωκεν ἡμῖν ὁ ἡμέτερος Χριστὸς ποιεῖν εἰς ἀνάμνησιν τοῦ τε σωματοποιήσασθαι αὐτὸν διὰ τοὺς πιστεύοντας εἰς αὐτὸν, δι' οὓς καὶ παθητὸς γέγονε· καὶ περὶ τοῦ ποτηρίου ὃ εἰς ἀνάμνησιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ παρέδωκεν εὐχαριστοῦντας ποιεῖν, φαίνεται. *Quod quidem in hoc quoque vaticinio de pane agatur, quem Christus nobis noster tradidit, in commemorationem corporationis propter credentes in eum, quorũ caussa patibilis est factus, facere: & de poculo, quod in recordationem sanguinis sui tradidit gratias agentibus facere, satis apparet.* Cætera quæ de Trinitatis mysterio Iudæis tantum, non gentilibus exponendo disputat Schelstratius, prolixa non indigent refutatione, quoniam Sectione II. contrarium luculenter ostendimus. Nec capio, quamobrem addu-

adduxerit Bellarmini de supposita Iustino expositione fidei sententiam, siquidem ea nec ad Iudæos, nec ad paganos, sed ad fideles directa est.

VI. Restat, vt ea consideremus, quæ de Lactantio commendatur Schelstratius. Equidem facile largior, hunc Ciceronem Christianum ex disciplinæ arcani præscripto de Eucharistia siluisse; sed de singulis Religionis Catholicæ dogmatibus Symbolo contentis tractasse non deprehendo. Neque enim crediderim, Symbolum fidei eum præ oculis habuisse, cuius seriem non sequitur, methodo plane arbitraria vsus. Præterea multa tractat, quæ in Symbolo non exstant: nec omnia proponit, quæ in eo habentur. Imposuit forte Schelstratio liber iv. Institutionum, quo Lactantius vitam & res gestas Christi persequitur. Sed ordo, quem ibi tenet, ex ipsa rerum consequutione dependet; neque in Symbolo aliter institui potuit. Quemadmodum autem inepti sunt, qui Thaddæum apud Eusebium lib. I. cap. vltimo, Symbolum Apostolicum sequutum esse volunt, vbi pariter nil nisi seriem vitæ a Christo actæ tenet, eoque tempore prædicauit, quo Apostoli nondum erant dispersi, adeoque ex ipsa Pontificiorum hypothesi Symbolum haud condiderant; ita melioris commatis non sunt, quæ de Lactantio comminiscitur Schelstratius, quando inprimis in Diatriba de Symbolo Apostolico, quæ priorem harum Exercitationum partem inchoat, pluribus probatum dedi, post Leonis demum Magni Vigiliique Tapsensis tempora hodiernam verborum formam compositionemque Symboli Apostolici nomine in Romana Ecclesia venire cœpisse. Sed hæc leuia sunt: pergamus ad maioris momenti controuersiam, quam de mysterio Trinitatis mouet Schelstratius. Cum enim statuat, vi disciplinæ arcani diuinitatem Christi gentilibus proponi non debuisse, in Lactantio autem non tantum explicatam, sed etiam probatam reperiat, varia excogitauit media, vt scrupulum hunc tollat, quæ tamen veritatis amatoribus satisfacere adeo non possunt, vt ipse Schelstratius infirmitatem eorum sentiens subiecerit: *Quidquid autem sit, certum est, post Lactantium disciplinam arcani obtinuisse in Ecclesia.* Imo vero, hæc disciplina Lactantii ætate iamtum annis centum circiter durauerat, nunquam tamen ad Trinitatis mysterium sese extendit, quod cum præfracte neget Schelstratius, grauissimas difficultates non potest non incurrere. Nobis vero omnia libera ac peruia sunt in Lactantio, cuius libros dum non pro Gentilibus, sed pro Catechumenis compositos putat Schelstratius, ex primo libri primi capite facile redarguitur, quippe ex quo patet, in eorum potissimum gratiam scripsisse Lactantium, qui inueterato errori obstinate inhærebant, quod minime de Catechumenis, de gentilibus autem maxime verum est. Schelstratius ex titulo coniecturæ suæ fundamentum quæsiuit: sed quis melius eum exposuerit ipso Lactantio? cuius hæc sunt: *Et, si quidam prudentes, & arbitri æquitatis, Institutiones ciuilis iuris compositas ediderunt; quibus ciuium dissidentium lites contentionesque*

sopi-

sopirent: quanto melius nos & rectius diuinas institutiones literis persequemur; in quibus non de stillicidiis, aut aquis arcendis, aut de manu conserenda, sed de spe, de vita, de salute, de immortalitate, de Deo loquemur, vt superstitiones mortiferas, erroresque turpissimos sopiamus. At Catechumeni Competentes, quibus traditum Trinitatis mysterium primum fuisse contendit Schelstratius, gentiles errores pridem eradicauerant, nec antequam id facerent, vllus vel competentium nomine vel baptismo dignus habebatur, vti Arnobii, qui præceptor Lactantii fuit, exemplum abunde docet. Melius itaque Schelstratius sese gessisset, priori veraque opinione sua contentus & Lactantium pro gentilibus scripsisse agnoscens, quod non tantum in fine citati primi capitis clarissime exponitur, sed etiam patet ex cap. XXIX. libri tertii, & cap. I. libri quinti, cuius cap. IV. occasionem operis a se suscepti exponere videtur. Postquam enim cap. II. & III. recensuisset, quid initio Diocletianeæ persequutionis Nicomediæ aduersus Christianos perorarint duo veritatis hostes, alter Philosophus, alter Iudex, (quorum illius nomen ignotum hactenus mansit, hunc autem Hieroclem esse, aduersus quem etiam Eusebius scripsit, eruditi consentiunt) addit: *Ii ergo, de quibus dixi, cum præsente me, at dolente, sacrilegas suas literas explicassent: & illorum superba impietate stimulatus, & veritatis ipsius conscientia, & (vt ego arbitror) Deo, suscepi hoc munus; vt omnibus ingenii mei viribus accusatores iustitiæ refutarem; non vt contra hos scriberem, qui paucis verbis obteri poterant; sed vt omnes, qui vbique idem operis efficiunt, aut effecerunt, vno simul impetu profligarem.* Quandoquidem igitur ex dictis manifestum est, Lactantium ad informandos gentiles Institutiones suas scripsisse, inde simul infringitur Schelstratii hypothesis; quod ille præuidens propter Arii hæresin Lactantium hanc sibi libertatem sumsisse obiicit. Sed vanum est hoc effugium. Diu enim, antequam Arius nasceretur, diuinitatem Christi professi sunt Apologetæ Christiani coram gentilibus, quod productis singulorum locis euicit Petauius in Prolegomenis Tomi II. Dogmatum Theologicorum cap. II. & sequentibus, vt alios prætercam. Mihi enim sufficit vetustissimi scriptoris, quem Caium Presbyterum Romanum nonnulli volunt, testimonium in libro aduersus Artemonis hæresin tempore Victoris Episcopi Romani elaborato, apud Eusebium Lib. v. Historiæ Eccles. cap. XXVIII. Καὶ ἀδελφῶν δέ τινων ἐστὶ γράμματα πρεσβύτερα τῶν Βίκτορος χρόνων, ἃ ἐκεῖνοι πρὸς τὰ ἔθνη ὑπὲρ τῆς ἀληθείας, καὶ πρὸς τὰς τότε αἱρέσεις ἔγραψαν. λέγω δὲ Ἰουστίνου καὶ Μιλτιάδου καὶ Τατιανοῦ καὶ Κλήμεντος καὶ ἑτέρων πλειόνων, ἐν οἷς ἅπασι θεολογεῖται ὁ Χριστός. *Deinde exstant fratrum quorundam Scripta, Victoris ætate antiquiora, quæ illi aduersus gentes & contra sui temporis hæreticos pro veritatis defensione scripserunt. Iustinum intelligo, & Miltiadem & Tatianum ac Clementem, aliosque quamplurimos, in quorum omnium libris Christi diuinitas adstruitur.*

 Nihil

Nihil clarius, nihil fortius aduersus Schelstratium proferri poterat, qui tandem veritate coactus Tatianum quoque & Athenagoram mysterium illud gentilibus exposuisse fatetur; sed ne manus dedisse videatur, id propterea factum putat, quia ethnicos quandam Trinitatem agnouisse ex libris eorum nouerint. Atuero nec Tatianus, nec Athenagoras vllum scriptorem ethnicum eam in rem proferunt: quæ autem Lactantius habet, partim secundariæ tantum probationis locum obtinent, partim ad Christi etiam natiuitatem, miracula, resurrectionem & similia spectant, quæ tamen gentilibus eo nomine non proponebantur, quia in vatidicis eorum libris continebantur, nec per disciplinam arcani vnquam occultabantur. Quanquam si verum fateri volumus, omnia illa loca a Lactantio descripta nec Mercurii Trismegisti sunt, nec Sibyllarum, sed notha & spuria, nomenque illorum ementientia. Non volupe nobis est, repetere, quæ cum plurimi ex Nostratibus Reformatisque, tum ex Pontificiis Petauius, Lambecius, Huetius, Alexander, & nouissime Petrus Petitus eam in sententiam disputarunt; sed inpræsens Cardinalis Bonæ iudicium allegabimus, quod in Notitia Auctorum diuinæ Psalmodiæ subnexa reperitur: *Oracula Sibyllina octo libris comprehensa, quæ tamen suppositítia a viris doctis æstimantur, abest enim ab illis oraculorum maiestas, & nimis clare fidei nostræ mysteria describunt.* Et de Mercurio Trismegisto: *cuius quæ exstant opera quidam conficta censent, alii putant, ex veris eius operibus excerpta esse. Certius tamen est, ab aliquo Gnostico conficta fuisse, antiquo tamen, nam a Porphyrio & aliis antiquioribus citantur.* Frustra denique est Schelstratius, quando nobis vult persuadere, idem fuisse Lactantii & Steuchi institutum. Nam Lactantius ne Trinitatis quidem vocabulo vtitur, aut Spiritus Sancti diuinitatem probat; tantum abest, vt eandem cum Steucho viam ingressus fuerit. Imo Steuchus prudentiorum censuras passim incurrit, *auctor, vt semel dicam, quod sentio, magis ad speciem, quam ad eruditionem solidam commentarios suos instituens: quos raro cum fructu, nunquam sine fastidio legimus*, inquit Petauius lib. I. de Opificio Cap. VII. num. 2. qui etiam lib. I. de Trinitate cap. II. clamores eius de Trinitate a Mercurio Trismegisto & Platone agnita false ridet: totum vero opus de perenni Philosophia iusto odio persequitur Ioannes Baptista Crispus Gallipolitanus in libro Romæ impresso de Ethnicis Philosophis caute legendis fol. 36.

VII. Sed quoniam Schelstratius ipse caussæ suæ ex Lactantio defendendæ diffisus ad alia pergit, nos vestigiis eius insistentes videamus, vtrum meliora & solidiora protulerit, an potius vana gloriatione disciplinam arcani a Christo institutam, ab Apostolis traditam, ab Ecclesia duobus primis seculis obseruatam iactauerit. Enimuero non alio nititur fundamento, quam verbis Christi Matth. VII. quibus disciplinam arcani institutam esse ille adfirmat, ego autem varias ob caussas paullo ante num. II. explicatas nego. Ille multa Patrum testimonia conquirit, qui

qui id oraculum de arcani disciplina exposuerint. Quæ antequam singula expendam, operæ pretium est, aliorum ex Veteribus sententias audire, & cum duplicem saltem interpretationem apud eos haberi Schelstratius concesserit, plures in medium proferre. Hoc pacto responsio simul nostra vindicabitur, quam immerito Schelstratius sugillat, siquidem manifestum est, veteres omnes arcani disciplinam in verbis Christi præceptam adserere debuisse, si eandem cum Schelstratio fouissent opinionem: quod cum non fecerint, sed generale Christi mandatum ad quæuis fidei mysteria plerique extenderint, & applicarint, non ad *sanctiora* tantum, vt nescio qua de caussa loquitur Schelstratius, quum æque sancta sint omnia; tum luculenter consequitur, mandatum Christi de arcani disciplina in loco Matthæi eos non quæsiuisse. Tres autem classes constituere licet; primam illorum, qui varias interpretationes sæpe a disciplina arcani non parum diuersas colligunt ac probant: secundam istorum, qui de mysteriis verba CHRISTI accipi non posse contendunt, iis inprimis, quæ dogmatica sunt, & a Schelstratio arcani disciplinæ præcipue tribuuntur: tertiam denique eorum, qui de mysteriis quidem explicant, ea tamen adiiciunt, quæ nec ipse Schelstratius ad arcani disciplinam retulerit. In primo ordine primum locum sibi propter antiquitatem vendicat Isidorus Pelusiota, qui epistola CLXXXI. lib. IV. ad Hieracem presbyterum scribit: "Ὄντως ἀξιάγαστος ὁ θεῖος χρησμὸς, ὃν ἑρμηνευθῆναί σοι παρεκελεύσω. τὸ γὰρ, μὴ δότε τὰ ἅγια τοῖς κυσὶ, μηδὲ ῥίψητε τοὺς μαργαρίτας ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν χοίρων, μήποτε καταπατήσωσιν αὐτοὺς τοῖς ποσὶν αὐτῶν, καὶ στραφέντες ῥήξωσιν ὑμᾶς, τοιοῦτόν τινα ὠδίνει νοῦν. Ἐπειδὴ ἅγιος καὶ μαργαρίτης ὄντως τιμαλφέστατος ὁ θεῖος λόγος. κύνες δὲ καὶ χοῖροι, οὐ μόνον οἱ περὶ τὰ δόγματα, ἀλλὰ καὶ οἱ περὶ τὰς πράξεις πταίοντες· καταπάτησις δὲ ἡ περὶ αὐτῶν ἔρις καὶ ζυγομαχία, τῶν μὲν τὴν ὀρθότητα τῶν δογμάτων ἀνατρέπειν πειρωμένων. τῶν δὲ τὴν ἀρίστην πολιτείαν ἐξυβριζόντων· ῥῆξις δὲ τὸν θεῖον λόγον πρεσβευόντων, καὶ τῶν ἄριστα συμβουλευόντων, ἡ τῶν οὐκ ὀρθῶς βιούντων καταφρόνησις καὶ ἀτιμία· διὰ τοῦτο ἀρη μὴ εἰς εὔωνόν τινα καὶ εὐπόριστον ῥίπτετε τὸν λόγον, ἵνα μὴ καὶ αὐτὸς παροινηθείη, καὶ ὑμεῖς κωμῳδηθείητε παρὰ τῶν ὀρθῶς μηδὲν μήτε λεγόντων, μήτε πραττόντων, τινὲς δέ φασιν οὐκ ἀπὸ σκοποῦ, ὅτι καὶ τὴν ἱερωσύνην διαγορεύει μὴ δοθῆναι τοῖς ἀσελγέσι καὶ ἀκαθάρτοις, ἵνα μὴ καὶ αὐτὴν ὑβρίσειεν, καὶ κατὰ τῶν χειροτονησάντων ὁρμήσοιεν, ἣν εἶχον πρὸ τούτων σεμνὴν δόξαν διαρρηγνῦντες. εἰ δὲ καὶ τοῖς ἁμαρτάνουσι λαϊκοῖς, τὰ θεῖα μὴ δίδοσθαι μυστήρια, ἐπίστησον. εἰ δὲ καὶ τοῖς προσποιουμένοις μὲν προσιέναι τῇ πίστει, μὴ ἀφισταμένοις δὲ τῶν παρόντων ἐπιτηδευμάτων, ἀπαγορεύει τὸ θεῖον δίδοσθαι βάπτισμα, ἐπίστησον. *Reuera dignum admiratione est oraculum, quod tibi exponi petiisti. Illud enim dictum: Nolite sancta dare canibus, neque proiicite margari-*

 tas

tas vestras ante porcos, ne quando conculcent eas pedibus suis, & conuersi lacerent vos: talem quendam parit sensum. Quia verbum diuinum est sacrosanctum, & margarita reuera pretiosissima: canes autem & porci sunt, non solum qui circa dogmata Christianæ religionis, sed etiam qui circa actiones labuntur: conculcatio autem est contentio atque concertatio de illis suscepta, dum alii dogmatum rectitudinem sinceritatemque euertere conantur; alii optimam viuendi rationem contumelia afficiunt: Laceratio denique eorum, qui diuinum verbum tanquam legati annunciant, optimaque dant consilia, est contemptus & ignominia, qua eos afficiunt, qui non recte viuunt: hanc ob caussam dixit, Ne tanquam rem aliquam vilem ac paratu facilem proiicite verbum, ne & ipsum contumelia afficiatur, & vos traducamini ac ludibrio habeamini ab iis, qui nihil recte neque dicunt, neque faciunt. Sunt autem, qui non absurde dicant, Quod etiam sacerdotium prohibeat dari improbis atque impuris, ne & ipsum iniuria afficiant, & in eos a quibus electi sunt, irruant, bonam atque honestam, qua prius præditi erant, existimationem dilacerantes. Quod si etiam peccantibus laicis dixeris non esse danda diuina mysteria, scias te recte accipere. Si denique etiam dixeris, quod prohibeat diuinum impertiri baptismum illis, qui simulant quidem, se ad fidem Christianam accedere, sed interim non desistunt a præsentibus vitæ institutis, scito nihil te a vero aberrare. His gemella sunt, quæ idem Isidorus disserit Lib. I. Epistola CXLIII. & post eum Iobius Monachus lib. VII. de verbo incarnato cap. XXXIII. apud Photium Biblioth. Codice CCXXII. & ipse denique Photius epistola LIV. cuius verba nonnulla transscribere non pigebit: Ἅγια καὶ Μαργαρῖται, ὅ, τε τοῦ θείου κηρύγματος λόγος, καὶ τὸ δεσποτικὸν καὶ ἄχραντον χρηματίζει σῶμα. μαργαρῖται μὲν ὅτι τίμια, καὶ ὅτι λαμπρὰν τῆς σωτηρίας τὴν αἴγλην τοῖς εἰλικρινῶς προσιοῦσιν ἐκπέμπουσιν. ἅγια δὲ, ὅτι τὰ σεπτά. καὶ ὅτι τῆς πλάνης ἀφορίζοντες τῇ ἀληθείᾳ ἀνατιθέασι. κύνες δὲ, καὶ τῶν αἱρετικῶν, καὶ τῶν ἀπίστων, ὅσοι πολλάκις τὸν τῆς εὐσεβείας κατηχηθέντες λόγον, οὐ μόνον οὐδὲν ἄμεινον διετέθησαν, ἀλλὰ καὶ τὴν λύσσαν αὐτῶν κατὰ τῆς ἱερᾶς ἡμῶν θρησκείας, ἐμμανέστερον κυνῶν ὑλακτούντων, ἐπεδείξαντο. Χοῖροι δὲ, ὅσοι τῷ βορβόρῳ τῶν παθῶν ἐγκαλινδούμενοι, πρὸς τὰς παραινέσεις ἀναισθήτως τε καὶ ἀνεπιστρόφως ἔχουσιν. οἷς ἅπασιν ὁ θεῖος ἀποθεσπίζει χρησμὸς, μὴ προτιθέναι τὰ θεῖα μυστήρια, ἀναξίους ἑαυτοὺς δι' ὧν ἔπραξαν, παρεσκευακότας τῆς ὑπερφυοῦς σωτηρίας καὶ χάριτος. ἀλλ' εἰ μηδ' ἑτέροις τούτων δοτέον, ἴσως ἄν τις διαπορήσειε, τισὶν ὅλως δοτέον; Φημὶ τοιγαροῦν, τοῖς τε πιστοῖς καὶ ὀρθοδόξοις, καὶ οἷς ὁ βίος τῇ πίστει συμφθέγγεται. Ἀλλὰ καὶ τῶν ἀπίστων, καὶ δὴ καὶ τῶν αἱρετικῶν, καὶ μὴν καὶ τῶν πρὸς καθαρότητα πολιτείας διαβεβλημένων καὶ ταύτης ὀλισθαινόντων, ἐκείνους τοῦ λόγου κατηχητέον, καὶ χειραγωγεῖν προθυμητέον. *Sancta & Margaritæ, cum diuini verbi prædicatio est, tum & Corpus Dominicum immaculatum. Margaritæ, eo quod*

pretiosa

pretiosa sint, & quod fulgentem salutis splendorem ab iis emittunt, qui cum sincero animo adeunt. Sancta autem, quod & veneranda, & quod excusso errore veritati nos appendunt. Canes sunt & Heretici & Pagani, qui cum sæpe religionis rudimenta prima infusa audiuerint, non tantum meliori statu non sunt, sed & rabiem suam produnt multo quidem furiosius contra sacram & sanctam nostram pietatem, vltra canes allatrantes. Porci vocantur, quotquot cœno & luto passionum conuolutati, erga admonitiones insensate & sine resipiscentia semet gerunt. Hisce omnibus non esse diuina impertienda mysteria, diuina oracula prodidere; quippe qui iam olim se indignos gesserunt, per opera sua, excellenti illa gratia & salute. Quod si neutris istorum hæc communicanda sint, non absurde quispiam dubitauerit, an aliquibus omnino sint communicanda; & si, tum quibus? Hic affirmo, fidelibus & orthodoxis, quorum vita professioni respondet. Sed & increduli, & hæretici, & qui vitæ parum puræ & honesta commendantur, sed defectus patiuntur, verbo sunt instituendi; & manu sedula deducendi. Non potuisset quidquam clarius dici, quod vel nostram interpretationem confirmaret, vel Schelstratianæ hypothesi contrariaretur. Agnoscit enim Photius latitudinem oraculi Christi, eamque paullo post pluribus declarat: Εἴησαν δ' ἂν μαργαρῖται καὶ ἅγια, οὐ τὰ εἰρημένα μόνον, ἀλλά γε καὶ τῶν θαυμάτων τὰ χαρίσματα· καὶ πρὸς τούτοις, αὐτὰ τὰ θαύματα· καὶ τρίτον, εἰ βούλει, τὸ ἀποστολικὸν καὶ θεῖον ἀξίωμα, ὃ κατὰ διαδοχὴν, τὸ ἀρχιερέων γένος ὁρᾶται κληρούμενον. οὐδὲν γὰρ τούτων, οὐ μὴν οὔτε κυσὶ προτιθέναι, οὐδὲ τοῖς χοίροις θέμιτον. *Esto autem, sint margaritæ res sacræ, nec eæ solum quas commemorauimus, sed & miraculorum Charisma: etiam ipsa miracula: &, si ita placet, tertio loco, Apostolorum cœlitus instituta dignitas: cuius sortis hæreditatem, Pontificiale nostrum genus agnoscitur possidere. Nihil enim eo spectans, vel canibus proiiciendum est, vel porcis.* Vides, Photium non ad *sacratiora* tantum *mysteria*, vt Schelstratius perperam facit, sed ad quaslibet *res sacras* verba Christi extendere, quarum aliquot exempla subiungit. Si autem eæ omnes ad disciplinam arcani forent referendæ, maximæ inde absurditates orirentur. Præterea Schelstratius quibuscunque baptizatis mysteria illa vulgata vult; Photius autem iis tantum, qui orthodoxe & sancte vivunt, exclusis quibusuis heterodoxis & voluptatum cœno immersis. Quis vero vnquam audiuit, hæreticos, qui seipsos non separarunt, a conspectu mysteriorum fuisse exclusos? Quis etiam nescit, baptizatos quosuis, etiamsi male viuerent, dummodo criminum canonicorum rei non fierent, adeoque pœnitentiæ publicæ subiicerentur, celebrationi mysteriorum interfuisse?

VIII. Progrediamur ad eos Ecclesiæ priscæ Doctores, qui negant, verba Christi traditionem mysteriorum prohibere; quorum primipilus merito putatur Methodius in libro de Creatis. Verba antequam proferam, tam de ipso auctore, quam

quam de opere eius citato nonnulla disseram. Methodius primum Olympi Lyciæ, tum Tyri Episcopus, sub initium sæculi quarti in persequutione Diocletianæa martyrio coronatus fuit, quemadmodum communis hodie fert opinio. In scriptis suis delectatus est more dialogico, vt obseruat Henricus Valesius Annotationibus in Socratem pag. 79. Talis etiam fuit Dialogus περὶ γεννητῶν, in quo, secundum Valesii opinionem, *inducebatur Origenista, Xenon nomine, aduersus quem disputabat Methodius, non suo nomine, sed sub alia persona.* Existimat igitur Valesius, dialogum Methodii, quem Xenonem vocat Socrates, eum ipsum esse, quem Photius περὶ γεννητῶν inscribit. Mox obiectionem format, quia Socrates Methodium refert in Dialogo Xenone summis laudibus Origenem exornasse: eundem vero Photius ait in Dialogo περὶ γεννητῶν Centaurum a Methodio appellatum. Respondet autem, *fieri posse, vt Methodius initio quidem operis illius Origenem perstrinxerit; in fine vero aut in progressu eiusdem operis quasi palinodiam canens summis eum laudibus affecerit.* At calumniam & mendacium in Socrate notant Baronius & Petauius in Animaduersionibus Epiphanianis pag. 260. nec verisimile est, Photium non annotaturum fuisse discrimen inter initium & finem illius Dialogi, quod excogitauit Valesius. Quare ipse suæ conciliationi diffisus subiicit: *Si quis tamen pertinacius contendere voluerit, dialogum Xenonem diuersum esse a dialogo περὶ γεννητῶν, tum dicendum erit, ξενῶνα non esse nomen proprium vllius viri, sed totam Origenis scholam potius designare, in qua auditores ac discipuli ex diuersis orbis partibus profecti versabantur. Quod quidem verius puto. Certe si ξενὼν nomen esset proprium, accentum haberet in penultima.* Nempe omnem difficultatem creat vox ξενῶνος, quæ in dialogo περὶ γεννητῶν apud Methodium occurrit, & quoniam ad verba a nobis alleganda pertinet, varias opiniones inter se conferemus. Valesii quidem interpretatio de schola Origenis multo verisimilior est illa, quam ad marginem Photii alleuit Andr. Schottus: *ξενὼν hoc loco pro Ecclesia accipiendum puto, quæ commune omnium hospitium, nisi forte locum intelligit, vbi catechumeni simul & pagani docebantur religionem Christianam. ξενὼν alioqui est idem quod Xenodochium, vbi peregrini recipiuntur.* Nodum secat non soluit Franciscus Combefisius in Notis ad Methodium pag. 459. *Deprauatissimum locum leui mutatione restituimus: moto illo τοῦ ξενῶνος: quod liquet esse vitiosum, eique substituto τοῦ Ὠριγένους, quod adscripsimus margini, ne ex sola coniectura, quanquam necessaria, videamur textum nobis confingere. Prius ergo proponit Methodius Origeniana, & tunc euertit ac sua statuit. H. St.* (id est Henrici Stephani Codex ab Hœschelio in Notis ad Photium laudatus) *non habet τοῦ ξενῶνος. fuit forte Codicis illius antiquarius quam aliorum religiosior, vt maluerit omittere, quod non satis posset legere, quam ineptum illud ceu diuinando adscribere. Quid si τὸ, ξενῶνος, solo accentu vitiosum sit, ac sit nomen proprium?*

Sic enim

Sic enim penacutum, proprium notant auctor thesauri & Crispinus, nulla maiori expressione. Fuit forte sic dictus scriptor aliquis Ecclesiasticus, cuius Methodius expositionem hanc, alioqui veram & literalem, modo sane intelligatur, & vt declarat subiectum scholion, refutandam assumserit. Quanquam primum illud de Origene melius videtur, in quem vnum tres isti tractatus depugnant. Nostrum non est, tantas componere lites: verba saltem Methodii dabimus, prout leguntur in editione Operum eius Combefisiana pag. 336. Ὅτι τὸ, μὴ βάλητε τὸ ἅγιον τοῖς κυσὶ, μηδὲ τοὺς μαργαρίτας ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν χοίρων. μαργαρίτας μὲν τοῦ ξενῶνος τὰ μυστικότερα τῆς θεοσδότου θρησκείας ἐκλαμβανόντος μαθήματα. χοίρους δὲ, τοὺς ἔτι ἀσεβείᾳ καὶ ἡδοναῖς παντοίαις, δίκην χοίρων, ἐν βορβόρῳ καλινδουμένους· τούτοις γὰρ εἰρῆσθαι παρὰ Χριστοῦ, ἔλεγε, μὴ παραβαλεῖν τὰ θεῖα μαθήματα· διὰ τὸ μὴ δύνασθαι αὐτὰ φέρειν, ἅτε τῇ ἀσεβείᾳ, καὶ ταῖς ἀγρίαις ἡδοναῖς προκατισχημένους. Ὁ μέγας Μεθόδιός φησιν, εἰ μαργαρίτας, τὰ σεμνοπρεπῆ καὶ θεῖα μαθήματα δεῖ ἐξακούειν, χοίρους δὲ τοὺς ἀσεβείᾳ καὶ ἡδοναῖς συζῶντας, οἷς καὶ ἀπαράβλητα καὶ ἀπόκρυφα τὰ πρὸς εὐσέβειαν καὶ τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν ἀποστολικὰ διεγείροντα κηρύγματα δεῖ εἶναι· ὅρα ὡς οὐδένα λέγεις τῶν Χριστιανῶν τοῖς τῶν Ἀποστόλων κηρύγμασιν ἐξ ἀσεβείας αὐτῶν τοῖς προτέρας ἐπιστρέψαι. οὐδὲ γὰρ πάντως παρέβαλον τὰ κατὰ τὸν Χριστὸν μυστήρια, τοῖς δι' ἀπιστίαν χοίροις ἐοικόσι. ἢ οὖν πᾶσι τοῖς Ἕλλησι καὶ τοῖς ἄλλοις ἀπίστοις ταῦτα παρεβλήθη παρὰ τῶν τοῦ Χριστοῦ μαθητῶν καὶ ἐκηρύχθη, καὶ ἀπὸ τῆς ἀσεβείας μετέβαλεν αὐτοὺς εἰς τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν· ὥσπερ οὖν καὶ πιστεύοντες ὁμολογοῦμεν· καὶ οὐκ ἔτι δύναται νοεῖσθαι τὸ, μὴ βάλητε τοὺς μαργαρίτας ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν χοίρων, ὡς ἐρρήθη. ἢ τούτου, ὡς ἐλέχθη, νοουμένου, ἀνάγκη ἡμᾶς λέγειν, ὡς οὐδενὶ τῶν ἀπίστων, οὓς χοίροις ἀπεικάζομεν, ἐκ τῶν Ἀποστολικῶν διδαγμάτων, μαργαριτῶν δίκην τὰς ψυχὰς καταυγαζόντων, ἡ εἰς Χριστὸν πίστις, καὶ ἡ τῆς ἀσεβείας ἐλευθερία γεγένηται. Βλάσφημον δὲ τοῦτο. οὐκ ἄρα δεῖ μαργαρίτας μὲν τὰ μυστικώτερα τῶν μαθημάτων ἐκλαμβάνειν ἐνταῦθα, χοίρους δὲ τοὺς ἀσεβεῖς οὐδὲ τὸ, μὴ βάλλετε τοὺς μαργαρίτας ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν χοίρων, εἰς τὸ μὴ παραβάλλετε τοῖς ἀσεβέσι καὶ ἀπίστοις τὰ μυστικὰ καὶ τελειοποιὰ τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως διδάγματα παραλαμβάνειν· ἀλλὰ μαργαρίτας μὲν τὰς ἀρετὰς, ἐκδέχεσθαι χρὴ, αἷς ὥσπερ πολυτίμοις μαργαρίταις ἡ ψυχὴ καθωραΐζεται. μὴ παραβαλεῖν δὲ αὐτοὺς τοῖς χοίροις, τουτέστι, μὴ παραβαλεῖν αὐτὰς τὰς ἀρετὰς, οἵας ἁγνείαν, καὶ σωφροσύνην, καὶ δικαιοσύνην, καὶ ἀλήθειαν, ταύτας δὴ μὴ παραβαλεῖν ταῖς μαχλώσαις ἡδοναῖς. χοίροις γὰρ ἐοίκασι αὗται· ἵνα μὴ τὰς ἀρετὰς αὗται καταφαγοῦσαι, χοιρώδη βίον καὶ πολυπαθῆ τὴν ψυχὴν βιοτεύειν παρασκευάσωσιν. Latinam versionem ita dabimus, vt quoniam περὶ ξενῶνος controuersia est, primæ periodi tres translationes, Combefisii, Schotti, & Valesii adferamus, in cœteris autem sola Combefisiana compareat. *Illud*

Christi: Nolite proiicere sanctum canibus; neque margaritas vestras ante porcos: sic exponente Origene; vt margaritas quidem sanctiora diuinitus tradita religionis documenta: porcos autem, homines velit, omnis adhuc generis impietatis & voluptatis cœno, instar porcorum assiduos: iis enim docuit, a Christo probibitum velut proiici diuina mysteria, tanquam ea non possint ferre, occupante impietate, ferisque olim tenentibus voluptatibus: Ait Magnus ille Methodius: (Schottus in Photio verterat: *Illud Christi, Nolite proiicere sanctum canibus, neque margaritas vestras ante porcos: dixit margaritas esse eos, qui in Ecclesia sanctiora diuinæ religionis mysteria capiunt: porcos vero, qui in omni genere impietatis & voluptatis veluti porci in cœno adhuc volutantur.* Sed Valesius iudicat, *hunc locum pessime vertisse Interpretem*, sic vertendum: *Locum illum Euangelii, nolite proiicere sanctum canibus, ita exponente Xenone, vt margaritæ quidem sint arcana Diuinæ Sapientiæ mysteria, porci vero &c. Sanctus Methodius dicit:*) *Si margaritas oportet intelligi honestatis præclaras diuinasque præceptiones; porcos autem, homines impietati ac voluptatibus deditos, quibus apostolicæ prædicationis doctrina, ad pietatem fidemque in Christum excitans ducensque, non sit proponenda, sed celanda; vide sis, vt nequenquam dicas apostolicis prædicationibus a prioris vitæ conuersatione esse conuersum; Neque enim vlla ii ratione Christi Sacramenta illis obiecerint, qui propter infidelitatem porcis similes sint. Aut ergo Græcis omnibus aliisque infidelibus mysteria hæc a Christi discipulis sunt proposita & prædicata; eosque ab impietate ad Christi fidem conuerterunt: quemadmodum etiam fideles ipsi confitemur; illudque, Nolite proiicere margaritas vestras ante porcos, non potest amplius ita accipi, vt dictum est: Aut hoc ita accepto, vt est dictum, consequens sit, vt dicamus, nulli infidelium, quos porcis comparamus, per Apostolica documenta, quæ animas instar margaritarum illuminant, fidem in Christum, & ab impietate libertatem partam esse. Sed est blasphemum hoc dicere: Ergo margaritæ hoc loco non sunt accipiendæ sanctiores disciplinæ; porcique, impii. Neque illud: Nolite proiicere margaritas vestras ante porcos; ita explicandum est, vt prohibeat proponi impiis infidelibusque, sacra illa & consummatiua fidei in Christum documenta: sed margaritæ fuerint virtutes, quibus velut margaritis pretiosis ornatur animus. Non abiiciendas autem eas porcis; hoc est, non proiiciendas virtutes, puta castitatem, temperantiam, iustitiam, veritatem, eiusmodi inquam virtutes, non obiiciendas impuris voluptatibus: Hæ enim assimilantur porcis: ne has conculcantes, in vitam porcorum similem, omnique vitiorum genere plenam, animam cogant.* Ex his luculenter patet, Methodium nec disciplinam arcani in dogmatum occultatione statuisse, nec ab Apostolis obseruatam voluisse, quorum tamen vtrunque maxima contentione vrget Schelstratius. Quanta autem Methodii apud Orthodoxos esse debeat auctoritas, tam propter antiquitatem, quam propter sanam doctrinam aduersus Origenem defensam, satis

tis aliunde constat. Cæterum non disputo, quam bene illam oraculi Christi de mysteriis interpretationem impugnauerit Methodius, aut num melior sit altera, quam subiicit. Certe Photius in allegata epistola LIV. postquam similem expositionem protulit, his eam verbis claudit: οἶδε δὲ καὶ τὸ τῆς ἀναγωγικῆς θεωρίας χωρίον, τῷ πλάτει καὶ τῇ εὑρέσει τῶν θεωρημάτων ἐγκαλλωπίζεσθαι. *Familiare est, vt Anagogices contemplationis campus, dilatus ab eiusmodi inuentionibus & speculationibus efflorescat.* Vt adeo Methodii explicatio mystica sit & anagogica; litteralis autem ea, quam refutare conatur, vt in Notis agnoscit Combefisius, eamque veram censet, si intelligatur, vt a subiecto scholio Græco declaretur. Quod nescio vnde depromtum in fine paginæ collocauit: Οὐχὶ τὰ τῆς πίστεως λέγει μὴ βαλεῖν τούτοις, ἅπερ ἂν εἶεν καὶ μυστικά· ἀλλὰ τὰ μυστικώτερα. ταῦτα γὰρ τοῖς ἐν τῇ πίστει τελείοις ἁρμόζουσιν. οἱ δὲ μὴ οὕτως οἰκονομοῦντες τὸ τοῦ κηρύγματος σιτομέτριον, εἰ καὶ πιστοὶ τυγχάνοιεν οἰκονόμοι, ἀλλ' οὐχὶ καὶ φρόνιμοι ῥηθεῖεν ἂν παρὰ τοῦ δικαίου κριτῆ. διὸ καὶ κατ' οἰκεῖον νοῦν ἡρμήνευται κατὰ πρώτην ἐκδοχὴν ἡ παραβολή. ἔχει δὲ ἄριστα καὶ ἡ μετ' αὐτὴν ἐπίσκεψις, καὶ ἀξίως τῆς διανοίας τοῦ γράψαντος. *Non prohibet, ne illis fidei doctrina proponatur, quæ etiam potuerit sacra accipi: sed vt ne sacratiora & occultiora: Hæc enim iam in fide perfectis sunt congrua. Cæterum qui non ita frumenti mensuram Euangelicæ prædicationis dispensant; quanquam fuerint fideles dispensatores, haud tamen prudentes dixerit iustus ille iudex. Quare etiam fuit prima expositio parabolæ iuxta proprium illius sensum: sed & sequens nihilominus consideratio optima est, ac digna scribentis ingenio.*

IX. Tertiam interpretum illorum classem constituimus, qui de mysteriis quidem explicant, sed exempli loco incarnationem, passionem, resurrectionem Christi inculcant, quæ nec Apostoli occultarunt, nec Origenes vbique propalata notaque esse diffitetur, nec ad disciplinam arcani Schelstratius refert; vt vel hinc pateat latitudo verborum Christi. Nos vt dictis fidem faciamus, duos tantum allegabimus testes, alterum Latinum, Hilarium Pictauiensem, alterum Græcum, Ioannem Chrysostomum. Hilarius Canone VI. in Matthæum scribit: *Præceptis & promissis Dei nihil pretiosius sanctiusque est, quæ sanctificatis nobis immortalitatis thesaurum largiuntur. Horum igitur Sacramenta atque virtutes neque in gentes efferre, neque cum hæreticis conferre permittimur. Canes enim de oblatrandi aduersus Deum rabie, gentes sunt nuncupatæ. Porcorum vero hæreticis est nomen: quia quamuis vngulæ bifidæ sint, acceptam tamen Dei cognitionem non ruminando disponunt. Ergo & incorporationem verbi Dei, & passionis mysterium, & virtutem resurrectionis non promiscue tractare nos conuenit, neque imperite incurioseque proferre: ne ignorantiam nostram, si perfectæ scientiæ desit instructio, proterant atque conculcent, & infirmitatem in Domino passionis irrideant: conuersique in nos, con-*

traditionem aculeis imperitiam nostram fidemque disrumpant. Chrysostomi locum habet Catena Græcorum Patrum in Matthæum a Petro Possino vulgata pag. 99. Τοὺς ἀναξίους τῶν τῆς θείας γραφῆς μυστηρίων διχῶς διεῖλεν ὁ χριστὸς καὶ θεὸς ἡμῶν, εἰπὼν κύνας τε καὶ χοίρους. διδάσκει γ' οὖν ἡμᾶς μὴ ἀνακαλύπτειν μυστήριόν τι καὶ θεῖον πρὸς αὐτούς· πρὸς μὲν γὰρ τοὺς ἀπίστους, οὓς ἐκάλεσε κύνας, μηδὲν λέγειν φησίν. ὑλακτοῦσι διὰ οἱ τοιοῦτοι καὶ δάκνουσιν ἀπερισκέπτως· πρὸς δὲ τοὺς πιστοὺς ὄντας ἀτεράμονας, οὓς καὶ χοίρους ἐκάλεσε, λέγειν μὲν καὶ διδάσκειν, ἀλλὰ πεφεισμένως· πρὸς γὰρ τοὺς τοιούτους πάνυ τι θεῖον νόημα καὶ ὑψηλὸν, βλαβερόν ἐστι. διὸ καὶ χοίρους αὐτοὺς ἐκάλεσε πρὸς γῆν ἀεὶ νεύοντας καὶ μηδὲν φρονοῦντας ὑψηλὸν. οἱ μὲν γὰρ χοῖροι καταφρονοῦσι τῶν λεγομένων διὰ τὸ ἔχεσθαι αὐτοὺς τῶν γηρῶν. οἱ δὲ κύνες παντελῶς ἀπεστερημένοι ὑλακτοῦσι καὶ δάκνουσιν. ὅταν γὰρ ἀκούσωσιν ὅτι θεὸς ἄνθρωπος ἐγένετο καὶ ἐσταυρώθη δι' ἡμᾶς, ἀπατῶσι τοῖς σοφίσμασι λέγοντες, ὡς ἀδύνατον τοῦτο. Possinus latine ita παραφράζει: *Prophanos homines & conscientia mysteriorum sacræ Scripturæ indignos, duas quasi in Classes digerit Christus Deus noster; quosdam enim istorum canes vocat; aliös, porcos; cui vtrique generi ne quidquam retegamus eorum, quæ arcana iis esse oportet, quia diuina sunt, grauiter monet. Nam infidelibus quidem, quos canum nomine designat, si tale quid obieceritis, inquit; quid aliud illi quam latrabunt mordebuntque sine consideratione vlla aut reuerentia. Porro cum fidelibus & optima institutione tinctis illis quidem, cæterum peruicacibus atque indomitis, caute agendum ac pedetentim; alloquendi enim & docendi sunt, sed parce ac circumspecte; præfinito sibi, quo progrediendum, non vltra, sit termino. Fere enim huic generi si qua paullo diuinior sublimiorque contemplatio est, potius nocet, quippe abiectis humi, nihilque paullo erectius sapientibus. Sane si quis ad porcos orationem habeat, curent ipsi quippe: ac non potius consueto operi fodiendæ rostris cœnosæ terræ securi omnium incumbant. Canes vero plane se infensos ad primum ipsum præbentes occursum allatrant mordentque. Gentiles scilicet simul audierint Deum hominem factum, cruci quoque affixum propter nos esse; tum renuent credere ipsi; tum cauillationibus sophisticis vltro adorti euincere conabuntur, ne fieri quidem istud posse.* Nec temere omiserim aliud Chrysostomi testimonium Homil. VII. in priorem ad Corinthios: Εἰ δὲ πανταχοῦ κηρύττεται, καὶ οὕτω μυστήριόν ἐστι· καὶ γὰρ ὥσπερ ἐκελεύσθημεν ἅπερ ἠκούσαμεν εἰς τὸ οὖς, εἰπεῖν ἐπὶ τῶν δωμάτων. οὕτω προσετάγημεν μὴ δοῦναι τὰ ἅγια τοῖς κυσὶ, μηδὲ ῥίψαι τοὺς μαργαρίτας ἔμπροσθεν τῶν χοίρων. οἱ μὲν γάρ εἰσι ψυχικοὶ, καὶ οὐ νοοῦσιν, οἱ δὲ κάλυμμα ἔχουσιν ἐπὶ τῆς καρδίας αὐτῶν, καὶ οὐ βλέπουσιν. ἄρα μυστήριον τοῦτο μάλιστά ἐστιν, ὃ πανταχοῦ μὲν κηρύττεται, οὐ γνωρίζεται δὲ παρὰ τῶν οὐκ ὀρθὴν ἐχόντων γνώμην. ἐκκαλύπτεται δὲ οὐκ ἀπὸ σοφίας, ἀλλ' ἀπὸ πνεύματος ἁγίου, καθόσον ἡμῖν δέξασθαι δυνατόν. διόπερ

οὐκ ἂν

οὐκ ἄν τις ἁμάρτοι, καὶ κατὰ τοῦτο αὐτὸ, μυστήριον αὐτὸ προσειπὼν ἀπόρρητον. οὐδὲ γὰρ ἡμῖν τοῖς πιστοῖς πᾶσα ἐνεχειρίσθη σαφήνεια, καὶ ἀκρίβεια. *Si autem vbique prædicatur, sic quoque est mysterium. Etenim sicut iussi sumus ea quæ in aure audiuimus, dicere super tecta, ita etiam nobis est præceptum non dare sanctum canibus, neque proiicere margaritas ante porcos. Nam alii quidem sunt animales, & non intelligunt: alii autem velamen cordi habent impositum, & non aspiciunt. Est ergo vel maxime hoc mysterium, quod vbique quidem prædicatur, non cognoscitur autem ab iis, qui rectam non habent mentem, reuelatur autem non a sapientia, sed a sancto Spiritu, quantum sumus eius capaces. Quamobrem non aberrauerit, si quisquam, etiam hoc ipso, mysterium appellarit arcanum. Neque enim nobis fidelibus tradita fuit omnis euidentia & perfectio.*

X. His præsuppositis ad singula Patrum testimonia, quæ Schelstratius congessit, expendenda pergam, vt prudentes Lectores perspiciant, quid ea in recessu habeant. Enimuero mirum illis merito videbitur, repeti a viro docto futilem Pseudo-Clementis narrationem, & cum ipse agnoscat, Clementi Romano opus illud tribuendum non esse, primo tamen loco poni, & præmitti Dionysio, quem pro vero Areopagita habet. Ea res mihi in memoriam reuocat Petauii morem, qui testimonia ex eiusmodi incertorum scriptorum libris petita plane respuere, nulliusque auctoritatis iudicare solet. Sic Commentarium in Epistolas Paulli Ambrosio suppositum Bellarminus quidem & alii Hilario Sardo ac Luciferiano tribuunt. Petauius autem in Dogmatis Theologicis plus semel eorum suspicionem reiicit, incertique auctoris opus esse contendit; indeque lib. II. de Ecclesiastica Hierarchia cap. VIII. num. 3. Michaelem Medinam id sub Ambrosii nomine producentem falsè ridet: *Ambrosius vero quem iste nominat, non est Ambrosius: sed ignotus scriptor nomen illud ementiens: & quales in diuinis libris Apocryphi consueuere dici, momenti nullius & auctoritatis.* Quid ergo putas, Petauium iudicaturum de Pseudo-Clementis Opere, nisi ignotum scriptorem nomen illud ementiri, Apocryphum, nulliusque momenti & auctoritatis esse? Neque obscurum est, quid de istis Recognitionibus Petauius senserit, si librum III. de Opificio sex dierum euoluamus. Capite enim VIII. num. V. contra Iansenium Yprensem disputans, qui sub Clementis nomine epistolam tertiam ex recognitionum libris iuxta cum aliis depromtam citauerat, eum primo perstringit, quod *adeo in testium delectu incuriosus sit, vt promiscue sinceros & supposititios habeat:* tum de illo Pseudo-Clementinarum consarcinatore diserte pronuntiat, *qualiscunque iste scriptor sit, eius auctoritatem esse nullam.* Vtraque Petauii censura in Schelstratium optime quadrat, quæ si nondum ei suffecerit ad respuendam fictitii Petri auctoritatem, prædecessoris tamen sui, Leonis Allatii, sententiam admittet, qui in Diatriba de Simeonum scriptis pag. 201. *Petri Itinerarium*, idem cum Recogni-

tionibus Opus, inter ea recenset scripta, *quibus tanti Scriptoris nomen præfixum parum cautis fucum fecit.* Incautus itaque Schelstratius est, Leonis Allatii iudicio, quando sentinam illam Platonicarum hypothesium atq; hæreseon, cuiusmodi Pseudo-recognitiones esse Sect.II. num.XI. luculenter ostendimus, Apostolica effata continere, sibi aliisque persuadere conatur. Certe si ab hæreticis testimonia voluisset accipere, Basilidem potuisset in fronte collocare, cui illud Christi oraculum in ore semper fuisse veteres referunt, vt ibidem vidimus.

§. II.

Ex Operibus Dionysii, quem tota Orientalis Ecclesia pro Areopagita habet.

FAcit pro disciplina arcani Dionysius lib. de Eccles. Hier. c. I. vbi Christianæ Religionis mysteria expositurus, monet Timotheum: Ἀλλ᾽ ὅρα, ὅπως οὐκ ἐξορχήσῃ τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, εὐλαβηθήσῃ δὲ καὶ τὰ τοῦ κρυφίου Θεοῦ ταῖς νοεραῖς καὶ ἀοράτοις γνώσεσι τιμήσεις, ἀμέθεκτα μὲν αὐτὰ καὶ ἄχραντα τοῖς ἀτελέστοις διατηρῶν, ἱεροῖς δὲ μόνοις τῶν ἱερῶν μεθ᾽ ἱερᾶς ἐλλάμψεως ἱεροπρεπῶς κοινωνῶν. *Sed vide, ne explodas Sancta Sanctorum; quin potius arcana Dei revereberis, ac spiritualibus inaspectabilibusque notionibus celebrandis, inaccessa quidem profanis illa & intacta reseruando, solis vero Sanctis cum sacra quadam, vti fas est, claritate res sacras communicando.* Similia plane habet libro de Cœlesti Hierarchia cap. 2. vbi monet Timotheum Paulli discipulum & Episcopum. Σὺ δέ, ὦ παῖ, κατὰ τὴν ὁσίαν τῆς καθ᾽ ἡμᾶς ἱεραρχικῆς παραδόσεως θεσμοθεσίαν, αὐτός τε ἱεροπρεπῶς ἄκουε τῶν ἱερῶς λεγομένων, ἔνθεος ἐνθέων, ἐν μυήσει γινόμενος, καὶ τῇ κατὰ νοῦν κρυφιότητι τὰ ἅγια περιστείλας ἐκ τῆς ἀνιέρου πληθύος ὡς ἑνοειδῆ διαφύλαξον. οὐ γὰρ θεμιτόν, ὡς τὰ λόγια φησίν, εἰς ὕας ἀπορρίψαι τὴν τῶν νοητῶν μαργαριτῶν ἀμιγῆ καὶ φωτοειδῆ καὶ καλλοποιὸν εὐκοσμίαν. *Tu vero, fili, iuxta Sanctam Hierarchicæ nostræ traditionis sanctionem, prout sancta decet, audi, quæ sacrosancte proferuntur, ipsemet Diuinus Diuina doctrina factus, atque animi secreto sancta recondens, tamquam vniformia, a profana multitudine conserua: neque enim fas est, vt eloquia testantur, porcis proiicere spiritalium margaritarum purum illum ac lucidum pulchrificumque adornatum.*

Sanctus Maximus Græcorum Doctor eximius & Martyr gloriosissimus in Scholiis ad caput primum libri de Ecclesiastica Hierarchia commentatur, res Diuinas mysticasque profanis manifestandas non esse; *Quoniam*, inquit, *haud oportet sancta profanis explanare, neque margaritas suibus proiicere.* Quæ sunt ipsa fere verba Dionysii, & tam clare pro disciplina arcani a Christo instituta faciunt, vt cum ego testimonium Dionysii in commentario ad 2. canonem Antiochenum protulissem, Tentzelius nihil habuerit, quod opponeret, nisi opera Dionysii non esse Areopagitæ, sed recentioris æui Authoris. Verum cum Tentzelius numero 16. suæ disputationis amplectatur Centuriatorum Magdeburgensium iudicium, *hæc scripta quarto sæculo confecta esse arbitrantium*, & ex ipsis Operibus constet, Authorem fuisse eruditissimum, & de omnibus Christianorum mysteriis edoctum, illa hoc loco nobis sufficiunt, vt eius numquam vnius ex antiquioribus testimonio vtamur.

XI. Dio-

XI. Dionysium Pseud-Areopagitam ex testium numero pariter expungamus oportet secundum Petauii regulam, qua nullius auctoritatis sunt ignoti scriptores, nomen alterius ementientes. Cui concinit Casimirus Oudinus, quando in Supplemento de Scriptoribus Ecclesiasticis p.145. de scriptis dubiis hanc inserit sententiam: *Vnde infirmi sunt & fluctuantes, qui Dogmaticum aliquid ex eiusmodi Scriptis firmiter se stabilire arbitrantur.* Putauit quidem Schelstratius sufficere, vt illius Dionysiastri tanquam vnius ex antiquioribus testimonio vtatur: sed id ex Petauii opinione non sufficit, qui certum auctoris nomen requirit; quod cum de Areopagiticis scriptis irrefragabiliter dari nequeat, facile apparet, eum mihi frustra obiici. Existimat Schelstratius, nihil me habuisse, quod opponerem, nisi Opera Dionysii non esse Areopagitæ. Atuero quis peritorum hanc meam responsionem vituperabit? Quæstio erat de tempore, quo disciplina arcani in Ecclesiam orthodoxam recepta sit? Schelstratius ab Apostolis, ego circa finem secundi sæculi introductam contendebam. Ille adducit scriptorem Hierarchicum, qui cum diserte arcani disciplinam agnoscat, satis mihi erat ostendere, eum non Apostolorum ætate floruisse, sed iuniorem esse, eoque vixisse tempore, quo ista in Ecclesia viguit. Nemo enim iudicii compos ex scripto suppositio Apostolicas consuetudines requiret. Porro sententiam meam de Areopagiticis infra vindicandi locus erit, vbi Schelstratius pro eorundem antiquitate Apostolica subsidium ex arcani disciplina quæsiuit, quod vanum esse tunc euincam: nunc saltem considerabo inscriptionem huic paragrapho a Schelstratio præmissam, *Ex Operibus Dionysii, quem tota Orientalis Ecclesia pro Areopagita habet.* Splendidus titulus, sed parum idoneus ad rem tanti momenti comprobandam. Siue enim Orientalem Ecclesiam veterem, siue hodiernam intelligat Schelstratius, nondum reddit confectum, scripta hæc ab Areopagitæ manu esse. Si illam, constat sane ex Seuerianorum cum Catholicis collatione, Iustiniani Imperatoris iussu præside Hypatio Metropolita Ephesino circa an. 532. Constantinopoli habita, Catholicos eius temporis Opera illa pro germano Dionysii Areopagitæ fœtu neutiquam agnouisse, vt prolixe ostendit Dallæus de Scriptis Dionysio suppositis cap. VII. qui eandem Orthodoxis sententiam mansisse ex alia cum Acephalis collatione Constantinopoli an 553. habita & in Liberati Breuiario descripta cap. XXXIII. probat, eamque perdurasse septimo sæculo, quo a nonnullis quidem pro genuinis venditata, ab aliis vero repudiata sint, vt Maximi verba in Prologo innuant: cap. XXXIV. docet, post Maximi ætatem fuisse nec paucos, nec contemnendos viros, qui hos libros Dionysio abiudicarent, quibus Photium quoque, acerrimum Criticum, accensendum esse probabile reddit. Vnde patet, ad decimum vsque sæculum in Orientali Ecclesia semper exstitisse, qui νοθείαν defenderint. Sin vero hodiernam in partibus Orientis respicit Schelstratius, velim, primo consideret, quam

quam exiguæ auctoritatis illa nunc sit apud Romanæ communionis homines iis in rebus, quibus ab inuicem dissentiunt; desinatque, eam nobis obiicere in tali argumento, quo a veriori sententia discrepat. Tum eruditiorum inter suos iudicium perpendat, quo Orientales rei Criticæ imperitos pronunciant, quod malo verbis Richardi Simonii, famosi hodie Critici, quam meis exponere. Is enim in Notis marginalibus ad Gabrielis Seueri Apologiam pag.7. ita iudicat: *Non alium vulgo Scriptores Græci Auctorem agnoscunt operum, quæ sub nomine Dionysii Areopagitæ edita fuere, quam eundem Areopagitam. Multa in eorum laudem congeruntur in Menologio ad 3. Octobris quo S. Dionysii Areopagitæ dies festus agitur. Verum Græci rei Criticæ parum studiosi, id omne quod in vulgus editum est, statim pro indubitato arripiunt.* Idem Simonius vti sub variis nominibus latere librosque edere amat, ita etiam *le Sieur de Moni* esse creditur, qui in sua *Historie Critique de la Creance & des Coutumes des Nations du Leuant*, cap. XIV. pag. 163. scribit: *Pour peu qu' on sache l' Histoire Ecclesiastique, il sera aisé de juger que ces Histoires n' ont aucun fondement dans l' Antiquité, & que les Maronites & les autres Peuples du Leuant, qui ne sont point sauants dans la Critique de l' Histoire, ont rapporté à des tems anciens ce qui n'est en vsage parmi eux que depuis quelques siecles seulement. C'est aussi sur ce principe, qu' on ne croira pas facilement à l'autorité de Iean Maron, dont le Commentaire sur la Liturgie de S. Iacques n' a pas toute l' antiquité qu' on lui attribüe, contenant des faits qui sont posterieurs de plusieurs siecles.* Quæ probe obseruanda sunt contra Abrahami Ecchellensis Annotationem in Capitulum XIV. Catalogi Ebediesu, quam Schelstratius forsan respexit & sequutus est. Nam & Abrahamus ille Orientalium consensum crepat, & antiquissimum sua opinione Commentatorem in Dionysium adfert. Verba ipsius dabimus: *Liber iste, quem quidam esse Dionysii Areopagitæ, quidam vero non item, sed alterius Dionysii, maximæ auctoritatis est apud orientales omnes; nec eum esse Areopagitæ dubitant. Huius habeo penes me vetustissimum Syriacum exemplar in pergameno cum eruditissimis commentariis Ioannis Episcopi Darensis Syri, qui quarto viuebat sæculo* Verum Ioannes Morinus non solum per litteras Ecchellensi dubiam reddidit hanc epocham, sed etiam in Opere de Sacris Ordinationibus Parte II. Annotat. 22. in Syrorum Ordinationes pag. 493. 494. 495. multis rationibus impugnauit, atque ex opposito *probabile* statuit, *Ioannem illum Darensem post Synodum Trullanam, id est post annum Domini 692. scripsisse;* cui suffragatur Dallæus cap. VIII. pag. 42. 43. Pupugit ista Morini libertas Abrahamum, quare ad eum dedit epistolam responsoriam, Londini vulgatam in Antiquitatibus Ecclesiæ Orientalis, quas Simonium pariter collegisse fama est. Ibi pag. 457. 458. *respondet, Ioannem Darensem eo* (i. e. quarto) *sæculo vixisse constare ex Syrorum historiis, neque hac de re ab illis dubitatur; eius quoque scripta id vltro confirmare videntur,*

dentur, *cum omnes quos citat Scriptores, eo sæculo anteriores sint; eos vero libros Dionysii notissimos fuisse apud Syros ante Iustiniani tempora certissimum est ex D. Isaac Syro S. Ephrem discipulo, qui floruit sæculo tertio ad quartum vergente; is enim in suis libris de Angelis passim hos Dionysianos laudat & sequitur. Scio non deesse Doctos & Criticos viros, quibus hæc neque probantur, neque placent; at ego lecta refero, & aliorum scripta, non iudicium fero.* Tribus, vt vides, argumentis pro antiquitate Dionysianorum & Operum & Commentatoris pugnat Ecchellensis Maronita, sed quibus ipse non satis fidit: quod etiam Simonius Notis in Apologiam Gabrielis Seueri pag. 116. 117. in eo notauit, idemque primum a traditione Syrorum petitum vno impetu prostrauit, quando ad marginem epistolæ eius addidit: *Orientales rei Criticæ minime periti.* Alterius ab auctoribus Darensi allegatis desumti falsitatem ipse Morinus detexit, quando pag. 494. obseruauit, laudari ab eo quæstiones ad Antiochum Athanasio magno mala fraude suppositas. Imo si Morinus sciuisset, quod postea in Commentariis de Bibliotheca Vindobonensi Petrus Lambecius aliquoties demonstrauit, Athanasium Quæstionum illarum auctorem eundem esse cum eo, qui A. C. 765. passionem imaginis Christi Berytensem, falso etiam sub magni Athanasii nomine editam, descripsit; facile deprehendisset, Ioannem Darensem, octauo demum labente, vel nono sæculo vixisse. Tertio denique argumento ignorantiam suam in ætate Isaaci Syri constituenda prodit Abrahamus, quem centum annis iuniorem fuisse oportet, si Ephremi, celebris illius Edesseni Diaconi, discipulus fuit, quum ipse Ephremus circa quarti sæculi medium celebris exstiterit, & anno 378. decesserit. Hinc est, quod Abulpháragius, Dynastiarum scriptor, quem sub Gregorii Bar Hebræi Syri nomine Ecchellensis plus semel allegat, Dynastia VII. pag. 145. Arabicæ, & pag. 91. Latinæ editionis, *Mar Isaacum, discipulum Mar Ephraimi, sermonum rythmicorum Auctorem*, Theodosii iunioris tempore vixisse, & Cyrillo Alexandrino Nestorioque coætaneum fuisse tradit. Sed Ecchellensis errorem errore auxit, & cum in Notis ad Catalogum Ebediesu cap. LX. Ephremum *tertio vixisse sæculo* insigni parachronismo adfirmasset, de discipulo eius Isaaco eadem aberrauit chorda. Quanquam vereor, ne in hoc etiam fucum nobis fecerit, & intelligendus veniat Isaacus Syrus Anachoreta, qui primum Episcopus Nineues fuit, dehinc amore vitæ asceticæ Episcopatum abdicauit, ac in eremum prope vrbem Spoletanam secessit, ibique ab an. 541. vsque ad 551. clarius fuit, quemadmodum prolixe diducit Lambecius lib. V. Commentariorum a pagina 72. vsque ad 76. Varia illius Isaaci scripta apud Syros hodienum exstare liquet ex Ebediesu Catalogo, capitulo LXXIX. Imposuerit igitur Ecchellensi Ephræmi nomen, quod non Edessenum Diaconum, sed ab an. 528. vsque ad 546. Patriarcham Antiochenum, & inter præcipuos Concilii Chalcedonensis defensores numeratum, denotat, cuius discipulum Isaa-

cum Nineuitam fuiſſe facile largior. Horum tamen vterque Iuſtiniano coæuus fuit, adeoque nihil aduerſus Morinum efficit Maronita. Imo etiamſi Iſaacum ab Abulpharagio commemoratum intelligamus, nondum tamen euictum eſt, ſcripta Dionyſiana quarto ſæculo antiquiora noſtramque ſententiam falſam eſſe. Quamobrem Schelſtratius ex his omnibus, credo, perſpiciet, nihil præſidii in conſenſu Orientalis hodiernæ Eccleſiæ ſibi reliquum eſſe; cui adhuc incumbit teſtimonia illius conſenſus non ſuſpecta in medium proferre. Cæterum non ſatis poſſum admirari eiuſdem iudicium, quo Dionyſii verba ex cap. 11. de Cœleſti Hierarchia pro arcani diſciplina a Chriſto inſtituta facere putat. Siccine ad arcani etiam diſciplinam pertinebit doctrina de Angelis, eorumque ordinibus, quorum nouem fingit ac per totum opus enarrat fictitius Areopagita? Quaſi vero gentilibus ignota fuerint, quæ eos Chriſtianis obiicere Theodoretus Sermone III. Curationis Græcorum affectuum pag. 52. indicat diluitque: Ἀλλὰ γὰρ οἶμαι ὑμᾶς ἐρεῖν, ὡς καὶ ὑμεῖς ἀοράτους τινὰς δυνάμεις φατέ· οὓς καὶ ἀγγέλους καὶ ἀρχαγγέλους ὀνομάζετε τε καὶ προσαγορεύετε, καὶ ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας καὶ κυριότητας καὶ θρόνους· καὶ ἄλλας αὖ πάλιν κατὰ τὴν ἑβραίων γλῶτταν Χερουβεὶμ καὶ Σεραφεὶμ ἴστε προσαγορευομένας. ἀνθ' ὅτου τοίνυν ἡμῖν νεμεσᾶτε. *Sed enim dicturos vos puto: Atqui etiam vos Chriſtiani quasdam poteſtates eſſe conceditis, quæ oculis videri non poſſint. Has autem Angelos, & Archangelos, Principatus præterea, Poteſtates, Dominationes, ac Thronos vocatis; aliaſque inſuper Hebraicis nominibus Cherubim ac Seraphim appellare didiciſtis. Cur itaque aduerſum nos tantopere indignamini &c.* Ex ipſo igitur diſcurſus Dionyſiani obiecto liquet, de alia longe occultatione, quam arcani diſciplina ipſum loqui. Equidem ſcriptor ille in ſingulari ſua de nouem Angelorum ordinibus hypotheſi tantopere ſibi placebat, vt ab omnibus eruditis ſuſpiciendam & prò diuina veritate amplectendam eſſe arbitraretur. Hinc nolebat in vulgus proferri tantum ingenii ſui myſterium, ne ab eo derideretur ſibiloque exciperetur. Neque alium ſenſum gignunt verba τῆς ἀνιέρου πλήθους in eodem Dionyſii loco, quam imperitæ rudique plebeculæ talia non eſſe exponenda. Platonicum hæc morem ſapiunt, qui Academicis ſolennis erat, vt Philoſophica ſua inuenta ſolis initiatis patefacerent, profanum vero vulgus arcerent ac contemnerent. Quare bonus ille Hierarchicus Dionyſius, vt in reliquis Platonicorum docendi ſcribendique modum obſeruauit, ita hoc etiam loco ad eorum inſtituta reſpexit, nec ſatis habuit, ſanctiſſimum Paulli diſcipulum, Timotheum, παῖδα, *puerum* (*ſtulte & ſupra modum abſurde*, vt oſtendit Dallæus cap. XIX.) appellare, & quaſi puerum in Scholis informandum figmentis ſuis de nouenario ordinum angelicorum numero imbuere, ſed Chriſti quoque verba adiecit, vt tanto maiorem iis auctoritatem conciliaret. Certe nemo eruditorum, qui Platonicæ Philoſophiæ non penitus ignarus

rus est, inficiari poterit, summo studio ad illius placita Pseudo-Dionysium se conformasse. Itaque non solum Petauius in dogmatum Theologicorum tomis Plotinum & Dionysium sæpissime inter se confert, & Lucas Holstenius in Dissertatione prima de locis quibusdam Concilii Nicæni, quam cum reliquis Theodorito adiecit Valesius, pag. 190. *ex Platonicorum elementis Theologicis*, & *ex admiranda illa D. Dionysii* θεοσοφία eadem docet; verum etiam Cardinalis Bona lib. 1. Rerum Liturgicarum cap. tix. num. 5. suam de auctore librorum Hierarchicorum sententiam his proponit verbis: *Vnus fortassis fuit ex professoribus Platonicæ Philosophiæ, qui in schola Alexandrina, circa finem quarti sæculi vel initio quinti, sapientiæ laude floruerunt, Christi vero fidem amplexus, doctrinam qua prius imbutus fuerat, retinuit: nulla enim eius pagina legi potest, in qua non appareant phrases, axiomata & idiotismi Platonicorum.* Alter Dionysii locus ex Ecclesiastica Hierarchia plane ἀπροσδιονύσως a Schelstratio producitur. Verborum enim Christi nulla ibi fit mentio, & quanquam Maximus in scholiis ea adiecit, non tamen id fecit ipse Dionysius, opinatus forsan, ea ad arcani disciplinam non pertinere. Vnde mihi inuertere potius liceat argumentum, quandoquidem mirum est, Dionysium ea præteriuisse, si scopum suum attingere putasset. Neque enim nego, Dionysium ibi intelligere arcani disciplinam, cuius tamen antiquitas Apostolica ex scriptoris quarti sæculi testimonio, qualis auctor ille fuit, probari nequit.

§. III.

Ex Tertulliano.

DE Tertulliani scriptis, cum dubium nullum sit, in iis tamen disciplinam arcani contineri, adeo certum est, vt ipse Tentzelius id negare ausus non fuerit: numero namque 7. suæ disputationis, postquam adduxisset locum ex libro de Præscriptionibus, quo hæreticorum conuentus redarguens asserit, apud eos *incertum esse, quis Catechumenus sit, quis fidelis: quod pariter adeant, pariter audiant, pariter orent:* addit „ hæc ad disciplinam arcani spectare. „ Cuius rationem quoque explicat Tertullianus in Apologetico - - - - vbi sane Ter- „ tullianus diligenter, & accurate perfecit, quæ de more hoc delineauerat libro 1. aduersus „ Nationes cap. 7. „ Et quamuis „ sint inter eruditos, qui hæc Tertulliani loca ad silentii „ disciplinam apud Orthodoxos non spectare arbitrentur, omnibus tamen ex æquo ponde- „ ratis facile constabit, non posse Tertulliani verba proprio sensu & scopo conueniente in- „ telligi, nisi illam disciplinam apud Christianos obtinuisse, credamus. „

Egit itaque Tertullianus libro de Præscriptionibus, libro ad Nationes, & in Apologetico aduersus Gentes de disciplina arcani, idque ipse Tentzelius, cum clare admiserit, amplius negare non poterit. Sistat itaque pedem, & non displiceat, se veritatem confessum fuisse. Ex tribus namque illis Tertulliani locis ab eo indicatis clare ostendam, disciplinam arcani a Tertulliano prolatam fuisse, non tamquam suo tempore nouiter inuentam, sed tamquam ex Christi monitu, & Apostolorum ac Apostolicorum Virorum, qui ante Tertullianum in Ecclesia floruerant, traditione ad ipsum deriuatam. Primus Tertulliani locus desumptus est ex libro eius de Præscriptionibus hæreticorum, vbi contra Marcionistas: *Non omittam ipsius etiam conuersationis hæreticæ descriptionem, quam futilis, quam terrena, quam humana sit,*

sine grauitate, sine authoritate, sine disciplina, ut fidei suæ congruens. In primis, quis Catechumenus, quis fidelis, incertum est. Pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant: etiam Ethnici si superuenerint. Sanctum canibus, & porcis margaritas, licet non veras, iactabunt. Nullum omnino potest esse dubium, quin Tertullianus hic agat de hæreticorum sacris, in quibus admittebant ad auditionem & orationes mysticas Catechumenos, nec excludebant superuenientes Ethnicos, id quod Tertullianus clamat esse contra disciplinam, nimirum Ecclesiæ, & authoritatem utique Diuinam, cuius verba Matthæi 7. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*, ab hæreticis contemni, clarius testari non potest, quam ultima sua periodo: *Sanctum canibus, & porcis margaritas, licet non veras, jactabunt.*

Secundus Tertulliani locus, quem ad disciplinam arcani facere in confesso est, extat libro I. ad Nationes cap. 7. ubi agens de crimine infanticidii Christianis sola fama iniusto, scribit contra Ethnicos: *Si quem tamen apud vos prudentiæ locum iniquitas reliquisset ad explorandam famæ fidem, utique justitia poscebat dispicere, a quibus potuisset fama in vulgus, & ita in totum Orbem dari. Ab ipsis enim Christianis non opinor, cum vel ex forma ac lege omnium mysteriorum silentii fides debeatur; quanto magis talium, quæ prodita non euitarent interim humana animaduersione præsentaneum supplicium? Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur ut extranei. Oro vos, extraneis unde notitia? Cum etiam iusta & licita mysteria omnem arbitrii extraneum caueant.* Dicebant Ethnici, Christianos in suis Sacris admittere Thyesteas epulas, idque fama publicum esse. Opponit se Tertullianus, & respondet, nondum 250. annos a Christi Natiuitate, vel passione ad ætatem suam effluxisse, & nemini toto illo tempore ex fidelibus Thyesteas illas epulas prodere, etiamsi veræ essent, licuisse, *cum ex forma ac lege omnium mysteriorum silentii fides debeatur:* neminem quoque Ethnicorum testem oculatum esse potuisse, *cum etiam iusta & licita mysteria omnem arbitrii extraneum caueant*; seu (quod idem est) Christiani Iudæis, Gentilibus, & non initiatis mysteria sua semper occultauerint. An Tertullianus clarius testari potuit, disciplinam arcani ex perpetua traditione a Christo ad sua usque tempora obseruatam fuisse in Ecclesia?

Tertius Tertulliani locus est in Apologetico aduersus Gentes, ubi teste Tentzelio „ diligenter & accurate perfecit, quæ de more hoc delineauerat in libro aduersus Nationes. „ Ostensurus itaque Tertullianus, Christianorum Sacra a crimine infanticidii aliena esse: *Census istius disciplinæ*, inquit, *ut iam edidimus, a Tiberio est. Cum odio sui cœpit veritas simul atque apparuit inimica esse. Tot hostes eius, quot extranei, & quidem proprie ex æmulatione Iudæi, ex concussione milites, ex natura ipsi domestici nostri. Quotidie obsidemur, quotidie prodimur, in ipsis plurimum cœtibus, & congregationibus nostris opprimimur. Quis umquam taliter vagienti infanti superuenit? Quis cruenta, ut inuenerat, Cyclopum & Sirenarum ora Iudici reseruauit? Quis vel in uxoribus aliqua immunda vestigia deprehendit? Quis talia facinora cum inuenisset, celauit, aut vendidit, ipsos trahens homines? Si semper latemus, quando proditum est, quod admittimus? Imo a quibus prodi potuit? Ab ipsis enim reis, non utique, cum vel ex forma omnibus mysteriis silentii fides debeatur. Samothracia & Eleusinia reticentur. Quanto magis talia, quæ prodita interim etiam humanam animaduersionem prouocabunt, dum Diuina seruatur? Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur ut extranei. Et unde extraneis notitia? Cum semper etiam pia initiationes arceant profanos, & arbitris caueant?* Hæc ex editione Rigaltii.

Pamelius loco *piæ*, legit *impiæ initiationes*, & commentatur: „ Neque de ignorantia „ dubitandum, cum omnes initiationes, quibus ad mysteria cognoscenda instruimur, procul „ arceant profanos, arbitros testesque refugiant, præcipue quæ Christianis attribuuntur, quæ „ cum impiæ habentur, multo magis animaduertendum, ne in lucem exeant, neq; in pœnam. „

Audiat

Audiat, Tentzelius, quam clare constet ex Tertulliano, Christianæ Religionis mysteria, & inter illa Eucharistiæ Sacramentum ab omni tempore occultatum fuisse non solis infidelium oculis, sed etiam auribus.

Disciplinam illam Ecclesiæ grauiter vrget idem Tertullianus in secundo ad vxorem libro cap. 4. & 5. probatque illicitum esse matrimonium Catholicarum mulierum cum infidelibus ob diuersa, quæ inde prouenirent, exercendæ Religionis impedimenta, & inter alia petit cap. 4. *Quis* (infidelis) *nocturnis conuocationibus, si ita oportuerit, a latere suo* (vxorem) *adimi libenter feret? Quis denique solemnibus Pascha abnoctantem securus sustinebit? Quis ad conuiuium illud Dominicum, quod infamant, sine sua suspicione dimittet?* Cap. 5. *Sed aliqui sustinent nostra, nec obstrepunt. Hoc est igitur delictum, quod Gentiles nostra nouerunt, quod sub conscientia istorum sumus, quod beneficium eorum est, si quid operamur. Non potest se dicere nescire, qui sustinet: aut si celatur, quia non sustinet, timetur. Cum autem Scriptura vtrumque mandet, & sine alterius conscientia, & sine nostra pressura operari Domino; nihil interest, in qua parte delinquas, aut in conscientiam mariti, si sit patiens: aut in constillatione tui, dum vitatur impatiens. Nolite, inquit, margaritas vestras porcis iactare, ne conculcent eas, & conuersi vos quoque euertant. Margaritæ vestræ sunt etiam quotidianæ conuersationis insignia. Quanto curaueris ea occultare, tanto suspectiora feceris, & magis cauenda Gentili curiositati. Latebisne tu, cum lectulum, cum corpusculum tuum signas, cum aliquid immundum flantis explodis, cum etiam per noctem exurgis oratum? Et non magiæ aliquid videberis operari? Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes? Et si sciuerit, panem, non illum credet esse, qui dicitur.* Hæc ad vxorem suam Tertullianus, vt, si ea superuiueret, secundis cum Ethnico nuptiis abstineret, pro ratione vrgens, disciplinam arcani obseruari vix posse, quam tamen a Christo per hæc verba, *Nolite margaritas vestras porcis iactare*, ait præceptam fuisse. Quin etiam a fidelibus obseruari consueuisse, probat ex eo, quod secreto ante omnem cibum panem Eucharisticum à mulieribus Christianis Gentilium matrimonio iunctis sumi solitum fuisse, indicet: non fine peccato demum mysterium declarare potuisse, *Hoc erat namque delictum, quod Gentiles nostra nouerant.* Quæ Tertulliani verba non ritus, sed dogma ipsum respiciunt, vt consideranti constabit.

XII. Accedimus ad Tertullianum, qui primus omnium inter Latinos disciplinæ arcani fecit mentionem; quod cum in Dissertatione mea confessus essem, tum Schelstratius ex locis a me indicatis ostendere vult antiquitatem eius Apostolicam. Videamus quo successu. Primus sane locus ex libro de Præscriptionibus cap. 1. tantum abest, vt velificetur Schelstratio, vt nostram potius confirmet sententiam. Neque enim Tertullianus disciplinam Ecclesiæ Apostolicæ, sed sui temporis cum hæretica confert ac componit. Nemo autem ignorat, nec Schelstratius diffiteri potest, interea temporis multa fuisse immutata aut de nouo introducta, quod vel ex eodem Tertulliani loco confirmatur. Improbat enim hæreticis, quod *Laicis sacerdotalia munera iniungunt*, quæ Apostolorum ætate iis non denegabantur, vt exemplo Ananiæ Paullum baptizantis constat. Præterea diuersos ordines Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum & Lectorum agnoscit Tertullianus, quum duo priores in Apostolica Ecclesia iidem non solum nomine, sed & re fuerunt; vltimus autem eo tempore nondum extitit, sed labente

 de-

demum secundo sæculo in scriptis Patrum genuinis primum commemoratur, non obscuro iudicio, cum disciplina arcani & plures ministrorum ordines & maiorem rituum splendorem introductum esse. Hinc factum est, vt eam disciplinæ *curam* hæretici *lenocinium* vocarint, teste Tertulliano, quoniam variis ornamentis externas ceremonias augebant orthodoxi. Ex quibus liquet, Tertullianum ibi non explicare, sed tantum scopo suo applicare verba Christi: & aliunde constat, verba Scripturæ a Patribus sæpe eo applicari, quo in sensu litterali non pertinent, neque ex quauis allusione firmum duci argumentum. Secundus & tertius Tertulliani locus pro vno reputandi sunt, non tantum propter eadem fere verba, sed quia etiam non desunt eruditi, qui pro vno opere habent librum ad Nationes, & Apologiam. Quod subinnuit Ioannes Mabillonius To. I. Analectorum p. 193. contra Dallæum disputans: *Si Dallæi argumentatio valeret; Tertulliano abiudicandus esset liber ad Nationes, qui totus ex eiusdem Apologiæ (si tamen alius) verbis & rationibus constat.* Vtcunque autem ea res se habeat, conformitas vtriusque scripti in propatulo est, quam si animaduertisset Schelstratius, nunquam Tertullianum κατ' ἄνθρωπον disputantem putasset κατ' ἀλήθειαν differere. Vult enim Tertullianus ethnicos docere, a Christianis non potuisse prodi mysteria, quoniam ex propria gentilium sententia omnia mysteria silenda sint, vnde etiam in exemplum allegat *Samothracia & Eleusinia.* Hoc igitur modo argumentum Tertulliani procedit: Vos Christianæ religionis inimici mysteriis omnibus fidem silentii seruatis, eaque remotis extraneis celebratis: ergo ex propria vestra sententia scire non potestis, qualia sint Christianorum mysteria; finem proinde facite calumniarum de Thyesteis epulis. Quartum denique locum ex lib. II. ad Vxorem de disciplina arcani non esse interpretandum pridem monstrauit Albertinus pag. 342. & 710. cui respondere debuerat Schelstratius, antequam nobis eum obiiceret. Notat enim Albertinus, *locum Tertulliani plane esse extra propositum, cum hypothetice tantum ad vxorem Christianam in eo loquatur, & falsa insuper expositione infeliciter detortum.* Adfert etiam duplicem expositionem, quarum prior vtut Reformatorum opinionem incrustat, facile tamen ad mentem orthodoxam inflecti potest: posterior autem ex Rigaltio petita huc adferenda est, quoniam eius editionem sequutus est Schelstratius: *Non sciet, cum seruatam domi Eucharistiam sumes? non suscitabitur curiosius quid secreto ante omnem cibum gustes? Et si sciuerit panem, non continuo secum reputabit panem illum esse, qui dicitur infanticidii cruore tingi? Quæ calumnia tum maxime Christianos vexabat.* Sed si Schelstratius maiori contentione instare potuerit, disciplinam arcani in loco Tertulliani esse intelligendam, explicare debet, qua ratione Tertullianus crucis signum occultare præceperit? Certe id gentilium conspectui non fuisse derogatum cum Acta Martyrum fidem faciunt, tum ipse Tertullianus initio Scorpiaces aduersus Gnosticos

ſticos diſerte fatetur, quando aduerſus venenata animalia, ſcorpios, præſidiũ in fide Chriſtianos quærere docet, *ſignandi ſtatim & adiurandi, & vngendi beſtiæ calcem;* additque: *Hoc denique modo etiam Ethnicis ſæpe ſubuenimus; donati a Deo ea poteſtate, quam Apoſtolus dedicauit, quum morſum viperæ ſpreuit.* Intelligit procul dubio exorciſmos Chriſtianorum, de quibus vt omittam Iuſtini Martyris teſtimonium in Apologia poſteriori, pag. 45. notabilis locus occurrit in Vita Antonii To. II. Operum Athanaſii pag. 495-496. quæ an ab ipſo Athanaſio confecta ſit ea ſerie, qua in exemplaribus editis legitur, nunc non diſputo. Introducitur ibi Antonius cum Philoſophis Gentilibus diſſerens, eoſque prouocans ad dæmoniacos ſanandos: *καὶ ταῦτα εἰπὼν, ἐπεκαλέσατο τὸν Χριστὸν, ἐσφράγισέ τε τοὺς πάσχοντας τῷ σημείῳ σταυροῦ δεύτερον καὶ τρίτον· καὶ εὐθὺς ἔστησαν οἱ ἄνθρωποι ὁλόκληροι, σωφρονοῦντες καὶ εὐχαριστοῦντες τῷ Κυρίῳ λοιπόν. καὶ οἱ μὲν λεγόμενοι φιλόσοφοι ἐθαύμαζον, καὶ ἀληθῶς ἐξεπλήττοντο ἐπὶ τῇ συνέσει τοῦ ἀνδρὸς, καὶ τῷ γενομένῳ σημείῳ. Quibus dictis Chriſtum inuocauit, illoſque dæmoniacos figura crucis iterum atque iterum ſignauit; & homines illi confeſtim ſteterunt mente integri. Philoſophi itaque illi, quos diximus, admirabantur, & vere hominis ſapientia, & ſigno crucis, attoniti reddebantur.* Nec Chriſtianæ fidei tironibus id celatum, ſed *iamtum ab ipſis* rudimentis, & incunabulis Chriſtianiſmi præſcribi Catechumenis ſolitum docet Petauius Lib. XV. de Incarnatione cap. X. num. I. ex Ambroſio & Auguſtino, quorum ille lib. de iis qui initiantur cap. IV. ait: *Credit autem etiam Catechumenus in crucem Domini Ieſu; quia & ipſe ſignatur.* Hic Tract. XI. in Ioannem: *Si dixerimus Catechumeno, Credis in Chriſtum? reſpondet Credo: & ſignat ſe cruce Chriſti. Portat in fronte: & non erubeſcit de cruce Domini.* Huc pertinet mos Catechumenis ſal præbendi eoſque cruce ſignandi, quem Simon Wagnereckius explicat in Notis ad Auguſtini librum I. Confeſſionum cap. XI. pag. 25. occaſionem ſuppeditantibus his diuini Patris verbis: *ſignabar iam ſigno crucis eius & condiebar eius ſale.* Magis notandum eſt, quod Petauius num. 2. *gentiles ipſos ſapientiæ ſtudio deditos ſigno crucis frontem ſignare ſolitos eſſe* probat ex fragmento VIII. Auguſtini Tom. X. pag. 623. *Vt plurimi etiam ex ipſis ſapientibus ſeculi; quibus videbatur ignominioſa crux Chriſti; ea in fronte ſignentur: & de qua erubeſcendum putabant, nobiſque inſultabant, eam in pudoris arce conſtituant.* Hinc duo elicimus poriſmata ſententiam noſtram apprime confirmantia. Quod ſi enim Chriſtiani illicitum putaſſent coram Ethnicis cruce ſe ſignare, ecquomodo illi imitari hunc ritum potuiſſent? Præterea Auguſtini teſtimonium eo magis æſtimandum eſt, quod is non minus ac Tertullianus Afer fuit. Quare libenter a Schelſtratio perciperem, quemadmodum hæc cum diſciplina arcani cohæreant, ad quam crucis ſignaculum referri nequit, quippe quod nec Catechumenis nec Ethnicis vnquam occultatum fuit.

§. IV.

§. IV.

Ex Origene Adamantio.

EOdem ferme tempore, quo desiit in Africa Tertullianus, cœpit in Ægypto Origenes Clementis Alexandrini auditor, ex quo eamdem de mysterio arcani disciplinam in Ecclesia tam quoad dogma, quam quoad ritus receptam fuisse, clare ostenditur. Nam cum Celsus homo Ethnicus, & Christiani nominis osor esset: μετὰ ταῦτα περὶ τοῦ κρύφα Χριστιανοὺς τὰ ἀρέσκοντα ἑαυτοῖς ποιεῖν, καὶ διδάσκειν εἰπών· *cum dixisset, Christianos clam quidquid ipsis libet vel facere, vel docere;* opponit se Origenes lib. 1. contra Celsum, & scribit: Εἶτ᾽ ἐπειδὴ πολλάκις ὀνομάζει κρύφιον τὸ δόγμα, καὶ ἐν τούτῳ αὐτὸν ἐλεγκτέον, σχεδὸν παντὸς τοῦ κόσμου ἐγνωκότος τὸ κήρυγμα Χριστιανῶν μᾶλλον, ἢ τὰ τοῖς φιλοσόφοις ἀρέσκοντα. Τίνα γὰρ λανθάνει ἡ ἐκ παρθένου γέννησις Ἰησοῦ, καὶ ὁ ἐσταυρωμένος, καὶ ἡ παρὰ πολλοῖς πεπιστευμένη ἀνάστασις αὐτοῦ, καὶ ἡ καταγγελλομένη κρίσις, κολάζουσα μὲν κατ᾽ ἀξίαν τοὺς ἁμαρτάνοντας, γέρως δ᾽ ἀξιοῦσα τοὺς δικαίους; Ἀλλὰ καὶ μὴν νοηθὲν τὸ περὶ τῆς ἀναστάσεως μυστήριον θρυλλεῖται γελώμενον ὑπὸ τῶν ἀπίστων. Ἐπὶ τούτοις οὖν λέγειν κρύφιον εἶναι τὸ δόγμα, πάνυ ἐστὶν ἄτοπον. Τὸ δ᾽ εἶναί τινα οἷον μετὰ τὰ ἐξωτερικά, μὴ εἰς τοὺς πολλοὺς φθάνοντα, οὐ μόνου ἴδιον τοῦ Χριστιανῶν λόγου, ἀλλὰ γὰρ καὶ τοῦ φιλοσόφων. παρ᾽ οἷς τινὲς μὲν ἦσαν ἐξωτερικοὶ λόγοι, ἕτεροι δὲ ἐσωτερικοί. καὶ τινὲς μὲν ἀκούοντες Πυθαγόρα ὡς αὐτὸς ἔφα, ἄλλοι δ᾽ ἐν ἀπορρήτῳ διδασκόμενοι τὰ μὴ ἄξια φθάνειν εἰς ἀκοὰς βεβήλους καὶ μηδέπω κεκαθαρμένας. *Deinde quoniam sæpius nominat doctrinam clanculariam: coarguendum est hoc quoque; quando per totum Orbem notior est Christianorum prædicatio, quam Philosophorum placita. Quis enim Iesum e Virgine natum & crucifixum ignorat? Quis resurrectionem eius multis creditam, & denunciationem iudicii, redditurі pro dignitate pœnas peccatoribus, & iustis præmia? Quin & resurrectionis futuræ mysterium vulgatum est, tametsi rideatur ab infidelibus. Quæ cum ita se habeant, perabsurdum est, doctrinam hanc vocare clanculariam. Quod vero quædam insunt, quæ non annunciantur quibusuis, id non solum Doctrinæ Christianæ proprium est, verum etiam Philosophicæ. Nam & illi exteriorem, & penitiorem doctrinam habebant; & alii Pythagoram audiebant contenti ipsius authoritate; alii secrete discebant rationes non euulgandas in profanos, nondumque purgatos.*

Præclarus est hic locus Origenis, ex quo constat, non solum de ritibus, sed de Religionis quoque Christianæ dogmatibus occultandis iuxta disciplinam Ecclesiæ, prout occultata fuerunt Celsi temporibus. Enumerat Origenes Religionis Catholicæ dogmata, quæ palam prædicabantur, vt Incarnationis, Passionis, & Resurrectionis Dominicæ, extremi iudicii, & resurrectionis nostræ. Non loquitur autem de Sanctissimæ Trinitatis mysterio, non facit mentionem Sacramentorum Ecclesiæ, neque Sacramenti Eucharistiæ, quod illa essent ex iis, quæ non communicabantur quibusuis, adeoque circa quæ disciplina arcani obseruanda erat, prout de mysterio Eucharistiæ tractaturus homilia 13. in Exodum disertis verbis præmonuit: *Vereor enim, ne forte, etiamsi Dominus reuelare dignetur alicui, sicut forte dignatur (de me enim non sum ausus dicere) vereor, inquam, & valde dubito, si inueniam auditores; & cum ita sit, ne forte ab eo, qui explanare conabitur, requirantur Dominicæ margaritæ, vbi, vel quomodo, vel ante quos mittantur.* Clare respicit Origenes ad verba Christi Matth. 7. quibus vetuit,

vetuit, *dari sanctum canibus, & margaritas proiici ante porcos.* Quæ cum ad Eucharistiam infidelium auribus, & oculis occultandam præcipue faciant, pergit eadem homilia Origenes. *Videte, si concipitis; videte, si tenetis, ne forte effluant, quæ dicuntur, & pereant. Volo vos admonere Religionis vestræ exemplis. Nostis, diuinis mysteriis interesse consuesti, quomodo cum suscipitis Corpus Domini, cum omni cautela, & veneratione seruatis, ne consecrati muneris aliquid dilabatur &c.* Hæc ex versione Ruffini, vel Hieronymi, quæ ad disciplinam arcani facere, ipse Tentzelius num. I. suæ disputationis fatetur.

XIII. Locum Origenis aduersus Celsum expendimus Sect. III. num. 2. & quanquam Homil. XIII. in Exodum disciplinam arcani iudicari num. VII. non I. vt habet Schelstratius, Disputationis nostræ statuimus, non tamen eam Origenes ad dogma extendit, quod per *suscipere corpus Domini* haud obscure designat: nec ex Christi instituto deriuat, etiamsi ad verba eius in exordio Concionis alludit; quo sane non ad Eucharistiam respicit, sed ad difficultatem textus de oblationibus ad tabernaculum Exodi XXV. Ita enim integer habet locus: *Cum considero meipsum primum & discutio, piget ad hæc aperienda manum mittere. Vereor enim ne forte etiamsi Dominus reuelare dignetur alicui, sicut forte dignatur* &c. Hæc allegat Schelstratius, vsque ad: *vel ante quos mittantur.* Omittit autem, quæ sequuntur, & scopum Origenis continent: *Verum quoniam magnopere exspectatis, vt aliqua ex his quæ lecta sunt, differantur, & præcepit mihi Dominus meus dicens: Oportebat te dare pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris vtique exegissem eam: ipsum rogabo, vt verbum meum suam pecuniam facere dignetur, vt non meam pecuniam, non meum aurum vobis, sed ipsius fœnerem, ipsius vobis verbo, & ipsius sensu loquar, & ad auditus vestri hæc deferam mensam. Vos iam videritis suscipientes dominicam pecuniam, quomodo vsuras eius venienti Domino præparetis.* &c. Ex quibus omnibus palam est, Origenem in generali mandati Christi de margaritis sensu acquiescere, quo verbum Dei indignis auribus proponi vetatur, non autem in specie ad eucharistiam extendere, circa quam disciplina arcani versabatur. Reperitur tamen aliud de illa disciplina testimonium Homilia IX. in Leuiticum, quæ cum cæteris Cyrillo quidem Alexandrino a quibusdam vindicari solet, a Bellarmino autem, Cornelio a Lapide, Petauio & aliis Origeni relinquitur. Verba hæc sunt: *Tu qui ad Christum venisti, pontificem verum, qui sanguine suo Deum tibi propitium fecit, & reconciliauit te Patri, non hæreas in sanguine carnis: sed disce potius sanguinem verbi, & audi ipsum tibi dicentem. Quia hic sanguis meus est, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Nouit qui mysteriis imbutus est, & carnem & sanguinem verbi Dei. Non ergo immoremur in his, quæ & scientibus nota sunt, & ignorantibus patere non possunt.*

§. V.

Ex D. Cypriano, & Zenone Veronensi.

DIuus Cyprianus Cartaginiensis in Africa Episcopus & Martyr librum ad Demetrianum Africæ Proconsulem sic incipit: *Oblatrantem te, & aduersus Deum, qui vnus & verus est, ore sacrilego, & verbis impiis obstrepentem frequenter, Demetriane, contempseram.* Addit, se id non fecisse sine magisterii Diuini & nominis authoritate, cum inter alia scriptum sit, *in aures imprudentis noli quidquam dicere, ne, quando audierit, irrideat sensatos sermones tuos - - - & sanctum quoque iubeamur intra conscientiam nostram tenere, nec inculcandum porcis, & canibus exponere, loquente Domino & dicente: Ne dederitis sanctum canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos, ne conculcent eas pedibus, & conuersi elidant vos.* Lucide respicit Cyprianus disciplinam arcani, de qua verba Matthæi VII. interpretatur, dicitque ad illam obseruandam teneri fideles: *& sanctum quoque iubeamur intra conscientiam nostram tenere.* Vnde ipse vnius Dei mentionem faciens, neque de Trinitatis mysterio, neque de Sacramentis Ecclesiæ quidquam scribit, sed cuncta intra conscientiam suam tenuit, & disciplinam arcani seruauit.

Eamdem disciplinam indigitauit Author antiquissimus & doctissimus Zeno Veronensis Episcopus, dum sermone in Psalmum 126. scribit: *Conuentus quidem Ecclesiarum, siue Templi, quos ad secretam Sacramentorum Religionem ædificiorum septa concludunt, consuetudo nostra vel Domum Dei solita est nominare, vel Templum.* Sacramenta, quæ intra Ecclesiæ septa conficiebantur, ad secretam Religionem spectare docet Zeno Veronensis, qui sermone de continentia mulierem Christianam a connubio cum infideli auertere studet, ne *sit proditrix Legis*, & rationem magis explicat: *Proponamus itaque, vt sæpe contingit, in vnum sibimet conuenire diuersæ Religionis diem, quo tibi Ecclesia, illi adeunda sint Templa. Quo genere vnusquisque suum Sacrificium procurabitis? quo sumptu? quibus vasis? quibusue ministris; At si discrete fiunt ista, nihil prodest: ex vno enim proficiscendo & in vnum remeando, si non confusione, vel errore fiunt vna; quid quod illius Sacrificium publicum est, tuum secretum? illius a quouis libere tractari potest, tuum etiam a Christianis ipsis minime consecratis sine sacrilegio videri non potest.* Et ex hoc fundamento sermone 9. de Paschate pro illis, qui eodem die baptizandi erant, tam obscure loquitur de tribus Sacramentis, vt Zenonem ipsum disciplinam arcani cum iis adhuc seruare voluisse constet: *Denique Competentibus nostris finitur hyems; hodie peccatorum oleo confecto lætabuntur; hodie eos etiam ver arridens diuersos in flores diuerso charismate rediturum est, cum salubri vnda perfusi, limpidæ æstatis messe gaudentes panem nouum cœperint manducare: quos autumnale quoque non morabitur mustum, quo repleti inebriatique feliciter Spiritus Sancti calore feruebunt.*

XIV. Cyprianus nostram verborum Christi explicationem firmat, quibus obstinatos refractariosque a doctrina Euangelica excludi statuimus. Id facile cognoscere potuisset Schelstratius ex iis, quæ vtrique loco a se citato subiicit Cyprianus. Priori enim Demetriani ingenium describit: *Verecundius & melius existimans errantis imperitiam silentio spernere, quam loquendo dementis insaniam prouocare.* Et clarius posteriori: *Nam cum ad me sæpe studio magis contradicendi, quam voto discendi venires, & clamosis vocibus personans malles tua impudenter* inge-

ingerere, quam nostra patienter audire, ineptum videbatur congredi tecum, cum facilius esset & leuius turbulenti maris concitos fluctus clamoribus retundere, quam tuam rabiem tractatibus coercere &c. Qui indociles eiusmodi habebant animos, margaritis Euangelicis seipsos indignos efficiebant. Huc tamen disciplina arcani minime pertinet, quæ mysteria Cœnæ & Baptismi a docilibus æque ac indocilibus ethnicis prohibebat. Quam ridiculum vero esset Salomonem auctorem disciplinæ arcani facere, quod duo ex Prouerbiis loca descripsit Cyprianus, tam incongruum quoque est, de Christo id perhibere, quia mandatum eius Cyprianus adiunxit. Potius dixerim, quemadmodum Apostoli præceptum Christi exsequuti sunt, quando Act. XIII. Iudæos acriter resistentes in sua cæcitate reliquerunt; ita vestigiis eorum institisse Cyprianum, quod Demetrianus impiis illis Iudæis simillimus erat. Quod autem obiicit Schelstratius, Cyprianum neque de Trinitatis mysterio, neque de Sacramentis Ecclesiæ quidquam scribere, adeoque disciplinam arcani seruare, id viro docto miror excidisse. Neque enim quidlibet vbilibet profundere conuenit, sed argumenti ratio spectanda est, quæ sane hoc loco ad mysteria nihil attinebat, sed innocentiam Christianam tantum postulabat vindicandam. Dicebat quippe Demetrianus, *plurimos conqueri, quod bella crebrius surgant, quod lues, quod fames sæuiant: quodque imbres & pluuias serena longa suspendant, nobis* (Christianis) *imputari*, vt apud Cyprianum legitur, qui per totum librum occupatus est in amouenda hac calumnia, & in Ethnicos retorquenda, quos ipsos horum malorum caussam esse demonstrat, quod idololatriæ nuntium non mitterent. Quæ igitur necessitas eum coegit, vt de Trinitatis mysterio ibi prolixe ageret? Si quando vero occasio tulit, vt in libello de idolorum vanitate, vtique aduersus gentiles conscripto, nihil dubitauit, diuinitatem Christi profiteri, adeoque merito inter *Catholicæ de Trinitate fidei testes* collocatus est a Petauio in Præfatione To. II. Dogmat. Theolog. Cap. v. num. 12. Verba Cypriani hæc sunt: *Hic est virtus Dei, hic ratio, hic sapientia eius & gloria, hic in virginem illabitur, carnem, Spiritu Sancto cooperante, induitur. Deus semper cum homine miscetur, hic Deus noster, hic Christus est* &c. Præterea Cypriani aduersus Demetrianum opus obiter saltem se inspexisse prodit Schelstratius, quando putat de Sacramentis eum siluisse. Nonne enim Baptismi, & Pœnitentiæ, doctrinam efficaciamque luculentis verbis sub finem expressit Cyprianus, cum ait: *Succendi & cremari* (in die extremo) *alienigenas præcinit Dominus, id est alienos a diuino genere & prophanos spiritualiter non renatos, nec Dei filios factos. Euadere enim eos solos posse, qui renati & signo Christi signati fuerint, alio in loco Dominus loquitur* &c. Et postquam multis ad pœnitentiam conuersionemque gentiles hortatus erat, addit: *Quando istinc excessum fuerit, nullus iam locus pœnitentiæ est, nullus satisfactionis effectus. Hic vita aut amittitur aut tenetur, hic saluti æternæ cul-*

tu Dei & fructu prouidetur. Nec quisquam aut peccatis retardetur, aut annis, quo minus veniat ad consequendam salutem. In isto adhuc mundo manenti pœnitentia nulla sera est. Patet ad indulgentiam aditus: & quærentibus atque intelligentibus veritatem facilis accessus est. Tu sub ipso licet exitu & vitæ temporalis occasu pro delictis roges Deum, qui vnus & verus est, confessionem & fidem eius agnitionis implores, venia confitenti datur, & credenti indulgentia salutaris de diuina pietate conceditur, & ad immortalitatem sub ipsa morte transitur. Hanc gratiam Christus impartit, hoc munus misericordiæ suæ tribuit subigendo mortem trophæo crucis, redimendo credentem pretio sanguinis sui, reconciliando hominem Deo Patri, viuificando mortalem regeneratione cœlesti. Hunc si fieri potest sequamur omnes, huius sacramento & signo censeamur &c. Cum igitur Schelstratius dogma Sacramentorum velit occultatum, & in horum censum tam Baptismum, quam Pœnitentiam referat, errores suos ex Cypriano emendare poterit, qui vtriusque doctrinam clarioribus verbis exprimere nequiuisset.

XV. Zeno Veronensis non minus dubius scriptor est, quam sermones ipsi attributi. Cum enim in tabulis Veronensibus non nisi vnius Zenonis mentio fiat, & ex Ambrosii epistola LXIV. constet, Zenonem Syagrii fuisse decessorem; inde sane probabile euadit, Zenonem non tertio, sed quarto demum sæculo vixisse, adeoque perperam a Schelstratio cum Cypriano & ante Athanasium collocari, quorum illo iunior, huic suppar fuerit. Nec ignotum esse debuit Schelstratio, quam suspectos pridem Sermones Zenonis nomine vulgatos Romæ habuerint Sixtus Senensis, Baronius, Bellarminus, & alii. Imo ex duobus sermonibus a se adductis colligere potuisset Schelstratius, eos sæculo tertio recentiores esse. Quis enim credat, ecclesias *templi* appellatione venisse apud Christianos, & quidem ex *consuetudine*, eo tempore, quo Cæcilius apud Minutium *nullas aras, nulla templa* Christianis esse exprobrat, & Origenes Celsum calumniantem, ὐκ ἀνέχονται νεὼς ὁρῶντες ϗ βωμὺς, mendacii non accusat? Quarto tamen sæculo templorum nomen Christianis etiam placuit, vt vel simili argumento colligere licet ex obiectionibus Iuliani Apostatæ, qui apud Cyrillum Alexandrinum lib. x. pag. 354. nostris quidem exprobrat, quod βωμὺς ϗ θυσιαστήρια non exstruant, de templis autem silet, haud obscuro indicio, tum temporis ciuitate Christiana istud vocabulum donatum fuisse. Zeno igitur inter primos eius approbatores numerandus veniet, quandoquidem sub Constantio & Iuliano vixisse ab accuratioribus perhibetur. Nec prætereundus est temporis character, qui in sermone de Continentia occurrit, vbi Zeno statuit, *ante annos ferme quadringentos vel eo amplius Apostolicum hoc operari edictum*, quod 1. ad Corinth. VII. perscriptum exstat: quanquam enim nonnulli spontanea & pessima corruptione in recentioribus editionibus vel *ducentos* vel *trecentos* reposuerunt, in prima tamen & meliori Guarinii istum

niiſtum numerum inuenit Gerardus Ioannes Voſſius lib. III. de Hiſtoricis Latinis cap. II. etſi inde non debuit colligere, *parentem eius fœtus non vixiſſe ante annum* CCCCXL. nam maiori veriſimilitudine Sandius in Animaduerſionibus Voſſianis p. 270. ſtatuit, *auctorem huius ſermonis adhibuiſſe calculum Philaſtrii, Marcelli, Concilii Antiocheni.* Enimuero vt a Philaſtrio incipiam, de quo Sandius egerat p. 6. Is hæreſi centeſima decima, (non LXIII. vt apud Voſſium, Labbeum, aliosque legitur,) annos mundi computans ait: *Et inde a Domino vsque nunc anni* CCCCXXX. *plus;* quum tamen conſtet, eum obiiſſe anno CCCLXXXVII. vt Labbeus monuit. Hinc communiter in textu Philaſtrii reponunt CCCLXXX. Sed Sandius Marcelli & Concilii Antiocheni computatione vſum exiſtimat. Marcellum Ancyranum Epiſtola Synodica Orientalium apud Serdicam Epiſcoporum in Hilarii fragmentis teſtatur *dicere, initium regnandi accepiſſe Dominum ante quadringentos annos,* quod Concilii Antiocheni Epiſcopi an. 344 vel 347. habiti ita efferunt in *μακροςίχῳ ἐκθέσει* ſiue *prolixa fidei expoſitione*, apud Socratem lib. II. cap. XIX. ἀλλ' ἔκτοτε Χριςὸν αὐτὸν γεγονέναι καὶ υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἐξ οὗ τὴν ἡμετέραν ἐκ τῆς παρθένου σάρκα ἀνείληφε, πρὸ τετρακοσίων ὅλων ἐτῶν· ἔκτοτε γὰρ τὸν Χριςὸν ἀρχὴν βασιλείας ἐσχηκέναι θέλουσι &c. *Sed ex eo tempore Chriſtum ac Filium Dei illum eſſe cœpiſſe, ex quo carnem noſtram aſſumpſit ex Virgine, ante quadringentos circiter annos. Ab eo enim tempore, volunt Chriſtum regni ſui habuiſſe principium.* Ita vertit Valeſius, & in Notis pag. 24. arbitratur, *Marcellum perfectum numerum poſuiſſe pro imperfecto.* Mihi autem illi omnes videntur ſequi epocham Antiochenam, a qua Indictionum quoque initium capi ſolet. Nam annus illius epochæ CCCC. cum Anno Chriſti vulgari CCCLI. concurrit, & quoniam Antiochenæ Synodi Patres aliquot annis ante completum centenarium quartum conuenerant, melior eſt lectio, quæ apud Athanaſium in epiſtola de Synodis Arimini & Seleuciæ occurrit, vbi eadem fidei formula exſtat: πρὸ τετρακοσίων οὐχ ὅλων ἐτῶν, *non totis abhinc quadringentis annis.* Eundem computum ſequutus eſt Philaſtrius. Nam annus Antiochenus CCCCXXX. cum Æræ Vulg. anno CCCXXCI. coincidit, quo Philaſtrium adhuc in viuis fuiſſe nouimus; quia autem particulam *plus* addit, aliquot inſuper annos adiicere conuenit. Ad eundem modum Zeno Veronenſis ſicut in veteri *libro de laudibus Veronæ* (qui compoſitus eſt regnante apud Longobardos Pippino, Caroli Magni filio) tam in Bibliotheca Patrum, quam apud Mabillonium Tomo I. Analectorum pag. 373. dicitur *a Syria veniſſe vsque in Italia*, ita epocha Antiochena Syris ſolenni vſus videtur, adeoque ſub annum CCCLX. Sermonem de Continentia dixiſſe. Vixit igitur Zeno eo tempore, quo arcani diſciplina maxime floruit, eamque in locis a Schelſtratio obiectis innuit quidem, ita tamen, vt meram rituum occultationem ſeruet. Nihil enim aliud, quam Sacramentorum celebrationem ſecrete & remotis extra-

V 3 neis

neis Catechumenisque peragi solitam Sermone in Psal.126. respicit, eandemque Eucharistiæ rationem esse. In altero de Continentia indicat, quippe a cuius conspectu Catechumeni per arcani disciplinam arcebantur, quos significare videtur, cum ait, *Christianorum sacrificium etiam a Christianis ipsis minime consecratis sine sacrilegio videri non posse.* Denique sermone 9. de Paschate coram Competentibus disciplinam arcani merito seruauit pro suæ ætatis consuetudine, quam ex Cyrilli Hierosolymitani Catechesibus in gratiam φωτιζομένων scriptis cognoscere licet. Gratis vero in verbis Zenonis tria Sacramenta quærit Schelstratius, qui nonnisi duo subinnuit, Baptismum & Eucharistiam; oleum vero confirmationis pro complemento Baptismi secundum illius temporis mores habet: imo si rem recte putauerimus, nil nisi beneficia per baptismum impetranda metaphoricis Scripturæ Sacræ loquutionibus exprimit, quippe cui solenne est, per oleum, mustum, & similia, diuinam benignitatem describere. Videat etiam Schelstratius, quomodo cum hypothesi sua de diuinitate Christi ex disciplina arcani coram gentilibus occultata conueniat, quod eam Zeno in sermonibus de æternæ Filii Dei generatione & de Natiuitate Christi luculentissime explicat, & cum aduersus alios hæreticos, tum aduersus Arianos, defendit. Quum enim dubium haud sit, homiliis eius ethnicos interesse consueuisse, tum aut magni criminis postulandus est Zeno, aut mysterium potius Trinitatis ad arcani disciplinam non pertinuisse fatendum.

§. VI.

Ex Iulio Primo, D. Athanasio, & Synodo Alexandrina.

NOn parum facit ad quæstionem a Tentzelio institutam, quod data per Constantinum Magnum Ecclesiæ pace, licet aperta essent Christianorum templa, & permissa pro incruento Sacrificio altaria, disciplina tamen arcani cum tanta sollicitudine seruata fuerit, vt pro grauissimo crimine Eusebianis tributum sit, quod Ethnicis ad sacra nostra aditum fecerint, & de calice ac Eucharistia coram Catechumenis, Iudæis, & infidelibus agere & loqui ausi sint. Accusatus Athanasius, quod per Macarium Presbyterum fregisset Ischyræ calicem,& Sanguinem Christi in terram fudisset, eius causam Eusebiani Mareote examinandam miserant, & ex actis illis Mareote habitis collegerat Athanasius; *vnum Catechumenum in examinatione sui dixisse, se intus cum Ischyra fuisse, quo tempore Macarius Presbyter Athanasii eo, vt aiunt, se in eum locum immisisset; alios ita examinatos pro testimonio dixisse, Ischyram in cellula parua latuisse; alios, eumdem post ostium ægrotum eodem tempore decubuisse, quo Macarius superueniebat.* Et inquit Iulius Primus ad Eusebianos Antiochiæ congregatos: *Ex istis rationibus Athanasii facile colligebamus, fieri non potuisse, vt qui morbo post ostium decumbebat, in sacris constiterit, & oblationem confecerit, nec oblationem proponi potuisse, cum intus Catechumeni versarentur, quibus intus adhuc agentibus tempus oblationis nondum esse potuit.* Palam confirmant D. Athanasius, & Iulius Primus, Catechumenos sacrificio adesse non potuisse, quod illi ante oblationem dimitterentur,& eorum oculis mysterium Eucharistiæ occultaretur.

Nec

Nec solis eorum oculis, sed etiam auribus occultari debuisse, ostendit apud Iulium Primum magnus Athanasius: accusat enim Eusebianos, quod in examine Mareotico noluerint admittere Presbyteros, Τὴν δὲ ἐξέτασιν γεγενῆσθαι περὶ ποτηρίου καὶ τραπέζης, ἐπὶ παρουσίᾳ τοῦ ἐπάρχου καὶ τῆς τάξεως αὐτοῦ παρόντων ἐθνικῶν καὶ Ἰουδαίων. *Quæstionem vero habitam fuisse de calice & mensa in præsentia Præfecti, & eius cohortis, assistentibus tum Ethnicis, tum Iudæis.* Hæc Athanasius Romæ existens coram tribunali Sedis Apostolicæ deponebat. Audiat vero Tentzelius, quid Iulius Primus horum occasione ad Eusebianos scripserit: *Id principio*, inquit, *nobis incredibile videbatur, nisi ex ipsis actorum monumentis demonstratum fuisset. Certe nobis magnæ admirationi fuit, & etiamnum vobis esse puto. Atqui ne Presbyteris quidem adesse permittitur in mysteriis, cum tamen ipsi quoque sacrorum administri sint. Iam quis non execretur, sub externo Iudice præsentibus Catechumenis, & quod peius est, Ethnicis, & Iudæis Christianissimum blasphemantibus, quæstionem de Sanguine & Corpore Christi haberi? Hæc*, inquit Athanasius Apologia ad Imperatorem Constantium, *Romæ Synodus per Iulium Romanum Episcopum* scripsit. Ex quibus verbis habemus, illa omnia a totius Italiæ Episcopis contra Eusebianos scripta fuisse, quæ eadem ipsis obposuerunt totius Ægypti Episcopi in Synodica ad omnem sub cœlo Ecclesiam transmissa, vbi: Καὶ τοὺς μὲν λειτουργοὺς, ἐκώλυον παρεῖναι, ἐπὶ δὲ τῶν ἐθνικῶν ἐξήταζον περὶ Ἐκκλησίας, περὶ ποτηρίου, καὶ τραπέζης, καὶ τῶν ἁγίων, καὶ τὸ δεινότερον, ἐθνικοὺς ἐκάλουν μάρτυρας, περὶ ποτηρίου μυστικοῦ ζητοῦντες. *Sacrorum igitur ministris exclusis, coram Ethnicis hominibus quæstiones de Ecclesia, de calice, de mensa Domini, de Sanctis Sanctorum habuere, & quod grauius est, Ethnicos in quæstione de mystico poculo in testes citauerunt.*

Clara hæc sunt, nec vlla expositione indigentia: tam enim profanis oculis ritus, quam auribus dogma de Eucharistia, occultanda erant. Et ne somniet Tentzelius, Ecclesiam hæc obseruasse ex solo vsu disciplinæ tunc dumtaxat receptæ, audiat iterum eosdem Ægypti Episcopos, disertis verbis fatentes, hanc disciplinam obseruari debuisse ex præcepto Christi, & Eusebianos, dum mysterium arcani prodiderunt, contra illud grauiter deliquisse: Καὶ οὐκ αἰσχύνονται, ταῦτα ἐπὶ Ἑλλήνων τραγῳδοῦντες τὰ μυστήρια. Δέον, ὡς γέγραπται, μυστήριον βασιλέως καλὸν κρύπτειν. καὶ ὡς ὁ Κύριος παρήγγειλε, μὴ δῶτε τὰ ἅγια τοῖς κυσὶ, μηδὲ βάλητε τοὺς μαργαρίτας ἔμπροσθεν τῶν χοίρων. Οὐ χρὴ γὰρ τὰ μυστήρια ἀμυήτοις τραγῳδεῖν, ἵνα μὴ Ἕλληνες μὲν ἀγνοοῦντες γελῶσι, κατηχούμενοι δὲ περίεργοι γινόμενοι σκανδαλίζωνται. *Nec pudet eos coram Catechumenis, & quod peius est, coram Ethnicis ita de mysteriis tragicari. Cum oporteat, sicut scriptum est, mysterium Regis celare, & vt Dominus præcipit, non esse sancta porrigenda canibus, nec proiiciendas margaritas ante porcos. Non enim fas est mysteria non initiatis prodere, ne per imperitiam ea subsannent, aut Catechumeni præ curiositate scandalizarentur.* Ita ἁγία Σύνοδος ἡ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ συναχθεῖσα ἀπό τε τῆς Αἰγύπτου, καὶ τῆς Θηβαΐδος, καὶ Λιβύης, καὶ Πενταπόλεως τοῖς ἁπανταχοῦ τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας Ἐπισκόποις, ita inquam scribit *Sancta Synodus Alexandriæ congregata ex Ægypto Thebaide, Lybia, & Pentapoli omnibus vbique Catholicæ Ecclesiæ Episcopis*; vt manifestius testimonium desiderari non possit pro disciplina arcani ex Christi præcepto obseruanda. Citaui illud in commentario ad 2. canonem Antiochenum, & adeo clare quæstionem

nem dirimit, vt Tentzelius illud sub silentio præterire maluerit, quam proprium errorem detegere, vt supra quoque monuimus.

XVI. Quo plura verba Schelstratius profudit in Iulii, Athanasii & Synodi Alexandrinæ testimonio exaggerando, eo breuioribus nos vtamur, quia Sect. III. num.V. ostendimus, istud ad arcani quidem disciplinam facere, Schelstratio autem nihil fauere. Sed hoc etiam loco nonnulla admiscuit, quæ veritati haud congruunt. Cuiusmodi est, quod sub Constantino *aperta* esse dicit *Christianorum templa, & permissa incruento Sacrificio altaria.* Prius enim disciplinæ arcani non aduersatur, nec ad mysteriorum celebrationem extendi debet, quæ clausis foribus fiebat. Posterius autem tantum a Constantini ætate abest, vt ne Iuliani quidem Apostatæ imperio conueniat, cuius calumniam paullo ante indicatam, nunc integram adferemus: ὐδὲ γὰρ τὸν Ἀβραὰμ μιμεῖσθε, βωμὺς τε ἐγείροντες αὐτῷ, καὶ οἰκοδομῦντες θυσιαςήρια, καὶ θεραπεύοντες ὥσπερ ἐκεῖνος, ταῖς ἱερυργίαις. *Neque enim Abraham imitamini, aras ei* (DEO) *excitando, & altaria ædificando, ac vt ille solebat, eum sacrificiis colendo.* Hæccine credibile est obiecisse τὸν παραβάτην, Christianorum mores exactissime callentem, si ii habuissent altaria, inque illis sacrificium incruentum obtulissent? Cæterum Schelstratio non magis prodest obseruatio de auribus oculisque profanorum. Quod enim oculis eorum non præbebatur conspiciendum, id auribus quoque occultabatur. At prohibebantur ἀμύητοι a conspectu rituum Sacramentalium; quare & de his solum præsentibus ipsis litigare nefas erat, dogma autem libere diserteque enuntiare licebat, vti supra pluribus demonstraui. Futile denique est, quod de verbis Christi iterum obgannit. Quis enim non videt, Ægypti Episcopos præceptum Christi scopo suo tantum applicare, non minus, ac alterum illud Raphaelis Angeli apud Tobiam, quippe quod in genuino suo litteralique sensu Regum Principumque terrenorum arcana consilia reticenda, DEI autem opera prædicanda suadet. Ex his perspiciet, puto, Schelstratius, quamobrem in Dissertatione mea testimonium illud præterierim; quia videbam, sententiam meam de arcani disciplina eo apprime confirmari, nec animus ferebat, Patrum quarti sæculi loca prolixius expendere atque coaceruare, quum ista ætate arcani disciplinam in Ecclesia obtinuisse inter vtrunque nostrum constaret. Quoniam vero occasionem mihi præbuit Schelstratius, accuratius illud ponderandi, æquum est, vt & ipse veritati hactenus vindicatæ manus det, quam Iulius Papa, Athanasius & Synodus Alexandrina sectantur.

§. VII.

§. VII.

Ex duobus Gregoriis, Nysseno vno, & Nazianzeno altero, ac Diuo Basilio.

Disciplinam arcani post medium quarti sæculi in Oriente obseruatam fuisse, patet in primis ex Diuo Gregorio Nysseno oratione aduersus eos, qui baptismum differunt, vbi de sene Catechumeno: *Me tui pudet, quod cum consenueris, adhuc eiiciaris cum Catechumenis, tamquam insipiens puellus, & qui arcana non possit celare, cum dicendum sit mysterium. Vnire populo mystico, & arcanos disce sermones.* Extat oratio illa ad finem primi tomi Operum D. Gregorii Nysseni, qui supponit, non ritus solum, sed dogmata etiam occultata fuisse Catechumenis. D. Gregorius Nazianzenus Oratione 42. idem testatur de omnibus externis, seu non initiatis: Ὅτι μηδὲ ἐκφορὰ τοῖς ἔξω τὰ πολλὰ τῶν ἡμετέρων μυστηρίων. *Quoniam ne ad exteros quidem magna nostrorum mysteriorum pars efferenda est.*

Testantur duo Gregorii, Nazianzenus vnus, Nyssenus alter, disciplinam arcani suis temporibus viguisse: his accedit Magnus Basilius Nysseni frater, & Nazianzeni in studiis comes, qui illam disciplinam ex Apostolorum traditione ad illa vsque tempora deriuatam fuisse asserit, ac pluribus tuetur. Libro namque de Spiritu Sancto ad Amphilochium cap. 27. dicit, dogmata & instituta, quæ in Ecclesia prædicantur, duplicia esse: *Quædam e doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione* ἐν μυστηρίῳ, *in mysterio, id est in occulto tradita recepimus.* Posteriorum adfert exempla de signo Crucis, quo sese muniebant Christiani, deque orationibus, quas ad Orientem versi effundebant: tumque addit: Τὰ τῆς ἐπικλήσεως ῥήματα ἐπὶ τῇ ἀναδείξει τοῦ ἄρτου τῆς Εὐχαριστίας, καὶ τοῦ ποτηρίου τῆς εὐλογίας, τίς τῶν ἁγίων ἐγγράφως ἡμῖν καταλέλοιπεν; οὐ γὰρ δὴ τούτοις ἀρκούμεθα, ὧν ὁ Ἀπόστολος, ἢ τὸ Εὐαγγέλιον ἐπεμνήσθη, ἀλλὰ καὶ προλέγομεν καὶ ἐπιλέγομεν ἕτερα, ὡς μεγάλην ἔχοντα πρὸς τὸ μυστήριον τὴν ἰσχὺν ἐκ τῆς ἀγράφου διδασκαλίας παραλαβόντες. Εὐλογοῦμεν δὲ τὸ ὕδωρ τοῦ βαπτίσματος, καὶ τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως, καὶ προσέτι αὐτὸν τὸν βαπτιζόμενον. ἀπὸ ποίων ἐγγράφων; οὐκ ἀπὸ τῆς σιωπωμένης καὶ μυστικῆς παραδόσεως; τί δὲ αὐτὴν τοῦ ἐλαίου τὴν χρίσιν; τίς λόγος γεγραμμένος ἐδίδαξε; τὸ δὲ τρὶς βαπτίζεσθαι τὸν ἄνθρωπον, πόθεν; ἄλλα δὲ ὅσα περὶ τὸ βάπτισμα, ἀποτάσσεσθαι τῷ σατανᾷ καὶ τοῖς Ἀγγέλοις αὐτοῦ, ἐκ ποίας ἐστὶ γραφῆς; οὐκ ἐκ τῆς ἀδημοσιεύτου ταύτης καὶ ἀπορρήτου διδασκαλίας, ἣν ἐν ἀπολυπραγμονήτῳ καὶ ἀπεριεργάστῳ σιγῇ οἱ Πατέρες ἡμῶν ἐφύλαξαν, καλῶς ἐκεῖνοι δεδιδαγμένοι τῶν μυστηρίων τὰ σεμνὰ σιωπῇ διασώζεσθαι; Ἃ γὰρ οὐδὲ ἐποπτεύειν ἔξεστι τοῖς ἀμυήτοις, τούτων πῶς ἂν ἦν εἰκὸς τὴν διδασκαλίαν θριαμβεύειν ἐν γράμμασιν; *Inuocationis verba, quum conficitur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus, aut Euangelium: verum alia quoque & ante & post dicimus, tamquam multum habentia momenti ad mysterium, quæ ex traditione citra scriptum accepimus. Consecramus autem aquam Baptismatis, & oleum vnctionis, præterea ipsum, qui Baptismum accipit: ex quibus scriptis? nonne a tacita, secretaque traditione? Ipsam porro olei vnctionem*

quis sermo proditus docuit? Iam ter immergi hominem, vnde ex scriptura haustum? Reliqua item, quæ fiunt in Baptismo, veluti renuntiare Satanæ, & Angelis eius; ex qua scriptura habemus? Nonne ex minime publicata & arcana hac traditione? nonne ex doctrina, quam Patres nostri silentio quieto, minimeque curioso, seruarunt? Pulchre quidem illi, nimirum docti arcanorum venerationem silentio conseruari. Nam quæ nec intueri fas est non initiatis, qui conueniebat, horum doctrinam publicitus circumferri scripto? Et infra, exemplo desumpto ex veteri lege de non ingrediendo Sancta Sanctorum, nisi semel per annum, idque tantum vni Sacerdoti licitum fuisse, ne res vsu trita contemptui exponeretur. Κατὰ τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον, καὶ οἱ τὰ περὶ τῆς Ἐκκλησίας ἐξαρχῆς διαθεσμοθετήσαντες Ἀπόστολοι καὶ Πατέρες, ἐν τῷ κεκρυμμένῳ καὶ ἀφθέγκτῳ τὸ σεμνὸν τοῖς μυστηρίοις ἐφύλασσον, οὐδὲ γὰρ ὅλως μυστήριον, τὸ εἰς τὴν δημώδη καὶ εἰκαίαν ἀκοὴν ἐκφερόμενον. *Ad eundem profecto modum, & qui in primordiis Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli & Patres, in occulto, silentioque mysteriis suam seruauere dignitatem. Neque enim omnino mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur.*

Hæc ibi Magnus ille Basilius Cæsarænsis in Cappadocia Exarchus, qui tam diserte mysteria Religionis Christianæ non quoad ritus solum, sed quoad dogmata quoque ex traditione Apostolica occultata fuisse indicat, vt hæc verba eius nonnisi lectione indigeant: *Nam quæ nec intueri fas est non initiatis, qui conueniebat, horum doctrinam publicitus circumferri scripto?* Inter illa, quæ Catechumeni, Iudæi, & infideles, seu (quod idem est) non initiati, intueri non poterant, erat Sacrum Eucharistiæ mysterium, de quo tam clare loquitur Sanctus Basilius, vt Tentzelius satis aperte significet numero 17. eum audiendum non esse, quod nimis manifeste contra sententiam suam statuat, huius mysterii doctrinam publicitus non fuisse circumlatam, sed ob disciplinam arcani solis fidelibus communicatam. Acceperat hoc Basilius a maioribus, Maiores ab Apostolis, Apostoli a Christo, vt patet ex interrogatione 250. de loco Matthæi 7. *Quomodo det aliquis sanctum canibus, aut quomodo margaritas proiiciat ante porcos.* Ad quam in regulis breuioribus respondet Basilius, Dominum hoc loco prohibere contumeliam, qua Sacrosancta eius doctrina afficitur; quod dicit contingere, dum iis, qui sunt extra fidem, exponitur, quod eam simul contemnendam arbitrentur, Καὶ ἀπ' αὐτῶν ἐκείνων θρασύτερον ἡμῖν ἐπεγείρεσθαι, καὶ οἱονεὶ ῥήσσειν τοῖς ὀνειδισμοῖς, καὶ τοῖς ἐλέγχοις τὸν παραβαίνοντα. *Et ex illis ipsis ansam arripiant præfidentius nos inuadendi, & conuitiis, accusationibusque violatorem veluti proscindendi.* Quibus verbis satis manifeste alludit ad doctrinam de mysterio Eucharistiæ, ob quam Gentiles inuadebant Christianos, eosque conuitiis & accusationibus proscindebant.

Apage igitur cum simili opinione, qua Tentzelius neminem Basilii dictis moueri debere innuit, quasi *Basilio cum aliis commune sit*, quod antiquas consuetudines sine certis documentis referat ad Apostolorum traditiones. Hæc enim somnia Tentzelii sunt & suorum, tam sancto viro iniuriosa, cuius sermonem *Apostolico sale conditum esse*, scribit Gaudentius Brixianus, quem *instar Petri prædicasse, instar Paulli docuisse*, asserit Ephrem Syrus, quem *præfulgidum lumen vniuersi orbis appellat* Theodoretus referens lib. IV. historiæ, eum tantæ sanctitatis fuisse, vt cum Valens Imperator litteris exilium eius continentibus subscriberet, ne vnius quidem apicem elementi absoluere potuerit, sed contrita ter calamo manus eius concussa sit, totaque contremuerit. Hanc pœnam tulit ille, qui insidiabatur vitæ istius Patris, cuius scripta Tentzelius non minori audacia carpere, quam temeritate erroris arguere ausus est.

XVII.

XVII. Vterque Gregorius, Nyſſenus & Nazianzenus, noſter eſt. Gratis enim ſibi imaginatur Schelſtratius, Nyſſenum *ſupponere, non ritus ſolum, ſed dogmata etiam occultata fuiſſe Catechumenis;* quum is non niſi ad Sacramenti Euchariſtici celebrationem reſpiciat, & per *arcanos ſermones*, λόγους ἀπορρήτους, intelligat ea, quæ a conſecrantibus & communicantibus dici conſueuerant, neque fas erat coram non-initiatis (quos tum alloquebatur) enuntiari, non minus ac ſymbola & ritus reliquos. Hinc in ſequentibus obſcuram Triſagii facit mentionem, nec panem vinumque nominat, ſed ſub generali cibi potusque denominatione comprehendit. Vt omnia clarius pateant, integrum Nyſſeni locum adiungam, prout in Appendice Operum eius per Iacobum Gretſerum Pariſiis edita legitur pag. 218. 219. Μέχρι πότε μαθητὴς τῶν πρώτων στοιχείων; ἄνοιξόν σου τὴν ψυχὴν ὡς δέλτον, καὶ συγχώρησον ἡμῖν ἐγχαράξαι μάθημα τέλειον, μὴ ἀεὶ μετὰ τῶν παιδῶν ψελλίζου· μὴ νηπιώδης τὴν φρένα. ἐρυθριῶ ὑπὲρ σου· ὅτι γηράσας λοιπὸν μετὰ τῶν κατηχουμένων ἐκβάλλῃ, ὡς παιδάριον ἄνουν καὶ οὐκ ἐχέμυθον, μέλλοντος μυστηρίου λαλεῖσθαι. ἑνώθητι τῷ μυστικῷ λαῷ καὶ μάθε λόγους ἀπορρήτους· φθέγξαι μεθ' ἡμῶν ἐκεῖνα. ἃ καὶ τὰ ἑξαπτέρυγα Σεραφὶμ μετὰ τῶν τελείων Χριστιανῶν ὑμνοῦντα λέγει· ἐπιθύμησον τροφῆς ἐνδυναμούσης ψυχήν· γεῦσαι πόματος καρδίαν εὐφραίνοντος. ἐράσθητι μυστηρίου εἰς νεότητα τοὺς παλαιοὺς ἀοράτως ἀμείβοντος. *Quouſque eris diſcipulus primorum elementorum? Aperi animam tuam tanquam tabulam: & concede nobis, vt imprimamus perfectam diſciplinam, non ſemper balbutiens cum pueris, non mente infans. Me tui pudet, quod cum conſenueris, adhuc eiiciaris cum catechumenis, tanquam inſipiens puellus, & arcana non poteſt celare, cum dicendum ſit myſterium. Vnire populo myſtico, & arcanos diſce ſermones. Eloquere nobiſcum illa, quæ ſex alas habentia Seraphim cum perfectis Chriſtianis dicunt hymnos canentia. Deſidera cibum, qui confirmat animam, guſta potum, qui cor exhilarat; ama myſterium, quod eo modo, qui non cadit ſub aſpectum, veteres transmittit ad iuuentutem.* Præterea tomo primo Operum Nyſſeni exſtat peculiaris Tractatus aduerſus Græcos i.e. gentiles, ex communibus notionibus, quo myſterium Trinitatis clariſſime exponitur, & termini, quibus in eo declarando vti ſolemus, pluribus exemplis illuſtrantur. Hinc manifeſtum eſt, Nyſſenum arcani diſciplinam ad Trinitatis myſterium minime extendiſſe, adeoque Schelſtratio maxime aduerſari. Nazianzenus Baptiſmi ſymbolum ritusque tacuit, dogma vero nunquam occultauit. Nec locus a Schelſtratio obiectus magis contra nos, quam contra ipſum facit, ſi μυστηρίων vox ad doctrinam quoque extendatur. Quod vt manifeſte pateat, integrum deſcribemus: ὅσον μὲν οὖν σαρκῶδες τοῦ λόγου καὶ τρόφιμον, μετὰ τῶν ἐντοσθίων, καὶ τῶν κρυφίων τοῦ νοῦ βρωθήσεται, καὶ ἀναλωθήσεται, καὶ εἰς πέψιν πνευματικὴν ἀναδοθήσεται, ἄχρι κεφαλῆς καὶ ποδῶν,

τῶν δὲ πρώτων· περὶ θεότητος θεωρημάτων, καὶ τῶν τελευταίων τῆς σαρκώσεως φροντισμάτων. οὐκ ἐξοίσομεν δὲ οὐδὲν, οὐδὲ εἰς τὸ πρωῒ καταλείψομεν, ὅτι μηδὲ ἐκφορὰ τοῖς ἔξω τὰ πολλὰ τῶν ἡμετέρων μυστηρίων, μηδὲ ὑπὲρ τὴν νύκτα ταύτην ἐστί τις κάθαρσις, καὶ τὸ τῆς ἀναβολῆς οὐκ ἐπαινετὸν, τοῖς τοῦ λόγου μεταλαμβάνουσιν. Billius ita vertit: *Quidquid porro carneum & eſculentum habet doctrina, cum inteſtinis abditisque mentis partibus comedetur & abſumetur, atque ad ſpiritualem concoctionem digeretur, ad caput vsque ac pedes, hoc eſt, primas de diuinitate contemplationes, & poſtremas incarnationis meditationes. Nec vero quicquam efferemus, nec vsque ad mane relinquemus: quoniam ne ad exteros quidem magna noſtrorum myſteriorum pars efferenda eſt, nec vltra hanc noctem purgatio vlla ſupereſt, nec in iis qui verbi participes fiunt, procraſtinatio laudem habet.* De manducatione ſpirituali præcipue loquitur Nazianzenus, & diuinitatem incarnationemque τοῦ λόγου id eſt, *filii Dei*, non *doctrinæ*, vt Billius vertit, commemorat. Schelſtratius autem myſterium incarnationis ad arcani diſciplinam non pertinuiſſe ſponte largitur, & nos diuinitatem Chriſti ex eius præſcripto occultatam non fuiſſe ſupra euicimus. Vnde relinquitur, Nazianzeno de hac diſciplina ſermonem haud eſſe.

XVIII. In Baſilio maximum opinionis ſuæ pondus exſtare putat Schelſtratius, quod tamen nullum eſſe patet ex iis, quæ Sect. II. num. III. diſputauimus, oſtendentes, Baſilium de arcani diſciplina non loqui. Sed etiamſi daremus Schelſtratio, ad eam quoque Baſilium reſpexiſſe, nondum tamen confectum reddidit negotium, vt vel ad dogmata extenſam vel ab Apoſtolis ipſis inſtitutam eſſe pateat. Nam quod illud attinet, διδασκαλία in verbis Baſilii, quorum ſolam lectionem ſufficere putat Schelſtratius, non ſignificat doctrinam ipſorum Sacramentorum, de cuius occultatione controuerſia inter nos eſt, ſed tantummodo rituum, quorum arcanam cauſſam rationemque ſcriptis propalare vetat Baſilius. Exemplum ſumemus ab Euchariſtia, cuius doctrinam Schelſtratius ipſe deſcribit, quod ſit *ſacrificium incruentum, quo Chriſtus Dominus per Sacerdotem offertur Deo Patri, eiusque corpus & ſanguis ſub ſpeciebus panis & vini ſumitur a fidelibus.* At de his omnibus Baſilius ſummum tenet ſilentium, potius inter arcana ſua refert non niſi τὰ τῆς ἐπικλήσεως ῥήματα ἐπὶ τῇ ἀναδείξει τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας, καὶ τοῦ ποτηρίου τῆς εὐλογίας, *inuocationis verba, quum conficitur panis Euchariſtiæ, & poculum benedictionis*, quæ vtique ad ritus, non ad doctrinam Euchariſtiæ pertinent. Quum igitur talia ſint prædicata, qualia permittuntur eſſe a ſuis ſubiectis, luculenter ſane conſequitur, ſolam rituum διδασκαλίαν ſcripto publico circumferri noluiſſe Baſilium, quippe quos οὐδὲ ἐποπτεύειν ἔξεστι τοῖς ἀμυήτοις, *nec intueri fas eſt non initiatis.* Præterea vniuerſa differendi ratio a Baſilio obſeruata Schelſtratianæ hypotheſi plane contrariatur. Opponit enim Baſilius ea, quæ

in

in Scripturis habentur, & quæ ex ἀγράφῳ traditione tenet Ecclesia. Illa vocat κηρύγματα, quod omnibus prædicari & diuulgari debeant, hæc δόγματα, siue θεσμὺς ἐκκλησιαςικὺς, vultque in occulto silentio seruari. Quotus autem quisque nescit, doctrinam vtriusque Sacramenti, Baptismi & Eucharistiæ, ab Euangelistis & Apostolis in scriptis suis clare proponi? Ergo ea ex ipsius Basilii sententia ad κηρύγματα pertinet, neque occultari, sed apud quosuis explicari debet, quoniam scripto prodita est. Vt adeo clarissimum sit, Schelstratio neminem magis aduersari, quam Basilium, de cuius tamen consensu is mirum in modum gloriatur. Sequitur, vt consideremus, an recte ex Basilio Schelstratius probare intenderit Apostolicam disciplinæ arcani antiquitatem. Equidem Basilius δόγματα sua ita describit, τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν ἀποςόλων παραδόσεως, διαδοθέντα ἡμῖν ἐν μυςηρίῳ παραδεξάμεθα, *ea ex Apostolorum traditione in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus.* Respondi in Dissertatione ex Chemnitio, Basilium sine certis documentis antiquas consuetudines pro Apostolicis traditionibus venditare. Hæc Schelstratius *somnia* vocat, meamque carpit temeritatem, quod Basilium erroris arguere audeam. Mitioribus verbis vti potuisset & certe præstitisset, quandoquidem omnes, quas mihi intentat, pœnæ in caput ipsius redeunt, quia in Antiquitate Ecclesiæ Illustrata non semel, sed ter, Basilium pro rebaptizatione hæreticorum stantem erroris arguit, Diss. I. P. II. c. V. Art. V. num. 79. tam in lemmate pag. 202. dicens, *Basilium ab errore excusari non posse*; quam pag. 208. paragraphum ipsum sic exorsus: *Dura erat variantis Basilii sententia, & erroribus obnoxia*; & Dissert. III. cap. VI. num. 331. vbi de Baptismo Constantini agens Basilium etiam insimulat, quod *erronee existimauerit, cuncta in contrarium* (rebaptizationi) *decreta esse alicuius œconomiæ gratia.* Maior mihi hoc loco in Basilium fuit verecundia, qui ne semel quidem erroris ipsum accusaui, quod perperam mihi Schelstratius tribuit, sed si quid commisit Basilius, id nimiam facilitatem appellare satis habeo; quam in aliis eiusdem temporis hominibus notat Hieronymus epistola XXVIII. ad Lucinium: *Vnaquæque prouincia abundet in suo sensu, & præcepta maiorum leges Apostolicas arbitretur.* Quod si autem dicamus, Basilium Apostolorum vocem laxiori significatu adhibuisse, ab omni etiam alucinatione immunis erit. Franciscus Combefisius in Notis ad Orientalium Synodicam, pag. 147. Manipuli Rerum Originumque CPtanarum scribit: *Apostoli voce largius abutuntur Græci aliique Orientales, non solum pro 12. sic peculiariter dictis, verum etiam pro 70. quin & pro aliis, quibus affine aliquid inest Apostolici muneris: vt sunt illi, qui primi aut præcipui fuerunt fidei propagatores, seu diuini cultus, certis quibusdam locis, prouinciis aut regnis auctores.* Cui autem non fiat verisimile, Basilium eadem latitudine Apostolicas traditiones vocasse, quæ a viris eiusmodi Apostolicis ordinatæ sunt? Certe Basilius ipse cap. XXIX. eiusdem de Spiritu

ritu Sancto libri, Gregorium Neocæsariensem siue Thaumaturgum, qui Ecclesiæ suæ ritus præscripsit, Apostolis iungere non dubitat: Γρηγόριον δὲ τὸν μέγαν, καὶ τὰς ἐκείνου φωνὰς ποῦ θήσομεν; ἆρ᾽ οὐχὶ μετὰ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν; *Gregorium Magnum & illius voces quo loco ponam? Annon cum Apostolis & Prophetis?* Præterea obseruandum est, ritus a Basilio recensitos non esse ab Apostolis κατ᾽ ἐξοχὴν dictis profectos. Exemplis rem illustrabimus, non quidem omnibus, attamen notioribus. Precationem versus Orientem post Apostolos demum in Ecclesia receptam esse prudentiores etiam Pontificii agnoscunt, quos infra commodiori loco audiemus, interea commendantes Lectori Iacobi Thomasii Dissertationem de hoc ipso ritu cap. VIII. quo præclare monstrauit, sine fundamento hunc ritum Apostolicis traditionibus accenseri. Quod etiam agnouit Ioannes Chrysostomus, & cum alioquin in Apostolicis institutis diiudicandis, non minus ac ipse Basilius, facilior fuerit, hanc tamen consuetudinem tantummodo a Patribus ortam diserte fatetur in Interpretatione in Cap. VI. Danielis p. 153. editionis Coteleriana: διὰ τοῦτο καὶ ἡμεῖς, καθὼς οἱ πατέρες ἡμῖν παρέδωκαν, πρὸς ἀνατολὰς ὁρῶντες εὐχόμεθα, πόλιν καὶ ἡμεῖς καὶ πατρίδα ἀρχαίαν ζητοῦμεν. *Propter hoc & nos, sicut Patres nobis tradiderunt, ad Orientem aspicientes precamur: ciuitatem quoque nos ac patriam antiquam requirimus.* Notatu apprime dignum est, quod Chrysostomus, etiamsi eandem illius moris, quam Basilius, rationem allegat, in origine tamen adsignanda discrepat, quam non ex Apostolorum, sed Patrum traditione deriuat, manifesto argumento, Apostoli nomine latius vsum esse Basilium. Idem statuendum est de ῥήμασι ἐπικλήσεως, quibus Eucharistiam consecrabant. Hanc enim *imprecationem*, vt Hieronymus vocat, Apostolica ætate recentiorem esse multis argumentis demonstrauit Claudius Salmasius sub nomine Simplicii Verini ad Iustum Pacium epistolam scribens de libro Posthumo Hugonis Grotii a pag. 89. vsque ad pag. 97. Intellexit nimirum Basilius precationem illam solennem, qua euocatur Spiritus Sanctus in panem & vinum, quæque in Liturgia eius sub nomine hodienum exstante non minus ac in aliis Græcorum Liturgiis comparet. Prolixius de hac ἐπικλήσει agunt Cardinalis Bona lib. II. Rerum Liturgicarum cap. XIII. num. 4. & 5. atque Dallæus Lib. III. de Cultibus Latinorum Religiosis cap. XIII. neuter tamen antiquitatem illius altius repetere potuit, quam ex Constitutionibus Apostolicis, quas non Apostolorum, sed secundi tertiique sæculi mores describere fatentur hodie eruditiores, vt infra videbimus; neque Schelstratius antiquiora testimonia proferre potuit in Vindiciis Concilii Antiocheni Can. II. Cap. VI. num. 12. p. 216. Restat igitur, vt agnoscat, Basilium aut certis documentis destitui, aut Apostolorum saltem appellationem laxiori significatu adhibuisse. Quod etiam concedere necesse habet de plerisque Baptismi ritibus a Basilio nominatis, si veritatis quam incertarum fabula-

bularum tenacior esse cupit. Sic trinam immersionem non esse traditionis Apostolicæ, diserte binisque vicibus contendit Natalis Alexander, tam Dissertatione XVII. sæculi primi pag. 158. quam Dissert. XVI. sæculi secundi pag. 483. 484. & priori loco *sola traditione non scripta a maioribus* (non Apostolis) *acceptum* ritum istum veteres testari adfirmat. Caute omnino & prudenter, quum is æque ac cæteri a Basilio allegati post duodecim Apostolorum decessum in Ecclesiam demum fuerint inuecti, quemadmodum a Protestantibus aduersus Romanenses dudum est ostensum. Idque Basilius ipse agnouisse videtur, & propterea *Patres* ἐξηγητικῶς Apostolis iunxisse, cum ait: κατὰ τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον, καὶ οἱ τὰ περὶ τὰς ἐκκλησίας ἐξαρχῆς διαθεσμοθετήσαντες ἀπόστολοι καὶ πατέρες, ἐν τῷ κεκρυμμένῳ καὶ ἀφθέγκτῳ τὸ σεμνὸν τοῖς μυστηρίοις ἐφύλασσον. *Ad eundem profecto modum, & qui in primordiis Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli & Patres, in occulto silentioque mysteriis suam seruauere dignitatem.* Ex his omnibus perspiciet, credo, Schelstratius, quanquam largiamur, Basilium ad arcani disciplinam respicere, nostram tamen potius, quam illius sententiam, cum quoad obiectum, tum quoad originem illius confirmari. Maxime autem aberrauit Schelstratius in altero Basilii loco explanando, quem vt Lector facilius intelligat, integrum adferemus. Quærebant ex Basilio: Πῶς δίδωσί τις τὸ ἅγιον τοῖς κυσίν; ἢ βάλλει τοὺς μαργαρίτας ἔμπροσθεν τῶν χοίρων; ἢ πῶς συμβαίνει τὸ ἐπιφερόμενον· μήποτε καταπατήσωσιν αὐτοὺς τοῖς ποσὶν αὐτῶν, καὶ στραφέντες ῥήξωσιν ὑμᾶς; *Quomodo dat aliquis sanctum canibus: aut quomodo margaritas proiicit ante porcos: quomodoue illud consequitur, qud continuo subiicitur, Ne forte conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant vos?* Respondet Basilius: Σαφῶς ἡμῖν παραδίδωσιν ὁ ἀπόστολος τοῖς ὑπ' αὐτοῦ εἰρημένοις πρὸς τοὺς Ἰουδαίους, ἐπενεγκών, ὅτι ὃς ἐν νόμῳ καυχᾶσαι, διὰ τῆς παραβάσεως τοῦ νόμου τὸν θεὸν ἀτιμάζεις. τὴν οὖν ἀτιμίαν, ἣν διὰ τῆς παραβάσεως ἀτιμαζόμενον τοὺς ἁγίους τοῦ κυρίου λόγους, ἐνταῦθα ὁ Κύριος ἀπηγόρευσεν. ἀφ' ἧς παραβάσεως συμβαίνει καὶ τοὺς ἔξω τῆς πίστεως, ἅμα τε καταφρονητὰ ἡγεῖσθαι τὰ τοῦ κυρίου διδάγματα, καὶ ἀπ' αὐτῶν ἐκείνων θρασύτερον ἡμῖν ἐπεγείρεσθαι, καὶ οἱονεὶ ῥήσσειν τοῖς ὀνειδισμοῖς, καὶ τοῖς ἐλέγχοις τὸν παραβαίνοντα. *Aperte hoc nobis explicat Apostolus, qui ad ea, quæ dixerat aduersus Iudæos, illa etiam adiunxit, Qui in lege gloriaris, per violationem legis Deo contumeliam facis. Contumeliam igitur, qua sacrosanctam Domini afficimus, illa violanda, Dominus hoc loco prohibuit. Ex qua violatione illud consequitur, vt & qui sunt extra fidem, simul & contemnenda arbitrentur dogmata Domini, & ex illis ipsis ansam arripiant, præfidentius nos inuadendi, & conuitiis, accusationibusque violatorem veluti proscindendi.* Quilibet me non monenre animaduertit, Basilium velle a Christo prohibitam violationem doctrinæ suæ, quæ fiat, cum vita contra-

rio

rio prorsus modo instituitur ab iis, qui maxime gloriantur de vera religione, sicut Iudæi a Paullo eo nomine reprehenduntur. Vnde patet, Basilium non intelligere mysteriorum publicationem, quæ docendo fit, vt perperam accipit Schelstratius, sed eam doctrinæ Christi violationem, quæ agendo committitur ac vitam Christianis indignam ducendo: quorsum variæ adhortationes Petri & Paulli in epistolis eorum satis obuiæ pertinent. Ex his itaque relinquitur, Schelstratium frustra arcani disciplinam in isto Basilii loco quæsiuisse. Vt taceam, Regulas breviores scriptum dubium esse, nec satis constare, vtrum a Basilio, an vero ab Eustathio Sebasteno adornatum sit, quam in rem Bellarmini, Raynaudi, Labbei, Alexandri aliorumque disquisitiones prostant.

§. VIII.

Ex Diuo Hieronymo, & pluribus, quos citat, antiquis Patribus.

PRætereundus non est magnus Ecclesiæ Doctor Hieronymus, qui in Dalmatia ortus Romæ sub Damaso floruit, & ad hæc verba Matthæi VII. *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*, notauit, quosdam per porcos intelligere eos, qui necdum Euangelio crediderunt, & in luto incredulitatis, vitiisque versantur, ac adiunxit: *Non conuenit igitur istiusmodi hominibus cito Euangelicum credere margaritum, ne conculcent illud, & conuersi nos incipiant dissipare.* Scio quidem, per Euangelicum margaritum intelligi potuisse ab Hieronymo doctrinam Euangelicam, seu fidem nostram. At si verba Christi Matth. VII. generaliter interpretari possint de doctrina Religionis Christianæ; quanto specialius interpretanda sunt de præcipuis Religionis nostræ mysteriis, quorum vnum est Corporis & Sanguinis Christi Sacramentum, quod Diuus Hieronymus ex plurimorum antiquiorum Patrum sententia a Paulo ipso Iudæis hanc ob rem occultatum fuisse affirmat in Epistola ad Euagrium.

Proposuerat Euagrius quædam de Melchisedech ex Pauli ad Hebræos epistola, vbi Apostolus post plura de Christo ait: *Qui appellatus a Deo Pontifex iuxta ordinem Melchisedech, de quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum: etenim cum deberetis magistri esse propter tempus rursus indigetis, vt vos doceamini, quæ sunt elementa exordii sermonum Dei. Et facti estis, quibus lacte opus est non solido cibo.* Hæc vero Apostoli verba, quibus indicatur, Sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech multa continere ininterpretabilia ad dicendum, commentatur D. Hieronymus in responso ad Euagrium: *Difficultatem rei in procemio exaggerat dicens: Super quæ multus nobis sermo est, & ininterpretabilis; non quia Apostolus non potuerit id interpretari; sed quia illius temporis non fuerit. Hebræis enim, id est Iudæis persuadebat, non iam fidelibus, quibus passim proderet Sacramentum.* Audiat Tentzelius, & obseruent hæretici, quomodo D. Hieronymus verba Apostoli interpretetur de Sacramento Corporis & Sanguinis Christi, quod sub specie panis & vini offertur in Sacrificio a Christo Domino instituto, propter quod Sacerdos dictus est secundum ordinem Melchisedech, vt asserit Hieronymus in ipsa ad Euagrium epistola dicens, *quod Melchisedech pane & vino simplici, puroque sacrificio Christi dedicauerit Sacramentum.* Et hoc Sacramentum est, circa quod, inquit Hieronymus, Paulus disciplinam arcani serua-

seruauit; cum Iudæis enim agebat, quibus Sacramentum prodere non poterat. Et vt videant Hæretici, D. Hieronymum hæc omnia ex antiquiorum scriptis habuisse, subiungit. *Hæc legi in Græcorum voluminibus.* Græci autem, quorum ibi meminit, alii omnino esse non possunt, quam quos eadem epistola citauerat, & sese peruoluisse fatetur, Origenem nimirum, & eius sectatorem Didymum. *Post quos*, inquit, *verti me ad Hippolytum, Irenæum, Eusebium Cæsareensem, & Emisenum, Apollinarium quoque nostrum, & Eustathium, qui primus Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus contra Arium clarissima tuba bellicum cecinit.* Hos & non alios Græcos legit de quæstione ab Euagrio circa Melchisedech proposita Diuus Hieronymus, quorum nullus ob illa circa Melchisedech scripta notandus est, vnde recte ex iis hausit Hieronymus, quæ de disciplina arcani ab Apostolo ipso obseruata fuisse tradit.

XIX. Postea Hieronymum ad partes vocat Schelstratius, sed animaduertens, eum generaliter doctrinam Euangelicam intellexisse, specialius interpretanda putat verba Christi de præcipuis Christianæ religionis mysteriis. Quam argumentationem tum demum locum habere concedam, cum indicauerit, quamobrem de incarnatione Christi mortuorumque resurrectione, summis omnino fidei nostræ mysteriis, apud non-initiatos verba fecerint Apostoli aliique Ecclesiæ Doctores, quos tamen omnes disciplinam arcani obseruasse contendit. Multo sane melius se gerunt, qui in generali verborum Christi sensu acquiescunt, nec in specie vnum vel alterum mysteriorum eximunt, sed vniuersam Euangelii doctrinam atrocibus persequutoribus & obstinatis epicureis proponendam non esse existimant. Quæ enim quæso ratio est, quod illa quidem propalarint, alia autem non dissimilia, Trinitatis nempe & Eucharistiæ, plane conticuerint? quum tamen omnium mysteriorum eadem sit sublimitas, profunditas, & magnitudo. Atque hunc sensum ipsius Hieronymi esse, patet ex Ioannis Hierosolymitani Opere imperfecto in Matthæum, pag. 183. 184. siquidem vera est Wastelii opinio, Hieronymum Ioannis Commentaria cum alibi, tum hoc loco sequutum esse Lib. II. Vindiciarum Sect. I. pag. 216. Ioannes enim per canes intelligit gentiles & hæreticos, per porcos autem Christianos carnalibus & immundis voluptatibus deditos. Porro si Schelstratius ipsam Paulli ad Ebræos epistolam consuluisset, Hieronymi ad Euagrium epistola parum inniteretur. Neque enim Paullus ad Iudæos a fide Christiana alienos, vt Hieronymus & Schelstratius volunt, sed ad conuersos baptismoque initiatos scripsit, quod ostendunt Commendatores ex Cap. III. v. I. & 14. & cap. X. v. 32. & cap. XII. v. 24. aliisque plurimis locis. Quum igitur Paullus ad fideles initiatosque scripserit, quid quæso opus habebat disciplina arcani? nisi iterum absurditatem illam committas cum Schelstratio, cuius ipse me immerito accusat, & apud initiatos etiam disciplinam illam obtinuisse somnies. Præterea Paullus incruentum Papicolarum sacrificium tantum abest vt agnouerit, vt potius in eadem epistola multa habeat in contrarium, a Theologis nostris animose du-

dum obuersa; inprimis capite VII. quo rationem sacerdotii Christi secundum ordinem Melchisedech explicat, ac Christum semel tantum seipsum obtulisse affirmat. Nec firmum est, quod ex *Sacramenti* voce deducitur argumentum, siquidem eam non strictiori, sed latiori significatione adhibet Hieronymus, vt verba eius mox sequentia indicant: *Veruntamen si vas electionis stupet ad mysterium, & de quo disputat ineffabile confitetur; quanto magis nos vermiculi & culices, solam debemus scientiam inscitiæ confiteri, & amplissimam domum, paruo quasi foramine ostendere: vt dicamus duo sacerdotia inter se ab Apostolo comparata, prioris populi & posterioris. Et hoc agit tota disputatione, vt ante Leui & Aaron sacerdos fuerit Melchisedek ex gentibus, cuius tantum prædicat meritum, vt futuris sacerdotibus Iudæorum in lumbis benedixerit Abraham, totumque quod sequitur in laudes Melchisedek, ad Christi typum referri, cuius profectus Ecclesiæ Sacramenta sunt.* Notanda sunt vltima Hieronymi verba, quibus ex more sæculi sui loquitur, eaque nemo aliunde melius intelliget, quam ex Hilario Pictauiensi in fragmentis Parte I. pag. 55. *Quod autem descendit, incarnatus est, homo factus est, & resurrexit tertia die, ascendit ad cælos, venturus iudicare viuos & mortuos, sacramenta salutis nostræ in his continentur.* Adde *Sacramentum passionis*, vti appellat Faustinus eiusdem æui scriptor in libro contra Arrianos ad Flaccillam Augustam cap. III. & Ambrosius lib. I. de Abraham cap. V. quodque Hieronymus inprimis respexit, siquidem eo Christus Sacerdotem se maxime probauit, in ara crucis seipsum offerendo.

§. IX.

Ex Diuo Epiphanio, & Sancto Cyrillo Hierosolymitano.

SAnctus Epiphanius Salaminensis in Cypro Episcopus in fine libri 3. aduersus hæreses expositurus fidei Catholicæ Symbolum, dicit num. 2. Ecclesiæ dogmata ἀπίστοις ἀλλότρια *ab infidelibus aliena esse:* & vnico tantum loco agens de Eucharistia, tam obscure loquitur de illo mysterio, vt disciplinam arcani a se castissime obseruatam fuisse, appareat. In Ancorato namque numero 57. acturus de forma consecrationis Eucharistiæ, non ausus est, eam integre proferre, sed studuit Corporis Christi notitiam occultare. Ita enim scribit: Ὁρῶμεν γὰρ ὅτι ἔλαβεν ὁ Σωτὴρ εἰς τὰς χεῖρας αὐτοῦ, ὡς ἔχει ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ, ὅτι ἀνιστῇ ἐν τῷ δείπνῳ, καὶ ἔλαβε τάδε· καὶ εὐχαριστήσας εἶπε, τοῦτό μου ἐστὶ τόδε. Καὶ ὁρῶμεν, ὅτι οὐκ ἴσον ἐστὶν, οὐδὲ ὅμοιον, οὐ τῇ ἐνσάρκῳ εἰκόνι, οὐ τῇ ἀοράτῳ θεότητι, οὐ τοῖς χαρακτῆρσι τῶν μελῶν. Τὸ μὲν γάρ ἐστι στρογγυλοειδὲς, καὶ ἀναίσθητον, ὡς πρὸς τὴν δύναμιν. Καὶ ἠθέλησεν χάριτι εἰπεῖν, τοῦτό μου ἐστὶ τόδε, καὶ οὐδεὶς ἀπιστεῖ τῷ λόγῳ. Ὁ γὰρ μὴ πιστεύων εἶναι αὐτὸν ἀληθινὸν, ὡς εἶπεν, ἐκπίπτει τῆς χάριτος, καὶ τῆς σωτηρίας. *Videmus enim, Saluatorem ipsum in manus accepisse, vt in Euangelio legitur; quod a cœna surgens hæc acceperit, & gratias agens dixerit: Hoc meum est hoc. Atqui videmus æquale, illud non esse, nec simile; non suscepta carnis*

carnis imagini, non diuinitati ipsi, quæ videri non potest, non membrorum lineamentis, ac notis. Illud enim rotundum est, & quod ad vim attinet, sensus expers: & nihilominus ex gratia pronuntiare voluit, hoc meum est hoc. Neque quisquam est, qui ei sermoni fidem non adhibeat: nam prout dixit, qui verum illud esse non credit, a gratia & salute prorsus excidit. Licet hoc Opus ad Presbyteros, & Ecclesiam Suedrorum conscripserit Epiphanius, non tamen ausus est clare de Eucharistia loqui, timens forsan, librum hunc ad infidelium, vel Catechumenorum manus, quibus mysterium illud occultari debebat, peruenturum.

Præclarum est ea de re testimonium, quod posteritati consecrauit Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus catechesi 6. Ταῦτα τὰ μυστήρια νῦν ἡ Ἐκκλησία διηγεῖται τῷ ἐκ κατηχουμένων μεταβαλλομένῳ. Οὐκ ἔστιν ἔθος Ἐθνικοῖς διηγεῖσθαι. οὐ γὰρ Ἐθνικῷ τὰ περὶ Πατρὸς, καὶ Υἱοῦ, καὶ ἁγίου Πνεύματος διηγούμεθα μυστήρια. οὐδὲ τῶν μυστηρίων ἐπὶ Κατηχουμένων λευκῶς λαλοῦμεν, ἀλλὰ πολλὰ πολλάκις λέγομεν ἐπικεκαλυμμένως, ἵνα εἰδότες οἱ πιστοὶ νοήσωσι, καὶ οἱ μὴ εἰδότες μὴ βλαβῶσι. *Hæc mysteria Sacramentaque nunc patefacit Ecclesia ei, qui ex Catechumenis excedit: nec moris est, Gentilibus exponere. Non enim Gentili cuiquam de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto arcana mysteria declaramus: neque palam apud Catechumenos de mysteriis verba facimus, sed multa sæpe loquimur occulte, vt fideles, qui rem tenent, intelligant, & qui non tenent, non lædantur.* Et præclarius idem Cyrillus in præfatione: Ὅτε τοίνυν κατήχησις λέγηται, ἐὰν σε κατηχούμενος ἐξετάσῃ, τί εἰρήκασιν οἱ διδάσκοντες, μηδὲν λέγε τῷ ἔξω. Μυστήριον γάρ σοι παραδίδομεν, καὶ ἐλπίδα μέλλοντος αἰῶνος. Τήρησον τὸ μυστήριον τῷ μισθαποδότῃ, μή ποτέ σοι τὶς εἴπῃ, τί βλάπτῃ, ἐὰν κἀγὼ μάθω; Καὶ οἱ νοσοῦντες τὸν οἶνον ζητοῦσιν, ἀλλ' ἐὰν ἀκαίρως δοθῇ, Φρενήτην ἐργάζεται, καὶ δύο κακὰ γίνεται, καὶ ὁ νοσῶν ἀπόλλυται, καὶ ὁ ἰατρὸς διαβάλλεται. οὕτως ὁ Κατηχούμενος, ἐὰν ἀκούσῃ παρὰ πιστοῦ, καὶ ὁ Κατηχούμενος Φρενετιᾷ, οὐκ οἶδε γὰρ, τί ἤκουσε, καὶ ἐλέγχει τὸ πρᾶγμα, καὶ ἐκμυκτηρίζει τὸ λεγόμενον, καὶ ὁ πιστὸς ὡς προδότης κατακρίνεται. ἤδη δὲ σὺ μεθορίῳ στήκεις, βλέπε μοι, μὴ ἐκλαλήσῃς, οὐχ ὅτι οὐκ ἄξια λαλιᾶς τὰ λεγόμενα, ἀλλ' ὅτι ἡ ἀκοὴ ἀναξία τοῦ δέξασθαι· ἧς ποτὲ καὶ σὺ Κατηχούμενος. οὐ διηγησάμην σοι τὰ προκείμενα, ὅταν τῇ πείρᾳ λάβῃς τὸ ὕψωμα τῶν διδασκομένων, τότε ἂν γνώσῃ, ὅτι ἀνάξιοι οἱ Κατηχούμενοι τῆς ἀκοῆς· *Cum autem Catechesis recitatur, si Catechumenus ex te quæsierit, Quid dicebant Doctores? Nihil dicas externo: Mysteria enim tibi, & spem futuri sæculi tradidimus. Custodi hoc mysterium retributori, nec vmquam dicentem aliquem audi: Quid obest, si & ego didicero? Etiam ægroti vinum quandoque postulant, quod si intempestiue illis detur, phrenesin conciliat. Et duo hinc nascuntur mala: nam & æger interit, & Medicus male audit. Sic & Catechumenus; si audiat mysteria a fideli, Phrenesim patitur, nescit enim, quid audiuerit, & tamen arguit rem ignotam, dictaque irridet: fidelis vero tamquam proditor condemnatur. Iam ergo tu in finibus nostris constitutus caue, ne quid effutias: non quod digna non sint narratione ea, quæ ibi dicuntur, sed quod indignus est ille audire, cui referes. Fueras & tu aliquando Catechumenus, neque tamen proposita mysteria tibi enarrabantur. Quando autem sublimitatem eorum, quæ nunc traduntur, experientia didiceris, tunc plane intelliges, dignos non esse Catechumenos, qui ea audiant.*

dum obuersa; inprimis capite VII. quo rationem sacerdotii Christi secundum ordinem Melchisedech explicat, ac Christum semel tantum seipsum obtulisse affirmat. Nec firmum est, quod ex *Sacramenti* voce deducitur argumentum, siquidem eam non strictiori, sed latiori significatione adhibet Hieronymus, vt verba eius mox sequentia indicant: *Veruntamen si vas electionis stupet ad mysterium, & de quo disputat ineffabile confitetur; quanto magis nos vermiculi & culices, solam debemus scientiam inscitiæ confiteri, & amplissimam domum, paruo quasi foramine ostendere: vt dicamus duo sacerdotia inter se ab Apostolo comparata, prioris populi & posterioris. Et hoc agit tota disputatione, vt ante Leui & Aaron sacerdos fuerit Melchisedek ex gentibus, cuius tantum prædicat meritum, vt futuris sacerdotibus Iudæorum in lumbis benedixerit Abraham, totumque quod sequitur in laudes Melchisedek, ad Christi typum referri, cuius profectus Ecclesiæ Sacramenta sunt.* Notanda sunt vltima Hieronymi verba, quibus ex more sæculi sui loquitur, eaque nemo aliunde melius intelliget, quam ex Hilario Pictauiensi in fragmentis Parte I. pag. 55. *Quod autem descendit, incarnatus est, homo factus est, & resurrexit tertia die, ascendit ad cælos, venturus iudicare viuos & mortuos, sacramenta salutis nostræ in his continentur.* Adde *Sacramentum passionis*, vti appellat Faustinus eiusdem æui scriptor in libro contra Arrianos ad Flaccillam Augustam cap. III. & Ambrosius lib. I. de Abraham cap. V. quodque Hieronymus inprimis respexit, siquidem eo Christus Sacerdotem se maxime probauit, in ara crucis seipsum offerendo.

§. IX.

Ex Diuo Epiphanio, & Sancto Cyrillo Hierosolymitano.

SAnctus Epiphanius Salaminensis in Cypro Episcopus in fine libri 3. aduersus hæreses expositurus fidei Catholicæ Symbolum, dicit num. 2. Ecclesiæ dogmata ἀπίστοις ἀλλότρια *ab infidelibus aliena esse:* & vnico tantum loco agens de Eucharistia, tam obscure loquitur de illo mysterio, vt disciplinam arcani a se castissime obseruatam fuisse, appareat. In Ancorato namque numero 57. acturus de forma consecrationis Eucharistiæ, non ausus est, eam integre proferre, sed studuit Corporis Christi notitiam occultare. Ita enim scribit: Ὁρῶμεν γὰρ ὅτι ἔλαβεν ὁ Σωτὴρ εἰς τὰς χεῖρας αὐτοῦ, ὡς ἔχει ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ, ὅτι ἀνέστη ἐν τῷ δείπνῳ, καὶ ἔλαβε τάδε· καὶ εὐχαριστήσας εἶπε, τοῦτό μού ἐστι τόδε. Καὶ ὁρῶμεν, ὅτι οὐκ ἴσον ἐστὶν, οὐδὲ ὅμοιον, οὐ τῇ ἐνσάρκῳ εἰκόνι, οὐ τῇ ἀοράτῳ θεότητι, οὐ τοῖς χαρακτῆρσι τῶν μελῶν. Τὸ μὲν γάρ ἐστι στρογγυλοειδὲς, καὶ ἀναίσθητον, ὡς πρὸς τὴν δύναμιν. Καὶ ἠθέλησεν χάριτι εἰπεῖν, τοῦτό μού ἐστι τόδε, καὶ οὐδεὶς ἀπιστεῖ τῷ λόγῳ. Ὁ γὰρ μὴ πιστεύων εἶναι αὐτὸν ἀληθινὸν, ὡς εἶπεν, ἐκπίπτει τῆς χάριτος, καὶ τῆς σωτηρίας. *Videmus enim, Saluatorem ipsum in manus accepisse, vt in Euangelio legitur; quod a cœna surgens hæc acceperit, & gratias agens dixerit: Hoc meum est hoc. Atqui videmus æquale, illud non esse, nec simile; non susceptæ*

carnis

carnis imagini, non diuinitati ipsi, quæ videri non potest, non membrorum lineamentis, ac notis. Illud enim rotundum est, & quod ad vim attinet, sensus expers: & nihilominus ex gratia pronuntiare voluit, hoc meum est hoc. Neque quisquam est, qui ei sermoni fidem non adhibeat: nam prout dixit, qui verum illud esse non credit, a gratia & salute prorsus excidit. Licet hoc Opus ad Presbyteros, & Ecclesiam Suedrorum conscripserit Epiphanius, non tamen ausus est clare de Eucharistia loqui, timens forsan, librum hunc ad infidelium, vel Catechumenorum manus, quibus mysterium illud occultari debebat, peruenturum.

Præclarum est ea de re testimonium, quod posteritati consecrauit Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus catechesi 6. Ταῦτα τὰ μυστήρια νῦν ἡ Ἐκκλησία διηγεῖται τῷ ἐκ κατηχουμένων μεταβαλλομένῳ. Οὐκ ἔστιν ἔθος Ἐθνικοῖς διηγεῖσθαι. οὐ γὰρ Ἐθνικῷ τὰ περὶ Πατρὸς, καὶ Υἱοῦ, καὶ ἁγίου Πνεύματος διηγούμεθα μυστήρια. οὐδὲ τῶν μυστηρίων ἐπὶ Κατηχουμένων λευκῶς λαλοῦμεν, ἀλλὰ πολλὰ πολλάκις λέγομεν ἐπικεκαλυμμένως, ἵνα εἰδότες οἱ πιστοὶ νοήσωσι, καὶ οἱ μὴ εἰδότες μὴ βλαβῶσι. *Hæc mysteria Sacramentaque nunc patefacit Ecclesia ei, qui ex Catechumenis excedit: nec moris est, Gentilibus exponere. Non enim Gentili cuiquam de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto arcana mysteria declaramus: neque palam apud Catechumenos de mysteriis verba facimus, sed multa sæpe loquimur occulte, vt fideles, qui rem tenent, intelligant, & qui non tenent, non lædantur.* Et præclarius idem Cyrillus in præfatione: Ὅτε τοίνυν κατήχησις λέγηται, ἐὰν σε κατηχούμενος ἐξετάσῃ, τί εἰρήκασιν οἱ διδάσκοντες, μηδὲν λέγε τῷ ἔξω. Μυστήριον γάρ σοι παραδίδομεν, καὶ ἐλπίδα μέλλοντος αἰῶνος. Τήρησον τὸ μυστήριον τῷ μισθαποδότῃ, μή ποτέ σοι τὶς εἴπῃ, τί βλάπτῃ, ἐὰν κἀγὼ μάθω; Καὶ οἱ νοσοῦντες τὸν οἶνον ζητοῦσιν, ἀλλ' ἐὰν ἀκαίρως δοθῇ, φρενίτην ἐργάζεται, καὶ δύο κακὰ γίνεται, καὶ ὁ νοσῶν ἀπόλλυται, καὶ ὁ ἰατρὸς διαβάλλεται. οὕτως ὁ Κατηχούμενος, ἐὰν ἀκούσῃ παρὰ πιστοῦ, καὶ ὁ Κατηχούμενος φρενιτιᾷ, οὐκ οἶδε γὰρ, τί ἤκουσε, καὶ ἐλέγχει τὸ πρᾶγμα, καὶ ἐκμυκτηρίζει τὸ λεγόμενον, καὶ ὁ πιστὸς ὡς προδότης κατακρίνεται. ἤδη δὲ σὺ μεθορίῳ στήκεις, βλέπε μοι, μὴ ἐκλαλήσῃς, οὐχ ὅτι οὐκ ἄξια λαλιᾶς τὰ λεγόμενα, ἀλλ' ὅτι ἡ ἀκοὴ ἀναξία τοῦ δέξασθαι· ἦς ποτὲ καὶ σὺ Κατηχούμενος. οὐ διηγησάμην σοι τὰ προκείμενα, ὅταν τῇ πείρᾳ λάβῃς τὸ ὕψωμα τῶν διδασκομένων, τότε ἂν γνώσῃ, ὅτι ἀνάξιοι οἱ Κατηχούμενοι τῆς ἀκοῆς. *Cum autem Catechesis recitatur, si Catechumenus ex te quæsierit, Quid dicebant Doctores? Nihil dicas externo: Mysteria enim tibi; & spem futuri sæculi tradidimus. Custodi hoc mysterium retributori, nec vnquam dicentem aliquem audi: Quid obest, si & ego didicero? Etiam ægroti vinum quandoque postulant, quod si intempestiue illis detur, phrenesin conciliat. Et duo hinc nascuntur mala: nam & æger interit, & Medicus male audit. Sic & Catechumenus; si audiat mysteria a fideli, Phrenesim patitur, nescit enim, quid audierit, & tamen arguit rem ignotam, dictaque irridet: fidelis vero tamquam proditor condemnatur. Iam ergo tu in finibus nostris consistutus caue, ne quid effutias: non quod digna non sint narratione ea, quæ ibi dicuntur, sed quod indignus est ille audire, cui referes. Fueras & tu aliquando Catechumenus, neque tamen proposita mysteria tibi enarrabantur. Quando autem sublimitatem eorum, quæ nunc traduntur, experientia didiceris, tunc plane intelliges, dignos non esse Catechumenos, qui ea audiant.*

Habes

Habes hisce rationem manifestam, cur Catechumenis, & non-initiatis occultata fuerint Christianæ Religionis mysteria. Disciplinam autem illam S. Cyrillus Hierosolymitanus non solum verbis indicauit, sed exemplo quoque comprobauit, distinguens suas Catecheses in duo genera, quarum primum illuminatis, secundum recens baptizatis inscripsit. In posterioribus clare de Sacramento Eucharistiæ egit; in prioribus ne verbum quidem fecit, sed solos Articulos Fidei exposuit præmonens disertis verbis: Τὰς τῶν φωτιζομένων κατηχήσεις ταύτας τοῖς μὲν τῷ βαπτίσματι προσερχομένοις, καὶ τοῖς τὸ λουτρὸν ἔχουσιν ἤδη πιστοῖς εἰς ἀνάγνωσιν παρεχόμενος μὴ δὸς τὸ σύνολον, μήτε Κατηχουμένοις, μήτε ἄλλοις τισὶ τοῖς μὴ οὖσι Χριστιανοῖς. ἐπεὶ τῷ κυρίῳ λόγον δώσεις, καὶ ἐὰν ποιῇς ἀντίγραφον, ὡς ἐπὶ κυρίου ταῦτα πρόγραψον. *Catecheses istas illuminatorum accedentibus quidem ad Baptismum, & his, qui hoc lauacrum habent, iam fidelibus, legendas exhibeas: Catechumenis vero, & aliis, qui non sunt Christiani, ne omnino dederis: alioquin redditurus es Deo rationem; rationem* scilicet de dato sancto canibus, & margaritis proiectis ante porcos, quæ Dominus in Euangelio vetuerat.

XX. De Epiphanio & Cyrillo Hierosolymitano supra quidem a nobis prolixe actum est: quia tamen Schelstratium vtriusque loca rursus transscribere haud piguit, pauca repetere non grauabor, postquam alterum Epiphanii locum ex fidei expositione delumtum expendero. Primo enim gratis supponit Schelstratius, exponere ibi Epiphanium *Symbolum fidei*, cuius tamen ille nec ordinem seruat, nec dogmata omnia interpretatur, sed præcipue in doctrina de vera Ecclesia contra tot hæreses occupatus est. Deinde verba num. 2. perperam de disciplina arcani accipit, quum Epiphanius non tantum ethnicos & Iudæos, sed etiam hæreticos per ἀπίστους innuat, quibus ἀλλότρια, hoc est, a veritate aliena & falsa, videantur, quæ Ecclesia habet θαυμαστὰ, admiranda. Hunc genuinum verborum Epiphanii sensum esse patet cuilibet attendenti. Postquam enim dixisset Epiphanius, se enarraturum τὰ θαυμαστὰ τῆς ἁγίας πόλεως Θεοῦ, addit: ἀνθρώποις μὲν πᾶσιν ἀνέφικτα, ἀπίστοις δὲ ἀλλότρια, πιστοῖς δὲ ἀνθρώποις, καὶ ἀληθινοῖς, ἐν μέρει, ἐν ὑποσχέσει δὲ τελειώσεως παρὰ τοῦ αὐτῶν δεσπότου παρασχεθησόμενα ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν. Petauius vertit: *Quæ sunt eiusmodi, vt cum nemo ea mortalium penitus assequi possit; tum ab infidelibus aliena, fidelibus ac veritatis studiosis ex parte licet attingere* &c. Porro nimis stricte loquitur Schelstratius, quando *vnico* loco Epiphanium de Eucharistia egisse scribit, non animaduertens, de alio etiam ex Anacephalæosi & fidei expositione disputari inter Perronium, Albertinum & similes. Quod vero locum ex Ancorato obiectum attinet, sensit Schelstratius obiectionem supra a me propositam, quod liber ille Epiphanii ad initiatos scriptus sit, apud quos eucharistia non occultabatur: respondet autem, Epiphanium forsan timuisse, librum hunc ad infidelium vel Catechumenorum manus peruenturum. Quod sane & friuolum est, & cum ipsius viri

viri docti hypothesibus consistere nequit. Si enim hoc timuit Epiphanius, cur Trinitatis mysterium clare & perspicue in Ancorato tradidit atque exposuit? cur dogma de reali corporis & sanguinis Christi præsentia eodem libro professus est? cur aliquot fidei formulas inseruit? Nicænam præcipue insigni auctario locupletatam, quam tamen Sozomenus caute omisit, veritus, Historiam suam non initiatorum lectioni fore exponendam. Atqui hæc tria capita ad disciplinam arcani inprimis facere Schelstratius contendit: videat itaque, quomodo abluat contradictionis notam, quam promeritus est. Eandem incurrit, quando præfationem Cyrilli ad hypotheses suas vult applicare. Produxerat antea Origenem aduersus Celsum, qui diserte scribit: *Quin & resurrectionis futuræ mysterium vulgatum est, tametsi videatur ab infidelibus.* Nunc autem, quando Cyrillus Hierosolymitanus prohibet diuulgari, quæ in Catechesi traduntur Competentibus, μυστήριον γάρ σοι παραδίδομεν, καὶ ἐλπίδα μέλλοντος αἰῶνος, ita hæc verba accipere debet Schelstratius, si quidquam vult obtinere, quasi ipsum futuræ vitæ dogma post resurrectionem impetrandæ Catechumenis demum perfectioribus propositum fuerit: quod tamen falsum esse non ille tantum Origenis locus, sed etiam Augustinus de Catechizandis rudibus cap. VII. Minutius Felix in Octauio, Isidorus Pelusiota lib. II. epistola XLIII. aliique complures euincunt. Quare nihil aliud præcipit Cyrillus, quam vt Competentes Symbolum fidei, cuius vltimi articuli resurrectionem & vitam æternam complectuntur, ritusque Baptismi in Catechesibus exponi solitos apud se retinerent, nec coram non-initiatis proderent.

§. X.

Ex Ruffino Aquileiensi Presbytero, & Gaudentio Brixiensi Episcopo.

Ruffinus Presbyter Aquileiensis, & Diuo Hieronymo contemporaneus ad Episcopi Laurentii instantiam Commentaria in Symbolum conscripturus, præmittit, se non perfectorum exercitiis digna, *sed quæ ad paruulorum in Christo, & incipientium librentur auditum*, exponere. Quo loquendi modo satis indicat, Symbolum pro Catechumenis Competentibus exponi consueuisse, non vero cæteris infidelibus, aut non initiatis, quod in eo Sanctissimæ Trinitatis dogma traderetur. Vnde & exposito Trinitatis mysterio: *Hæc nobis a Patribus tradita sunt*, inquit, *quæ (vt dixi) opportunum visum est, hoc in loco designare ad instructionem eorum, qui prima sibi Ecclesiæ ac fidei elementa suscipiunt.* Et hisce recte obseruatis inquiri non debet, quid initio Commentariorum idem Ruffinus per hæc verba voluerit: *Sed iam nobis etiam de ipsis aliquid tractandum est margaritis, in quibus primo in loco fons, & origo omnium ponitur, cum dicitur, Credo in Deum Patrem.* Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, seu tres personæ Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, erant *margaritæ*, de quibus Christus dixerat Matthæi 7. *Nolite margaritas vestras proiicere ante porcos.* Et huc alludit proculdubio Ruffinus iuxta sensum Ecclesiæ illis verbis ab omni tempore tributum.

Quod de Trinitatis mysterio Ruffinus, hoc de Eucharistiæ Sacramento Gaudentius Brixiensis Episcopus Catechumenis etiam Competentibus occultato, docet tractatu seu sermone secundo habito in Vigilia Paschatis coram regressis a fonte Neophytis: ibi enim ait, se sequentibus diebus acturum de omnibus, quæ in Exodo præfigurata sunt circa Pascha: *Modo autem,* inquit, *ea solum de ipsa lectione carpenda sunt, quæ præsentibus Catechumenis explanari non possunt; & necessario tamen sunt aperienda Neophytis.* Illa autem, quæ solum aperienda sunt Neophytis, patet esse Corporis & Sanguinis Christi mysteria, de quibus ibidem adeo clare Gaudentius loquitur, vt asserat, quod Christus *per singulas Ecclesiarum domos in mysterio panis & vini reficit immolatus, viuificat creditus, consecrantes sanctificat consecratus. Hæc Agni Caro, hic Sanguis est, &c. Ipse igitur naturarum creator & Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus (quia & potest, & promisit) efficit proprium Corpus, &c.* Hæc sunt, quæ præsentibus Catechumenis explanari non poterant, quia illis occultanda erant, & ideo de his mysteriis illa nocte agit, quia soli Neophyti tunc aderant, qui audire poterant, & instrui debebant. Sequentibus diebus de hoc mysterio clare locutus non fuit Gaudentius, quia cum Neophytis aderant Catechumeni; vt innuit tractatu 5. de Exodo habito in hebdomade Paschali: *Ordinem lectionis Exodi, vbi Lex celebrandi Paschatis describitur, idcirco præposterauimus, vt mysteriis reseruandis debitæ reuerentiæ ordinem teneremus. Quia oportebat in illa splendidissima nocte vigiliarum secundo tractatu, non dictorum sequentia, sed congrua Neophytis explanari, vt edendi Paschalis Sacrificii disciplinam rudes Neophyti discerent, instructi fideles agnoscerent.*

XXI. Rufinus in Commentariis ad Laurentium Symbolum explicare adgreditur, quod Competentibus primum tradebatur, quia tessera erat Sacramenti initiationis, non vero propterea, quod in eo sanctissimæ Trinitatis dogma traderetur, vt sibi falso imaginatur Schelstratius, qui Rufinum inuitum planeque repugnantem in partes trahere ausus est. Postquam enim Rufinus duos Symboli articulos absoluerat, tertiique de Spiritu Sancto initium exposuerat, addit, Scripturam Sacram ab eo esse inspiratam: *Et ideo quæ sunt noui ac veteris instrumenti volumina, quæ secundum maiorum traditionem per ipsum Spiritum Sanctum inspirata creduntur, & ecclesiis Christi tradita, competens videtur in hoc loco euidenti numero, sicut ex patrum monumentis accepimus designare.* Hinc enumeratis veteris nouique testamenti Libris Canonicis & Ecclesiasticis, reiectisque apocryphis subdit: *Hæc nobis a patribus, vt dixi, tradita opportunum visum est hoc in loco designare ad instructionem eorum, qui prima fidei elementa suscipiunt, vt sciant ex quibus sibi fontibus verbi Dei haurienda sint pocula.* Vltima huius periodi verba omisit Schelstratius, quæ totum tamen Rufini scopum produnt, eumque non ad expositum Trinitatis mysterium præcise, sed in genere ad sacrum Codicem, tanquam ad fontem verbi Dei respicere conuincunt. Nec meliori successu ad initium Commentariorum Rufini prouocauit. Primo enim verba in aliis editionibus aliter leguntur, cuiusmodi est Basileensis Operum Cypriani, quem olim pro auctore illius libri perperam venditarunt. Ita ergo ibi legitur pag.362. *Sed iam nobis etiam*

iam de ipsis aliquid contrectandum est margaritis, in quibus primo in loco fons & origo omnium bonorum ponitur, cum dicitur, omnipotentem. Notabile discrimen inter hanc editionem & alteram a Schelstratio adhibitam occurrit, quippe apud quem pro, *omnipotentem*, legitur, *Credo in Deum Patrem.* Prior quidem lectio hunc parit sensum, quod ab omnipotentia Dei omne bonum originem suam habeat; eaque adsumta omnis Schelstratii ratiocinatio perit. Et quanquam posterior etiam defendi potest, quia DEUS Pater vt totius Trinitatis, ita omnis boni fons & origo merito dicitur: videtur tamen aduersari reliquis Rufini locis, quibus non in accusandi, sed in ablatiuo casu verba ista producit: *Credo in Deo patre omnipotente.* Relicta itaque in medio ista lectione, donec ex melioribus Codicibus firmetur a Schelstratio, nunc saltem annotamus, Rufinum per *margaritas* alludere quidem ad oraculum Christi, sed de solo Trinitatis mysterio id non intelligere, vt vult Schelstratius. Quemadmodum autem ex mera *allusione* hermeneuticum argumentum ducere non licet, ita Rufinum omnes fidei articulos Symbolo comprehensos de Trinitate, Incarnatione, Resurrectione &c. *margaritarum* nomine denotare ex ipso contextu liquet. Ita enim mox scribit: *Verum priusquam incipiam de ipsis sermonum virtutibus disputare, illud non importune commendandum puto, quod in diuersis ecclesiis aliqua in his verbis inueniuntur adiecta.* Nemo non videt, Rufinum de omnibus & singulis Symboli articulis acturum se polliceri, siquidem de omnibus etiam agit secundum ordinem in Ecclesia Aquileiensi receptum, differentiasque alibi vsitatas coniungit. Vnde relinquitur, Rufinum in generali verborum Christi sensu acquiescere, & margaritas vocare omnia fidei capita Symbolo contenta, non tantum Trinitatis mysterium; quod sane Catechumenis notum iam fuisse, antequam Symbolum ipsis traderetur, patet ex Missali Gallicano Veteri, quod post Thomasium edidit Mabillonius lib. III. de Liturgia Gallicana p. 340. vbi Catecheta ita alloquitur Competentes: *Sicut optime nouit caritas vestra, carissimi, fides omnium Christianorum in Trinitate consistit: & ideo etiam tertium vobis textum Symboli repetimus: vt ipse numerus repetitionis, in signo conueniat Trinitatis.* Vides, vt notitiam mysterii illius in Baptismi Candidatis supponat Catecheta, quam sane eos nactos esse oportet, cum adhuc essent Catechumeni, & in primo audientium gradu subsisterent; quod Schelstratio plurimum contrariatur.

XXII. Gaudentius Brixiensis veram disciplinae arcani rationem ingressus est, dum non apud Catechumenos, sed tantum apud Neophytos, id est, nuper baptizatos & initiatos mentionem fecit Symbolorum panis & vini, sub quibus corpus & sanguinem Christi accipimus. Dogma vero de salutari manducatione coram Catechumenis neutiquam siluit, sed iisdem praesentibus Sermone v. his descripsit verbis: *Huius carnem tam fideles in mysterio, quam simul vniuersi credentes*

tes

tes in fide, ita debemus edere, nostrique cordis interioribus commendare, vt non solum præcinctos habeamus castitate lumbos, verum etiam calceati simus, vt ait Apostolus, in præparatione Euangelii pacis. Non igitur, quod Catechumenos celabatur, erat, carnem Christi cum debita veneratione & præparatione edi in mysterio Eucharistiæ; sed eam sub specie panis accipi: quod Sectione 11. Arnobii exemplo commonstraui. Vt adeo ex Gaudentio nostra de arcani disciplina sententia clarissime confirmetur. Schelstratianæ autem prætereа aduersatur, quod Gaudentius in sexto septimoque Tractatu mysterium Trinitatis neutiquam conticuit, quanquam Catechumeni etiam auditoribus intermixti essent. Ita enim inchoat priorem: *Quantum Deus Pater per virtutem suam, & spiritu suo pro captu virium nostrarum reuelare dignatus est, quantum Patris & Filii & Spiritus Sancti coæqualis omnipotentia tribuit, quantum sempiterna ac sine principio Trinitas inspirauit, aperuimus dilectioni vestræ &c.* Expressius in posteriori loquitur: *Vnus est enim Deus, vbi Deitatis nulla diuisio est, per omnes libros sanctarum Scripturarum, & Patrem Deum, & Filium Deum, & Spiritum Sanctum Deum legimus, non Deos, quia Deos non sinit dici vnitas maiestatis. Est enim sola in Trinitate personarum distinctio, non naturæ diuersitas.*

§. XI.

Ex Diuo Ambrosio, & Sancto Augustino.

QUod disciplinam arcani admiserit Diuus Ambrosius, patet ex lib. 1. Officiorum, cap. 50. vbi similitudine desumpta ab arca Veteris Testamenti, quæ non omnibus patebat, dicit, eodem modo pluribus occultari Religionis Catholicæ mysteria: *Non enim omnes vident alta mysteriorum, quia operiuntur a Leuitis, ne videant, qui videre non debent, & sumant, qui seruare non possunt.* Et lib. 1. de Abraham cap. 5. *Græce* ἐγκρύφια *dicuntur, hoc est abscondita, eo quod latere debeat omne mysterium, & quasi operiri fidei silentio, ne profanis temere diuulgetur auribus.* Et in Psalmum 118. ad illa verba: *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi,* sic commentatur D. Ambrosius: *Propterea ergo mysterium regis bonum est abscondere. Peccat enim Deo, qui commissa sibi mysteria putauerit indignis esse vulganda. Periculum itaque est, non solum falsa dicere, sed etiam vera; si quis ea insinuet, quibus non oportet.* Dicit, hoc vitium quadripartitum esse, & vltimo loco ponit loquacitatem incautam, de qua explicat dictum Christi Matthæi 7. *Nolite mittere margaritas vestras ante porcos.* Quibus verbis indicat, disciplinam arcani a Christo ipso originem sumere.

Quod si hæc D. Ambrosius censuit de disciplina arcani, mira videri non debent, quæ circa illam D. Augustinus eius auditor diuersis locis docuit, & obseruauit. Quotiescunque enim coram Catechumenis prædicabat, vel Opera sua ad manus eorum peruentura credebat, toties mysterium Eucharistiæ eorum oculis & auribus occultabat, nihil aliud dicens, quam *Norunt fideles*, vt constat ex sermone 4. de Iacob & Esau, vbi agens de mysterio Eucharistiæ, non ausus est dicere, Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, sed *Sacramentum, quod norunt fideles a tritico & vino,* Et Epistola 120. cap. 19. ad Honoratum Catechumenum:
Gratias

Gratias agimus Domino Deo nostro, quod est magnum Sacramentum in Sacrificio Noui Testamenti, quod vbi, & quando, & quomodo offeratur, cum fueris baptizatus, inuenies. Et tractatu 11. super Ioannem agens de manna: *Notum est, quod acceperunt Iudei. Et nesciunt Catechumeni, quid accipiant Christiani. Erubescant ergo, quia nesciunt: transeant mare rubrum, & manducent manna.* Plura sunt eiusmodi loca in Diuo Augustino, quæ probant, eum cum Ambrosio obseruasse disciplinam arcani. Sed cum nos præcipue agamus de illis Patrum testimoniis, ex quibus etiam constat, disciplinam illam ex traditione Apostolica ad nos deriuatam esse, veniamus ad Diuum Chrysostomum, cuius loca adeo clara sunt, vt nemo de illis dubitare possit.

XXIII. De Ambrosii Mediolanensis suffragio non magis, quam aliorum, gloriari debet Schelstratius. Cum enim constet, a conspectu Symbolorum & rituum Sacramentalium non-initiatos fuisse arcendos, tum facile intelligitur, quid lib. 1. Officiorum cap. L. sibi velit Ambrosius, quando Diaconum alloquitur: *Tu ergo electus ex omni numero filiorum Israel, inter sacros fructus quasi primogenitus æstimatus, præpositus tabernaculo, vt prætendas in castris sanctitatis & fidei, ad quæ si alienigena accesserit, morte morietur, positus vt operias arcam testamenti. Non enim omnes vident alta mysteriorum, quia operiuntur a Leuitis: ne videant qui videre non debent, & sumant, qui seruare non possunt.* Tropicæ sunt hæ loquutiones, quibus Ambrosius per totum caput Leuitarum in veteri & Diaconorum in nouo testamento munia inter se confert, & hoc loco respicit præcipue ad celebrationem Eucharistiæ, vbi Diaconorum erat, altare velamento operire, panem & vinum imponere, fores claudere, iisque adsistere, & expellere siue exesse iubere non-initiatos, *ne videant, qui videre non debent*, & pœnitentes, *ne sumant, qui seruare non possunt.* Quæ omnia ex præscripto disciplinæ arcani fieri debuisse lubens largior, quum non dogma sed ritus spectent. Alter Ambrosii locus ex lib. 1. de Abraham cap. v. huc non potest referri, quum generali tantum prudentiæ regula nitatur, non in specie disciplinam arcani respiciat. Et quomodo eam attenderit Ambrosius, quum *Dominicæ resurrectionis mysterium* & *Sacramentum Dominicæ passionis* in exemplum mox proferat, quorum tamen neutrum ipse Schelstratius ad disciplinam arcani pertinere libere agnoscit. Notanda quoque Ambrosii phrasis: *Hoc pascitur diuina maiestas*, quæ de aliis quidem mysteriis sensu tropico intelligi potest, non facile autem applicari ad Sacramenta Noui Testamenti, Baptismum & Sacram Cœnam, quibus non Deus, sed homines pascuntur. Vt adeo obscurum adhuc sit, an omnino proprium disciplinæ illius obiectum intellexerit Ambrosius. Nec magis ad hanc disciplinam faciunt, quæ Sermone II. in Psalmum CXVIII. habet: nisi forte Dauidem quoque tempore noui testamenti vixisse dicas, eumque non minus, ac Mariam, Christi duodecennis verba retinentem, disciplinæ arcani obseruatoribus accenseas; horum enim exemplum

citatis a se Christi verbis mox subiicit Ambrosius: *Ideo bene facit, qui abscondit eloquia Domini in corde suo; sicut abscondebat propheta Dauid: sicut Maria, quæ conseruabat omnia verba Domini Iesu in corde suo. Etenim si bonum est viro sermones suos abscondere, quanto magis sermonem Dei cordis nostri gremio debemus operire, debemus abscondere?* Quemadmodum autem Schelstratius opinioni suæ in Ambrosio nullum reperit fundamentum, ita in Augustino pariter id frustra quæsiuit. Etenim haud obscure fatetur, Augustinum iis accenseri non posse, qui disciplinam arcani ex traditione Apostolica deriuant; quod sane in eo Patre mirum est, qui tot alios ritus ex Apostolica traditione repetiit, nusquam autem de arcani disciplina id prodidit, licet eam *pluribus locis*, fatente Schelstratio, obseruauerit: suo igitur silentio haud obscurum nobis reliquit argumentum, hanc disciplinam post Apostolos demum introductam se credidisse. Nec dogmata Sacramentorum occultauit vnquam Augustinus, vt supra ostendimus, præcipue Sect. III. num. VII. vbi tertium eius testimonium a Schelstratio heic obiectum vindicauimus. Secundum ex epistola 120. nihil aliud innuit, quam Catechumenos a conspectu Symbolorum rituumque Eucharistiæ fuisse exclusos, itaque demum cognouisse, quando post Baptismum acceptum celebrationi S. Cœnæ interesse poterant, quod nos ambabus manibus largimur, tanquam sententiæ nostræ de disciplina arcani ad amussim congruens. Cæterum Honoratus, ad quem illa epistola scripta est, non solum præbet exemplum Catechumeni, in sacrarum litterarum lectione adsidui; sed ab Augustino etiam in fine remittitur ad lectionem ecclesiasticarum litterarum, h. e. Commentariorum: imo Cap. III. IV. & XXXVII. de diuinitate Christi & Trinitate largiter informatur: quæ omnia Schelstratii hypothesibus contraria sunt. Primum denique non magis mihi, quam Schelstratio obest. Quamuis enim Augustinus *vinum* nominans disciplinam arcani violasse videatur, præmissum tamen *tritici* vocabulum in nescientibus amphiboliam gignit, qua se expedire nequeunt. Obscurius de vino loquitur Tract. 45. in Ioannem: *Ibi Petra Christus, nobis Christus, quod in altari Dei ponitur, & illi pro magno sacramento eiusdem Christi biberunt aquam profluentem de petra, nos quid bibamus, norunt fideles: si speciem visibilem intendas, aliud est, si intelligibilem significationem, eundem potum spiritualem biberunt.* Ne autem rursus obiiciat Schelstratius, corpus & sanguinem Christi non nominari, repetat, quæso, dicta a me supra Sect. II. num. VII.

§. XII.

Ex Diuo Ioanne Chrysostomo.

SAnctus Ioannes Chrysostomus lib. 1. de compunctione cordis cap. 6. quæstionem de disciplina arcani his plane verbis sibi proponit: Ἴδωμεν δὲ καὶ τὰ ἑξῆς. Μὴ δῶτε, φησὶ, τὰ

σὶ, τὰ

σὶ, τὰ ἅγια τοῖς κυσὶ, μηδὲ ῥίψητε τοὺς μαργαρίτας ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν χοίρων. Ἡμεῖς δὲ ὑπὸ κενοδοξίας, καὶ φιλοτιμίας ἀλόγου, ἢ τοῦτο τὸ πρόσταγμα ἀνετρέψαμεν, ἀνθρώπους φθόρους, καὶ ἀπίστους, καὶ μυρίων γέμοντας κακῶν ἁπλῶς, καὶ ἀνεξετάστως εἰς τὴν τῶν μυστηρίων παραδεχόμενοι κοινωνίαν· καὶ πρὶν ἢ τῆς οἰκείας γνώμης δοῦναι βάσανον ἀκριβῆ, πάντα τὸν περὶ τῶν δογμάτων αὐτοῖς ἐκκαλύπτοντες λόγον, καὶ τὰ πρόπυλαια οὔπω δυνηθέντας ἰδεῖν, ἀθρόως εἰς τὰ ἄδυτα ἄγοντες. Διὰ γοῦν τοῦτο τῶν οὕτω τελεσθέντων τινὲς ταχέως ἀποπηδήσαντες, μυρία εἰργάσαντο δεινὰ, καὶ οὐκ ἐπὶ τῶν ἄλλων μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐφ' ἡμῶν αὐτῶν τὴν φρικωδεστάτην ταύτην παραβαίνομεν ἐντολὴν, ἡνίκα ἂν τῶν ἀθανάτων μυστηρίων δέῃ μεταχεῖν, μετὰ τῆς ἐγκειμένης ἡμῖν ἀκαθαρσίας τε, καὶ ἀναισχυντίας τοῦτο ποιοῦντες πολλάκις. *Sed videamus reliqua: Nolite, inquit, dare sanctum canibus, neque proiiciatis margaritas vestras ante porcos. Nos vero inanis gloria, & honoris cupidi contra hoc praeceptum facimus, & homines depravatos, infideles, & omni iniquitate repletos simpliciter, & sine examine ad mysteriorum communionem admittimus; & priusquam mentis propositum vel sensus capacitas a nobis recte explorata sit, totam dogmatum rationem ipsis revelamus, & tumultuarie eis adyta patefacimus, quos ne vestibulum quidem intueri fas est. Propterea igitur aliqui sic initiati statim resilierunt, & infinita operati sunt mala. Neque solum illi, sed & vel ipsi terribilissimum illud praeceptum transgredimur, quando immortalia illa mysteria participare oportet, idque cum insita nobis immunditia & impudicitia saepius facimus.* Ita versio correspondens textui Graeco, quem ex duobus octingentorum annorum Codicibus MSS. Vaticanis correximus, cum apud Frontonem Ducaeum non solum versio Latina nimis corrupta esset, sed & Graeca lectio emendatione indigeret. Haec autem hic monere placuit, quia aliis locis, vbi textus Graecus corruptus non erat, & versio Latina Graeco correspondebat, aliorum versiones referre potius voluimus, quam nouas exhibere. Notanda autem sunt verba, quae ex Diuo Ioanne Chrysostomo supra retulimus, quibus adeo dilucide disciplinam arcani ex Christi Domini instituto repetit, vt clarius non possit.

Nec est, quod D. Chrysostomo opponi possit; cum quod verbis docuit, reipsa obseruauerit, dimittens a Sacrificio profanos & Catechumenos, vt patet ex eius Liturgia, ipsisque occultans Christianae Religionis mysteria, vt patet ex eius sermonibus, vbi cum de Eucharistia agendum erat, nihil aliud dicere solebat, quam *Norunt initiati.* De Sacro Baptismo praeclarus est Chrysostomi locus homilia 40. in primam ad Corinthios epistolam: Καὶ βούλομαι μὲν σαφῶς αὐτὸ εἰπεῖν, οὐ τολμῶ δὲ διὰ τοὺς ἀμυήτους. οὗτοι γὰρ δυσκολωτέραν ἡμῖν ποιοῦσι τὴν ἐξήγησιν, ἀναγκάζοντες ἢ μὴ λέγειν σαφῶς, ἢ εἰς αὐτοὺς ἐκφέρειν τὰ ἀπόρρητα. πλὴν ἀλλ' ὡς οἷός τε ὦ, συνεσκιασμένως ἐρῶ. μετὰ γὰρ τὴν ἀπαγγελίαν τῶν μυστικῶν ῥημάτων ἐκείνων, καὶ φοβερῶν, καὶ τοὺς φρικτοὺς κανόνας τῶν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ κατενεχθέντων δογμάτων, καὶ τοῦτο πρὸς τῷ τέλει προστίθεμεν, ὅταν μέλλωμεν βαπτίζειν, κελεύοντες λέγειν, ὅτι πιστεύω εἰς νεκρῶν ἀνάστασιν, καὶ ἐπὶ τῇ πίστει ταύτῃ βαπτιζόμεθα. μετὰ γὰρ τὸ ὁμολογῆσαι τοῦτο μετὰ τῶν ἄλλων, τότε καθιέμεθα εἰς τὴν πηγὴν τῶν ἱερῶν ναμάτων ἐκείνων. *Et volo quidem aperte hoc dicere: non audeo autem propter eos, qui*

non

non sunt initiati. Hi enim expositionem nobis faciunt difficiliorem, & qui nos cogunt vel non aperte dicere, aut eis arcana enuntiare. Sed tamen dicam, quoad eius a me fieri poterit, tecte & adumbrate. Nam post mysticorum illorum & terribilium verborum enuntiationem, & horrendas regulas dogmatum, quæ e cælo sunt demissa, hoc quoque in fine addimus, quando sumus baptizandi, iubentes dicere: Credo in resurrectionem mortuorum; & in hac fide baptizamur. Postquam enim hoc confessi sumus cum aliis, tunc dimittimur in fontem sacrorum illorum fluentorum. Ex quibus verbis constat de modo, quo Sancti Patres, mysteria Religionis nostræ occultabant; & de Symbolo, quod ne quidem Catechumenis initio exponebant.

§. XIII.

Ex eodem Chrysostomo, Innocentio Primo, Palladio Helenopolitano Episcopo, & Isidoro Pelusiota.

QVod ex Diuo Ioanne Chrysostomo audiuimus supra, eum scilicet accurate disciplinam arcani tanquam Christi institutum & verbis probasse, & exemplo confirmasse, id ab inimicis suis obseruari debuisse, paucis videndum est ex eius epistola, quam circa finem vitæ scripsit ad Innocentium Primum Romanum Pontificem, vbi persecutionem contra se motam enarrat, & post mala a se perpessa vrget: Καὶ οὐδὲ ἐνταῦθα εἱστήκει τὸ δεινὸν, ἀλλ' ἔνθα τὰ ἅγια ἀπέκειντο, ἐλθόντες οἱ στρατιῶται, ὧν ἔνιοι, καθὼς ἔγνωμεν, καὶ ἀμύητοι ἦσαν, πάντα ἐθεώρουν τὰ ἔνδον, καὶ τὸ ἁγιώτατον αἷμα τοῦ Χριστοῦ, ὡς ἐν τοσούτῳ θορύβῳ, εἰς τὰ τῶν προειρημένων ἱμάτια ἐξεχεῖτο. *Neque hic malum substitit: sed vbi Sacra erant reposita, irrumpentes, quorum aliqui, vt comperimus, ne initiati quidem erant, & viderunt omnia, quæ intus erant; & sanctissimus Christi Sanguis, vt in tanto tumultu, in prædictorum vestes effundebatur.* Notanda sunt verba illa, *ne inuiati quidem erant, & viderunt omnia, quæ intus erant.* Hæc enim tam grauia delicta censebantur quinto sæculo, vt ex iis peruersitatem inimicorum suorum Chrysostomus cognosci potuisse, existimarit.

Neque solum Chrysostomum eius opinionis fuisse, sed & ipsum Innocentium Primum proditionem arcani auersatum fuisse, non modo constat ex eius epistolis in Orientem occasione Chrysostomi transmissis, quibus iniquitatem aduersariorum Chrysostomi sese exhorruisse indicat, sed præcipue ex responso eius ad Decentium Episcopum Eugubinum, vbi num. 3. agens de forma Confirmationis, *Verba*, inquit, *dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem tuam respondere.* Et numero 3. cùm egisset de Eucharistia sub verbo fermenti, & num. 7. de Sacramento Pœnitentiæ, & num. 8. de Extrema Vnctione, fatetur, se respondisse, vt potuit: *Reliqua vero, quæ scribi fas non est, cum adfueris, interrogati poterimus edicere.* Hæc enim cum ad disciplinam arcani facere Tentzelius ipse innuat, & ab Innocentio Primo cum Episcopo Catholico obseruata sit, quid non sentire debuit idem Pontifex de inimicis Chrysostomi, qui mysteria seu arcana non initiatis prodiderunt?

Audiuimus iam supra ex Palladio Helenopolitano Episcopo in Dialogo de Chrysostomi vita, quod Tragœdiam a Chrysostomo ad Innocentium relatam narraturus, ne quidem Corpus & Sanguinem Christi nominarit, sed de milite Ethnico dixerit: Καὶ τῷ τινι Διακόνῳ θρασέως ἐνσειχθεὶς, τὰ σύμβολα ἐκχέει. *Et in Diaconum procaciter illisus, symbola effudit.* In eadem veneratione disciplinam arcani habuit Isidorus Pelusiota Palladio

ladio fere contemporaneus, qui lib. 4. epist. 162. agens de Paschali Communione: *Oportet igitur studiosum esse*, inquit, *hoc est virtutis amantem eum, qui Diuinum & verum Pascha digne velit comedere.* Ἴσασι δὲ οἱ μύσαι τὸ λεγόμενον, κατὰ τὴν τοῦ νομοθέτου πνευματικὴν διάταξιν. *Norunt autem, quod dicitur, illi, qui Sacris initiati sunt, secundum Legislatoris sanctionem.* Quæ Isidori verba expositione nulla indigent.

XXIV. Chrysostomi varia loca produxi Sect. III. num. XI. & XII. e quibus patet, dogmata mysteriorum eum non reticuisse. At vbicunque formulam solennem, *ἴσασιν οἱ μεμυημένοι*, similemue, disciplinæ arcani indicem, adhibuit, ritus tantummodo Symbolaque occultauit. Quam in rem ibidem allegaui homiliam de beato Philogonio; nunc alia exempla additurus. Quando verba Iacobi Patriarchæ: *Lauabit in vino stolam suam*, Genes. XLIX. explanat, inquit: *ὅρα, πῶς ἅπαν ἡμῖν ἐν ταύτῃ τὸ μυστήριον ᾐνίξατο; ἴσασιν οἱ μεμυημένοι. Vide, quomodo nobis in ista vniuersum mysterium insinuauit. Sciunt initiati, quod dicitur.* Et in Psalmum CXL. de lingua: *ἐννόησον, ὅτι τοῦτό ἐστι τὸ μέλος δι' οὗ τὴν φρικτὴν τὴν θυσίαν ὑποδεχόμεθα. ἴσασιν οἱ πιστοὶ τὸ λεγόμενον. Cogita hoc illud esse membrum, quo tremendum sacrificium excipimus. Sciunt fideles, quid dicam.* His duobus locis, quibus Symbola occultauit, alia duo subiicimus, quibus de ritibus obscurius loquutus est. Norunt omnes, in celebratione Eucharistiæ Trisagion olim cani consueuisse. Huc respexit Chrysostomus, quando Orat. in omnes martyres dicit, eos, cum in terris essent, choris cœlestibus iunctos fuisse, quoties cum Seraphim trisagium cecinerunt, *καθάπερ ὑμεῖς ἴστε οἱ μυηθέντες, sicut vos nostis, qui initiati estis.* Porro cui ignotæ sunt precationes veterum ardentissimæ, *εὐχαὶ τῶν πιστῶν, fidelium orationes*, vt appellantur Can. XIX. Laodiceno, quas in sacræ Cœnæ vsu fundebant? Has intellexit Chrysostomus in Homilia, qua probat, vtile nobis esse, vt Prophetiæ sint obscuræ: *μετ' ἐκτενείας ἀναφέρετε τὴν εὐχὴν· εἰδότες τῆς ὑμετέρας συνόδου τὴν δύναμιν. ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τὰ λεγόμενα. Cum contentione attollite precationem, scientes congregationis vestræ vim. Norunt initiati, quæ dicuntur.* Conatur tamen Schelstratius clarissimæ huic luci nebulas effundere, obiectis tribus Chrysostomi locis, quæ singula expendemus. Primus ex lib. I. de compunctione cordis *agit in garrulos fideles, qui infidelibus amicis enuntiabant nostra mysteria, ac postmodo ab illis tanquam stultæ prædicationis creduli exsibilabantur*, vt obseruat Christianus Lupus Schol. in cap. XLI. Tertulliani de Præscript. qui dum nostram de obiecto arcani disciplinæ sententiam tenet, vt in fine præcedentis sectionis vidimus; simul innuit, eam hoc Chrysostomi testimonio non infringi. Quod vero is ad Christi verba prouocat, non alio facit sensu, quam Cyprianus, de quo paullo ante vidimus, nempe vt obstinatos refractariosque gentiles a doctrina euange-

angelica excludendos potius quam admittendos esse doceat. Deinde fideles etiam indigne ad sacræ Cœnæ vsum accedentes contra illud Christi præceptum peccare asserit; adeoque non tam disciplinam arcani, quam communem prudentiæ regulam ex Christi mandato deriuat, quum solennis illa reticentia nec ad fideles, nec ad omnia Christianæ religionis dogmata sese extenderit. Alter locus ex homilia XL. in priorem ad Corinthios nobis etiam non aduersatur. Ibi enim obscure circumloquitur Chrysostomus Symbolum fidei in Baptismo recitandum, quod omnino ex præscripto disciplinæ arcani occultandum erat, vtpote tessera huius Sacramenti, idque his verbis a Chrysostomo significatur: *μετὰ γὰρ τὴν ἀπαγγελίαν τῶν μυστικῶν ῥημάτων ἐκείνων, καὶ φοβερῶν, καὶ τοὺς φρικτοὺς κανόνας τῶν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καtενεχθέντων δογμάτων. Nam post mysticorum illorum & terribilium verborum enunciationem, & horrendas regulas dogmatum e cælo demissorum.* Nisi maluerit aliquis de Symbolo tantum *τοὺς φρικτοὺς κανόνας* interpretari, & præcedentia *μυστικὰ ῥήματα καὶ φοβερὰ* de abrenuntiatione Satanæ & aliis tinctionem præcedentibus accipere, in quo me non admodum inueniet repugnantem, quanquam nouerim, Chrysostomum in homiliis plus semel verba abrenuntiationis protulisse. Tertius denique locus ex epistola ad Innocentium dilucide meam sententiam confirmat. Improbat enim, quod non initiati in sacrarium irrumpentes viderint omnia, quæ intus erant, patenas cum panibus, calices cum vino iamtum sanctificato, & alia ad ritus eucharisticos facientia, a quorum tamen conspectu eos arcebat disciplina arcani. Dogma vero clare enuntiat Chrysostomus, cum ait, *sanctissimum Christi sanguinem effusum esse.* Nec valet Schelstratii effugium supra cap. I. propositum, quod Chrysostomus ad fidelium caput & pastorem scribens nihil occultare debuerit. Palladius enim epistolam Chrysostomi in vita eius a se descripta integram exhibere religioni sibi non duxit, cuius tamen opus ad Catechumenorum & infidelium manus peruenire potuisse Schelstratius disertis ibidem verbis confitetur. Intempestiua denique est eiusdem cogitatio de primatu Pontificis, quum eandem epistolam iisdemque verbis Chrysostomus scripserit ad Venerium Mediolanensem & Chromatium Aquileiensem, vt patet ex Palladio pag. 22.

XXV. Innocentius I. Papa non-initiatos in dicto tumultu Constantinopolitano ad sacrorum conspectum admissos adeoque arcani disciplinam violatam esse merito improbauit. In epistola vero ad Decentium nihil omnino habet, quod Schelstratio velificetur. Neque enim originem sacri silentii ab Apostolis repetit, neque illud ad dogma extendit. Nam sola confirmationis verba silet ad ritus vtique facientia, non peculiaris Sacramenti, sed Baptismi; siquidem & ipsum Innocentium & alios eiusdem sæculi Patres confirmationem pro baptismi ceremonia duntaxat habuisse pluribus probauit Dallæus Lib. III. de Confirmatione

cap. I.

cap. I. & Lib. II. de Cultibus Latinorum cap. XXXI. ad quem Lector benignus amandari se patiatur. Ad Eucharisticos autem ritus pertinent, quæ ait Innocentius num. I. *cum post omnia, quæ aperire non debeo, pax sit necessario indicenda*, significans, benedictionem populo dandam peracta Eucharistiæ celebratione. Sed Schelstratius vult, eum num. 5. de Eucharistia sub verbo fermenti agere; quod etiamsi ex disciplina arcani factum concedamus, non tamen ad dogma, sed ad Symbola pertinet. Frustra est idem, quando Pœnitentiæ & extremæ Vnctionis Sacramenta eo modo, quo in Romana Ecclesia hodie recepta sunt, ex Innocentio adstruere satagit. Illum quippe ne Sacramentum quidem vocat Innocentius, nec de ea occultanda quidquam statuit: imo eodem sæculo Sozomenus doctrinam ritusque Pœnitentiæ in Romana Ecclesia vsitatos libere proposuit eo in opere, quod ad non-initiatorum manus peruenire credebat, adeoque disciplinam arcani in Baptismi & Eucharistiæ ceremoniis obseruabat, vti mox latius docebimus. Vnctionem vero Innocentii a moderna Latinorum extrema toto cœlo diuersam esse monstrauit idem Dallæus lib. II. de extrema vnctione cap. IX. quem supra quidem Lectoribus commendaui, nunc autem non possum, quin vnicum saltem argumentum describam: *Apparet eam, de qua Innocentius loquitur, non hominum in supremis versantium, sed simpliciter cum spe vitæ & sanitatis ægrotantium vnctionem fuisse. Negat enim pœnitentibus dandam; ideo quod iis reliqua sacramenta negarentur: stulte & absurde, si ea huiusmodi fuit, quæ in solo mortis discrimine positis, vt nunc fit, ministraretur. Nemo enim nescit pœnitentibus in eo articulo versantibus, ne Eucharistiam quidem per ea tempora inuidisse Romanos Præsules; quod & ex Siricio & ex ipso Innocentio clarum est. Itaque necesse est istum eam vnctionem intelligere, quæ ægrotis quidem daretur, sed non ad mortem, neque desperate laborantibus; Talium enim nemini negabantur sacramenta, quantumuis ii ex pœnitentium ordine forent, adeoque nec ista iis vnctio neganda fuisset, plane contra, quam colligit Innocentius. Cum igitur certum sit, eam, quam iste intelligit, vnctionem, non desperate ægrotantium, & in supremis versantium fuisse; illud quoque manifestum est, aduersariorum vnctionem, quæ non aliorum est, quam istorum ab Innocentiana plane aliam esse.* Quod vero Innocentius *Sacramenti* vocabulum adhibet, id in latiori significatione fieri bene monet Dallæus, addens, non ipsam vnctionem, sed Chrisma sacramentum appellari. Hoc autem propterea veteres occultarunt, quia ad Symbola ritusque Baptismi pertinebat, non quasi peculiare noui fœderis Sacramentum fuisset, quæ Schelstratii erronea est hypothesis. Qui nihil porro auxilii vel a Palladio, vel ab Isidoro sibi polliceri debet. Palladius enim disciplinam arcani recte seruauit, dum Symbola tantum effusa dixit, vini mentionem reticens. Nec obstat, quod corpus & sanguinem Christi diserte non nominauit: quæ enim ille omisit, Chrysostomus, cuius vitam descripsit, edixit ipse in epi-

in epistola ad Innocentium, quam sane Palladius Dialogo suo inseruit, pag. 18. Vnde labitur Schelstratii ratiocinium ex Palladii silentio petitum, quia is vitæ Chrysostomi non dubitauit inserere ipsius epistolam, quam adeo non-initiati æque perlegere poterant, ac ipsum Palladii librum, vt paullo ante in expendendo Chrysostomi loco monuimus. Adde Palladium sub *symboli* nomine disciplinam arcani obseruasse, p. 66. de Theophilo Alexandrino scribentem: ὅτι παρῄνει πᾶσι μετὰ τὴν κοινωνίαν ἀπογεύεσθαι ὕδατος καὶ παστίλου, ἵνα μὴ ἀκουσίως τῷ σιέλῳ ἢ τῷ φλέγματι συνεκπτύσωσί τι τοῦ συμβόλου, *quod admonebat, vt omnes post communionem aquam aut pastillum degustarent, ne cum saliua aut pituita aliquid e symbolo sacramenti præter voluntatem exspuerent.* Et p. 100. Chrysostomum moriturum describit κοινωνήσαντα τῶν δεσποτικῶν συμβόλων, *Dominica symbola sumentem.* Dogma autem Eucharistiæ clare enuntiat p. 210. Καὶ ὅτι γυμνάσιον ὑπέστη διὰ μακρῶν τῶν χρόνων ἡ ἐκκλησία, ἀναδείξασα τοὺς ἑαυτῆς στεφανίτας, ἄνδρας δὲ καὶ γυναῖκας, οὐ δωρεὰν, ἐν τοῖς ὀπίσω χρόνοις, Χριστοῦ σαρκὸς καταφαγόντας. *Et quia diu gymnasium Ecclesia fuit, victores suos ostendens viros ac mulieres, anteactis temporibus, Christi carnem non gratis comedisse.* Isidori autem Pelusiotæ epistolam miror, a Schelstratio adductam, quæ ad Ophelium Grammaticum scripta est, hominem sacris Christianorum initiatum, vt patet ex multis aliis Isidori litteris ad ipsum exaratis. Nam de variis Scripturæ locis & virtutibus Christiano dignis ipsum informauit, & lib. III. epist. XXXI. de Filii Dei generatione docuit, (quam gentilibus ex disciplina arcani occultatam vult Schelstratius,) & epist. LXX. de mala Zosimi cuiusdam in presbyterum ordinati vita (quam epist. XC. ad Zosimum ipsum data pariter perstringit) prolixe egit; quod coram non-initiatis ex præscripto Canonis V. Laodiceni fieri non debuit: imo epist. XCIV. eundem cum Iudæo de Christo disputantem confirmat. Quæ omnia cum fidelem baptizatumque Ophelium probant, tum non alia de caussa formulam disciplinæ arcani solennem Isidorus adhibuisse videtur, quam vt breuitatem per omnes fere epistolas sibi adeo gratam sectaretur, & Ophelium ad meditationem sanctissimæ eucharistiæ adduceret. Quid autem solis mystis cognitum esse voluerit Isidorus, patet ex lib. IV. epist. CXLIII. vbi incusat nonnullos ex Imperatoris mandato pacem cum ethnicis sancientes iuramentoque confirmantes, quod permiserint τοὺς ἐθνικοὺς καὶ ἀλόγους τῶν παρ' ἡμῖν ἁγίων καὶ σεβασμίων ἅψασθαι, *ethnicos & rationis expertes homines sacra nostra & veneranda arcana attingere;* innuens iuramentum illud sumtione eucharistiæ fuisse stabilitum, cui ethnicos interesse nefas habebatur.

§. XIV.

§. XIV.

Ex Cyrillo Alexandrino.

NOtandum omnino eſt illud, quod Cyrillus Alexandrinus habet de diſciplina arcani ex Chriſti præcepto obſeruanda. Libro enim 7. aduerſus Iulianum ſcripſit: Ἀρχὴ γὰρ συνέσεως ἡ πίστις. Καὶ ταύτην ἔχει τὴν εἰς βολὴν τὸ θεῖον ἡμῶν, καὶ σεπτὸν μυστήριον. Ἵνα τοίνυν μὴ εἰς τὰς τῶν ἀμυήτων ἐκφέρων ἀκοὰς τὰ κεκρυμμένα, προσκρούσαιμι λέγοντι τῷ Χριστῷ, Μὴ δῶτε τὰ ἅγια τοῖς κυσὶ, μηδὲ βάλλητε τοὺς μαργαρίτας ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν χοίρων. *Fides enim intelligendi principium. Atque hunc aditum habet hoc Diuinum noſtrum, ſanctumque myſterium. Ne ergo ad profanorum aures arcana deferens offendam Chriſtum dicentem: Ne detis ſancta canibus, neque proiiciatis margaritas veſtras ante porcos.* Et paulo inferius: Ἔφην δὲ ἂν καὶ ἕτερα περὶ τούτων πλεῖστά τε ὅσα καὶ ἀληθῆ πληροφορῶν, ὅτι διὰ Μωσέως καὶ Προφητῶν προανετυποῦτο τὸ μυστήριον, καὶ οὐ νέον ἐστὶν, ἢ ἀρτιφανὲς, καὶ πρὸς ἡμῶν εὑρημένον, εἰ μὴ καθάπερ ἤδη προεῖπον, τὰς τῶν ἀμυήτων ἐδεδίειν ἀκοάς. Ἀεὶ γάρ πως γελᾶσι φιλεῖ τὰ δυσέφικτα τοῖς πολλοῖς, ὅτι μὴ τῆς ἑαυτῶν διανοίας τὸ ἀδρανὲς καθορῶσιν· ἃ δὲ ἦν ἄμεινον τοῦ παντὸς ἀξιοῦσθαι θαύματος, ταῦτι πεποίηνται παρ' οὐδὲν, καθάπερ ἀμέλει καὶ παναρέστος οὑτοσί. *Plurima de his alia, veraque dicerem, certiſſimisque argumentis probarem, myſterium eſſe per Moſem & Prophetas typice declaratum, neque nouum illud eſſe, aut recens editum, & a nobis inuentum, niſi, vt antea dixi, profanorum aures metuerem. Fere enim rideri ſolent, quæ vulgo percipi nequeunt, quoniam ſuæ mentis imbecillitatem non vident, & quæ omni admiratione proſequi par eſſet, & nihili faciunt, ſicuti nimirum iſte quoque vir egregius.* Hiſce Cyrilli teſtimoniis nihil eſt, quod merito opponat Tentzelius; ſed eſt, ſi ſapiat, quod revereatur, & venerabunde admittat.

XXVI. Cyrilli Alexandrini loca expendere debuiſſet Schelſtratius, an omnino ad diſciplinam arcani pertinerent, priusquam nobis ea opponeret. Nam non tantum ſymbolum baptiſmi externum, aquam, variosque ritus, inprimis abrenuntiationem, exponit, ſed dogma etiam ſalutaremque effectum inter duo ſegmenta a Schelſtratio citata prolixe & clare enunciat, quæ ſane cum arcani diſciplina ex eiusdem ſententia conſiſtere nequeunt. Quod autem τὰ βαθύτερα, *ea quæ ſunt altioris intelligentiæ, relinquit*, non ad diſciplinam iſtam facit, ſed ad dogmatum propter imperitos occultationem, quam a ſolennis reticentiæ ritu diuerſam fuiſſe ſupra probaui. Huc pertinent Cyrilli verba de myſterio baptiſmi: ἰσχνὸς δὲ λίαν ἐστὶ καὶ βαθὺς ὁ ἐπ' αὐτῷ λόγος, καὶ ταῖς τῶν πλανωμένων διανοίαις οὐχ ἁλώσιμος. ἀρχὴ γὰρ συνέσεως ἡ πίστις. *Subtilis & alta eſt eius intelligentia, nec eorum qui in errore verſantur mentibus comprehendi poteſt. Fides enim intelligendi principium*, & reliqua apud Schelſtratium, qui etiam alia ad

eundem scopum collimantia describit: ἀεὶ γάρ πως γελᾶσθαι φιλεῖ τὰ δυσέφικτα τοῖς πολλοῖς, ὅτι μὴ τῆς ἑαυτῶν διανοίας τὸ ἀσθενὲς καθορίζουσιν. *Fere enim rideri solent, quæ vulgo percipi nequeunt, quoniam suæ mentis imbecillitatem non vident.* Eodem modo loquitur idem Cyrillus Lib. VIII. de mysterio incarnationis, quod Schelstratius tamen a disciplinæ arcani obiecto diserte remouet. Δεῖ δὴ οὖν ἄρα βραχυλογοῦντας, ὡς ἔνι, τὸν περί γε τῆς ἐνανθρωπήσεως ἡμᾶς τοῦ μονογενοῦς πολυπραγμονῆσαι τρόπον. ἐπειδὴ δὲ ταῖς ἑλλήνων ἀκοαῖς ἐνίεμεν τὸ μυστήριον, ἤτοι τοῦ κατὰ Χριστὸν μυστηρίου τὴν ἀφήγησιν, τῶν μὲν ἀπορρητοτέρων τὴν βάσανον ἀποστήσομεν, ὀλίγα δὲ ἄττα διαλεξόμεθα πρὸς αὐτοὺς τὰ ἐξ εἰκότων ἀθροίσαντες λογισμῶν, συλλαμβανούσης εἰς τοῦτο τῆς θεοπνεύστου γραφῆς. *Operæ pretium est igitur breuiter, quoad licet, incarnationis vnigeniti modum inquirere. Sed cum Gentilium auribus mysterium, siue mysterii de Christo narrationem inseramus, rerum abstrusiorum disquisitione abstinebimus, & pauca quædam e verisimilibus colligentes rationibus, diuina Scriptura nobis ad hoc opitulante cum iis differemus.* Quemadmodum igitur Cyrillus non vniuersam de incarnatione doctrinam reticuit, sed abstrusiora tantum; sic neque totum baptismi dogma occultauit, sed tantum typos Mosis & Prophetarum, ac similia. Et sicut ista Cyrilli reticentia quoad incarnationem ad arcani disciplinam non pertinet, ita nec ex ea prouenit dogmatum baptismi profundiorum silentium. Imo quia Cyrillus sæpe de Trinitatis mysterio in iisdem libris agit, & Lib. VIII. generationem diuinam Filii ex Patre explicat, ac lib. IX. & X. diuinitatem eius ex Veteris Nouique fœderis scriptura probat, quæ omnia per arcani disciplinam gentilibus occultata vult Schelstratius, non aliter sane ex hac difficultate sese extricare poterit, quam fatendo, Cyrillum eo in opere arcani disciplinam non obseruasse.

§. XV.

Ex Sozomeno, & Theodoreto.

Cum Sozomenus Historicus Græcus, qui tempore Theodosii Iunioris Constantinopoli scripsit, ageret de Symbolo Nicæni Concilii fatetur lib. 1. cap. 20. Ἐπ' ἀρχῇ τὸ σύμβολον τῆς τότε συναρεσάσης πίστεως, ἀναγκαῖον ᾠήθην εἰς ἀπόδειξιν τῆς ἀληθείας αὐτὴν περὶ τούτων γραφὴν παραθέσθαι, εὐσεβῶν δὲ καὶ φίλων, καὶ τὰ τοιαῦτα ἐπιστημόνων. οἷα δὲ μύσταις καὶ μυσταγωγοῖς μόνοις δέοντα λέγειν καὶ ἀκούειν ὑφηγουμένων ἐπῄνεσα τὴν βουλήν. Οὐ γὰρ ἀπεικὸς καὶ τῶν ἀμυήτων τινὰς τῇδε τῇ βίβλῳ ἐντυχεῖν ὡς ἔνι δὲ τῶν ἀπορρήτων, ἃ χρὴ σιωπᾶν ἀποκρυψαμένων. *Initio quidem existimaueram, exemplum illius fidei ad veritatis demonstrationem hic necessario opponendum esse. Sed cum quidam ex amicis, viri pii, & harum rerum notitia præditi suasissent mihi, vt ea quidem, quæ a solis initiatis & Sacerdotibus dici, audirique fas est, silentio inuoluerem, eorum consilium probaui. Quippe verisimile est, quosdam Sacramentis fidei nostræ mini-*

minime initiatos, hunc librum lecturos esse. Verum occultatis a me, quantum fieri potuit, arcanis, quæ reticenda sunt &c. Quæ hoc Sozomeni testimonio continentur, adeo clara sunt, vt nihil manifestius desiderari possit.

Consonat Theodoretus, qui eodem tempore in Syria floruit, & anno 451. Sacro Chalcedonensi Concilio interfuit: cum enim Dialogo 2. cui titulus *Inconfusus*, ageret de Sacramento Eucharistiæ, introducit Eranistem interrogantem: *Qui appellas donum, quod offertur ante Sacerdotis inuocationem?* & Orthodoxum sic respondentem: Οὐ χρὴ σαφῶς εἰπεῖν. εἰκὸς γὰρ τινὰς ἀμυήτους παρεῖναι. *Aperte dicendum non est; verisimile est enim, adesse aliquos mysteriis non-initiatos.* Tum asserit conuenisse Eranistem: Αἰνιγματωδῶς ἡ ἀπόκρισις ἔσω: *Respondeatur ænigmatice*; sicque Orthodoxum respondisse: Τὴν ἐκ τοίων σπερμάτων τροφήν, *Cibum ex talibus seminibus.* Plura adduntur, quæ mirum in modum obscura sunt, ex professo sic dicta, vt ostenderetur, etiam tunc disciplinam arcani in vsu fuisse, quam Theodoretus in Procemium Ezechielis ex Christi instituto obseruandam esse insinuat, dicens, Diuina mysteria angustiora esse, ideoque decere, vt ea *maiore custodia digna censeamus*: Καὶ δεσποτικῶς εἰπεῖν, μὴ ῥιπτεῶς τοὺς μαργαρίτας ἔμπροσθεν τῶν χοίρων, καὶ γὰρ ὄντως καταφρόνητος τῷ ὄντι τῶν προχείρων ἡ κτῆσις. *Et vt Domini verbis vtar, non sunt proiicienda margarita ante porcos, etenim reuera contemnitur eorum, quæ sunt in promptu, possessio.*

XXVII. Sozomeni & Theodoreti loca otiose repetiit Schelstratius, quæ antea prolixe expendi, ipsique contrariari docui. Vide, si placet, de Sozomeno Sect. II. num. XIV. de Theodoreto Sect. III. num. X. & XII. Cæterum quia Sozomenum ibi vidimus ex iure disciplinæ arcani Symbolum Baptismi occultantem, non incongruum erit audire, quemadmodum panem Eucharisticum siluerit Lib. IIX. Cap. V. vbi de muliere Macedoniana agit: Περὶ δὲ τὸν καιρὸν τῶν μυστηρίων· ἴσασι δὲ οἱ μεμυημένοι ὃ λέγω. ἡ μὴν, ὅπερ ἐδέξατο κατέχουσα, ὡς εὐξομένη ἀπέκυψε· παρεστῶσα δὲ αὐτῇ ἡ θεράπαινα, λάθρα δέδωκεν ὃ μετὰ χεῖρας ἦλθε φέρουσα. τὸ δὲ πρὸς τοῖς ὀδοῦσι λίθος ἐπήγνυτο. *All. ipso igitur tempore mysteriorum, intelligunt fideles quid velim dicere, mulier id quod acceperat, retinens, quasi Deum oratura caput submisit. Ancilla vero quæ ei adstabat, id quod domo attulerat, clanculum ei tradidit. Quod cum mulier dentibus admouisset, instar lapidis obduruit.* Tam caste religioseque disciplinam arcani seruauit Sozomenus, vt non satis habuerit panem Eucharisticum reticuisse, sed ne panem quidem ab ancilla traditum nominarit, vt nullam nondum initiatis suspicionem iniiceret de panis vsu in sacra Cœna. At idem tamen Sozomenus in eodem Opere, quod ad ἀμυήτων manus peruenturum credebat, & mysterium Trinitatis libere proposuit, vt antea vidimus, & rationem Pœnitentiæ in Ecclesiis Occidentis ac Constantinopolitana receptam enarrauit Lib. VII. cap. XVI. neutrum facturus, si ea ad arcani disciplinam cum Schelstratio retulisset. Quoniam vero negligentiæ Sozomenum hac in parte postulare nefas est, restat, vt errores suos

 inde

Inde emendet Schelstratius agnoscatque, ne Sozomeni quidem ætate, sæculo quinto adulto, Pœnitentiam inter Sacramenta proprie dicta collocatam fuisse, quippe quorum propria erat disciplina arcani. Neque alter Theodoreti locus ipsum quidquam iuuat. Non enim agit de hac disciplina, sed aduersus eos disputat, qui *diuinam Scripturam accusare aggressi sunt, & præcipue Prophetarum oracula, veluti obscuritate operta:* quod sane ipsi Pontificii hodie faciunt, tantum abest, vt non-initiatorum hoc sit crimen, quos a lectione sacrorum Codicum prohibitos contendit Schelstratius. His igitur Scripturæ accusatoribus, quia voluntaria cæcitate laborent, obscura esse diuina fatetur Theodoretus, quos considerasse oportuit, eorum quæ pretiosa sunt, in promtu hominibus esse nihil. Maximo autem studio ea adseruari, vt margaritæ, aurum; consilia quoque, quæ non cuiuis communicentur. His autem quanto augustiora sint diuina, tanto magis custodienda: & applicato Christi oraculo subiicit: *Etenim reuera contemnitur eorum, quæ sunt in promtu possessio: sed quæ labore parta possidentur, ea vero iucundissima sunt & amabilissima.*

§. XVI.

Ex Ferrando Carthaginiensi Diacono, & Sancto Fulgentio Ruspensi Episcopo.

EDidit aliquot abhinc annis Franciscus Chiffletius inter Opera Ferrandi epistolam ipsius ad Sanctum Fulgentium de quodam famulo Æthiope, *qui*, inquit, *Dominorum fidelium diligentia Sacramentis Ecclesiasticis imbuendus traditur. Fit ex more Catechumenus post aliquantum nihilominus temporis propinquante solemnitate Paschali inter Competentes offertur, scribitur, eruditur, vniuersa quoque Religionis Catholicæ veneranda mysteria cognoscens atque percipiens, celebrato solemniter scrutinio per exorcismum contra Diabolum vindicatur, cui se renuntiare constanter, sicut hic consuetudo poscebat, auditurus symbolum profitetur. Ipsa insuper sancti Symboli verba memoriter in conspectu fidelis populi clara voce pronuntians, piam regulam Dominicæ orationis accepit: simulque iam & quid crederet, & quid oraret, intelligens, futuro baptismati parabatur, cum subito violentis inuaditur febribus.* Addit, ipsum in extremo extra se positum sensu & voce destitutum, fuisse baptizatum, & quærit primo, an recte Baptismum susceperit? Secundo quærit de illis, *qui cum baptizati sunt, præueniente velocius morte, carnem Domini manducare, & Sanguinem eius bibere non sinantur.* Rationem dubii adiungit: *Nota quippe sunt fidelibus Saluatoris verba dicentis: Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis.*

Reperit hæc omnia S. Fulgentius epist. responsoria ad Ferrandum Diaconũ, & hæc eius verba, *sicut hic consuetudo poscebat, ex*[illegible]*: Sicut Ecclesiæ Carthagin. in qua iam Deo propitio Diaconus militas consuetudo poscebat* Insinuans, omnia illa a Ferrando relata, etiam tunc apud Carthaginens. Ecclesiam totius Afr. ex primariã quoad Catechumenos obseruata fuisse, vt primũ in ordine Catechumenorum constituti de fide instruerentur; postea inter Competentes circa festa Paschalia adscripti cætera Religionis Christianæ dogmata, quæ mysteria vocat, edocerentur, & iam

iam baptizandi Symbolum audirent, ac memoriter discerent, tum demum piam regulam Dominicæ orationis acciperent. Neque ante baptismum de Sacramento Eucharistiæ quidquam audiuisse, patet ex Ferrando, qui verba Christi de eo agentia dicit *fidelibus nota*, vt distinguat hac in re fideles ab infidelibus & Catechumenis, quod idem Sanctus Fulgentius comprobat responsioni suæ subiungens *Sermonem Beati Augustini Episcopi ante altare ad infantes de Sacramento*, qui incipit: *Hoc quod videtis in altari Dei, etiam transacta nocte vidistis; sed quid esset, quid sibi vellet, quam magnæ rei sacramentum contineret, nondum audistis. Quod ergo videtis, panis est & calix: quod vobis etiam oculi vestri renuntiant. Quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est Corpus Christi, calix Sanguis Christi.* Per infantes intelligit Sanctus Augustinus illos, qui præterita nocte baptizati erant, quos fatetur vsque tunc ignorasse tam ritus, quam dogma de veritate Eucharistiæ, illaque Sanctus Fulgentius, suo tempore etiam Catechumenis occultata fuisse, indicat.

XXVIII. Denique Ferrandus & Fulgentius nihil aliud describunt, quam modum in instituendis Catechumenis baptizandisque obseruatum, frigidumque est, quod ex Ferrando colligere vult Schelstratius, Catechumenos ante baptismum nihil quidquam de Eucharistia audiuisse. Quis enim in Augustini scriptis (ne aliunde, quam ex Africa, testem proferam,) adeo hospes est, vt ignoret doctrinam de sanctissimo hoc Sacramento eum sæpissime in homiliis ad populum, cui sane Catechumeni intermixti erant, exposuisse atque adseruisse; eundemque Ioannis locum a Ferrando citatum, cui innititur Schelstratius, sacris eiusmodi sermonibus enarrasse? Vt taceam, sextum Ioannis caput non minus ac alios libros sacros quotannis populo, præsentibus etiam non-initiatis, prælectum fuisse. Ecquomodo igitur verba illa Catechumenis attentioribus prorsus ignota fuerint? Proinde non alio sensu *fidelibus nota* dicuntur Ferrando, quam quod ab illis perfecte debiteque intelligantur, ipsique soli optime calleant, sub quibus speciebus de carne & sanguine filii hominis participarent. Huc pertinent clarissima Augustini verba Sermone XLVI. de verbis Domini, quæ partim Sect. III. num. VII. descripsimus, partim nunc adferemus: *Ergo sermo noster ad vtrosque dirigitur. Qui iam manducant carnem Domini, & bibunt sanguinem eius, cogitent, quid manducent, & quid bibant, ne, sicut Apostolus dixit, iudicium sibi manducent & bibant. Qui autem nondum manducant, & nondum bibunt, ad tales epulas inuitati festinent. Per istos dies magistri pascunt, Christus quotidie pascit, mensa ipsius est illa in medio constituta. Quid caussæ est, o audientes, vt mensam videatis, & ad epulas non accedatis? Et forte modo cum Euangelium legeretur, dixistis in cordibus vestris, Putamus quid est quod dicit, Caro mea vera esca est, & sanguis meus vere potus est. Quomodo manducatur caro Domini, & bibitur sanguis Domini? Putamus quid dicit? Quis contra te clausit vt hoc nescias? Velatum est. Sed si volueris, erit reuelatum. Accede ad professionem, & soluisti quæstionem. Quid enim dixit Dominus Iesus, iam fideles nouerunt. Tu autem catechu-*

techumenus diceris, audiens & surdus es. Aures enim corporis patentes habes, quia verba quæ dicta sunt audis. Sed aures cordis adhuc clausas habes, quia quod dictum est non intelligis. Disputo, non dissero. Ecce Pascha est, da nomen ad baptismum. Si non te excitat festiuitas, ducat ipsa curiositas, vt scias quid dictum sit, Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Vt scias quid dictum sit, pulsa, & aperietur tibi. Et vt tibi dico, pulsa, & aperietur tibi, ita & ego pulso, aperi mihi. Auribus persono, & ad pectus pulso. In eandem sententiam differit Sermone II. de verbis Apostoli: *Loquutus est nobis* (Seruator) *de corpore & sanguine suo, corpus dixit escam, sanguinem potum, sacramentum fidelium. Agnoscunt fideles. Audientes autem quid aliud quam audiunt?* Nec aliter sentit Augustinus Sermone ad Infantes apud Fulgentium, quando Competentibus docet primum visa sacra Symbola, & quid sub iis contineatur, Neophytis explicatum fuisse: non quasi ipsis plane ignotum fuerit dogma Eucharistiæ, vt vult Schelstratius; sæpe enim audiuerant, in hoc fidelium Sacramento corpus & sanguinem Christi manducari & bibi; sed *quomodo*, siue sub quibus speciebus ea exhiberentur, ignorabant, & demum post baptismum cognoscebant, cum *fides* eorum *instrueretur, panem esse corpus Christi, vinum sanguinem Christi*, vt diserte habent Augustini verba a Fulgentio citata; manifesto argumento, symbola, non dogma, ex præscripto disciplinæ arcani occultata fuisse.

§. XVII.

Quod sequatur ex horum Patrum testimoniis, disciplinam arcani a Christo institutam, & ab Apostolorum temporibus obseruatam fuisse.

HAbes hic antiquorum testimonia, ex quibus tam clare constat, disciplinam arcani obseruatam fuisse in Ecclesia, vt cum quædam illorum in commentario ad 2. canonem Antiochenum attulissem, ipse Tentzelius huic veritati obstrepere ausus non sit, sed numero 17. suæ disputationis aperte admiserit. *Amplius ex Iulii Papæ Romani epistola ad Eusebianos, Basilio de Spiritu Sancto cap. 17. Innocentii Primi epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum, Epiphanio, Chrysostomo, aliisque multa describit, quæ disciplinam arcani in Ecclesia horum ætate obseruatam esse arguunt: nec a nobis negantur, qui circa extrema secundi sæculi hunc morem apud Christianos cœpisse, ac vsque ad sextum sæculum in occidentali Ecclesia permansisse, supra innuimus.* Conuenit itaque inter me & Tentzelium de obseruata arcani disciplina, quam ipse ad finem secundi sæculi incœpisse errat, cum etiam illi, qui a fine secundi sæculi de illa scripserunt, eam ex Apostolica traditione, & ipsis Christi verbis repetant. Probaui id ex indubitatis antiquiorum Patrum testimoniis, nimirum ex D. Dionysio, Tertulliano, Origene, D. Cypriano, Synodo Alexandrina, D. Basilio, Ruffino, D. Hieronymo, S. Cyrillo Hierosolymitano, D. Ambrosio, D. Ioanne Chrysostomo, Sancto Cyrillo Alexandrino, & Theodoreto Cyrensi in Euphratesia Episcopo, qui omnes vnanimi voce ex verbis Christi *de non dando sanctum*

ctum canibus, & *non proiiciendo margaritas ante porcos* disciplinam arcani introductam fuisse asserunt. Quod ideo repeto, vt constet, quam inconsulte Tentzelius falsum esse scripserit, locum Matthæi ab antiquioribus de occultandis Christianæ Religionis mysteriis explicari.

Adiunxi supradictis Patrum testimoniis non quidem omnia, sed aliquot Patrum loca, ex quibus licet non habeatur, disciplinam arcani ex Christi verbis ortum ducere; habetur tamen de Sacramentis, & præsertim de Eucharistia a tertio sæculo vsque post quintum ab vniuersa sub cœlo ecclesia obseruatam fuisse. Pro Roma & Sede Apostolica facit testimonium Innocentii Primi in epistola ad Decentium Eugubinum: pro Mediolano D. Ambrosius lib. 1. de Abraam, cap.5. pro Aquileia Ruffinus commentario in Symbolum: pro Dalmatia D. Hieronymus epistola ad Euagrium: pro Brixia D. Gaudentius sermone 11. ad Neophytos: pro Verona Zeno eiusdem Ciuitatis Episcopus sermone de continentia: pro vniuersa demum Italia Iulius Primus epistola ad Orientales Antiochiæ congregatos. Pro Carthagine Tertullianus Presbyter, & S. Cyprianus Carthaginiensis Episcopus, quorum primus in Apologetico contra Gentes, & libro ad Nationes; secundus in Opusculo ad Demetrianum Africæ Proconsulem disciplinam arcani obtinuisse demonstrant: pro Ruspensi Ciuitate Sanctus Fulgentius epistola responsoria ad Ferrandum Diaconum Carthaginiensem: pro Hippone Magnus Augustinus, ex quibus de totius Africæ consuetudine coniectare licet. Pro Alexandria ex Clemente Alexandrino, & Origene eius discipulo, qui erudiendis Catechumenis præpositi disciplinam arcani non solum obseruarunt, sed obseruandam quoque docuerunt, vt patet ex Clementis lib. 5. stromatum, & Origene lib.1. contra Celsum: pro Sede Patriarchali Alexandrina D. Athanasius Apologia 11. & S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus lib.7. aduersus Iulianum: pro vniuersa item Ægypto Synodus Alexandrina in Epistola Encyclica ad omn. ..ique Episcopos. Pro Hierosolymis, & Palæstina Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus in Catechesium suarum præfatione: pro Cypro D. Epiphanius in Ancorato: pro Cyrensi in Euphratesia Ciuitate Theodoretus eiusdem Episcopus Dialogo immutabilis: pro Antiochia totius Orientis Metropoli D. Ioannes Chrysostomus cum esset Presbyter Antiochenus in variis ad populum sermonibus: pro Ciuitatibus Nyssa, & Nazianzo duo Gregorii earumdem Episcopi: pro Cæsarea Cappadociæ D. Basilius eiusdem Antistes, & totius Ponti Exarchus locis supra citatis. Pro Helenopoli Palladius: pro Constantinopoli Sozomenus, aliique cum Isidoro Pelusiota, quorum testimonia consulto omittimus, quia ex prædictis sufficienter constat de disciplina arcani per totam sub cœlo Ecclesiam communi consensu recepta. Ex qua recte, meo quidem iudicio, concluditur, eamdem disciplinam ex Traditione Apostolica prouenisse. Cum enim communis ille Ecclesiarum consensus ortum non duxerit ex decreto alicuius particularis, vel Generalis Concilii, sed omnes per orbem Ecclesiæ eamdem disciplinam obseruarint, absque eo quod illa reperiatur certo quodam tempore cœpisse: dicendum est iuxta regulam Diui Augustini, hanc vnam esse ex iis, quæ ex Traditione Apostolica ad nos peruenerunt.

XXIX. Absoluto singulorum locorum examine tandem relinquitur, Schelstratium oleum operamque in iis colligendis perdidisse, quum nullatenus fidem faciant, vel disciplinam arcani a Christo institutam, vel etiam circa dogmata occupatam fuisse. Caute autem loquitur vir doctus, dum suffragia Patrum summatim colligit, vnanimi voce eos adserere, *ex verbis Christi disciplinam arcani introductam*

ductam fuisse. Ita vero incertam dubiamque ipse reddit præcipuam suam opinionem, quod ab ipso Christo instituta sit: quandoquidem constat, subinde in Ecclesiam quædam esse introducta *ex verbis Christi* & Apostolorum, quæ tamen illis tanquam auctoribus adscribi nequeunt. Quum enim successu temporis variorum rituum accessione augeretur Ecclesiæ disciplina, nolebant Patres siue Episcopi videri, quasi aliquid noui introducerent, sed verba exemplaque Christi & Apostolorum proposito suo passim applicabant, partim vt ritibus illis maiorem auctoritatem conciliarent, contemtumque ab iis arcerent; partim quoniam & ipsi arbitrabantur vana & reiectitia, quæ sine vllius Dominici & Apostolici præcepti auctoritate fiunt, quemadmodum videre est apud Tertullianum lib. de Oratione cap. XII. Ita ieiunium Quadragesimale, impositionem manuum, lotionem pedum ad institutum vel mandatum Christi Doctores non pauci more Oratorio referunt. Eandem consuetudinem in illis præcipue ritibus defendendis seruant, qui ex gentilismo adhæserant; cuiusmodi est precatio versus orientem, quam Origenes ex Christi instituto deriuare non dubitat, veritus forsan, ne mos ille in contemtum apud nonnullos Christianorum abiret, eos præsertim, qui ex Iudæis crediderant, quoniam ad ethnicorum imitationem transsumtus erat. Eodem modo res se habet cum arcani disciplina: Doctores secundo ad finem vergente sæculo viuentes, quum eam in orthodoxam Ecclesiam reciperent, verba Christi de margaritis ante porcos non abiiciendis sæpe in ore habebant, ne nouitatem alere viderentur, aut cum gentilibus colludere, quorum Eleusinia solennis reticentia æmulabatur. Horum exemplum sequuti proximarum ætatum Patres, *ex verbis Christi* disciplinam hanc introductam esse voluerunt. Quare tantum abest, vt ego *inconsulte* in hoc negotio me gesserim, vt potius Schelstratius duplici nomine alucinatus fuerit, partim dogmatum & rituum occultationem confundendo; partim scopum, quem Patres in applicandis ad disciplinam arcani verbis Christi sibi præfixerant, non attendendo.

XXX. Cætera, quæ ad finem vsque Capitis quarti disputat longiorem refutationem haud merentur. Neque enim inficior, in Occidentalibus & Orientalibus Ecclesiis disciplinam arcani obtinuisse, sed inde minime sequitur, eandem disciplinam ex traditione Apostolica profluxisse. Certe Ecclesiarum consensus in ritibus traditionem Apostolicam non infert: cum quod multos eorum non vniformiter tradiderunt Apostoli, vt patet ex controuersia de Paschate circa secundi sæculi finem agitata, vbi vtraque litigantium pars ad Apostolicam traditionem prouocabat; tum quod post excessum Apostolorum variæ consuetudines in Orientis Occidentisque Ecclesiis introductæ sunt, quæ ex traditione Apostolica inepte deriuarentur; cuiusmodi est prærogatiua & ἐξοχὴ Episcoporum inter Presbyteros, & Patriarcharum siue Metropolitanorum inter Episcopos, quam Pontificii

ficii quidem pro Apostolica etiam traditione venditant, sed ab eruditis nostræ partis hominibus meliora dudum sunt edocti; imo ab ipso scholæ suæ Magistro, Petro Lombardo discere possunt, qui non nisi *duos ordines Ecclesiam primitiuam habuisse*, diserte scripsit aliquot locis a Dallæo Lib.I. de Pseudepigr. Apost. cap. X. collectis. Sic in vtraque Ecclesia communi consensu paruulis olim traditum est Eucharistiæ Sacramentum, quem tamen morem nemo inter Romanenses hodiernos Apostolicis traditionibus accensuerit. Nec difficile erit, si quis Dallæi saltem hanc in rem disputata lib.V. de Cultibus Latinorum Religiosis cap. III. & IV. contulerit, Patrum suffragia secundum orbis regiones disponere, quemadmodum hoc loco fecit Schelstratius. Eadem igitur ratio est disciplinæ arcani, quam in vtraque Ecclesia obseruatam vti non negamus, ita nulla consequentiæ necessitas cogit, vt statuamus eam ab Apostolis traditam. Sed obstat adhuc Schelstratius, & regulam Augustini πολυθρύλλητον allegat, præeunte Natali Alexandro, cuius hæc sunt verba: *Cuius disciplinæ, quam vniuersalem fuisse constat, cum originem non videamus quarto sæculo, nec ab vllo Concilio institutam animaduertamus, certum est, ipsam ab Apostolis traditam fuisse, & ipsorum temporibus iam solennem, iuxta S. Augustini regulam: Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec a Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Miror autem, a neutro Canonem Augustinianum satis esse expensum, quo pacto facile animaduertissent, eum disciplinæ arcani applicari non posse. Etenim duo requisita Apostolicæ traditionis adfert Augustinus, quæ disciplinæ arcani neutiquam conueniunt. Prius est, quod a Conciliis non debeat esse instituta. At plerique hodie eruditi Pontificiæ etiam religionis, arbitrantur, Canones illos & Constitutiones, quæ Ἀποστολικῶν nomine a Turriano aliisque editæ sunt, Syllogen decretorum in vetustissimis Conciliis secundo tertioque sæculis statutorum continere. Iam in istis Constitutionibus diserta fit mentio disciplinæ arcani, & quomodo ea obseruanda sit, præscribitur. Quare stante illa opinione, quæ nec caret probabilitate, nec ipsi Schelstratio displicet, in Conciliis eandem disciplinam institutam esse consequitur. Posterius requisitum vsum traditionis perpetuum respicit, quem tantum abest, vt Schelstratius disciplinæ arcani tribuat, vt potius eam dudum desiisse, imo quo tempore adhuc vigebat, non æque semper obseruatam fuisse haud rogatus fateatur. Præterea Augustini regula de iis agit, quæ Apostolorum praxi non aduersantur, clamantibus ex aduerso omnibus noui fœderis scriptis, disciplinam arcani eos non tenuisse.

XXXI. Sed tempus est, ut ad veram disciplinæ arcani originem inuestigandam progrediamur, ad quam feliciter eruendam, vniuersam rituum Ecclesiasticorum rationem, cuiusmodi ante quartum sæculum fuit, succincte scrutabimur. Postquam Seruator Christus Oeconomia sua peracta in cœlum adscendit, discipu-

li eius Hierosolymis relicti, præsertim Apostoli, maximum in ritibus respectum ad Iudaicos habuerunt, quandoquidem ex Iudæis in Christum credentibus vniuersa Hierosolymitana Ecclesia constabat. Hinc est, quod Act. III. v. I. Petrus & Ioannes templum ingrediuntur ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς τὴν ἐννάτην, hora nona precationi ex more Iudæorum destinata. Nec aliunde originem traxerunt decreta Synodi Hierosolymitanæ Act. XV. quippe quæ in gratiam Iudæorum credentium edita, nouellisque ex gentium numero Christianis præscripta esse luce meridiana clarius patet. Imo non dubito accedere viris doctis, qui primæ & Apostolicæ Ecclesiæ regimen ita ad formam Synagogæ conformatum esse volunt, vt quæ bene sese habebant, maximeque necessaria erant, nihil aut parum mutarentur. Caussas huius rei perpendenti duæ præcipue occurrunt. Altera est, vt honeste Synagoga sepeliretur; altera, quia maximus credentium numerus initio prædicationis Apostolicæ ex Iudæis erat. Hinc factum est, vt Apostoli orbem peragrantes, vbicunque Synagogam Iudæorum reperiebant, eam primum ingrederentur, & Euangelium de Christo annunciarent, quemadmodum ex Actibus Apostolicis constat. Nec omittendus illustris locus Cap. XXI. ex quo luculentissime patet, Iudæos ad Christianam religionem conuersos a patriis consuetudinibus nihil remisisse. Ita enim ad Paullum verba faciunt Iacobus & Presbyteri v. 20. *θεωρεῖς ἀδελφὲ, πόσαι μυριάδες εἰσὶν Ἰουδαίων τῶν πεπιστευκότων, καὶ πάντες ζηλωταὶ τοῦ νόμου ὑπάρχουσι* &c. Hæc rituum morumque similitudo fecit, vt Christiani & Iudæi ab Ethnicis pro iisdem haberentur, decretumque Claudii, quo Iudæos Roma eiecit, non solum Iudæos, sed etiam Christianos expulerit. Actor. XVIII. 2.

XXXII. Quæ omnia vt melius intelligantur, præstat exempla nonnulla in medium proferre, quorum magnam copiam congessit Stephanus le Moyne in Notis & Obseruationibus ad Polycarpi epistolam, tomo II. Variorum Sacrorum pag. 22. 23. 24. vnde ea tantum seligemus, quæ clariora sunt, nec multa probatione indigent. *Apostoli*, inquit, *multa ex vsu apud Synagogas recepto, non vero ex moribus in templo vsurpatis, in Ecclesias voluerunt deriuare, quod illa συγκαταβάσει Iudæos lucrari, & ad Euangelium illos perducere facilius existimarent. Sic in Synagogis Iudæorum nullus structuræ superbientis fastus, ornamentorum nulla superflua & quæsita elegantia, sicut in Templi structura. Sic etiam primis Ecclesiæ nascentis temporibus nulla Templorum moles & consecratio, nullus splendidior apparatus, nihil ad pompam compositum, omnia vulgarem Synagogarum simplicitatem spirabant & redolebant. In Synagogis vacabant lectioni Pentateuchi, sic Apostolus hortatur Timotheum, vt vacet τῇ ἀναγνώσει, id est,* למקרא *lectioni Pentateuchi* 1. Tim. IV. 13. *In Synagogis vacabant lectioni Prophetarum, quas lectiones vocabant* הפטורות *dimissiones: sic ἀπολύσεις, dimissiones,*

siones, missa, & ite missa est, id est missio est, memorabantur in Ecclesiis Christianorum. In Synagoga erant idiotæ, sic Apostolus in Christianorum Ecclesiis idiotarum meminit 1.Cor. XIV. *In Synagogis dicebatur Amen, in Templo vero nunquam proferebatur. Sic ibidem Apostolus* τȣ̃ Ἀμὴν *mentionem facit in cœtibus Christianorum, ab idiotis proferendi & pronuntiandi. In Synagogis eleemosynæ Sabbatho colligebantur, sic die Dominica aliquid in vsum pauperum separari & destinari monet Apostolus Paullus* 1. *Corinth.* XVI. *In Synagogis erant* חזנים *ministri, qui apud Epiphanium dicuntur* Ἀζανῖται, *sic apud Christianos erant* ὑπηρέται *& ministri. In Synagogis erant* עברים *serui, apud Christianos erant Diaconi. In Synagogis erant* פרנסים *Pastores; apud Christianos occurrunt etiam* ποιμένες *Ephes.* IV. *In Synagogis erant interpretes & Prophetæ, apud Christianos erant Prophetæ & linguarum externarum interpretes. In Synagogis erant Angeli Synagogæ* שלוח הציבור. *Sic apud Christianos Rectores Ecclesiarum dicebantur Angeli Ecclesiarum, quæ denominatio in secundo & tertio Apocalypseos capitibus frequenter occurrit. In Synagogis erant* פקדים *visitatores, sic apud Christianos occurrebant* Ἐπίσκοποι. *Et tandem sicut in Synagogis vsurpatur etiam vox* זקנים *seniores, hinc etiam fluxit ad Christianos vox seniorum & Presbyterorum, quæ, nulla ad Rectores Ecclesiæ Christianæ designandos, vox occurrit frequentior.* Qui hæc prolixius diducta illustrataque cupit, adeat cum Ioannem Seldenum Dissert. de Anno ciuili veterum Iudæorum cap.XXI. eiusdemque lib.I. de Synedriis veterum Ebræorum cap.VIII. tum Campegium Vitringam & Iacobum Rhenferdium, qui illud argumentum integris pæne libris illustrarunt, ille quidem in Archisynagogo, hic autem in Dissertationibus de decem otiosis Synagogæ. Ex Nostratibus vnicum nominabo Iobum Ludolfum, illustrem Virum, qui in Commentario ad Historiam suam Æthiopicam Lib.III. Cap.V. n.49. vt alia variæ eruditionis capita, ita & hoc prolixius illustrauit. Nec diffitentur id prudentiores Pontificii, e quibus allegas, se sufficiat Dionysium Petauium tomo III. Dogmatum Theologicorum, lib.I. de Ecclesiastica Hierarchia cap.I. num. X.XI.XII. & Leonem Allatium lib. III. de Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis perpetua Consensione cap.XIV. quos tamen ab inuicem non mediocriter distare Lector animaduertet. Singularia sunt, quæ Richardus Simonius partim in Notis vberioribus in Apologiam Gabrielis Seueri p. 77. & alibi obseruauit, partim sub nomine Sieur de Simonville latens disquisiuit in tractatu Gallico, Comparaison des Ceremonies des Iuifs & de la discipline de l'Eglise, quem Rabbi Leonis Mutinensis libello de Ritibus Iudæorum subiecit.

XXXIII Nunc dispiciendum est, quamdiu hæc rituum Synagogæ obseruatio in Ecclesia Christiana dominata sit, donec aliis ex gentilium consuetudine augeretur. Equidem Seldenus de anno ciuili p. 121. *Legalia toto minimum tempore,*

re, quod in ſacra Actorum hiſtoria continetur, ſeu vsque ad ampliorem Euangelii diuulgationem, imo vsque ad Excidium Hieroſolymitanum ſub Veſpaſiano obtinuiſſe, ex viris doctis obſeruat. Mihi autem diſtinguendum videtur inter Iudaicas ceremonias, quæ typum Chriſti venturi includebant, & quæ ſaltem εὐσχημοσύνης καὶ τάξεως cauſſa in Synagogis receptæ erant. Prioris generis ſunt ſacrificia, circumciſio, Paſcha & ſimilia. Has ipſi Apoſtoli abrogarunt, non ſimul & ſemel, ſed ſucceſſu temporis. Nam ſacrificium pro ſe aliisque quatuor Naſiræis offerri curauit Paullus, Act. xxi. 26. & Timotheum circumcidit, Act. xvi. 3. ſed in epiſtolis ad Galatas, Coloſſenſes, Ebræos, aliisque antiquatas eſſe palam docuit, hæreticisque vt neceſſarias obtrudentibus acriter reſtitit. Hinc eſt, quod Apoſtoli pro ſolenniori Sabbathi cultu diem Dominicum, & pro agno paſchali reſurrectionis Chriſti memoriam ſubſtituerunt. Poſterioris generis ſunt, quas antea ex Moynio recenſuimus, ab ipſis Apoſtolis Eccleſiæ commendatas & introductas, inque ea ſimpliciter & absque rituum Ethnicorum commixtione diu retentas. Nobile maximeque obſeruandum exemplum præbet epiſtola Iacobi Catholica cap. II. v. 2. 3. Ἐὰν γὰρ εἰσέλθῃ εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν ἀνὴρ χρυσοδακτύλιος ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ, εἰσέλθῃ δὲ καὶ πτωχὸς ἐν ῥυπαρᾷ ἐσθῆτι, καὶ ἐπιβλέψητε ἐπὶ τὸν φοροῦντα τὴν ἐσθῆτα τὴν λαμπρὰν, καὶ εἴπητε αὐτῷ. Σὺ κάθου ὧδε καλῶς. καὶ τῷ πτωχῷ εἴπητε. Σὺ στῆθι ἐκεῖ, ἢ κάθου ὧδε ὑπὸ τὸ ὑποπόδιόν μου. *Si enim introierit in cœtum veſtrum, aureum geſtans annulum veſte ſplendida: introierit autem & pauper cum ſordida veſte. Et reſpexeritis ad eum, qui veſtem geſtat ſplendidam, & dixeritis ei: Tu ſede hic pulchre: pauperi vero dicatis: Tu ſta illic, aut ſede hic ſubter ſcabellum meum.* Differunt Interpretes aliquo modo in vocabulo συναγωγῆς explicando, quod alii de quouis cœtu, priuato & publico, Ciuili & Eccleſiaſtico, alii duntaxat de ſacro & Eccleſiaſtico conuentu interpretantur. Nos poſterioribus accedimus, quoniam Apoſtolo non tam curæ fuit, quid in re ciuili, quam ſacra ageretur. Videmus itaque tantam Eccleſiæ Chriſtianæ cum Iudaica interceſſiſſe rituum conformitatem, vt ne nomen quidem Synagogæ refugerit, quod hodie Pontificii tantopere auerſantur. Cum autem manifeſtum ſit ex textu Iacobi, diuerſi generis ſedilia in primæua Eccleſia Chriſtianorum vſitata fuiſſe, inter quæ alia aliis fuerint honoratiora; tum nihil dubitare attinet, quin Synagogæ conſuetudinem in iis ordinandis reſpexerint. Quod egregio exemplo docuit Vitringa cap. vi. conferens Synagogam Alexandrinam cum iſto Iacobi loco. Nam in gloſſis Talmudis Hieroſolymitani ad caput vltimum Succa prolixe deſcribuntur duplicia illius Synagogæ ſedilia, alterum e regione alterius poſitum, deque iis profertur traditio R. Iudæ: *Dixit R. Iuda, quicunque non vidit duplicata Alexandriæ ſedilia, nunquam de vita ſua vidit gloriam Iſraelis.* Et quanquam mihi non tam locum ipſum, quam cœtum

tum ad sacra peragenda congregatum συναγωγῆς vox in verbis Iacobi, secus ac Campegio, innuere videtur, non possum tamen, quin eius nonnulla adscribam: *Increpat Apostolus iure προσωποληψίαν primorum Christianorum, quam simul cum Synagoga a Iudæis retinuerant, idque, quia sedilium discrimen cum quorundam fratrum contemptu ita curiose obseruabant. Quam vero id accurate illi, quem modo produximus, respondet loco, vtpote ex quo euidentissimum est, Veteres Synagogas distinctissimis instructas fuisse subselliis pro cuiusque dignitate, & artificio, ita vt pauperibus nullus pene relictus locus sit. Neque mirari quis debet, nos ex illius Synagogæ, quæ Alexandriæ fuisse memoratur, Diui Iacobi sententiam illustrare; neque enim debemus cogitare, illam a ceteris fuisse diuersam ratione ædificii, sed tantum respectu artificiosæ structuræ, amplitudinis, atque pretiosissimorum ornamentorum, quæ in ea reperiebantur.* Habemus itaque præclarum testimonium rituum Synagogæ Iudaicæ in Ecclesia Apostolica retentorum, idque eo magis æstimandum, quo certius creditur, auctorem epistolæ esse Iacobum fratrem Domini, primum Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopum, vnde haud ex vano aliquis collegerit, ad illius tanquam matris exemplum cæteras Ecclesias sese composuisse. Quam in rem conferri merentur, quæ ex Epiphanio Hær. LXX. de Audianis num. X. disputat Ægidius Bucherius in Tractatu de Paschali Iudæorum Cyclo cap. I. quod omnes Ecclesiæ sequutæ sint Hierosolymitanam in celebrando Paschate, ab ea ex lunari Iudæorum supputatione methodoque institutæ. Quod si autem hanc imitationem in præcipuo quodam cultus capite largiamur, quidni in cæteris ritibus eandem concedamus? Obtinuere autem hi mores vsque ad mortem Iacobi, siquidem paullo ante martyrium epistolam suam exarasse putatur. Præterea sub successoribus illius in Ecclesia Hierosolymitana eosdem viguisse coniicitur ex Panario Epiphanii, Hæresi LXVI. num. 3. vbi Scythianum, Manichæi præcursorem, Hierosolymam profectum esse ait περὶ τοὺς χρόνους τῶν Ἀποστόλων, ibique disputasse cum Presbyteris, quos τοὺς κατὰ τὴν νομοθεσίαν Θεοῦ τὴν τῷ Μωϋσῇ δοθεῖσαν, καὶ προφητικὴ ἑκάστου προφήτου διδασκαλίᾳ βιοῦντας vocat, *ex legis a Deo Mosi traditæ, ac Propheticæ disciplinæ præscripto vitam instituentes.* Tempus itineris a Scythiano suscepti indicare videtur Chronicon Alexandrinum, quando sub Consulatu Neruæ & Rufi notat: ἐπὶ τῆς βασιλείας Νερουᾶ ἀνεφάνη δογματίζων Μάνης διδάσκων, καὶ ὀχλαγωγῶν. Consulatus ille in Annum æræ vulgaris XCVII. incidit, circa quod tempus Scythianus Hierosolymam petiuerit. Videtur enim auctor Chronici eundem cum Theodoreto aliisque errasse errorem a Petauio in Animaduersionibus Epiphanianis notatum, & Scythianum cum Manete confudisse; nisi forte Scythianus etiam binominis fuerit, aut Manis saltem nomen sibi imposuerit, quod postea cum libris & hæresi acceperit Cubricus. Vtcunque autem ea res se habeat, si quis hunc temporis characterem con-

feret cum Epiphanio, (qui forte Archelai, Caſcharorum in Meſopotamia Epiſcopi, Commentaria ſequutus eſt,) haud difficulter eliciet, primo ſæculo exeunte, triginta fere annis poſt templi excidium, Hieroſolymitanam Eccleſiam moribus adhuc Iudaicis vixiſſe. Imo Bucherius citato loco Paſchatis illam celebrationem ſtetiſſe putat, quamdiu Hieroſolymitani Epiſcopi ex circumciſione fuerunt, id eſt vsque ad A.C. 136. Quod autem de matre & principe omnium Eccleſiarum verum eſt, de reliquis etiam adſerere nihil vetat, præſertim quando ritus in publicis Chriſtianorum conuentibus vſitatos, quorum Iuſtini Martyris Apologia meminit, cum Synagogæ ceremoniis exacte congruere videmus, vt oſtendit Vitringa cap. XIII. pag. 258. Imo Iuſtinus ipſe in Dialogo cum Tryphone pag. 265. 266. exiſtimat, omnes, qui Iudaicos ritus Moſaicasque de Sabbato, circumciſione, & ſimiles conſtitutiones obſeruant, dummodo in Chriſtum credant, cæterisque tanquam neceſſarias non obtrudant, ſaluari poſſe; quanquam non diſſimulat, alios contrarium ſtatuere. Locus admodum prolixus eſt; nos initium ſaltem referemus. Ὡς μὲν ἐμοὶ δοκεῖ, ὦ Τρύφων, λέγω ὅτι σωθήσεται ὁ τοιοῦτος, ἐὰν μὴ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους, λέγω δὴ τοὺς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν διὰ τοῦ Χριστοῦ ἀπὸ τῆς πλάνης περιτμηθέντας, οὐκ πάντως πείθειν ἀγωνίζηται, ταὐτὰ αὐτῷ φυλάσσειν, λέγων οὐ σωθήσεσθαι αὐτοὺς, ἐὰν μὴ ταῦτα φυλάξωσιν· ὁποῖον ἐν ἀρχῇ τῶν λόγων καὶ σὺ ἔπραττες, ἀποφαινόμενος οὐ σωθήσεσθαί με, ἐὰν μὴ ταῦτα φυλάξω. κἀκεῖνος, διὰ τί οὖν εἶπας, ὡς μὲν ἐμοὶ δοκεῖ, σωθήσεται ὁ τοιοῦτος. εἰ μή τι εἰσὶν οἱ λέγοντες ὅτι οὐ σωθήσονται οἱ τοιοῦτοι: εἰσὶν, ἀπεκρινάμην, ὦ Τρύφων, καὶ μηδὲ κοινωνεῖν ὁμιλίας ἢ ἑστίας τοῖς τοιούτοις τολμῶντες· οἷς ἐγὼ οὐ σύναινός εἰμι. *Vt mihi quidem videtur, o Trypho, ſaluatum talem iri aio, ſi alios mortales (eos autem dico, qui ex gentibus per Chriſtum ab errore & ſeductione circumciſi ſunt) omni ſtudio in ſententiam ſuam adducere anniſus non fuerit, non ſeruatum eos iri ille affirmans, niſi eadem ſecum obſeruauerint; itidem vt tu ab initio diſputationis feciſti, confirmans, me ſaluum non fore, niſi iſta ſeruarem. Ille (*Tryphon inquit*) porro: Quid ita dixiſti: vt mihi quidem videtur, talis ſaluabitur? an ſunt qui dicant, huiusmodi ſaluatum non iri? Sunt; ego reſpondi: & quidem cum talibus illi neque conſuetudinis neque hoſpitii communionem habere audent: quos ego non collaudo.* Triplicem hominum ſententiam in notabili hoc Iuſtini teſtimonio deprehendimus. Prima ritus Iudaicos neceſſarios ad ſalutem iudicat, fuitque veterum hæreticorum, Cerinthi & ſimilium, cum quibus ipſis Apoſtolis erat dimicandum. Altera eos retineri libere poſſe cenſet, & Iuſtino Martyri arriſit. Tertia in alterum extremum declinat, & ad ſalutem pernicioſos putat, iisque ſine dubio placuit, qui ex gentiliſmo conuerſi priſtinarum ſuarum conſuetudinum tenaciores erant. Porro horum poſtremos, vbi præualuerunt & dignitatibus eccleſiaſticis admoti ſunt, occaſionem dediſſe ſumſiſſeque

fiſſeque exiſtimo, mutationem augmentumque illud in ceremoniis ſacris attentandi, quod ex ethnicorum ritibus moribusque transſumtum & in Eccleſiam Chriſti inuectum eſt. Veriſſime enim Vitringa cap. VI. pag. 94. *Neque mirari quis debet, procedente ætate in Eccleſiis Chriſtianis plurimos ritus, quos primo ex Synagogis Iudaicis transſumſerant, defeciſſe vel in alios a Synagogæ conſuetudinibus diuerſos degeneraſſe, cum tanto odio primi Chriſtiani fuerint proſequuti Iudæos, quod non modo ex ſententiarum de religione maxima diuerſitate natum eſt, ſed & inde quamplurimum auctum, quia eorum maxima pars, qui ad Religionem Chriſtianam conuertebantur, Gentiles erant, qui odio quaſi naturali omnes aduerſus Ebræam gentem ferebantur.* Adde tertiam cauſſam ex cap. XLIX. Pentecontarchi, qui Don Laurentii Ramirez de Prado ſtipendiis conductus in titulo libri dicitur, ſed a Præceptore eius, Franciſco Sanctio, conſcriptus creditur. Verba hæc ſunt pag. 350. *Ritus & conſuetudines Gentilium inolitas, a quibus, quamuis Chriſtiani effecti eſſent, eos penitus diuelli impoſſibile videbatur, easdem in veri Dei cultum transferri ſanctiſſimi Epiſcopi conceſſerunt. Exemplo eſt, quod Diuus Gregorius Nyſſenus præſtitiſſe Sanctum Gregorium Thaumaturgum teſtatur in ipſius vita: & Theodoretum habeo, qui in lib. 8. de Euangelica veritate affirmat id & alios Antiſtites religioſiſſimos factitaſſe, & communi Eccleſiæ vſu receptum.* In eandem ſententiam Pompeius Sarnellius in Litteris Eccleſiaſticis Italicis nuper euulgatis, epiſtola XX. pronunciat, *multos gentilium ritus in maiorem Dæmonis confuſionem gentilibus ereptos, a ſuperſtitione purgatos, myſticaque ſignificatione donatos fuiſſe*, prout mentem eius latine exponunt Acta eruditorum Lipſienſium menſe Aprili anni 1687.

XXXIV. Sed cum de progreſſu huius rituum mutationis exempla a Ramirezio ſiue Sanctio & Sarnellio congeſta ſatis abundeque teſtentur, tum e re noſtra eſſe putamus, vt de initio ſolliciti ſimus, paulloque accuratius tempus, quo cœpit, inquiramus. Mihi quidem veterum ſcripta peruoluenti & conferenti altius haud licet adſcendere, quam ad annos, qui inter Iuſtini Martyris obitum & Tertullianum interceſſerunt. Nam in Iuſtini ſcriptis nulla ritus gentilis in Chriſtianorum Eccleſia recepti comparent veſtigia, quæ ſane in Tertulliani Operibus clariſſima ſunt, vt prolatis infra exemplis docebo. Quum autem Iuſtinus in perſequutione M. Aurelii martyrio vitam finiuerit, tum credibile eſt, poſt pacem Chriſtianæ Eccleſiæ ab eodem Imperatore, miraculoſa per Chriſtianos impetrata pluuia moto, conceſſam, quæ deinceps ſub Commodi imperio perſtitit, rituum augmentum, de quo agimus, enatum eſſe ſtatimque haud exigua incrementa ſumſiſſe. Fauebat ſumma Eccleſiæ tranquillitas, & plurimorum ex gentilibus genere & opibus eminentium conuerſio, de qua Euſebius lib. v. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. XXI. Et quanquam vterque Seuerus Imperator perſequutionem mouit, ea tamen diu non durauit, ſequuta octo & triginta annorum pace, quam Decius crudeliſſime

delissime rupit, vt rectissime computauit Sulpitius Seuerus lib. II. Historiæ Sacræ. Quin hoc optimo rerum statu disciplina ecclesiæ fuerit stabilita & in variis Episcoporum Synodis exculta, quis dubitauerit? Nec parum impellebant gentilium calumniæ, simplicitatem cultus Christiani irridentium, vt nostri ad maiestatem sacris suis conciliandam plures ceremonias adsciscerent, partim ex proprio ingenio inuentas, partim ab Ethnicis mutuatas. Primi generis sunt tria illa ad Baptismi ritus additamenta, quæ recitat Hugo Grotius epistola 158. ad Gallos, & nominatim ad Cordesium: *Ego ita habeo: Vnctionem Baptismi comitem, itidem vt mellis & lactis gustationem, & alia quædam, secundi sæculi esse ἐπιφωνήματα; ex ea nata occasione, quod omnibus modis illorum temporum Christiani imprimenda animis crederent maxima Dei beneficia, quæ per fidem in Christum, cuius possessio in baptismo est, nobis contingunt, &c.* Plura disseruerat in eandem sententiam Grotius epistola 146. ad eundem Cordesium. Quæ postquam citasset Ioan. Dallæus Lib. I. de Cultibus Latinorum Religiosis cap. IX. nonnulla subiicit, cum Grotii, tum nostram sententiam apprime confirmantia, ac proinde heic legi dignissima: *Quod ait de secundo sæculo, id de extremo, vel certe vergente ac pæne præcipiti intelligendum esse, monstrat, quod in priori loco indicauit Iustini testimonium. Neque ego dubito, quin hæc ipsa, quæ ab illo affertur, ratio veteribus fuerit, baptismum iis, vt sic dicam, signis exstruendi & ornandi, qualia sunt, quæ ad eam rem adhibuerunt. De caussa quæ eos permouit, vt aquam ad Baptismum solennem non sufficere, aliaque præter eam signa adiicienda esse putauerint; aliud, fateor, sentio (quod postea suo loco dicam) quam quod hic nobis vir summus narrat studium veterum imprimendi suorum animis beneficiorum nobis a Deo per Christum quæsitorum magnitudinem.* Quoniam ad finem horum verborum alterius rationis meminit, ac in margine citat caput XI. libri sui, operæ pretium erit, ex pag. 56. quædam addere: *Verius, vt videtur, putauerim, aquæ additas fuisse & oleum, & lac cum melle (nam & hæc alibi Tertullianus in baptismo iamtum vsurpata fuisse testatur) quo Gentilium fastidio mederentur, quos tanta huius mysterii simplicitas offendebat, ceremoniarum pompæ, & arcanorum apparatui & suggestui adsuetos, vt nos ipse supra Tertullianus docebat. Idcirco nostris placuisse videtur aquæ Christianæ (vt sic dicam) pauperiem ac nuditatem hac olei, mellis, lactis adhibita ceremonia veluti vestire, vt hoc superiniecto ornamento ab extraneorum contemtu vindicaretur.* Plura subdit Dallæus, quæ ob prolixitatem non describemus, sed ea non minus ac Larroquani nobis hac in parte ὁμοψήφου obseruationes lib. III. Aduersariorum sacrorum cap. VII. Lectorum diligentiæ relinquemus, Nicolai saltem Rigaltii suffragium adiungentes ex Notis ad epistolam LXX. Cypriani pag. 86. 87. vbi docet, *Apostolos tinctionis & tingendi formulæ simplicitatem conseruasse, vt ipsorum Acta declarant; At Christianos aui proxime sequentis addidisse plusculæ, idque fateri Tertullianum libro de Corona.*
Addit-

Additque de vnctione: *Hoc vero mandatum a Domino aut ab Apostolis factitatum fuisse non legimus. Sed paullo post excessum Apostolorum Christiani faciles multa de Iudaicis obseruationibus nondum obliterata retinuerunt.* Hæc ipsa citat quoque Dallæus pag. 42. 43. & subiicit: *Omnia verissima, si modo illud quod ait* paullo post excessum Apostolorum, *benignius de toto illo tempore accipias, quod ab Apostolorum morte ad annum Domini 170. vel etiam fortasse 180. fluxit;* (ita apud Dallæum legendum est, vt sibi constet, non 70. & 80.) *Anno enim D. 150. adhuc mansisse Apostolicam baptismi simplicitatem docent ea, quæ nuper ex Iustino attulimus.* Nec ego sine distinctione concesserim Rigaltio, Christianos proximi post Apostolos æui *Iudaicas obseruationes* retinuisse. Nam illi quidem, qui Iustino Martyri synchroni erant, consuetudines Synagogæ simpliciter imitabantur, vt antea diximus: has autem ipsi Apostoli in Ecclesiæ pomœria traduxerant, quemadmodum ibidem notauimus. Sed qui post Iustinum viuebant, ritusque Apostolicis superaddebant, Baptismales nempe, de quibus Rigaltio sermo est, Iudæorum mores præ oculis habere non potuerunt. In frequentibus enim baptismis Iudæorum, iis præsertim, quibus Proselyti initiabantur, nullum vel olei, vel lactis aut mellis vsum fuisse constat. Fortasse alicui in mentem venient verba Tertulliani cap. VII. de Baptismo: *Exinde egressi de lauacro perungimur benedicta vnctione, de pristina disciplina, qua vngi oleo de cornu in sacerdotium solebant.* Sed nihil inde præsidii accedet Rigaltio. Nam Tertullianus tantum vnctionem, non vero *lactis & mellis concordiam*, vt ipse alibi loqui amat, ex veteri testamento deducit. Deinde Rigaltius obseruationes Iudaicas *nondum obliteratas* nominat; consuetudo autem vngendi sacerdotes oleo sacro in primi templi excisione deperdito statim cessauit. Denique Tertullianus typum solummodo Baptismalium rerum in Veteris Testamenti ritibus quærit, eaque de caussa paullo post addit: *Ne hoc quidem sine argumento præcedentis figuræ*, quod nempe Spiritus Sanctus in specie columbæ super Christum descendit, & super quemlibet baptizatum requiescit. Apostoli vero in ordinatione rituum non ad typos, sed ad ceremonias Iudaicas adhuc vsitatas respexerunt. At Christiani vergente secundo sæculo viuentes Iudaicas obseruationes tantum abest, vt libenter retinuerint, vt potius eas, quibus hactenus adsueuerant, vel abrogarint, vel immutarint, impulsi odio in Iudæos Christianis insidiantes, & calamitatibus miseriisque illorum insultantes. Præclarum huius rei exemplum præbet certamen Paschale, quod eo tempore Ecclesias Christianas exercuit. Initium sumserat sub Marco Aurelio Laodiceæ, teste Melitone in libro de Pascha apud Eusebium lib. IV. cap. XXVI. ἐπὶ Σερουιλίου Παύλου ἀνθυπάτου τῆς Ἀσίας, ᾧ Σάγαρις καιρῷ ἐμαρτύρησεν, ἐγένετο ζήτησις πολλὴ ἐν Λαοδικείᾳ περὶ τοῦ Πάσχα, ἐμπεσόντος κατὰ καιρὸν ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις. *Seruilio Paullo Asiæ Proconsule, quo tempore Sagaris martyrium per-*

pessius est, magna controuersia Laodiceæ excitata est de solemnitate Paschali, quæ tempestiue in illos dies inciderat. Si quis memoria repetierit Iustini ad Tryphonem verba paullo ante descripta, facile intelliget, controuersiam ab iis motam, qui ex gentibus conuersi a Iudæorum moribus abhorrebant, neque adeo quartadecima Luna Pascha celebrare volebant. Quæstio illa non solum Melitonis, Clementis Alexandrini, Hippolyti aliorumque libris perscripta, sed variorum quoque Episcoporum Synodis agitata est, donec Victoris Papæ sententia præualeret, & in omnibus pæne Ecclesiis Iudaica consuetudine abrogata decerneretur, Pascha die Dominica post quartamdecimam Lunam semper celebrandum esse. Hinc in Constitutionibus Apostolicis, prout hodie exstant, Libro v. c.17. legitur: Μηκέτι δὲ παρατηρούμενοι μετ' Ἰουδαίων ἑορτάζειν· οὐδεμία γὰρ κοινωνία ἡμῖν νῦν πρὸς αὐτούς. *Neque amplius cum Iudæis tempus celebrandi Pascha obseruetis. Nulla enim nobis nunc cum eis communio est.* Vides, vt non negent Constitutores, se hactenus cum Iudæis Pascha celebrasse, magnamque communionem coluisse, sed vtrunque posthac volunt abrogatum. Aliud exemplum huius mutationis non minus illustre indicauit Seldenus Lib. I. de Synedriis cap. IX. Quum enim hactenus Christiani in censuris Ecclesiasticis exercendis mores Iudaicos tenuissent, aliis viuere cœperunt *sub Irenæi & dein Tertulliani & Origenis tempora, seu in posteriore Centuriæ secundæ parte*, vt Seldenus loquitur, quando excommunicatio Christiana tam quoad effectum, quam personas excommunicandi potestate præditas a Iudaica diuersa fuit. Effectus diuersitas *cernitur potissimum in expressa Eucharistiæ ac conuentuum sacrorum interdictione. Atque vt Iudæis adeoque per Apostolorum tempora Christianis erat Maior & Minor Excommunicatio, secundum ea quæ de Cherem & Shammatha seu Nidduі superius traduntur, ita etiam Christianis temporum horum proxime sequentium; sed adeo interim diuersimode, vt Minor eis iam esset sola sacrarum ædium aut Eucharistiæ communionis interdictio, quæ sic subinde item temperata, vt quoad loca aut Sodalitia Sanctiora aliquot tantum vim obtineret. In Maiori autem tum hæc, tum Consortii Christiani interdictio continebatur, quæ vt plurimum etiam Anathema dictum*, quæ verba sunt Seldeni p. 141. De personis autem excommunicantibus pag. 143. hæc habet: *Quemadmodum Effectus excommunicationis Christianæ ita diuersus erat a Iudaica vnde nata est, ita etiam non eisdem demum, vt ante in Iudaismo, personis permissa est Excommunicandi potestas. In Iudaismo, vt ostensum est, quilibet etiam e vulgo alium rite excommunicabat; nec solum præfecturæ iuridicæ. Quo tempore cessauerit mos hic in Christianismo, quatenus ei cum Iudaismo per Apostolorum tempora & aliquandiu post in Iuris morumque Vsu tanta erat communio, compertum mihi satis non est. Sed sub Irenæi & dein Tertulliani & Origenis tempora, seu in posteriore secundæ Centuriæ parte, in Vsu fuisse vt plurimum saltem receptum liquet, vt Ecclesiarum Præsides*

fides ex iis qui sacrarum essent ministri, veluti Episcopi, Presbyteri, Seniores, aut cœtus cum his considentes, nec alii quenquam apud Christianos rite excommunicarent. Atque singulorum, qualis apud Iudæos primosque inter eos Christianos erat, hac in re, potestas tandem euanuit. Qui hæc amplius diducta argumentisque confirmata desiderat, reliqua Seldeni conferat, dummodo obseruet, *id esse institutum egregii huius Viri per vniuersum pene librum primum de Synedriis, vt demonstret, Excommunicationem non esse Iuris diuini, sed humani*, quod prolixe in eo notat Vitringa cap. xv. Archisynagogi. Quanquam autem in hoc frustra fuit Seldenus, nihil tamen prohibet, quo minus de mutatione Christianæ excommunicationis labente secundo sæculo ex antiquitate verum eruerit; quando inprimis animaduertere licet, eodem tempore disciplinam grauiorem, seuerioremque lapsorum pœnam in plerisque Ecclesiis cœpisse. Cum enim Apostoli & eorum proximi successores cuilibet lapso, quocunque etiam crimine sese contaminasset, absolutionem veniamque impertiuissent, si veram modo ageret pœnitentiam: tum circa secundi finem sæculi pacem non dabant trium canonicorum (vt vocant) criminum reis, mœchis, homicidis & idololatris. Largitur id Schelstratius quoque noster in Notis ad Canonem II. Antiochenum cap. x. Artic. I. num. 3. & 4. quorum prioris lemma ita habet: *Spontanea quorundam pœnitentia longius protracta occasionem dedisse videtur rigori Ecclesiæ, qui sub Agrippino cœpit ad tertii sæculi initium aut finem secundi.* Agrippinum propterea nominat, quia Cyprianus epistola ad Antonianum *antecessores suos* illius seueritatis auctores facit. *Antecessores appellat Cyprianus, vt puto,* inquit Schelstratius, *de Agrippino Carthaginensi in Africa Primate, qui potuit paullo post medium secundi sæculi ad Episcopatum illum promoueri, & sub quo Presbyteratum adeptus est Tertullianus.* Posterioris lemma tale est: *Putat Cardinalis Bona, varios Pœnitentiæ gradus tantum post Nouati hæresim cœpisse, sed ante Nouatum paullatim gradus introductos fuisse colligitur ex D. Irenæo & Tertulliano.* Quorum sane vterque labente secundo sæculo vixit scripsitque, eo nimirum tempore, de quo nos disputamus. Huc collimat Dionysius Petauius in Opere Gallico de Pœnitentia publica, Lib. II. cap. VIII. pag. 218. & Lib. V. cap. IX. pag. 55. allegante Dallæo de Libris suppositis Dionysio Areopagitæ cap. XXII. cuius verba dabimus, quod Petauii scriptum ad manus nobis non est: *Huc accedit, quod initio ipsa publicæ pœnitentiæ administratio multo fuerit simplicior, vt ex Paulli de Corinthio fornicatore iudiciis, & ex Romanæ vetustissimæ Ecclesiæ praxi colligitur, Marcionem ad pœnitentiam iterum admittentis, cum eam sequentium temporum canon post baptismū lapsis non amplius, quam semel concederet; & hoc ipsum idem quoque Petauius ex duobus istis exemplis concludit; & alibi in eodem opere se demonstrasse dicit, Publicam pœnitentiam, neque primo Christianismi sæculo, neque maiori secundi parte præceptam fuisse.* Plura in hanc sententiam disquisiuit Petauius

uius tam in Animaduersionibus Epiphanianis, quibus integram de Pœnitentiæ vetere in Ecclesia Ratione Diatribam inseruit, quam in eiusdem defensione aduersus Maturinum Simonium, quæ cum seorsim Parisiis prodiit, tum Animaduersionibus in nouissima Epiphanii editione subiuncta legitur: denique Diatribam de Pœnitentia & reconciliatione veteris Ecclesiæ moribus recepta Notis ad Synesium intexuit, vnde placita eius sufficienter cognoscere licet. Equidem Morinus Lib.vi. de Administratione Pœnitentiæ cap.i. eam post Nouati demum hæresin in formam disciplinæ redactam arbitratur: nihil tamen obstare video, quo minus præcipuam eius partem vergente iamtum secundo sæculo introductam statuamus, adeoque ad illud etiam tempus extendamus Morini verba a Schelstratio citata num. 5. *Tum Patres artem quandam & disciplinam morbis spiritualibus medendam tradiderunt, vel potius id, quod ab Apostolorum tempore vsurpauerant, maiori seueritate addita, in disciplinam statamque curationis methodum redegerunt. Methodus illa in distributione pœnitentium in quatuor classes siue stationes potissimum consistit &c.* Inde libenter concedo Schelstratio, *post Tertulliani tempora & Nouati hæresin hos publicæ pœnitentiæ gradus etiam distincto nomine fuisse cognitos;* ipsos vero gradus in illa rituum mutatione, quæ labente sæculo secundo contigit, originem sortitos per est verisimile, quandoquidem & ipse Schelstratius post Albaspinæum vestigia eorum ex Irenæo Tertullianoque monstrat: & Cyprianus ac Gregorius Neocæsariensis eos non tanquam a se demum repertos, sed pridem vsitatos insinuent. Tum quoque ortus est mos genua non flectendi tempore in Pascha & Pentecosten, quem non obseruarunt Apostoli, nec ante Tertullianum quisquam veterum & indubitatorum scriptorum commemorauit. Certe Paullus Apostolus aliique cum eo Act. xxi. 5. eo ipso tempore, quod interlabitur a Paschate ad Pentecosten, in Tyri littore, θέντες τὰ γόνατα, *positis genibus adorarunt.* Quam in rem plura habet Ioan. Caspar Suicerus Obseruationum Sacrarum Cap.vi. pag.157. Ad idem tempus referendum existimo institutionem plurium ordinum Ecclesiasticorum, Subdiaconorum, Lectorum, Cantorum, Ianitorum, Exorcistarum & Acolythorum. Cum enim omnia ad splendorem sacris Christianorum conciliandum ordinata fuerint, nihil facile dari potest, quod magis ad eum conducet, quam hominum in Ecclesia ministrantium numerus & diuersitas. Nec vllum scriptum genuinum proferri potest ante finem secundi sæculi adornatum, quod eorum meminit: quanquam alii ad Liturgiam Marci, alii ad Constitutiones Canonesque Apostolicos prouocant, vt videre est apud Schelstratium in Notis ad Canonem x. Antiochenum Cap. xvii. Artic. ii. n.1.& 2.p.520. qui etiam Ignatii ad Antiochenos epistolam addit. Sed Marcus ille & Ignatius spurii sunt ex multorum inter Pontificios prudentiorum confessione; & Pseudo-Ignatius hoc ipso argumento repellitur ab Alexandro in Synopsi Sect. i. pag. 142.

Canones

Canones autem & Constitutiones non minus pseudepigraphæ sunt, nec ritus fere continent vetustiores illo æuo, de quo nunc agimus. Huc faciunt quoque Chorepiscopi, quos cum ab Apostolis non esse institutos aduersus Hrabanum Maurum sustinuisset Schelstratius in Notis ad Canonem x. Antiochenum Cap.xvi.Artic.1. num.1. subiicit num.2. *Videtur tamen Nouatianorum tempora antecessisse eorum institutio: cum enim apud Nouatianos Chorepiscopi inueniebantur, nec verisimile sit, Nouatianos post schisma ordinem ab Ecclesia nouiter institutum accepturos fuisse, colligi videtur, antea institutos fuisse Chorepiscopos, vt ante nos obseruat Morinus de sacris ordinationibus parte 3. exercitatione 4. capite 1. qui & numero 3. colligit, circa annum Christi 278. aut ante a quibusdam Prouincionalibus Synodis Chorepiscopos esse institutos.* Morini Opus non habeo. Audacter tamen pro 278. rescribo 178. quod ipsum rursus tempus est, quo mutationem rituum accidisse contendimus. Cum enim ante Nouatianum schisma Chorepiscopos velint institutos, hoc autem an. 251. secundum ipsius Schelstratii calculos in serie Chronologica Romanorum Pontificum, Antiquitati Ecclesiæ illustratæ præfixa, col. 59. initium sumserit, tum manifeste patet, numerum illum corrigendum esse. Et quanquam Schelstratius num. 3. malit ad sæculum tertium Chorepiscoporum originem referre, attamen ratio, quam allegat, a multitudine fidelium, non minus sæculo secundo conuenit, nec magis pro Ponto, quam pro aliis facit regionibus, adeoque sententiam nostram confirmat potius, quam minuit.

XXXV. Plura eiusmodi argumenta in medium proferre possum: sed eos etiam ritus lustrare oportet, qui ad imitationem Gentilismi in Ecclesiam transsumti sunt. Plurima exempla Baronius congerit An.xliv.n.88. quorum pleraq; secundo sæculo exeunte apud Christianos inualuisse reperient diligentes antiquitatum scrutatores. Nos ea tantum adferemus, quæ ab aliis obseruantur, sed Baronii memoriam tum effugerunt. Etenim inter illas Baptismi ceremonias, quarum prima apud Tertullianum mentio est, non paucæ paganorum in tironibus militiæ initiandis consuetudines sapiunt, vt pridem monuit Erasmus Scholiis in Epistolam Hieronymi ad Heliodorum To.1. fol. 5. *Sacramentum est iusiurandum, aut quoties interpositis sacris obligamur. Vnde & Sacramentum militare vocatur, quo qui fuissent soluti, dicebantur exautorati. Dabatur & donatiuum, veluti pignus & autoramentum. Nec pugnare fas erat, nisi Sacramento adactis: nec licebat exautoratis in aciem descendere. Denique signabantur punctis, dabant nomina, conceptis verbis iurabant, se ad omnia Ducis imperata præsto futuros, & nec mortem pro republica recusaturos. Porro forma iurisiurandi, quæ dictabatur, exstat apud Vegetium. A veterum igitur ritu fluxerunt hæ ceremoniæ, quibus Christiani in baptismis vtimur. Exigitur subinde nomen baptizandi: dictantur solennia verba: imprimitur nota crucis: abiuratur hostis Christi diabolus.* Præterea formulam solen-

 nem

nem in precibus Christianorum, Κύριε ἐλέησον a gentilibus sumtam fatentur Laurentius Ramirez de Prado, Pentecontarchi sui Cap.XLIX. pag. 351. & Barnabas Brissonius lib.I. Formularum pag.79. Orationis versus Orientem apud scriptores Christianos Tertulliano antiquiores nulla occurrit memoria, vnde Ioannes de Pineda Commentario in Iobi Cap.XXXI. v.26. fol.383. contentus est pro Apostolis, vt vulgo solet, primos Ecclesiæ Patres, qui ritum istum præceperint, nominasse; idemque fecit ex antiquis Chrysostomus, vt ostendimus supra num.XIX. Ioannes autem Lorinus Commentario in Leuitici Cap. XVI. v.15. sponte concedit, morem hunc ex paganismo retentum esse; idque pridem reprehendit Leo Magnus Papa Sermone VII. de Natiuitate Domini. Nec aliunde in Ecclesiam venit solennior Martyrum memoria cultusque, vt expresse indicat Gregorius Nyssenus in panegyrico, quem Gregorio Neocæsariensi dixit Tom. III. pag. 574. *Καὶ πᾶσαν περινοστήσας ἐν κύκλῳ τὴν χώραν, προσθήκην ἐποιεῖτο τοῖς πανταχοῦ λαοῖς τῆς περὶ τὸ θεῖον σπουδῆς τὰς ὑπὲρ τῶν ἐνηθληκότων τῇ πίστει πανηγύρεις νομοθετήσας. Καὶ διαλαβὼν ἄλλος ἀλλαχῇ τῶν μαρτύρων τὰ σώματα, κατὰ τὴν ἐτήσιον τοῦ ἐνιαυσιαίου κύκλου περίοδον συνιόντες, ἠγάλλοντο, τῇ τιμῇ τῶν μαρτύρων πανηγυρίζοντες.* *Et omnem circumiens regionem* (Gregorius Thaumaturgus) *additamentum & quasi corollarium studii erga Deum apud omnes vbique populos sanciuit instituens, vt dies conuentusque festi celebrarentur in eorum gratiam, qui pro fide decertauerant. Itaque cum alius alibi corpora martyrum occupasset, vertente anni curriculo, conuentus facientes, lætabantur in honorem martyrum festa peragentes.* Caussam statim subiicit Nyssenus: *Cum animaduerteret, quod propter corporales oblectationes simplex & imperitum vulgus in idolorum errore permaneret; quo maxime id, quod præcipuum est, interim apud eos corrigeretur, nempe, vt pro vanis cultibus & superstitionibus, ad Deum respicerent, permisit eis, vt ad Memorias Sanctorum Martyrum sese exhilararent, & oblectarent, atque in lætitiam effunderentur.* Quanta vero fuerit auctoritate Gregorius Neocæsariensis, late edisserit Basilius libro de Spiritu S. cap.XXIX. vt mirum non sit, si alii Ecclesiæ Antistites ipsius exemplo gregibus suis eandem libertatem permiserint; quam non solum Theodoretus ad calcem Sermonis octaui de curandis Græcorum affectibus laudat, & in locum falsorum Numinum successisse martyres palam prædicat: sed Augustinus etiam epistola XXIX. ad Alypium describit, cuius verba dabimus, partim, quia epistola illa in nouissima demum Parisiensi editione tomo secundo, non autem in præcedentibus comparet, partim vt a falsa Schelstratii interpretatione vindicetur: *Cum facta pace*, inquit Augustinus, *turbæ gentilium in Christianum nomen venire cupientes hoc impedirentur, quod dies festos cum Idolis suis solerent in abundantia epularum, & ebrietate consumere, nec facile ab his perniciosissimis & tam vetustissimis voluptatibus se possent abstinere, visum fuit maioribus*

bus nostris, vt huic infirmitatis parti interim parceretur, diesque festos, post eos quos relinquebant, alios in honorem Sanctorum Martyrum vel non simili sacrilegio, quamuis simili luxu celebrarentur. Schelstratius in Prolegomenis de Ecclesia Africana n.v. hæc de Agapis accipit, & *vt hanc Augustini opinionem veritati historicæ accommodet*, Agapas ait Apostolorum temporibus introductas, & sæpius a fidelibus frequentatas; sed pace facta ob multitudinem fidelium rarius fieri incipientes tandem in quibusdam festiuitatibus Sanctorum & Martyrum obtinuisse cum crapula & ebrietate. Quis autem credet, Augustinum ignorasse Agaparum vsum ab Apostolorum tempore frequentatum? aut saltem censuisse, ad imitationem Gentilium retentas, vt Grotio aliquando visum est: nec potius ex communione bonorum in primitiua Ecclesia, etiam cum ex meris Iudæis adhuc constaret, vsitata ortum traxisse? Quin ipse Augustinus lib.xx. contra Faustum Manichæum Agapas ab epulis martyrum festo receptas distinguit, & cap.xx. ad calumnias eius de agapis, cap.xxi. ad calumnias de epulis ita respondet, vt in illis eleemosynam & frugalitatem, in his vero luxum & ebrietatem dominari innuat, adeoque agapis suis idem adhuc elogium conuenire subindicet, quod Plinii & Tertulliani ætate habebant. Si tamen aliquid in ista Augustini epistola cum veritate historica conciliare voluisset Schelstratius, cogitasset saltem, quomodo cum citata Nysseni narratione conueniat Augustinus, quando *facta pace συγκαταβάσει* istam erga Christianos ex gentibus conuersos adhibitam scribit, siquidem Thaumaturgus diu ante pacem a Constantino Ecclesiæ datam floruit. Mihi nunc nihil succurrit, quod Augustinum liberet, nisi vt verba eius paullo latius interpretemur de quouis annorum interuallo, quod inter varias persequutiones ad respirandum Ecclesiæ diuinitus datum est, longiori præsertim illo post persequutionem Aurelii, quo plurimos gentiles Christi iugum suscepisse ex Eusebio supra diximus, dignos omnino illa *συγκαταβάσει*, de qua ibi Augustino sermo est. Vt autem hanc coniecturam nemini obtrudo, sed a Schelstratio meliorem conciliandi rationem exspecto, ita posita interim ea luculenter confirmatur nostra sententia, qua in solenni rituum mutatione hunc etiam, de quo agimus, cœpisse putamus; quando inprimis incredibile non est, alios ante Gregorium Thaumaturgum Episcopos paria cum eo factitasse.

XXXVI. Plura exempla rituum tam ex proprio ingenio quam ex Gentilium consuetudine a Christianis vergente secundo sæculo receptorum proferre necessarium non iudico, quum ex his opinio nostra satis superque corroboretur, quibus firmandis illustrandisque addam clarissimum Tertulliani locum, quem Rigaltius quoque citauit, ad probandum, Christianos proximi post Apostolos æui plusculа simplicitati Apostolicæ adiecisse. Exstat autem is in libro de Corona militis Cap.III. & IV. his omnino verbis conceptus: *Vt a baptismate ingrediar, aquam adituri*

adituri ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, & pompæ & angelis eius. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Euangelio determinauit. Inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustamus; ex quo ea die lauacro quotidiano per totam hebdomadem abstinemus. Eucharistiæ sacramentum, & in tempore victus, & in omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. Die Dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Pascha in Pentecosten vsque gaudemus. Calicis, aut panis, etiam nostri, aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, ad calciatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum, & aliarum eiusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam inuenies. Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix. Rationem traditioni, & consuetudini, & fidei patrocinaturam, aut ipse perspicies, aut ab aliquo, qui prospexerit, disces; interim nonnullam esse credes, cui debeatur obsequium. Vides, plurimos ritus in Ecclesia sua ætate receptos Tertullianum enumerare, quorum in scriptoribus eo vetustioribus nec vola exstat, nec vestigium. In Scripturis Apostolicis nihil haberi ipse fatetur Tertullianus. Nec apud Auctores Ecclesiasticos, eo antiquiores, quorum vel scripta integra, vel fragmenta saltem non spernenda residua sunt, ulla eorum memoria occurrit. Inprimis Iustinus Martyr accuratam ceremoniarum Christianarum recensionem instituit, nihil quidquam se temere prætermissurum præfatus, hos tamen summo premit silentio. Quare post Iustini martyrium introducti sint, oportet, sed antequam scripsit Tertullianus, adeoque labente secundo sæculo: quod nostræ sententiæ maximum pondus adfert. Equidem hæc argumentandi ratio est negatiua, sed in origine rituum Ecclesiasticorum inquirenda summi momenti, & ab ipsis Pontificiis probata. Sic Iosephus Vicecomes lib.II. de Baptismi ceremoniis cap. XLII. pag. 421. salis in Baptismo vsum *circa tempora Origenis incepisse* non alio probat ratiocinio: *Nam nec quisquam ætate maior Origene meminisse est visus.* Operæ pretium puto, Dallæi adiungere epicrisin Lib.I. de Cultibus Latinorum Religiosis cap.XII. pag.67. quam meam quoque facio: *Hæc istius ratiocinatio obiter obseruanda est. Salis enim vsum circa Origenis tempora cœpisse inde concludit, quod eius ante Origenem nemo meminerit. Nimirum pro vero non absurde sumit, scriptores, qui ante eum vixerunt, salis mentionem facturos fuisse, si iam tum obtinuisset eius baptizandis tradendi ritus. Quæ argumentandi ratio, si valet, vt certe valet, actum est de omnibus Latinorum in baptismo a me supra notatis ceremoniis, quarum nemo vetustissimorum Patrum meminit,*

nit, ne ipse quidem Iustinus. Pari quoque ratione id constituitur, quod nos vnctionem ex oleo demonstrauimus in baptismo adhiberi cœpisse circa Tertulliani tempora; quando neque quisquam ætate maior Tertulliano eius meminisse visus est. Schelstratius vero mihi non succensebit, argumento inficiali in hac de ritibus disquisitione vtenti, quod ipse in eadem tractanda plus semel produxit, vt vel vnico exemplo de Chorepiscopis patet, cuius antea meminimus. Hos enim ille nec Apostolis, nec antiquioribus Patribus cognitos fuisse hunc in modum colligit: *Eorum nec Acta Apostolorum, nec Apostolorum Discipuli meminerunt. S. Ignatius Martyr nullibi illos recenset in epistolis, nec Dionysius in libro de Ecclesiastica Hierarchia, quantumuis sæpius varios Clericorum gradus recenseant, vel ex professo de illis agant. Canones Apostolorum & Constitutiones eorum, quantumuis cæteros ordines Ecclesiasticos licet minimos commemorent, nihil omnino de Chorepiscopis statuunt, quin imo nec verbum faciunt.* Stat itaque sententia, ritus illos vergente secundo sæculo in Ecclesiam introductos fuisse. Nec quenquam mouere debet, quod *traditionis* vocabulo vtitur Tertullianus, quasi Apostolicam intelligeret, vt plerunque sibi Pontificii imaginantur. Dallæus enim Lib. I. de Cult. Latin. Relig. cap. XI. pag. 53. 54. ex ipso Tertulliani contextu manifestissime ostendit, cum de traditionibus non Apostolorum, sed quorumlibet Christianorum toto hoc in loco egisse.

XXXVII. Non tamen cuilibet priuato ausu ceremonias quasuis in Ecclesia publice inferre licuit, sed in Synodis Prouincialibus eæ prius examinabantur, confirmabantur ac demum introducebantur. Hoc Morinus agnoscit & cum eo Schelstratius noster, quando ille *a Prouincialibus Synodis*, hic *a quibusdam in Ponto Conciliis* Chorepiscopos institutos vult, nemo autem dubitauerit, quin in reliquis ritibus ordinandis eandem Synodi sibi sumserint potestatem. Tales autem vergente secundo sæculo habitas frequenter fuisse, tum Palæstinæ, Ponticæ, Romanæ aliarumque ob controuersiam præcipue Paschalem congregatarum nomina apud Eusebium residua fidem faciunt, tum notabilis Tertulliani locus amplius confirmat lib. de Ieiuniis cap. XIII. *Aguntur præterea per Græcias illa certis in locis concilia ex vniuersis Ecclesiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur.* Subiicit Cardinalis Bona lib. I. Rerum Liturgicarum Cap. VII. n. I. *Altiora autem, quæ in his tractantur, nemo est, qui ignoret. Ad ea enim pertinet non solum de dogmatibus fidei agere, sed ritus etiam in sacris functionibus seruandos præscribere, succrescentibus malis remedia afferre, exortas controuersias componere, collapsam disciplinam reparare.* In editione Pameliana perperam pro *præterea* legitur *præcepta:* quod in transuersum rapuit Franciscum Turrianum, vt lib. I. Defensionis pro Canonibus Apostolorum cap. X. fundamentum inde sumeret, quo ipsos

 Apo-

Apoſtolos eorum auctores fuiſſe Synodosque duas quotannis habendas præcepiſſe oſtenderet. De decretis horum Conciliorum ita coniicit Andreas Arnoldus in Notis ad Athanaſii Syntagma pag. 107. *Ducimur ad ſuſpicandum, illa Græciæ Concilia de diuerſis rebus ſtatuiſſe, quæ ad poſteros ſub nominibus Synodorum earum non peruenerint, donec tandem, quæ hæreditaria religione cuſtodiebantur, Concilia generaliora vel œcumenica complecterentur.* Bene dixit amicus noſter, decreta illorum Græciæ Conciliorum *ſub nominibus eorum* ad poſteros non perueniſſe: ſub alieno enim hodie circumferuntur, Canonum & Conſtitutionum Apoſtolicarum, vt egregie obſeruauit Guilielmus Beueregius in Codice Canonum Eccleſiæ Primitiuæ vindicato, Lib. I. Cap. III. Equidem ita mea fert ſententia, maximam eorum partem, quæ in ſcriptis illis circa Eccleſiaſticos ritus definita ſunt, vergente ad finem ſecundo ſæculo ac tertio ineunte in ſacris Synodis definita fuiſſe, & ad ſolennem, de qua agimus, ceremoniarum mutationem pertinere. Omnino enim felicem illo tempore Eccleſiæ ſtatum, de quo ſupra initio num. XXXV. ex Euſebio diximus, reſpiciunt verba, quæ lib. VI. Conſtitutionum cap. XXIV. habentur: οὐ μόνον δὲ τὴν τῆς δικαιοσύνης νόμον δι' ἡμῶν ἐπιδείκνυσθαι βούλεται (ὁ Θεὸς) ἀλλὰ καὶ διὰ ῥωμαίων εὐδόκησεν αὐτὸν φαίνεσθαι καὶ λάμπειν. Καὶ γὰρ οὗτοι πιστεύσαντες ἐπὶ τὸν Κύριον, καὶ πολυθείας ἀπέστησαν καὶ ἀδικίας· καὶ τοὺς ἀγαθοὺς ἀποδέχονται, καὶ τοὺς φαύλους κολάζουσιν. Ἰουδαίους δὲ ὑποφόρους ἔχουσι, καὶ τοῖς ἰδίοις δικαιώμασιν οὐκ ἐῶσι κεχρῆσθαι. *Neque vero vult* (Deus) *vt per nos tantum lex iuſtitiæ eniteat, ſed voluit vt per Romanos quoque luceret, ac ſplenderet. Nam & ipſi in Dominum Ieſum crediderunt, & a Deorum multitudine, atque ab iniuſtitia abſceſſerunt, bonosque probant, & prauos puniunt: Iudæos vero vectigales habent, & eos legibus ſuis vti non ſinunt.* Equidem Dallæus lib. I. de Pſeudepigraphis Apoſtolicis cap. XVI. hæc in Conſtantini demũ tempora refert: ſed non animaduertit, Theodoſii adhuc tempore publicum ethnicorum cultum Romæ viguiſſe, quod Antonius van Dalen in libello de Oraculis prolixe oſtendit. Quare non de vniuerſali, ſed particulari Romanorum conuerſione capiendus eſt Conſtitutionum locus, cui Euſebius multam lucem adfert viciſſimque inde fœneratur, quando Lib. V. cap. XXI. de pace Eccleſiæ ſub Commodo ſcribit: ὅτε καὶ ὁ σωτήριος λόγος ἐκ παντὸς γένους ἀνθρώπων, πᾶσαν ὑπήγετο ψυχὴν ἐπὶ τὴν εὐσεβῆ τοῦ τῶν ὅλων Θεοῦ θρησκείαν· ὥστε ἤδη καὶ τῶν ἐπὶ Ῥώμης εὖ μάλα πλούτῳ καὶ γένει διαφανῶν πλείους ἐπὶ τὴν σφῶν ὁμόσε χωρεῖν πανοικί τε καὶ παγγενῆ σωτηρίαν. Valeſius ita vertit: *Atque interim ſalutaris Dei ſermo ex omni genere hominum quamplurimos* (proprie *omnem animam*) *ad religioſum ſummi Numinis cultum pertrahebat: adeo vt multi ex iis qui in vrbe Roma genere atque opibus eminebant, ſimul cum vniuerſa domo ac familia ſalutem conſecuturi accurrerent.* Deinde Conſtitutionis auctores iuſtitiam Romano-

manorum laudantes videntur respexisse ad edictum Marci Aurelii, quo is pœnam capitis sanxerat in Christianorum accusatores, vti constat ex Tertulliani Apologetico cap.v. & Eusebii lib.iv. cap.xiii. Denique quod de Iudæis dicunt, præclare illustratur ex alio Tertulliani loco cap.xviii. eiusdem libri, qui inde etiam intellectum mutuatur: *Sed & Iudæi palam lectitant, Vectigalis libertas vulgo auditur,* (alii legunt, *aditur) Sabbathis omnibus.* Quæ omnia magnum opinioni meæ substernunt fundamentum, qua secundo labente sæculo rituum istud augmentum inuehi cœpisse arbitror. Nolim autem in hunc censum referri doctrinam in Constitutionibus istis contentam, quæ non vsquequaque sana est, sed hæretica loligene, Ariana præsertim, sæpius consperſa, vti ab eruditis est ostensum; qui recte obseruarunt, ab hæretico homine Constitutiones interpolatas esse: atque eum in sensum capienda sunt, quæ in Dissertatione num. xv. ex Vsserio & Alexandro adduximus. Interpolator enim iste maleferiatus, quum sæculo post Christum natum sexto varias Veterum διαταγὰς in vnum volumen colligere & sub Apostolorum nomine edere constituisset, hæresin quoque suam sub venerandis hisce nominibus incrustauit, nefarioque ausu hinc inde inseruit, quæ alienissima sunt a doctrina Apostolorum. Sed Canones, quinguaginta inprimis priores, quos Occidentalis & Orientalis Ecclesia recipit, disciplinam ac ceremonias circa confinia secundi ac tertii sæculi inter Christianos publice vsitatas exacte referunt, vt non immerito dixerit Beueregius citato capite num. 3. *Quicquid in istis constituitur, secundo tertioue æræ Christianæ sæculo obseruatum fuisse, ex Origene, Clemente Alexandrino, Tertulliano, Cypriano, aliisque istorum temporum scriptoribus, nec non ex Ecclesiasticis scriptoribus abunde constat, vt postea fusius ostensuri sumus.* Fateor, Beueregium nonnulla habere, quæ a veritate abludunt: sed ea indicare huius non est loci, nec lectorem purioris antiquitatis peritum remorari possunt: cuiusmodi est, quod ieiunium Quadragesimale ab Apostolis institutum contendit. Id enim diserte negat Ioan. Cassianus Collat. 21. cap. 30. docens, quadragesimæ obseruantiam, quamdiu Ecclesiæ primitiuæ perfectio inuiolata permansit, penitus non fuisse; postea corruptis hominum moribus vniuersis sacerdotibus placuisse, vt eos ad opus sanctum canonice ieiuniorum indictione reuocarent. Conf.Dallæus lib. ii. de Pseudepigraphis Apostolicis Cap. x. Imo ieiunium illud etiam sub finem secundi sæculi originem suam nactum esse statuamus oportet, si Patricidi siue Eutychio Alexandrino Patriarchæ credimus, cuius prolixum testimonium Arabice & Latine producit Seldenus Cap.xxi. Diatribes de Anno Ciuili veterum Iudæorum pag. 123. idque pluribus argumentis aduersus Pearsonium defendit Ludolfus in Commentario pag.83. 438. nos latina saltem versione contenti erimus: *Tempore in illo scripsit Demetrius Patriarcha Alexandrinus ad Agapium Episcopum Hierosolymitanum, & Maximum Patriarcham Antiochenum, & Victorem Patriar-*

cham Romanum, de materia Paschali Christianorum, & eorum ieiunio, & quomodo discriminandum esset a Paschate Iudæorum. Et quamplurima Scripta & epistolæ hac de re hinc inde fuere; adeo vt demum consentirent in Paschatis obseruationem, qualis hodierna est. Scilicet cum Christiani post ascensionem Domini nostri Christi in cœlum celebrabant Epiphaniorum diem, ab eo die ieiunabant quadraginta dies, & tunc ieiunium soluebant, quemadmodum fecit Dominus noster Christus. Etenim Dominus noster Christus, cum baptizatus esset in Iordane, egressus est in Desertum, vbi per quadraginta dies ieiunauit. Cum autem Iudæi suum celebrabant Pascha, tum item suum pariter Christiani. Sed statuere Patriarchæ hi computum Paschatis eiusmodi dein fore, vt quadraginta dies ieiunarent, & dies quo ieiunium soluerent, esset sibi Pascha. Ac sane Chrysostomus vt orationem versus Orientem, (de qua supra diximus) ita etiam hoc ieiunium non ab Apostolis sed *a patribus* institutum esse commonuit, homil.52. in eos, qui Pascha ieiunant: *συνειδότες οἱ πατέρες τὴν βλάβην τὴν γινομένην ἐκ τῆς ἠμελημένης προσόδου, συνελθόντες ἐτύπωσαν ἡμέρας τεσσαράκοντα νηστείας. Cum intelligerent Patres, quantum ex neglecto* (ad sacra mysteria) *accessu detrimenti caperetur, conuenientes, quadraginta dies ieiunii designarunt ac definiuerunt.* Locus summe notabilis, quippe in quo vox *συνελθόντες* significat, a Conciliis ordinatum esse hoc ieiunium, proindeque iuxta Aug. regulam, non ab Apostolis. Quanquam vero Beueregius in hac similibusque rebus lapsus est, in præcipuo tamen quæstionis capite probando strenue versatur, euincitque, Canones illos vel secundo exeunte vel tertio saltem sæculo constitutos editosque fuisse. Quorsum faciunt suffragia omnium illorum ex eruditis, qui Constitutiones Canonesque Apostolicos Concilio Nicæno antiquiores statuunt, iisque contineri volunt disciplinam Ecclesiasticam, qua Ecclesia ante Constantinum Magnum regebatur. Merito enim Petrus de Marca Lib. III. de Concordia Sacerdotii & Imperii cap. II. adserit, Constitutionum & Canonum vetustatem eadem origine censeri debere. Adiungemus quædam illustrium virorum nomina, qui vtut in minutiis quibusdam differunt, in primaria tamen parte conueniunt omnes, iudicantque, decreta Ecclesiastica in scriptis illis hodie exstantia partim ad finem secundi partim tertio sæculo concinnata esse. Vide igitur ex Pontificiis Gabrielem Albaspinæum lib. I. Obseruationum Sacrarum, Obseruatione XIII. num. 3. p. 55. 56. Ioannem Morinum P. II. de Sacris Ordinationibus pag. 20. Ioannem Frontonem in epistolis suis, Epistola v. & in Prænotatis ad Kalendarium Romanum num. 5. Cardinalem Bonam lib. Rerum Liturgicarum cap. VIII. num. 4. Ludouicum Eliam du Pin in sua Nouvelle Bibliotheque des Auteurs Ecclesiastiques To. I. pag. 35. & Antonium Pagi in Critica Baroniana An. C. n. 9. 10. Ex Reformatis Hugonem Grotium (nisi Pontificiis potius hic veniat accensendus) de Iure Belli & Pacis Lib. I. cap. II.

Sect.

Sect.9. & de Imperio summarum potestatum circa sacra cap.II. num.6. p.23. Dauidem Blondellum in Prolegomenis PseudoIsidori Cap.XII. p.57. & in Apologia pro sententia Hieronymi de Episcopis & Presbyteris pag.317. Ioannem Pearsonium in Vindiciis Ignatianis P.I. cap.IV. p.48. & P. II. Cap. XIII. pag. 164. Ex Nostratibus Casparum Zieglerum Dissertatione de Baptismo non iterando num. 73. Ioannem Schilterum Lib.I. Institutionum Iuris Canonici Tit. II. num. 4. p. 13. 14. Ioannem Diecmannum in Vindiciis Legis Monogamicæ pag. 133.134. Et quid de conuehendis testibus multum solliciti sumus? cum ipse Schelstratius noster P. II. Antiquitatis Illustratæ Dissert.I. cap. I. & II. hanc virorum doctorum, præcipue Petri de Marca, opinionem sequutus sit & propugnarit; eoque respexerit in Notis ad Canonem II. Antiochenum Cap.V. num.2. vbi de auctore Constitutionum Apostolicarum Bonæ aliorumque a nobis citatorum iudicium allegaturus hæc verba præmittit: *Quin hic auctor primam Ecclesiæ disciplinam ab Apostolis & primitiuis Patribus traditam posteritati consecrarit, nemini dubium videtur; ipsumque ante datam a Constantino pacem floruisse, vidimus alibi.* Equidem quod de Apostolis tradit Schelstratius, eatenus saltem admittimus, quatenus cum scriptis Apostolorum genuinis & disciplina a Iustino Martyre descripta consentiunt Constitutiones: quod vero *de primitiuis Patribus* addit, facile concedimus, existimantes, ab eo non improbatum iri, quæ de augmento rituum Ecclesiasticorum secundo labente sæculo apud Christianos inuehi cœpto hactenus commentati sumus.

XXXVIII. Sed e longo diuerticulo in viam redeamus, & ad arcani disciplinam reuertamur, propter quam prolixum hunc excursum instituimus. Hanc quippe eodem tempore apud nostros cœpisse mea fert opinio: a qua non multum abest Albertinus pag.709. *Hoc incœpisse videtur quibusdam in locis, ineunte sæculo tertio, ac deinceps inualuisse.* Cum enim omnes illæ ceremoniæ ad Maiestatem sacris Christianorum conciliandam adhibitæ sint, tum nulla maiorem reuerentiam venerationemque attulit, quam solennis illa reticentia. Ex Gentilium vero sacris, Eleusiniis præsertim, eandem fuisse transsumtam, rituum vtrobique obseruatorum collatione tam clare aperteque post Casaubonum probauit Gebhardus Theodorus Meierus in Commentario de Recondita Veteris Ecclesiæ Theologia a numero 5. vsque ad num. 13. vt si aliquid addere vellem, Soli lucem fœnerari auderem. Proferam tantummodo nonnulla illius verba ex num. II. *Esse autem illud custodiæ officium, vt Tertulliani verbo vtamur, ex Ethnicismo in Religionem Christianam traductum, intelligens lector facta contentione rituum Christianorum Veteris Ecclesiæ cum ethnicis, indicabit facile. Maior est similitudo vtrorumque sacrorum, quam vt casu idem cum Ethnicis fecisse & fieri voluisse pios veteres credamus, aut etiam consilio absque imitatione. Ad imitationem gentilium hominum secreta sacra ab antiquis in Ecclesia tractata fuisse, argumento sit institutum*

eorundem, quo quamuis eſſent ab omnibus liberi, omnibus cum Paullo ſeipſos quodammodo ſeruos fecerunt, vt plures lucrifacerent. Et facti ſunt Ethnicis vt Ethnici, ſalua tamen pietate Chriſtiana, vt Ethnicos lucrifacerent. Et num. 12. *Nec aliunde plura paganæ ſuperſtitionis nomina, plura inſtituta & ritus in vſum ſacrorum Chriſtianorum olim fuerunt transſumta, quam ex opertis Gentilium ſacris. Et cum in his Eleuſinia eminerent, veluti quibus tota Græcia, imo orbe vniuerſo, nihil vnquam celebratius ſanctiusue habitum fuit, quippe* τὰ μυστήρια, πασῶν τιμιωτάτη τελετή, *2. Rhetor. Ariſtotelis cap. 24. n. 7. quia, vt dictum, in opertaneis Ethnicorum ſacris Initia eminebant, idcirco quicquid eſt occultorum ſacrorum Veteris Eccleſiæ, & in antiquis Eccleſiæ Doctoribus legitur, id ferme inde vt ſumtum, ita &, adhibita pia interpretatione atque accommodatione, explicari debet.* Idem comprobat Albertinus pag. 707. & notabilem Gregorii Nazianzeni hoc *operte agnoſcentis* locum ex Orat. 33. ſubiicit, quem transferre operæ pretium eſt: Εἰ μὴ τὴν ἔχθραν καταλύσασθαι δυνατὸν, ἐκεῖνόγε συμβῶμεν ἀλλήλοις, μυστικῶς τὰ μυστικὰ φθέγγεσθαι, καὶ ἁγίως τὰ ἅγια. καὶ μὴ ῥίπτειν εἰς βεβήλους ἀκοὰς τὰ μὴ ἔκφορα. μηδὲ σεμνοτέρους ἡμῶν ἀποφαίνωμεν τοὺς προσκυνοῦντας τοῖς δαιμονίοις, καὶ τῶν αἰσχρῶν μύθων καὶ πραγμάτων θεραπευτὰς, οἳ θᾶττον ἂν τοῦ αἵματος, ἢ λόγων ἔστιν ὧν μεταδοῖεν τοῖς ἀμυήτοις. *Si inimicitias deponere poſſibile non eſt, illud ſaltem inter nos conueniat, vt myſteria myſtice & ſancta ſanctis proloquamur, nec in profanas aures, quæ in vulgus efferri nefas eſt, proiiciamus: nec palam faciamus, eos qui Dæmones adorant, & turpium fabularum rerumque cultum profitentur, nobis eſſe honeſtiores. Ii enim ſanguinem ſuum potius, quam de iis ſermonem haud initiatis traderent.* Ne autem cuiquam quidquam dubii remaneat, age, breuiſſimam ſed luculentam collationem ſacrorum Eleuſiniorum apud gentiles & diſciplinæ arcani apud Chriſtianos inſtituamus. In illis ſolenni præconis voce abigebantur ἀλιτροὶ & βέβηλοι; ἀλιτροὶ, quia nemo ingredi debebat, niſi qui ſe innocentem nouit, vt ait Lampridius in Alexandro Seuero; βέβηλοι, quia nondum erant initiati. Sic in ſacris Chriſtianorum notiſſimæ ſunt Diaconorum voces, quibus cum ἀλιτροὶ, nempe pœnitentes, tum βέβηλοι, Catechumeni, Iudæi & Ethnici exire iubebantur. In ſacris Eleuſiniis initiati habebant *propria ſigna, propria reſponſa*, vt Iulius Firmicus loquitur, quibus veluti teſſeris a non-initiatis diſtinguebantur. Eundem apud Chriſtianos locum obtinebat oratio Dominica & Symbolum fidei, quo veluti teſſera baptiſmi a Catechumenis & infidelium turba ſegregabantur; eademque de cauſſa panem & vinum, Euchariſtiæ Symbola, tantopere occultabant. Sacra Eleuſinia profanis nec ore nec ſcriptis erant prodenda, imo audire ſaltem nefas habebatur. Idem ſilentium apud Chriſtianos obſeruatum eſt, vt ex loco Nazianzeni paullo ante allegato patet. Hinc ortum traxit Cyrilli Hieroſolymitani in Catecheſibus præceptum,

ptum, & anxiæ illæ Patrum cautelæ ac periphrases solis initiatis intellectæ, quibus in homiliis, scriptisque ad infidelium manus peruenturis vtebantur. Et vnde omnes illæ voces apud Christianos vsitatissimæ, *μυστηρίων, τελετῶν, ἐποπτείας, μυστῶν, μυεῖσθαι, μυεῖν, μυσταγωγεῖν, μυσταγωγεῖσθαι, μεμυημένων, ἀμυήτων*, pluresque aliæ, cum de Sacramentis sermo est, nisi ex sacris Eleusiniis? Vt in meridie illum cœcutire oporteat, qui originem disciplinæ arcani ex Eleusiniis non agnoscat & manifestissime deprehendat. Porro quoniam ex supra demonstratis relinquitur, secundo demum labente sæculo Christianos orthodoxos simplicitatem rituum Apostolicorum maiori apparatu auxisse, multaque e Gentilium sacris petiisse; nemo non videt, disciplinam arcani vtrinque multa conferentem ante illud tempus recipi non potuisse, tantum abest, vt Apostolos aut Christum ipsum auctores habeat. Quod aliis etiam argumentis licet conficere. Etenim Iudæos quoque ea prohibuit a conspectu sacrorum nostrorum. At illi Apostolorum ætate tam prope attingebant Christianos, vt a gentibus veri discriminis ignaris sæpe pro iisdem haberentur: tum eorum Synagogas frequentabant Apostoli, nihilque reticebant, quod ad explanationem mysteriorum faceret. Quare disciplina arcani locum prius non habuit, quam sacra Christianorum diuersam plane a Iudaicis faciem acciperent, & iustum apud illos odium exoriretur, quandoquidem Iudæorum pertinacia ac inuidia crescebat indies, seque in sitiendo ac profundendo Christianorum sanguine inprimis exerebat, vti patet ex Iustini Apologia pag. 72. & Dialogo cum Tryphone pag. 323. 335. & 363. vt epistolam Smyrnensis ecclesiæ de Polycarpi martyrio, similiaque martyrum Acta prætercam. Quemadmodum igitur pro spuria merito habetur epistola ad Philippenses Ignatio adscripta, Walone Messalino, Vsserio, Hammondo, aliisque iudicibus, quia magnum in Iudæos odium præ se fert, *quos non adeo tunc auersabatur Ecclesia Christiana;* ita eodem iudicio cognoscere licet, disciplinam arcani post Ignatii martyrium in ecclesia ortam, quæ Iudæos & Ethnicos pari censu habebat. Fortasse etiam Christianos impulit gentilium *κακοζηλία*, qui sæculo secundo a mysteriorum suorum conspectu eos arcere solebant: cuius rei exemplum reperio apud Lucianum in Alexandro siue Pseudomante, qui ita de Mago illo scribit: *Τελετήν τε γάρ τινα συνίσταται, καὶ δᾳδουχίας καὶ ἱεροφαντείας, τριῶν ἑξῆς ἀεὶ τελουμένων ἡμερῶν. καὶ ἐν μὲν τῇ πρώτῃ πρόρρησις ἦν, ὥσπερ Ἀθήνησι, τοιαύτη. εἴ τις ἄθεος, ἢ Χριστιανὸς, ἢ Ἐπικούρειος ἥκει κατάσκοπος τῶν ὀργίων, φευγέτω. οἱ δὲ πιστεύοντες τῷ Θεῷ τελείσθωσαν τύχῃ τῇ ἀγαθῇ. εἶτ' εὐθὺς ἐν ἀρχῇ ἐξέλασις ἐγίγνετο. καὶ ὁ μὲν ἡγεῖτο λέγων, ἔξω Χριστιανούς, τὸ δὲ πλῆθος ἅπαν ἐφθέγγετο, ἔξω Ἐπικουρείους.* Quid igitur mirum, si Christiani & venerationem sacris suis adserturi & par pari gentilibus relaturi disciplinam arcani eodem sæculo obseruare cœperunt?

XXXIX.

XXXIX. Extremo corollarium nobile annectam, quod ex origine disciplinæ arcani a nobis eruta nascitur. Cum enim eam ad modum opertorum apud Gentiles sacrorum institutam esse probatum dederim, ipsa vero ethnicorum arcana non in dogmatum, sed rituum & symbolorum occultatione constiterint; tum luculenter patet, apud Christianos quoque idem factitatum, adeoque ex disciplinæ arcani præscripto non doctrinam, sed ritus & symbola tantum in occulto seruata fuisse. Certe apud gentiles dogmata mysteriorum non ignorabant ἀμύητοι, quæ & voce & scripto ipsis exponebantur. Siue enim obiectum spectes, nempe Deum Deamue, cui sacra fiebant, norant sane omnes, quis Bacchus & Osiris, quæ Ceres, Mithra, Isis &c. Sciebant enim beneficia, quæ Antistites ab ipsis exhibita terræ, hominibusque fingebant, & propter quæ tali cultu adficiebantur. Siue consideres finem, is pariter non-initiatos haud celabatur, vt patet ex Olympiodoro, Sophocle, Cicerone, Platone & aliis apud Casaubonum Exercitatione XVI. aduersus Baronium Diatriba XLIII. Ad eundem modum Christiani dogma quidem Sacramenti vtriusque, Baptismi & Cœnæ Domini, gentiles & Catechumenos nunquam celabant, vt supra ostendimus: sed Symbola & ritus summo studio occultabant, & ἀμυήτους a conspectu celebrationis arcebant; sicuti gentiles in Eleusiniis consueuisse notum est.

CAPVT V.

De Rationibus ex antiquitate desumptis, quibus Tentzelius probare conatur, disciplinam arcani duobus primis sæculis obseruatam non fuisse.

ARTICULUS I.

An ex Gentilium accusatione de Thyesteis Epulis, quæ primo Ecclesiæ sæculo cœpit, colligatur, disciplinam arcani in vsu non fuisse?

Mirum est fundamentum, ad quod Tentzelius num. 10. suæ disputationis confugit, vt probet disciplinam arcani primis Ecclesiæ temporibus non fuisse obseruatam. Dicit namque, Gentiles tunc mysteriorum Catholicæ Religionis notitiam habuisse, nec occasionem aliunde sumpsisse nobis obtrectandi „ quam ex publica Christianorum doctrina, Christi „ Corpus & Sanguinem in ara Crucis mactatum & fusum, cum pane & vino Eucharistico di„ stribui, & accipi, manducari, & bibi. Tunc illos Thyesteas cœnas finxisse, vt in inuidiam „ odiumque publicum Christianos vocarent; inde a temporibus Tiberii, vt Tertullianus do„ cet in Apologetico, hoc est ab Apostolis, vt exponit Albaspineus lib. I. obseruat. 18. qui licet „ malit originem calumniæ ex Agapis Christianorum, quam ex Eucharistia deducere, non „ inficias tamen ire potuit, tempore Apostolorum Agapas forte factas esse cum celebratione Eucha-

„ Euchariſtiæ, quod non prohibet, quin Euchatiſtia huic impoſturæ colorem ac locum
„ dederit.

Mirum dixi Tentzelii fundamentum, cum ex eo, quod Ethnici homines Thyeſteas epulas ſomniarint, non colligendum eſſet, habuiſſe Corporis & Sanguinis Chriſti notitiam, ſed craſſam potius ignorantiam, & vix notam habuiſſe veritatis vmbram. Quis enim dicet, illos notitiam habuiſſe Sacramenti Euchariſtiæ, & incruentum Chriſtianorum Sacrificium cognouiſſe, qui ſomniabant, puerum farre tectum aliorum innocentium puerorum ictibus fuiſſe confoſſum, membra diſcerpta certatim a præſentibus arrepta fuiſſe, & ſitienter ab iisdem profuſum eius ſanguinem abſorptum fuiſſe, vt Gentilis Cæcilius palam Chriſtianis tribuit apud Minutium Felicem? Hæccine eſt notitia myſterii Euchariſtiæ, an potius craſſa illius ignorantia? Mallem ſane veritatem fateri, quod Gentiles myſterium illud ignorauerint, quam errare, dicendo, quod notitiam illius habuerint.

Occultabant enim Chriſtiani Euchariſtiæ myſterium, & licet vmbra quædam Gentilibus innotuiſſet, vnde crimen infanticidii Chriſtianis tribuebant, id tamen non Gentiles primum ex manifeſta & publica Euchariſtiæ doctrina, vt putat Tentzelius, ſed Hæretici, qui occultis Chriſtianorum Sacris adfuerant, confinxerunt, vt de Simonis Magi diſcipulis teſtatur Euſebius lib. 4. hiſtoriæ, cap. 7. vbi ſcribit, Diabolum per Carpocratem, Baſilidem, Saturninum, & Menandrum, Simonis Magi diſcipulos ſeduxiſſe plurimos fidelium, & per illos *Gentibus a fide noſtra alienis amplam obtrectandi & calumniandi Euangelii materiam ſubminiſtraſſe; dum ab illis primum orta infamia ad totius Chriſtiani nominis opprobrium diffunderetur.* Ταύτῃ δ᾽ οὖν ἐπιπλεῖστον συνέβαινε τὴν περὶ ἡμῶν παρὰ τοῖς τότε ἀπίστοις ὑπόνοιαν δυσσεβῆ καὶ ἀτοπωτάτην διαδίδοσθαι, ὡς δὴ ἀθεμίτοις πρὸς μητέρας καὶ ἀδελφὰς μίξεσιν, ἀνοσίαις τε τροφαῖς χρωμένων. *Atque hinc factum eſt*, inquit Euſebius, *vt abſurda quadam & impia de nobis opinio apud infideles tunc temporis ſpargeretur, quaſi nefario concubitu cum ſororibus & matribus miſceri, & execrandis dapibus veſci ſoleremus.* Audiat Tentzelius, vnde fabula ortum duxerit, & quibus authoribus Gentiles crimen infanticidii Chriſtianis tribuerint. Id enim factum non eſt ex publica Chriſtianorum de Sacramento Euchariſtiæ doctrina, ſed ex fidelium quorundam peruerſorum calumnia, ex iis nimirum, qui dum baptizati Sacris Chriſtianorum adfuerant, in hæreſim prolapſi diſciplinam arcani contemnebant, & Catholicis Thyeſteas epulas affingebant, vt, quos rationibus peruertere non poterant, gladiis Gentilium interimerent, & e medio tollerent.

Hæc cum ita eſſe, ante 1350. annos teſtatus ſit Euſebius, qui cum pluribus tertii ſæculi Patribus conuerſatus eſt, multaque Apoſtolorum virorum opera, quæ modo deperdita ſunt, perlegit: qua ratione probabit Tentzelius, Gentiles ex publica Catholicorum doctrina notitiam habuiſſe myſterii Euchariſtici, ſilentiumque, quod ego prætendo, meram illuſionem eſſe? Forſan ab Euſebio ad antiquiorem ſcriptorem appellabit, Tertullianum nimirum Carthaginenſis Eccleſiæ Presbyterum, qui ante 1470. annos floruit in Africa, & in Apologetico teſtatur, iam inde a temporibus Tiberii Thyeſteas epulas in inuidiam odiumque Chriſtiani nominis confictas fuiſſe? Fateor, diſcipulos Simonis Magi poſteriores fuiſſe Tiberio. At Simonem ipſum Tiberio æqualem fuiſſe conſtat: nihilque impedit, diſcipulos a ſuo magiſtro hanc calumniam didiciſſe; vt quod Euſebius de publicato per orbem crimine Adriani temporibus, quibus diſcipuli Simonis fideles ſeducebant, adſcribit, hoc de inuenta per ipſum Simonem Magum calumnia ſub Tiberii principatu Tertullianus collocare potuerit. Quæ licet ita eſſent, nullatenus tamen opinionem Tentzelii firmarent: Simon enim ille poſt Chriſti

Ascensionem a Philippo Apostolo baptizatus fuit, & occultis Catholicorum Sacris sæpius interfuit, vt non ex publica de Eucharistiæ Sacramento doctrina, sed ex occulti ritus proditione calumnia illa per profugum Catholicum, infamem hæreticum præstigiatorem, & Magum cœperit.

Nec ab his dissentit Origenes, quando testatur libro 6. contra Celsum, *Quod Iudæi Christianæ doctrinæ initio sparserint rumorem, quod eius sectæ homines mactati pueri vescerentur carnibus.* Licet enim prima fronte videri possit, quod Origenes loquatur de illis Iudæis, qui Ioannis sexto interfuerant sermoni Christi, quem de Eucharistia publice habuit in Synagoga Capharnaumi; de illis tamen intelligi non potest Origenes. Capharnaitæ enim audiuerant Christum loquentem de manducatione sui Corporis, quod non pueri, sed viri corpus erat, & nondum ab eius discipulis manducabatur, vtpote, quod solum ante Passionem suam manducandum præbuit Apostolis. Aliunde itaque de infanticidio edocti sunt Iudæi, & a quo alio, quam a Simone Mago? Simon enim ille initio doctrinæ Christianæ ad vomitum reuersus, Thyesteas epulas somniauit, ipseque inter Iudæos dudum versatus fuit. Ab ipso itaque Iudæi edocti Christianos de infanticidio accusarunt, & rumorem eius rei etiam apud Gentes sparserunt. Potuerunt alii Apostatæ calumniam istam confirmare, & metu vel malitia infanticidium Catholicis affingere: vnde ad finem primi sæculi Christiani ea de re coram Traiano Imperatore, & Plinio Bithyniæ Proconsule tamquam nocentes delati fuerunt, & ad sæculi tertii initium Cecilius Ethnicus Octauio Catholico apud Minutium Felicem opposuit, Frontonem in theatris publicis crimen infanticidii Christianis tribuisse. Ex quibus omnibus tantum abest probari, mysterium Eucharistiæ illis temporibus publice a Christianis doceri consueuisse, vt potius constet, disciplinam arcani tunc obseruatam fuisse, cum inde Gentiles tam varie circa Christianorum Sacrificium errauerint, & cœcutierint.

SECTIO V.

ANIMADVERSIONVM

IN

CAPVT V. APOLOGIÆ.

I.

PRogreditur Schelstratius ad rationes ex antiquitate desumtas, quas a me adhibitas dicit, aduersus opinionem suam de disciplina arcani ab ipsis Apostolis recepta. Primam putat esse, qua ex gentilium accusatione de Thyesteis epulis eliciebam, cognitam ipsis fuisse doctrinam Christianorum publicam de Eucharistiæ Sacramento. Hanc *mirum* vocat *fundamentum*, ipse potius mirabilis atque mirificus disputator, qui disertissima Tertulliani & Origenis loca non intellexit, sed in alienum sensum detorquere omnibus viribus conatus est. Nos vtriusque verba paullo plenius describemus ac inter se conferemus. Tertulliani hæc sunt in Apologetico: *Dicimur sceleratissimi, de sacramento infanticidii, & pabulo inde; & post conuiuium incesto, quod euersores luminum canes, lenones scilicet tenebrarum*

nebrarum & libidinum impiarum inuerecundia procurent. Dicimur tamen semper, nec vos, quod tamdiu dicimur, eruere curatis. Ergo aut eruite, si creditis, aut nolite credere, qui non eruistis, de vestra vobis dissimulatione non esse, quod nec ipsi audetis eruere. Longe aliud munus carnifici in Christianos imperatis, non vt dicant, quæ faciunt, sed vt negent quod sunt. Census istius disciplinæ, vt iam edidimus, a Tiberio est, cum odio sui cœpit simul veritas atque apparuit inimica esse. Tot hostes eius, quot extranei; & quidem proprii ex æmulatione Iudæi, ex concussione milites, ex natura ipsi etiam domestici nostri. Quotidie obsidemur, quotidie prodimur, in ipsis plurimum cœtibus & congregationibus nostris opprimimur. Origenes autem Lib. VI. contra Celsum pag. 302. Καὶ δοκεῖ μοι παραπλήσιον ἰουδαίοις πεποιηκέναι τοῖς κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ Χριστιανισμοῦ διδασκαλίας κατασκεδάσαι (in margine emendatur: *κατασκεδάσασι*) δυσφημίαν τοῦ λόγου· ὡς ἄρα καταθύσαντες παιδίον, μεταλαμβάνουσιν αὐτοῦ τῶν σαρκῶν· καὶ πάλιν, ὅτι οἱ ἀπὸ τοῦ λόγου τὰ τοῦ σκότους πράττειν βουλόμενοι, σφέννυσι μὲν τὸ φῶς, ἕκαστος δὲ τῇ παρατυχούσῃ μίγνυται. ἥτις δυσφημία παραλόγως πάλαι μὲν πλείστων ὅσων ἐκράτει, πείθουσα τοὺς ἀλλοτρίους τοῦ λόγου, ὅτι τοιοῦτοί εἰσι Χριστιανοί. Quæ pag. 297. versionis Latinæ ita habent: *Videturque mihi* (Celsus) *fecisse idem, quod Iudæi Christianæ doctrinæ initio, sparso rumore, quod eius sectæ homines mactati pueri vescerentur carnibus: & quod quoties eis libeat operam dare occultis libidinibus, exstincto lumine constupret, quam quisque primam nactus fuerit, quæ falsa & iniqua opinio dudum valde multos a religione nostra alienos tenuit, persuasos, quod tales sint Christiani.* Notandum inprimis initium auctoresque putidæ calumniæ. Illud Tertullianus deriuat *a Tiberio:* Origenes *ab initio doctrinæ Christianæ.* Hos Tertullianus dicit *hostes* & *extraneos*, primoque loco ponit *Iudæos:* Origenes absolute & simpliciter in *Iudæos* culpam confert. Quid autem Iudæi initio prædicationis Euangelicæ in vulgus sparserint, non aliunde melius cognoscitur, quam ex Iustini Martyris Dialogo cum Tryphone pag. 234. Οὐχ οὕτως γὰρ τὰ ἄλλα ἔθνη εἰς ταύτην τὴν ἀδικίαν τὴν εἰς ἡμᾶς καὶ τὸν Χριστὸν ἐνέχονται, ὅσον ὑμεῖς, οἳ κἀκείνοις τῆς κατὰ τοῦ δικαίου καὶ ὑμῶν τῶν ἀπ᾽ ἐκείνου, κακῆς προλήψεως αἴτιοι ὑπάρχετε. μετὰ γὰρ τὸ σταυρῶσαι ἡμᾶς ἐκεῖνον τὸν μόνον ἄμωμον καὶ δίκαιον ἄνθρωπον, δι᾽ οὗ τῶν μωλώπων ἴασις γίνεται τοῖς δι᾽ αὐτοῦ ἐπὶ τὸν πατέρα προσχωροῦσιν, ἐπειδὴ ἐγνώκατε αὐτὸν ἀναστάντα ἐκ νεκρῶν, καὶ ἀναβάντα εἰς τὸν οὐρανὸν, ὡς αἱ προφητεῖαι προεμήνυον γενησόμενον, οὐ μόνον οὐ μετενοήσατε ἐφ᾽ οἷς ἐπράξατε κακοῖς, ἀλλὰ ἄνδρας ἐκλεκτοὺς ἀπὸ ἱερουσαλὴμ ἐκλεξάμενοι τότε, ἐξεπέμψατε εἰς πᾶσαν τὴν γῆν, λέγοντες, αἵρεσιν ἄθεον χριστιανῶν πεφηνέναι, καταλέγοντες ταῦτα, ἅπερ καθ᾽ ἡμῶν οἱ ἀγνοοῦντες ἡμᾶς πάντες λέγουσιν· ὥστε οὐ μόνον ἑαυτοῖς αἴτιοι ὑπάρχετε, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἁπλῶς ἀνθρώποις. *Non enim aliæ nationes*

iniquitati in nos & ipsum Christum patratæ, tantum sunt obnoxii, quantum vos; qui illis etiam peruersæ in iustum hunc, & nos qui nomine eius censemur, præsumtionis atque præiudicii estis auctores. Posteaquam enim illum vnicum irreprehensibilem & iustum hominem in crucem egistis, cuius vibicibus sanitas eis prouenit, qui per ipsum ad Patrem adeunt: cum eum cognouissetis resurrexisse a mortuis, atque in cœlum conscendisse, pro eo atque futurum vaticinia præmonstrauerant: tantum abest, vt resipiscentes pœnitentia de malis commissis duceremini, vt etiam viros eximios Hierosolymis delectos, in terram omnem tum legaueritis, dicentes, hæresim sectamque Christianorum nullius numinis cultricem exstitisse; atque ea contra nos sermonibus spargentes, quæ cuncti, qui nos non norunt, iactant. Itaque non ipsi modo vobis iniquitatis estis caussa, sed aliis quoque prorsus mortalibus vniuersis. Similia sunt, quæ idem Iustinus repetit pag. 335. a nobis pariter transscribenda, vt adpareat, Iudæos ex doctrina Christi fundamentum suarum calumniarum hausisse, quod tam præfracte negat Schelstratius: Christum vero publice docuisse ex Ioan. XVIII. 20. 21. nemini ignotum esse potest. Καὶ ȣ̓ μόνον ȣ̓ μετενοήσατε, μαθόντες αὐτὸν ἀναστάντα ἐκ νεκρῶν, ἀλλ᾽ ὡς προεῖπον, ἄνδρας χειροτονήσαντες ἐκλεκτȣ̀ς, εἰς πᾶσαν τὴν οἰκȣμένην ἐπέμψατε, κηρύσσοντας ὅτι, αἵρεσίς τις ἄθεος καὶ ἄνομος ἐγήγερται ἀπὸ Ἰησȣ͂ τινὸς Γαλιλαίȣ πλάνȣ· ὃν σταυρωσάντων ἡμῶν. οἱ μαθηταὶ αὐτȣ͂ κλέψαντες αὐτὸν ἀπὸ τȣ͂ μνήματος νυκτὸς, ὁπόθεν κατετέθη ἀφηλωθεὶς ἀπὸ τȣ͂ σταυρȣ͂, πλανῶσι τȣ̀ς ἀνθρώπȣς λέγοντες ἐγηγέρθαι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, καὶ εἰς ȣ̓ρανὸν ἀνεληλυθέναι. καταειπόντες δεδιδαχέναι καὶ ταῦτα ἅπερ κατὰ τῶν ὁμολογȣ́ντων Χριστὸν καὶ διδάσκαλον καὶ υἱὸν Θεȣ͂ εἶναι, παντὶ γένει ἀνθρώπων ἄθεα καὶ ἄνομα καὶ ἀνόσια λέγετε. *Verum, tantum abest, vt pœnitentiam egeritis, postquam eum a mortuis resurrexisse accepistis, vt etiam* (prout antea memoraui) *eximiis delectis viris, in omnem terrarum orbem eos miseritis, qui renuntiarent, hæresim & sectam quandam impiam & iniquam excitatam esse a Iesu quodam Galilæo, plano & seductore; quem a vobis crucifixum discipuli eius noctu e monumento, vbi a cruce refixus positus erat, furto sustulerint; & homines in errorem abduxerint, asseuerantes a mortuis eum excitatum esse, atque in cœlum ascendisse: quique calumniose sermonibus spargerent, docuisse etiam ea illum, quæ impia & iniqua & impura apud omne genus hominum esse iactatis, contra eos, qui illum Christum & Doctorem & Filium Dei esse profitentur.* Ex duplici hoc Iustini testimonio luce meridiana clarius liquet, Iudæos calumniarum in Christianos sparsarum de Thyesteis epulis, Oedipodeis incestibus, similiumque auctores esse. Quid enim aliud iactarunt illi, qui Christianos non norunt? Certe Iustinus ipse eodem Dialogo pag. 227. Tryphonem eiusque comites interrogat: μὴ καὶ ὑμεῖς πεπιστεύκατε περὶ ἡμῶν, ὅτι δὴ ἐσθίομεν ἀνθρώπȣς, καὶ μετὰ τὴν εἰλαπίνην ἀποσβεννύντες τȣ̀ς λύχνȣς, ἀθέσμοις μίξεσιν

σιν ἐγκυλιόμεθα; *an vos etiam de nobis creditis, homines nos vorare; & post epulum, lucernis exstinctis, nefario promiscue concubitu inuolui?* Et quanquam Tryphon ex sua sententia respondet: Περὶ δὲ ὧν οἱ πολλοὶ λέγουσιν, οὐ πιστεῦσαι ἄξιον· πόῤῥω γὰρ κεχώρηκε τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως. *quæ vero a multis iactantur, indigna sunt fide, longe enim a natura humana absunt:* ad eam tamen accusationem, quam bis inculcat Iustinus, magis mutus est pisce, adeoque Iudæos falsi huius rumoris reos esse suo silentio confirmat. Neque est, vt quenquam a consensu nobis præstando retrahant verba Tryphonis allegata: nam Autolycus quoque istis calumniis non adsentiebatur, & gentiles tamen reliqui auide eas prosequebantur. Ita enim Theophilus Antiochenus lib. III. pag. 119. ἔπειτα οὐκ ἂν ἐκινήθης ὑπὸ ἀνοήτων ἀνθρώπων κενοῖς λόγοις ἀπάγεσθαι, καὶ φήμῃ πείθεσθαι προκατεσχηκυίῃ, στομάτων ἀθέων ψευδῶς συκοφαντούντων ἡμᾶς, τοὺς θεοσεβεῖς καὶ Χριστιανοὺς καλουμένους. Gesnerus ita vertit: *Siquidem nequaquam moueris a stultis hominibus, qui te a vera religione vanis verbis auertere moliuntur, neque iis obtemperare studuisti, qui falso nos, qui Christiani nominamur, calumniis onerant. Aiunt enim, nostras vxores esse communes &c.* Quemadmodum igitur ineptus foret, qui ethnicos calumniis Christianos proscidisse negaret, quod fidem iis non habuerit Autolycus: ita etiam absurde inficiareris, Iudæos earundem fuisse auctores, quod Tryphon a veritate alienas censuerit. Potius Eusebio auscultemus, notabili testimonio sententiam nostram comprobanti, cuius notitiam ex Catena Græca ad Esaiæ caput XVIII. v. I. debemus Danieli Heinsio in Exercitationibus Sacris lib. VII. cap. IX. p. 396. vnde cum Latina versione hausit Stephanus le Moyne, to. II. Variorum Sacrorum pag. 6. Εὕρομεν ἐν τοῖς παλαιῶν συγγράμμασιν, ὡς οἱ τὴν Ἱερουσαλὴμ κατοικοῦντες ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἔθνους ἱερεῖς, καὶ γραμματεῖς, καὶ πρεσβύτεροι, γράμματα διαχαράξαντες, εἰς πάντα διεπέμψαντο ἔθνη διαβάλλοντες τὴν Χριστοῦ διδασκαλίαν ὡς αἵρεσιν ξένην καὶ ἀλλοτρίαν τοῦ Θεοῦ, παρηγγέλλοντό τε δι' ἐπιστολῶν μὴ παραδέξασθαι αὐτήν. *In Veterum scriptis inuenimus eos, qui Hierosolymis tum habitarent, Iudæos, inprimis sacerdotes, scribas, seniores, Epistolas a se scriptas in omnes misisse Gentes, quibus Christi doctrinam vt alienam a Deo & peregrinam traducerent, iisdemque, eam ne admitterent, persuadere conarentur.*

II. Vtris igitur magis credamus, an Iustino Martyri, Origeni, aliisque Veterum Patrum, quorum scripta legit probauitque Eusebius; qui omnes summo consensu a Iudæis manasse statuunt, quidquid nefandorum criminum primis Christianis adfictum est; an potius Schelstratio nostro, qui Simonem Magum, (quem non Iudæum, sed Samaritanum fuisse Iustinus, ac Origenes indicarunt) harum calumniarum auctorem mallet, ac propterea falsa interpretatione Tertullianum Origenemque corrupit? Nullus dubito, quin venerando Patrum choro

 sese

sese mecum adiuncturi sint prudentes Lectores, Schelstratiumque derelicturi, qui Eusebii loco ex Historia Ecclesiastica abusus, verba eius hoc sensu accipit, quasi ipse Simon Carpocrates, ac cæteri Simonis discipuli, calumniam de Thyesteis epulis in vulgus sparserint, quoniam ante hæresin occultis Christianorum Sacris interfuerant. At Eusebius potius vult, Gnosticos, qua appellatione omnis illa perditissimorum hæreticorum colluuies superbiebat, nefandis suis sceleribus & promiscua libidine occasionem ethnicis dedisse, Christianis etiam Orthodoxis spurcissimos eiusmodi mores adfingendi, propterea que nomen eorum calumniis proscindendi. Quod confirmat ipsa verborum Eusebii series & συνάφεια, quæ vt et longiuscula, operæ tamen pretium est integra transferre: Γράφει δὲ καὶ Εἰρηναῖος συγχρονίσαι τούτοις Καρποκράτην, ἑτέρας αἱρέσεως τῆς τῶν γνωστικῶν ἐπικληθείσης πατέρα. οἳ καὶ τοῦ Σίμωνος οὐχ ὡς ἐκεῖνος κρύβδην, ἀλλ' ἤδη καὶ εἰς φανερὸν τὰς μαγείας παραδιδόναι ἠξίουν. ὡς ἐπὶ μεγάλοις δὴ μονονουχὶ σεμνυνόμενοι τοῖς κατὰ περιεργίαν πρὸς αὐτῶν ἐπιτελουμένοις φίλτροις, ὀνειροπομποῖς τε καὶ παρέδροις τισὶ δαίμοσι, καὶ ἄλλαις ὁμοιοτρόποις τισὶν ἀγωγαῖς· τούτοις δὲ ἀκολούθως πάντα δρᾶν χρῆναι διδάσκειν τὰ αἰσχρουργότατα, τοὺς μέλλοντας εἰς τὸ τέλειον τῆς κατ' αὐτοὺς μυσταγωγίας, ἢ καὶ μᾶλλον μυσαροποιίας ἐλεύσεσθαι. ὡς μὴ ἂν ἄλλως ἐκφευξομένους τοὺς κοσμικοὺς (ὡς ἂν ἐκεῖνοι φαῖεν) ἄρχοντας, μὴ οὐχὶ πᾶσι τὰ δι' ἀρρητοποιίας ἀπονείμαντας χρέα. τούτοις δῆτα συνέβαινε διακόνοις χρώμενον τὸν ἐπιχαιρεσίκακον δαίμονα, τοὺς μὲν πρὸς αὐτῶν ἀπατωμένους, οἰκτρῶς οὕτως εἰς ἀπώλειαν ἀνδραποδίζεσθαι. τοῖς δὲ ἀπίστοις ἔθνεσι, πολλὴν παρέχειν κατὰ τοῦ θείου λόγου δυσφημίας περιουσίαν. τῆς ἐξ αὐτῶν φήμης εἰς τὴν τοῦ παντὸς χριστιανῶν ἔθνους διαβολὴν καταχεομένης. ταύτῃ δ' οὖν ἐπιπλεῖστον συνέβαινε τὴν περὶ ἡμῶν παρὰ τοῖς τότε ἀπίστοις ὑπόνοιαν δυσσεβῆ καὶ ἀτοπωτάτην διαδίδοσθαι. ὡς δὴ ἀθεμίτοις πρὸς μητέρας καὶ ἀδελφὰς μίξεσιν, ἀνοσίαις δὲ τροφαῖς χρωμένων. Nemo est, qui non videat, Eusebium innuere, occasionem calumniæ de anthropophagia ex flagitiosa Carpocratianorum vita gentiles desumsisse, non autem hæreticis illis præeuntibus atque propalantibus crimen illud Christianis tribuisse, quod perperam vult Schelstratius; qui dummodo consuluisset Ioan. Dallæi Librum II. de Cultus Religiosi Obiecto cap. XXVIII. facile animaduertisset, hanc sententiam ex Clemente Alexandrino & Irenæo Eusebium hausisse, quanquam in eo cum Schelstratio alucinatur Dallæus, quod negat, calumniam istam ex Eucharistiæ cultu & praxi natam esse. Quid enim obstat, quo minus vtrunque verum sit, vnoque posito non excludatur alterum? Cur non Iudæi falsum istum rumorem haud aliunde, quam ex doctrina Christi de manducanda carne & bibendo sanguine eius acceptum in vulgus sparserint, quem deinde gentiles, Christiano pariter nomini infensissimi, auide arripientes, & an verus sit, inquirentes, ad scelerata Gnosticorum

delubra perlati auxerint, Orthodoxis siue per imperitiam, siue per destinatam animi improbitatem tribuendo, quæ hæreticorum propria erant? Vt autem vtramque hanc calumniæ caussam statuam, inuicta temporis ratio omnino requirit, quam nec a Schelstratio, nec a Dallæo, nec ab Albertino, qui vtrique præiuit pag. 294. obseruatam esse miror. Etenim Iustini Martyris, Tertulliani & Origenis, aliorumque Veterum suffragia dubitare neminem sinunt, quin a Iudæis initio doctrinæ Christianæ, Tiberio adhuc imperante, in omnem terram vulgata sint falsissima ista dicteria. At eo tempore nondum exorti erant Carpocratiani, quorum initium ipse Schelstratius ad annum Traiani 19. Christi 116. ponit in Serie Chronologica Antiquitati illustratæ præfixa col. 39. *Sub Traiano & Hadriano viguit Carpocrates, docens Iesum tantummodo hominem & omne peccatum esse exercendum: hinc & auctore Carpocrate orta est & secta Gnosticorum.* Inde manifestum est, non potuisse Iudæos in spargendis calumniis ansam arripere ex abominandis Carpocratianorum seu Gnosticorum moribus, vtpote secundum Schelstratii calculos octoginta & amplius annis post adscensionem Christi inuectis. Præterea Schelstratius fatetur, ad finem primi sæculi Christianos coram Traiano Imperatore, & Plinio Bithyniæ Proconsule ea de re tanquam nocentes delatos fuisse, quod fieri debuisset ante natam calumniam, siquidem ea primum ex nefandis Carpocratianorum sacris ortum traxisset, vt Dallæus voluit; atque in eandem sententiam Eusebii verba antea producta interpretatus est Valesius: *Deinde gentibus a fide nostra alienis, amplam obtrectandi & calumniandi Euangelii materiam subministrauit: dum ab illis primum orta infamia, ad totius Christiani nominis opprobrium diffunderetur.* Eusebius autem nude dixerat, famam ex iis in calumniam totius Christianæ gentis diffusam esse. Nec aliter scribere poterat, nisi contradiceret Iustino Martyri, Tertulliano, Origeni, aliisque antiquorum a seipso alibi laudatis, qui infamiam illam obstetricantibus Iudæis sub Tiberio exortam summo consensu referunt. Neque est, vt quis cogitet de Simone Mago, auctore nefandæ obscœnitatis & inquinatissimi concubitus, vt ab Epiphanio dicitur. Hic enim eiusque discipuli primi clam & secreto agebant, Carpocratiani autem publice, quod ipse Eusebius hoc loco docet, confirmatque lib. II. cap. 13. Quare non Simonianorum, sed Carpocratianorum deprauata consuetudo publice innotuit. Imo ante omnem hæresin inter Christianos auditam prauas illas opiniones a Iudæis diuulgatas esse luculenter docet Iustinus, quando ait, τότε, *tum*, cum nempe cognouissent, Christum resurrexisse & adscendisse, Iudæos in omnem terram misisse viros delectos, mendaciorum & calumniarum artifices. Præcipuam vero culpam in Pontifices Iudæorum confert Matthæus cap. XXVIII. v. II. additq; v. 15. καὶ διεφημίσθη ὁ λόγος οὗτος παρὰ ἰουδαίοις μέχρι τῆς σήμερον. Ex his colligitur, ipso die resurrectionis Christi Sacerdotes Iudæorum pessimum illud calumni-

lumniandi consilium cepisse, statimque exequi & pluribus postea absurdis auctum per Missionarios suos publice proferre nihil erubuisse, eo modo, quem Iustinus Martyr latius descripsit. Nec aliorsum spectant adhortationes Petri, vt Christiani bona conuersatione obtrectatorum ethnicorum calumnias diluant; prioris epistolæ cap. II. 12. 15. & cap. III. 16. quibus illustrandis Oecumenius locum illum Irenæi adfert, quem prolixe vindicauimus Sect. III. num. VIII. vnde manifeste liquet, seruos Christianorum gentiles, eorumque tortores eiusdem ethnicæ superstitionis, ex peruerso Christiani dogmatis intellectu calumniæ de Thyesteis dapibus fomitem addidisse. Notanda quoque verba Iacobi cap. II. epistolæ v. 7. οὐκ αὐτοὶ βλασφημοῦσι τὸ καλὸν ὄνομα τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ἡμᾶς; quibus innuit, a diuitibus huius mundi, Christianæ religionis hostibus, spargi calumnias illas Christiano nomini iniuriosas; quos paullo ante in conuentum Christianorum libere admitti significauerat: vnde dubium non est, quin ii audita & visa male interpretantes occasionem calumniandi acceperint. Adde etiam, quæ Paulus scribit Rom. III. 8. Perstant ergo firma & salua, quæcunq; in Dissertat. mea super hoc argumento attuli, vt probarem, Gentiles ex Christiano de Eucharistia dogmate ritibusque calumniandi ansam accepisse; quod edoctus eram a Nostratibus Theologis, Gerhardo in Loco de S. Cœna n. 103. Dannhawero in Christeide p. 103. Bebelio Antiq. Eccles. Sæculo II. p. 279. & Sæc. III. p. 807. 808. vt alios prætercam. Tanta etiam veritatis vis est, vt in nostram fere sententiam pertraxerit Cardinalem Bonam, cuius lib. I. Rerum Liturgicarum cap. IV. n. 3. hæc sunt verba: *Quæ profecto calumnia ex eo est orta, quod Christiani metu persequutionis clam conuenirent, vt Missæ interessent, & Christi corpore reficerentur.* Et paullo post: *Prædictas vero criminationes quidam ad Gnosticos & Adamitas referunt, quod, quamuis a verisimilitudine non abhorreat, verius tamen videtur Ethnicorum malitiæ adscribendas esse, qui ex odio aduersus Christianos, & ex eorum occultis, vt diximus, coitionibus occasionem arripuerunt falsa illis crimina imponendi.* Multo etiam magis Schelstratio contrariatur Iacobus Nouetus, cuius librum Gallicum, *la Presence de Iesus-Christ dans le saint Sacrement* inscriptum, in Dissertatione mea Schelstratio opposueram, sed is in Apologia Nouetum summo præterit silentio, quam ob caussam, ipse viderit. Ego Noueti librum hinc inde quæsiui, sed nullibi reperi, quem plus damni Schelstratio adferre propterea iudicabam, quod non minus ac ille contendit, mysterium Eucharistiæ summo studio coram Ethnicis fuisse occultatum, attamen fatetur, gentiles eius habuisse notitiam, & calumniandi occasionem inde arripuisse. Quare operæ pretium puto, in gratiam Lectorum describere Excerpta eruditorum Gallorum ex isto Noueti libro, quæ leguntur tomo III. Ephemeridum p. 152. versionis Latinæ. *Postquam Sacramenti Eucharistici adorationem probauit* (Nouetus) *monstrat Ethnicorum silentium, quod Minister adeo instanter vrget, me-*

ram

ram illusionem esse: Quamuis enim occultatum fuerit ipsis, quoad eius fieri potuit, hoc mysterium plura tamen in scriptoribus antiquis legi possunt, ex quibus patet, Ethnicos, non obstantibus etiam curis omnibus, eius habuisse notitiam. Id quod locum dedit calumniæ illi, a qua Christianos defendit Tertullianus, comedere nempe Christianos carnem humanam in sacrificiis suis. Hinc est, persuasos esse nonnullos, vti D. Augustinus aduertit, Christianos adorare Cererem atque Bacchum. Hinc etiam est, cur tormentis agitati sint duo illi Martyres, de quibus Eusebius differit, accusatos eos esse a mancipiis suis humanæ carnis esce, quoniam de Eucharistia loquentes eos audiuerant. P. Nouet plura præterea argumenta alia profert, monstraturus, Ethnicos habuisse notitiam Mysterii illius. Præiuerat ei Halloixius in Notis ad Cap. III. de vita Iustini Martyris, his verbis: *Ita rursus, quod in nostris sacrificiis Christi carnem, velut innocentis agni, sub exigua panis specie occultatam diuidi, distribui, manducari, leuibus rumusculis imperfecte hausissent; hoc ad eam fabellam deriuarunt, qua infantem farre contectum a nostris mactari, discerpi, vorari confinxerunt.* His addimus spontaneam Dallæi confessionem, supra Sect. III. num. VIII. plenius allegatam, qua is ex sensu Capernaitico *fatetur consequi facile potuisse, vt homines odio excæcati ex peruersa hac interpretatione spargerent illa de Thyesteis dapibus.*

III. Instat autem Schelstratius, crassam potius ignorantiam mysterii istius apud ethnicos referre hanc calumniam, prout apud Minutium Felicem a Cæcilio instruitur. Sed mihi potius clarissimum præbere videtur argumentum, quo doceamur, falsos istos rumores a Iudæis & gentilibus primum ex Christi eiusque discipulorum doctrina pessime intellecta sparsos, & postea ex nefandis hæreticorum moribus auctam esse. Quotus enim quisque nesciat, Christum de corporis & sanguinis sui manducatione Capernaumi docuisse, puerilemque simplicitatem discipulis toties commendasse? Similiter Apostolos in Concionibus atque epistolis fecisse nemo ignorat. Imo mansit deinde hæc methodus, siquidem *in Vetere Ecclesia viguit vsus, vt Christiani ob simplicitatem suauitatemque morum, pueri nuncuparentur*, quem pro scriptis Hierarchicis Dionysio Areopagitæ vindicandis vrgent Petrus Halloixius, & Natalis Alexander, non inuito, vt puto, Schelstratio, qui eandem cum illis opinionem tenet. Probant autem ex Clemente Alexandrino lib. I. Pædagogi cap. II. ἔοικε δὲ ὁ παιδαγωγὸς ἡμῶν, ὦ παῖδες ὑμεῖς, τῷ πατρὶ αὐτοῦ τῷ Θεῷ. *Pædagogus autem noster, o vos pueri, Deo patri suo est similis.* Præterea probe notandum est, Clementem cap. VI. eiusdem libri de Eucharistia agentem p. 76. in eadem loquutione tropica pergere. ὅτι γάλα ἦν τὸ παιδίον τοῦτο καλὸν καὶ οἰκεῖον τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ τὴν νεολαίαν ὑποτρεφοῦν ἂν (sic corrigit Albertinus pag. 314. quod ὑποτροφοῦσαν est in vulgatis libris) τῷ λόγῳ, ἣν αὐτὸς ἐκύησεν ὁ Κύριος ὠδῖνι σαρκικῇ· ἣν αὐτὸς ἐσπαργάνωσεν ὁ

Κύριος, αἵματι τιμίῳ· ὢ τῶν ἁγίων λοχευμάτων· ὢ τῶν ἁγίων σπαργάνων. ὁ λογὸς τὰ πάντα τῷ νηπίῳ, καὶ πατὴρ καὶ μήτηρ, καὶ παιδαγωγὸς καὶ τροφεύς. Φάγεσθέ μου, φησι, τὴν σάρκα, καὶ πίεσθέ μου τὸ αἷμα. Ταύτας ἡμῖν οἰκείας τροφὰς ὁ Κύριος χορηγεῖ, καὶ σάρκα ὀρέγει καὶ αἷμα ἐκχεῖ, καὶ οὐδὲν εἰς αὔξησιν τοῖς παιδίοις ἐνδεῖ. ὢ τοῦ παραδόξου μυστηρίου. ἀποδύσασθαι ἡμῖν τὴν παλαιὰν καὶ σαρκικὴν ἐγκελεύεται φθορὰν, ὥσπερ καὶ τὴν παλαιὰν τροφήν. καινῆς δὲ ἄλλης τοῦ Χριστοῦ διαίτης μεταλαμβάνοντας, ἐκεῖνον, εἰ δυνατὸν, ἀναλαμβάνοντας ἐν ἑαυτοῖς ἀποτίθεσθαι, καὶ τὸν σωτῆρα ἐνστερνίσασθαι. *Lac erat hic infantulus pulcher & appositus, scilicet Corpus Christi, nouum cœtum verbo nutriens, quem ipse Dominus carnali labore peperit, quem ipse fasciis alligauit Dominus, precioso sanguine. O sanctum partum! o sanctas fascias! Verbum est omnia infanti, & Pater & mater, & Pædagogus & alter: Comedite, inquit, carnem meam, & bibite sanguinem meum. Hæc conuenientia alimenta suppeditat nobis Dominus, & carnem præbet, & effundit sanguinem, & nihil deest infantulis. O admirabile mysterium! Veterem & carnalem nos iubet exuere corruptionem, sicut & vetus nutrimentum, alterius autem nouæ Christi diætæ participes factos, illum si fieri possit recipientes, in nobis ipsis reponere, & seruatorem intra pectus comprehendere.* Et quid multis describendis occupamur? Lege septem priora Pædagogi Clementini capita, quintum inprimis & sextum, & plura percipies spectantia ad vsum veteris Ecclesiæ ab Halloixio & Alexandro commendatum. Inde etiam colligitur, eo modo doctrinam de Eucharistia publice proponi consueuisse, quando Minutius Felix Dialogum suum scribebat, siquidem Clementem ac Minutium Synchronos fuisse haud difficulter concedit Schelstratius in Serie Chronologica pag. 53. Ecquomodo igitur inficias ire poterit, ex publica ista Christianorum doctrina perperam intellecta & malitiose detorta calumniam infanticidii ortum traxisse? cui magnam speciem augmentumque hostes nostræ religioni infensissimi attulerunt ex perditissima Gnosticorum consuetudine, quam castæ aures abhorrent, descriptam a Clemente Alexandrino, Epiphanio & aliis. Neminem quippe negaturum arbitror, eos, qvi apud Origenem lib. VI. contra Celsum pag. 311. oculati voluerunt testes esse, abominanda gnosticorum sacra conspexisse. Porro Schelstratio libenter concedo, gentiles *incruentum Christianorum sacrificium non cognouisse*, quod neutiquam primitiua Ecclesia, sed recentior inuexit. Opportune denique in mentem mihi venit iudicium illustris Huetii in Demonstratione Euangelica Propos. IV. Cap. VI. num. 2. de Coromandelensium Indorum religione: *Narrant iidem Gayazoram mundi peccata sustulisse, & a Deo deinde morti fuisse datum, sed ea tamen lege, vt qui corpori eius massam, siue farinam coactam aqua & subactam imponerent, amicos defunctos vinculis tartareis liberaret. Quæ germana sunt & similia veteris illius calumniæ,*

a Ce-

a Cæcilio apud Minutium Felicem memoratæ, qua dicebantur Christiani infantem farre contectum iis apponere, qui sacris imbuebantur, vt eum cæcis occultisque vulneribus confoderent. Hæc autem sacrosanctum Eucharistiæ mysterium & sub specie panis delitescens Christi corpus non obscure adumbrant.

IV. Ex his autem manifestum est, disciplinam arcani non posse consistere cum istis calumniis, quæ si tum obtinuisset, infideles ne rituum quidem notitiam habuissent. At ritus tam Eucharistiæ, quam Baptismi iis non ignotos fuisse facile ostenditur. De illis fidem facit altera calumnia, incestus promiscuique concubitus Christianos postulans, quæ ex osculo, pro more veteris Ecclesiæ ad ceremonias mysterii Eucharistiæ pertinente, indubie originem traxit. Hinc Cardinalis Bona Lib. I. Rerum Liturgicarum cap. IV. num. 3. scribit: *Promiscui autem concubitus hinc forte nata suspicio, quod vtriusque sexus fideles antelucanis coitionibus, vt ait Minutius, congregarentur; quæ prima fuit Celsi Epicurei aduersus Christianos criminatio, teste Origene lib. I. aduersus eundem: vel quia per osculum pacis se inuicem ante communionem salutabant.* Posterius præcipue confirmat Clemens Alexandrinus, Pædagogi lib. III. cap. XI. Καὶ γὰρ δὴ καὶ τοῦτο ἐκπέπληκεν ὑπονοίας αἰσχρὰς καὶ βλασφημίας, τὸ ἀναιδῶν χρῆσθαι τῷ φιλήματι, ὅπερ ἐχρῆν εἶναι μυστικόν. *Etenim hoc vtique turpem mouit suspicionem & maledicentiam, quod impudenter osculo vterentur, quod esse oportebat mysticum.* Mysterium quoque ritusque Baptismi cognitos habuisse Arrianum Philosophum Nicomediensem, & ad eos respexisse lib. II. Dissertationum in Epictetum cap. 9. innuunt, quæ de eo disserit Huetius in Demonstratione Euangelica Propos. III. n. 20. *Stabilitatem &* ἀδιαστρεψίαν *Christianorum, licet aliud agens, summopere tamen extollit Arrianus Philosophus, sub Hadriano Imperatore doctrinæ fama conspicuus. Hac enim præcipue nota discerni ait:* τοὺς βεβαμμένους ἀπὸ τῶν παραβαπτιστῶν, *hoc est, baptismo rite initiatos, ab iis, qui licet baptismo tincti essent, Christi tamen fidem ore tantum, non operibus profitebantur, si constantem animum & firmum, non varium & ancipitem præ se ferrent.* Vtique vox βεβαμμένους ad ritum Baptismi spectat, indicatque morem antiquissimis temporibus apud Christianos vsitatum, quo baptizandus ter immergebatur, eaque simul euincit, Arriani ætate solennem reticentiam apud nostros non obtinuisse. Notabile insuper est, introducta arcani disciplina paullatim desiisse horrendorum criminum imputationes, donec plane in fumos ventosque abirent, mortuis scil. illis, qui apertis adhuc Christianorum sacris interfuerant, posteris autem a conspectu mysteriorum vi illius disciplinæ exclusis. Dallæus hoc calumniarum decrementum animaduertens, quoniam cum Schelstratio negabat eas ex mysterio Eucharistiæ ortas esse, hypothesin suam hoc modo incrustauit lib. VII. de Cultibus Latinorum Religiosis cap. XV. pag. 901. *Sed & insulsam calumniam tempus breui deleuit, neque vltra Tertulliani tempora consi-*

consistere fuit. Certe altum de illa ἀνθρωποφαγία apud Paganos aui Cyprianei & sequentium sæculorum silentium. Eo præter cætera, quæ nos alibi sumus exsequuti, illorum error arguitur, qui diabolicum illum de nostris rumorem ex Eucharistici sacri occasione ortum fictumque putant. Cum enim sacrum illud apud nostros semper manserit, neque a posteris quam a primis Christianis parcius, aut negligentius factitatum ac frequentatum fuerit, mansisset vna apud Paganos hæc calumnia, si hæc eius origo fuisset. Illa vero subito defecit, ac euanuit vna cum hæreticis, e quorum flagitiis & nefariis sacris efficta coaluerat. Nos quidem libenter amplectimur, quod ait Dallæus, æuo Cyprianeo, id est, tertio sæculo adulto, paganos de his accusationibus silere. Caussam vero silentii perperam is refert in occasum finemque hæreseos Gnosticæ, quæ longo posthæc tempore perstitit, & Epiphanii adhuc ætate superfuit, ipsumque ad paria flagitia sollicitauit, vt idem prolixe narrat in Panario, Hæref. xxvi. Quamobrem alia ratio adsignanda venit, disciplina videlicet arcani, qua in Ecclesiam recepta pessimarum calumniarum vniuersa moles sensim corruit atque euanuit.

Articulus II.

An Sacræ Scripturæ Codices duobus primis sæculis ab Ethnicis passim legi consueuerint; & exinde colligatur, disciplinam arcani tunc in vsu non fuisse.

CHristus ex hoc mundo discessurus præceperat Apostolis, *vt euntes in mundum vniuersum prædicarent Euangelium omni creaturæ*, idque Apostolos non verbis solum, sed scriptis quoque Euangeliorum Codicibus effecisse, n. 4. suæ disputationis innuit Tentzelius, asseritque: „ Nihil esse, cur dubitemus, Codices Euangeliorum, Actus Apostolicos, Paulique „ ad Romanos, Corinthios, & cæteros Epistolas, quæ non aliter ac reliqua Noui Fœderis scri„ pta ad communem Gentium vsum tractationemque græco idiomate editæ erant, a fidelibus „ pariter & Catechumenis fuisse lecta, & in Paganorum manus haud raro peruenisse, quippe „ quibus Baptismi non minus ac Sanctæ Cœnæ doctrina & ritus Apostolici clare & sine omni „ inuolucro traduntur. „ Plura vt indubitata supponit Tentzelius, quæ non solum dubia, sed & erronea esse, ostendi possunt. Vbinam enim inuenit ille, Noui Fœderis scripta ad communem Gentium vsum Græco idiomate edita, & a fidelibus pariter ac Catechumenis lecta fuisse? Monstrauimus supra, tam Euangelia, quam Epistolas Apostolicas pro solis fidelibus scripta fuisse. Constat id de Pauli Epistolis ad solas fidelium Ecclesias scriptis, & apud solas fidelium Ecclesias legendis: *Cum lecta fuerit apud vos epistola hæc*, inquit Paulus ad Colossenses 4. *facite, vt in Laodicensium Ecclesia legatur; & eam, quæ Laodicensium est, vos legatis.* Et Epistola 1. ad Thessalonicenses circa finem: *Adiuro vos per Dominum, vt legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.* Quæ de Epistolis, eadem de Euangeliis dicenda sunt, fatente Apostolo 2. ad Corinthios 8. Lucæ laudem esse *in Euangelio per omnes Ecclesias*: & clarius teste Eusebio lib. 2. historiæ, cap. 15. de Marci Euangelio, quod Petrum ad Romanorum preces authoritate sua comprobasse ait, *vt deinceps in Ecclesiis legeretur. Refertur id a Clemente*

in

in sexto Institutionum libro, cui testis etiam accedit Papias Episcopus Hierapolitanus. Clara sunt hæc testimonia, ex quibus patet, tam Euangelia, quam epistolas Apostolicas, non ad communem Gentium vsum scriptas, & a Catechumenis ac infidelibus priuatim lectas fuisse, sed apud solas fidelium congregationes, siue, vt loquitur Apostolus, *in Ecclesiis* legi debuisse.

Mandatum Apostolicum de legendis in Ecclesia sacris Codicibus, obseruatum fuisse primis sæculis, constat ex Iustino Martyre Apologia 2. pro Christianis, Dionysio de Hierarchia Ecclesiastica, cap. 3. & Tertulliano in Apologetico cap. 39. disertis verbis attestantibus, fideles ad audiendas Scripturas conuenisse, eamque ob rem Oratoria, aut Ecclesias adiisse. Putant autem Eminentissimus Cardinalis Bona lib. 1. Rerum Liturgicarum, cap. 16. num. 1. Gabriel Albaspineus Aurelianensis Episcopus lib. 1. de Eucharistia, cap. 5. & Christianus Lupus variis locis, Catechumenos duobus, aut tribus primis sæculis non interfuisse Apostoli vel Euangelii lectionibus, Missamque eorum aliquot precibus, & Psalmis constitisse; „ Quibus absolutis „ (inquit Cardinalis Bona ex Gabriele Albaspineo) voce Diaconi dimittebantur Catechumeni, & alii, qui Missæ fidelium adesse non poterant. „ Ex quorum sententia præclare confirmatur id, quod nos obseruauimus de Scripturis Noui Testamenti, seu Euangeliis, & Epistolis Apostolicis, ea nimirum infidelibus & non initiatis adeo occultari consueuisse, vt ne quidem præsentibus Catechumenis legerentur in Ecclesiis.

Neque sententia hæc suis rationibus destituta est, si quarumdam Prouinciarum, & Regionum consuetudo aspiciatur. Constat enim de Hispania ex Concilio Valentino canone 1. Euangelia non vbique coram Catechumenis lecta fuisse; ita enim statuit: *Hoc inter cætera censuimus obseruandum, vt sacrosancta Euangelia ante munerum illationem, vel Missam Catechumenorum in ordine lectionum post Apostolum legantur, quatenus salutaria præcepta Domini nostri Iesu Christi, vel sermonem Sacerdotis, non solum fideles, sed etiam Catechumeni, ac pænitentes, & omnes, qui ex diuerso sunt, audire licitum habeant. Sic enim Pontificum prædicatione audita nonnullos ad fidem attractos euidenter scimus.* De Africa licet satis constet, Apostolum & Euangelium coram Catechumenis lecta fuisse, eosque, vt ex Augustino, Cypriano, & Tertulliano colligitur, tractatibus Episcoporum interfuisse; non constat tamen, admissos fuisse Iudæos, & Paganos; quin potius ante canonem 84. Concilii Carthaginensis 4. eis prohibitum fuisse ingressum Ecclesiæ, ex his eiusdem canonis verbis deducitur: *Vt Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum DEI, siue Gentilem, siue Iudæum vsque ad Missam Catechumenorum.* Putabant Albaspineus & Bona, hunc canonem etiam Catechumenos respicere, cum tamen nihil de Catechumenis statuat, sed potius Euangelium & Tractatum Episcoporum præsentibus Catechumenis lecta, siue dicta fuisse supponat. De Paganis itaque, Iudæis, & Hæreticis Canon statuit, posthac admittendos esse ad Ecclesiam, quod antecedenter in Africa non fiebat, quia eos ad auditionem sacrorum Codicum non admittebant.

Variam locorum consuetudinem, quam in Occidente reperimus, etiam in Oriente locum habuisse, colligi potest ex duobus Canonibus Laodiceni Concilii, quorum vnus ordine 16. statuit: Περὶ τοῦ ἐν Σαββάτῳ Εὐαγγέλια μετὰ ἑτέρων γραφῶν ἀναγινώσκεσθαι. *Quod in Sabbatis Euangelia cum aliis Scripturis legi conueniat.* Et alius ordine 19. Περὶ τοῦ δεῖν ἰδίᾳ πρῶτον μετὰ τὰς ὁμιλίας τῶν Ἐπισκόπων, καὶ τῶν κατηχουμένων, εὐχὴν ἐπιτελεῖσθαι. *Quod oporteat seorsum primum post allocutiones Episcoporum, orationes super Catechumenos celebrari.* Ex his enim Canonibus colligere licet, ante Concilii Laodiceni tempora Catechumenos in quibusdam Orientis locis neque Euangeliorum lectioni, neque Episcoporum tractatui interfuisse. Et quamuis Chrysostomus, & Basilius iuxta hunc

cano-

canonem statuerint in suis Liturgiis, Apostolum & Euangelium ante Missam Catechumenorum legenda esse; hoc tamen non reperitur in Liturgia Iacobi Hierosolymitani Episcopi & Apostoli, vtpote in qua ante Missam Catechumenorum ponitur. Εἶτα ἀναγινώσκεται διεξοδικώτατα τὰ ἱερὰ λόγια τῆς παλαιᾶς διαθήκης, καὶ τῶν Προφητῶν, καὶ ἀποδείκνυται ἡ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ ἐνανθρώπησις, τάτε πάθη, καὶ ἡ ἐκ νεκρῶν ἀνάστασις, ἡ εἰς τοὺς οὐρανοὺς ἄνοδος, καὶ πάλιν ἡ δευτέρα αὐτοῦ μετὰ δόξης παρουσία. καὶ τοῦτο γίνεται καθ' ἑκάστην ἐν τῇ ἱερᾷ καὶ θείᾳ ἱερουργίᾳ. *Deinde leguntur fusissime oracula sacra Veteris Testamenti, & Prophetarum; & Filii Dei incarnatio demonstratur, passio, resurrectio ex mortuis, ascensus in cælum, secundus praterea aduentus eius cum gloria: atque id fit singulis diebus in Sacra & Diuina Missa.*

Notanda sunt verba Liturgiæ, quibus supponitur, ex præscripto Iacobi Apostoli sola Veteris Testamenti & Prophetarum Oracula in Missa Catechumenorum prælegi consueuisse, adeoque Noui Testamenti codices Catechumenis occultatos fuisse. Quod autem de consuetudine Hierosolymitanæ Ecclesiæ pro Catechumenis obseruauimus, hoc vniuersali primitiuæ Ecclesiæ consuetudine pro Ethnicis & Iudæis obseruatum fuisse, probari potest ex trium primorum sæculorum monumentis Ecclesiasticis, vtpote ex quibus colligi potest, Gentiles & Iudæos ne quidem ad Missam Catechumenorum receptos fuisse, vt toto illo tempore a Sacrorum codicum lectione remoti fuerint. Vnde cum tempore Diocletiani fideles cogerentur tradere codices Sacros, etiam illi, qui metu mortis compulsi eos tradere ausi fuerunt, a communi fidelium cœtu separati, & pro traditoribus ac lapsis habiti sunt. Extant Optati Mileuitani, & Sancti Augustini opera, ex quibus constat, quam grauiter tulerit Ecclesia, Sacros codices ad manus infidelium fuisse delatos: patet quoque, quibus censuris Ecclesia in traditores animaduerterit, quot difficultates & schismata eam ob rem subierit.

Refert D. Augustinus lib. 3. contra Cresconium, cap. 27. acta Cyrthensis Conciliabuli sub Secundo Numidiæ Primate, totius schismatis Donatistarum Authore præcipuo, sub quo Matinus ab Aquis Tibilitanis accusatus de traditione codicum respondit: *Dedi Pollo chartulas, nam codices mei salui sunt.* Et Donatus Calamensis simili modo accusatus respondit: *Dedi codices medicinales.* Sic nimirum traditores illi Episcopi crimen excusare conati sunt, dicendo, se chartulas dumtaxat & codices medicinales dedisse, quod crimen traditionis codicum sacrorum ipsimet erubescerent. Extant acta Munacii Felicis Diocletiano 8. & Maximiniano 7. Consulibus in Ecclesia ipsa Cyrtheosi conscripta, ex quibus patet, Ecclesiam sacros codices speciali curæ Lectorum commisisse. Indeque ad Felicem respondisse Paulum Cyrthensem Episcopum: *Scripturas Lectores habent;* & Catulinum ac Marcuclium Subdiaconos similiter dixisse: *Lectores habent codices.* Tantum abest, primitiuam Ecclesiam codices sacros Gentilibus seu non initiatis communicasse.

V. Alterum argumentum ex antiquitate a me desumtum refutaturus Schelstratius quærit, vbinam inuenerim, Noui Fœderis scripta ad communem Gentilium vsum Græco idiomate edita & a fidelibus pariter ac Catechumenis lecta fuisse? Tribus fere capitibus constat hæc controuersia: primum est, an noui testamenti scripta propterea Græce consignata sint, vt communi gentium vsui paterent? secundum, an a gentibus etiam lecta fuerint? tertium denique, an Catechumenis ad legendum permissa? Primum notabili testimonio confirmat Clemens Alexan-

Alexandrinus lib. I. Stromatum, quod Gentianus quidem Heruetus in Commentario suo ad Græcam tantum Veteris Testamenti versionem trahit: *Cum ergo ad vitam æternam non sola requirantur opera, sed fides etiam sit necessaria, ne caussari possent Græci se ignorare, in linguam Græcam versæ sunt Scripturæ, vt possint ea ipsa audire, quæ nos audimus, si velint, & ita sint inexcusabiles.* Nequeunt tamen verba Clementis scopo conuenienti intelligi, nisi noui etiam fœderis libros respiciant, quippe in quibus doctrina de iustificatione & salute per fidem præcipue exponitur, iique singulariter continent, quæ Christiani audiunt. Ita autem Clemens: διὰ τοῦτο γὰρ Ἑλλήνων φωνῇ ἑρμηνεύθησαν αἱ γραφαὶ, ὡς μὴ πρόφασιν ἀγνοίας προβάλλεσθαι δυνηθῆναί ποτε αὐτοὺς, οἵους τε ὄντας ἐπακοῦσαι καὶ τῶν παρ᾽ ἡμῖν, ἢ μόνον ἐθελήσωσιν. Heruetus latinis verbis: *Propterea enim Græca voce expositæ sunt Scripturæ, vt nullum vnquam ignorantiæ possint prætextum afferre, cum possint quæ sunt apud nos audire, si tantum voluerint.* Prolixius hoc declararunt Origenes Lib. VII. contra Celsum, & Theodoretus initio Sermonis octaui de curatione Græcarum affectionum, quorum verba describere nimis longum foret. Porro Schelstratius initio huius capitis fatetur, Apostolos non verbis tantum, sed scriptis quoque Christi mandatum exsequutos esse. Quum igitur Euangelium ore prædicauerint omnibus Gentibus, seu Iudæis & Græcis, vt loquitur Paullus; necessarium profecto fuit, vt quæ calamis hanc in rem exarauerant, ad omnes quoque pertinerent. Cui facilius conficiendo linguam Græcam elegit Spiritus Sanctus, quod eo tempore vulgatissima esset, *& in omnibus populis Græca legerentur*, teste Cicerone in Oratione pro Archia. Tum *inter omnes Gentium linguas, quibus prædicari tum debuit Euangelium, hæc videbatur præstantissima: vnde etiam non saltim tota Philosophia hac lingua potissimum conscripta erat, sed & Græcæ Scholæ, atque literæ cæteris palmam facile præripiebant. Quum ergo gentes assumerentur in locum Iudæorum in Dei peculium tempore Noui Testamenti, ea quoque lingua, qua ipsarum maxime propria fuit, DEUS benignissimus easdem affari dignatus est per Apostolos suos*, vt præclare monet Abraham Calouius in Critico Sacro num. 107. pag. 439. pluribusque illustrant Salomon Glassius Lib. I. Philologiæ Sacræ Tract. IV. Sect. II. pag. 230. 231. & Michael Waltherus in Officina Biblica num. 91. pag. 65. 66. prudentiorum quoque Pontificiorum suffragia allegantes, ille quidem Benedicti Ariæ Montani in præfatione Bibliorum: *Græca siue Eliensis lingua, cum vel ob cæterarum nationum, cum Græca familiaritatem & commercia, vel propter studium, quod in ea addiscenda plerisque adhibitum est, compluribus nationibus nota & familiaris fuerit, aptissima & maxime commoda fuit, qua diuina mysteria patefierent.* Hic autem Guidonis Fabricii Boderiani, interpretis versionis Syriacæ in Bibliis Antuerpiensibus, cuius sententiam tali modo exhibet: *Verisimile est, diuina prouidentia linguæ Græcæ esse tributum, vt Canon-*

non N. T. in ea conscriberetur, vt per eam euerteretur idololatria & falsorum Deorum vanitas, quam ipsa inani sua facundia & instructa quadam dicendi facultate fabricarat atque inuexerat, vtque veri Dauidis, veri Animarum Pastoris verique Iudæorum Regis manu superbus ille Goliath, diuini Numinis contemtor, proprio iugularetur gladio, quod Guido Fabricius in præfatione super Syriacam Versionem Noui Testamenti bene monet. Summa etiam obseruatione dignum est, diuinam prouidentiam, inualescente Christianismo, iis quoque prospexisse, qui Ebræam Veteris, & Græcam Noui fœderis Scripturam ob idiomatis vtriusque ignorantiam legere nequibant, ac in alias linguas libros sacros transferri curasse. Quod exsertis verbis fatetur Augustinus lib. II. de Doctrina Christiana cap. V. *Ex quo factum est, vt etiam Scriptura diuina, qua tantis morbis humanarum voluntatum subuenitur, ab vna Lingua profecta, quæ oportune potuit per totum orbem terrarum disseminari, per varias Interpretum linguas longe lateque diffusa innotesceret gentibus ad salutem.* Eodem modo Theodoretus Sermone v. Curationis Græcarum affectionum pag. 81. editionis Commelinianæ: ἡμεῖς δὲ τῶν ἀποστολικῶν καὶ προφητικῶν δογμάτων τὸ κράτος ἐναργῶς ἐπιδείκνυμεν. πᾶσα γὰρ ἡ ὑφ' ἡλίῳ, τῶν δὲ τῶν λόγων ἀνάπλεως. καὶ ἡ Ἑβραίων φωνὴ οὐ μόνον εἰς τὴν τῶν Ῥωμαίων καὶ Αἰγυπτίων καὶ Περσῶν καὶ Ἰνδῶν καὶ Ἀρμενίων καὶ Σκυθῶν καὶ Σαυρομάτων, καὶ συλλήβδην εἰπεῖν, εἰς πάσας τὰς γλώττας αἷς ἅπαντα ἔθνη κεχρημένα διατελεῖ. *Nos autem vobis Apostolicæ Propheticæque doctrinæ inexhaustum robur manifeste ostendimus. Vniuersa enim facies terræ, quantacunque soli subiicitur, eiusmodi verborum plena iam est. Hebraici vero libri, non modo in Græcum idioma conuersi sunt, sed in Romanam quoque linguam, Ægyptiam, Persicam, Indicam, Armenicamque & Scythicam, atque adeo Sauromaticam; semelque vt dicam, in linguas omnes, quibus ad hanc diem nationes vtuntur.* Falsa igitur est opinio, qua negat Schelstratius, noui fœderis libros in communem Gentium vsum scriptos esse.

VI. Verum quia is lectionem Scripturæ a Gentilibus obseruatam inficiatur, de ea paullo accuratius agendum nobis est. Neque enim satis mirari possum quæstionem a viro docto ita formatam: *An Sacræ Scripturæ Codices duobus primis sæculis ab Ethnicis passim legi consueuerint; & exinde colligatur, disciplinam arcani tunc in vsu non fuisse?* Certe posito priori posterius aperte consequi, ne ipse quidem inficiari potest: propterea prius tantum sibi sumsit impugnandum, statum quæstionis immutans, dum in genere negat, *Sacræ Scripturæ Codices* ethnicos duobus primis sæculis legisse, qua denominatione veteris pariter nouique fœderis libros comprehendi notum est. At de Veteri Testamento a gentilibus, Philosophis præsertim, tam ante, quam post Christum natum viuentibus, lecto, controuersiam mouere, nihil aliud esset, quam contradicere Iustino Martyri,

Theo-

Theophilo Antiocheno, Tatiano, Clementi Alexandrino, Tertulliano, Minutio Felici, Iulio Firmico, aliisque plurimis antiquorum Ecclesiæ Doctorum, qui Platonem, cæterosque Philosophos plagii ex sacris litteris accusant atque conuincunt. Nec pauca loca in sapientum Gentilium scriptis hodienum residuis occurrunt, quæ ex Veteri Testamento sumta esse patet, magnoque studio collecta sunt ab Huetio in præclaro Opere Demonstrationis Euangelicæ. Nos vnico tantum Platonis contenti erimus lib. II. de Republica: *ταύτῃ καὶ ὁ τῶν Ἰουδαίων θεσμοθέτης, οὐχ ὁ τυχὼν ἀνὴρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ Θεοῦ δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐγνώρισε, κἀξέφηνεν εὐθὺς, ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων. εἶπεν ὁ θεός, φησί, τί; γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο. Γενέσθω γῆ, καὶ ἐγένετο. Sic & Iudæorum Legislator, vir non vulgaris; quandoquidem Numinis potentiam pro dignitate notam fecit, declarauitque statim initio proœmii legum suarum scribens: Dixit Deus, inquit: quid? Fiat lux & facta est; fiat terra, & facta est.* Notabile est, Platonem diserte testari, Mosen hæc *scripsisse*; nullumque adeo dubium relinquere, quin libro eius legerit. Eundem Platonis locum verbotenus descripsit Longinus in libello περὶ ὕψους, quem propterea laudat Dionysius Petauius lib. I. de Opificio sex dierum cap. VI. num. 5. pag. 249. sed Huetius Propositione IV. cap. III. num. 53. pag. 95. recte existimat, hæc aliunde Longinum accepisse, nec Mosis libros euoluisse, quanquam non nominat fontem, ex quo Longinus bibit, quem non alium ac Platonem esse collatio docet. Notabile præterea est Iustini Martyris testimonium in Apologia ad Imperatores pag. 95. Postquam enim τὰ τοῦ Μωσέως συγγράμματα allegasset, addit: τὰ δ' ἑπόμενα ἐξ ἐκείνων βουλόμενοι μαθεῖν δύνασθε. *Quæ vero deinceps sequantur, ex illis, si vultis, cognoscere potestis.* Vnde manifeste colligitur, Christianos a lectione Mosaicorum voluminum neminem gentilium prohibuisse. Legerunt etiam ethnicorum plurimi primo secundoque post Christum natum sæculo Mosis scripta, vt ibidem docet Huetius: quibus recensendis non immorabimur, quandoquidem præcipua inter nos & Schelstratium controuersia est de noui fœderis libris, an istis sæculis lecti sint a gentilibus? quod sine vlla dubitatione adfirmamus, inuictis argumentis innixi. Primo enim ipsi ethnici vel allegant, vel sugillant Apostolos & Euangelistas, quorum neutrum absque lectione sacrorum librorum ab ipsis editorum fieri potuisse palam est. Vtrunque Huetius agnoscit Propositione prima, non solum in Euangelio Marci num. III. pag. 30. *Porphyrius quoque, dum quædam in eo temere carpit, ipsius antiquitatem &* γνησιότητα *confirmat:* sed clarius in Actibus Apostolicis num. 5. *Egregium autem cum vniuersæ Euangelicæ historiæ, tum præcipue Euangelio Lucæ, atque Actis etiam Apostolorum ab eo scriptis, antiquitatis testimonium commodat Philostratus, Seuero Augusto coæuus. Pleraque enim Christi, Apostolorumque miracula ex his libris adeo manifeste in Apollonium suum transscripsit, vt ne*

a verbis quidem ipsis vsurpandis abstinuerit. Et in Euangelio Ioannis num.vi.pag. 31. *Præterea de rerum Origine disserens Amelius, Platonicus Philosophus, suppar his temporibus, ex Euangelio Ioannis, quem celato nomine Barbarum appellat, prima verba vsurpat, a Christi licet religione alienus.* Edisserat quæso nobis Schelstratius, quomodo absque lectione Noui Testamenti ea consignare potuerint Porphyrius, Philostratus, & Amelius? aut subscribat potius veritati, quam nos propugnamus, concedatque, Sacræ Scripturæ Codices duobus primis sæculis ab ethnicis passim legi consueuisse. Sane Lucas Holstenius in Dissertatione de vita & scriptis Porphyrii Philosophi Cap.v. fatetur ingenue, *in confesso esse, eius sæculi Philosophos ferme omnes sacras literas legisse,* & allegato loco Longini, qui Porphyrii præceptor fuit, subdit: *sed frustra huiusmodi ratiunculis pugnamus, cum certum sit, Porphyrium non Moysen solum, sed vniuersam sacram scripturam legisse, & quidem diligentissime: eo fine, vt falsam & incertam ostenderet diuinorum oraculorum fidem: quod Eusebius in libris de præparatione non vno loco, & Theodoretus serm.7. Θεραπ. testantur.* Idque magis illustrant, quæ ex impio Porphyrii contra Christianos opere Holstenius profert cap.x. Amelii vero locus apud Eusebium lib.xi. Præparationis Euangelicæ cap.xi. & Cyrillum lib. viii. contra Iulianum, adeo clarus est, vt nulla arte obscurari eludique possit. Dabimus eum, prout apud Cyrillum legitur: Καὶ οὗτος ἄρ᾽ ἦν ὁ λόγος, καθ᾽ ὃν ἀεὶ ὄν τὰ γινόμενα ἐγίνετο, ὡς ἂν καὶ Ἡράκλειτος ἀξιώσειε, καὶ νὴ Δία ὃν ὁ βάρβαρος ἀξιοῖ, ἐν τῇ ἀρχῆς τάξει τε καὶ ἀταξίᾳ καθεστηκότα πρὸς θεὸν εἶναι, καὶ θεὸν εἶναι, δι᾽ οὗ πάντα ἁπλῶς γεγενῆσθαι, ἐν ᾧ τὸ γενόμενον ζῶν, καὶ ζωὴν καὶ ὂν πεφυκέναι, καὶ εἰς τὰ σώματα πίπτειν, καὶ σάρκα ἐνδυσάμενον, φαντάζεσθαι ἄνθρωπον, μετὰ γε καὶ τηνικαῦτα δεικνῦναι τῆς φύσεως μεγαλεῖον, ἀμέλει καὶ ἀναλυθέντα, πάλιν ἀποθεοῦσθαι, καὶ θεὸν εἶναι, οἷος ἦν πρὸ τοῦ εἰς τὸ σῶμα καὶ τὴν σάρκα καὶ τὸν ἄνθρωπον καταχθῆναι. *Atque hoc certe erat verbum, per quod, quæ semper existunt facta, facta sunt, sicut & Heraclitus existimauit: & per Ioannem, quod Barbarus ille vult in principii ordine & confusione constitutum apud Deum fuisse, & Deum esse, per quem simpliciter omnia facta sint, in quo quod factum sit, fuerit viuens, & vita, & Ens: tum in corpora lapsum, carnemque indutum, hominem apparuisse, ostendens etiam tunc naturæ suæ magnitudinem, omninoque resolutum, rursum deificatum, Deumque exstitisse, qualis item fuisset, antequam in corpus, & carnem, & hominem descendisset.* Notanda quoque sunt, quæ addit Cyrillus: *Barbarum itaque, vt opinor, diuinum Ioannem vocat, eo quod fortassis externæ linguæ erat. Fuit enim Ebræus ex Ebræis, & non de regione & terra Græcorum. Veruntamen sciuit Verbum hominem esse factum, & hoc confitetur, nec reiicit diuinæ prædicationis sermonem.* Quod si hæc nondum suffecerint Schelstratio, aliorum ethnicorum exempla subiungemus, qui allegatis partim æquales, partim

tim iuniores fuerunt. Celsus omnibus fere libri sui aduersus Christianos paginis adducit impugnatque noui fœderis libros, vt ex Origenis refutatione patet. Hinc Chrysostomus, quod inprimis notari meretur, argumentatur pro antiquitate Scripturæ noui Testamenti, ac Huetio ratiocinando præit, Homilia VI. in priorem ad Corinthios: ἱκανοὶ δὲ καὶ οἱ καθ' ἡμᾶς εἰρηκότες τὴν ἀρχαιότητα μαρτυρῆσαι τοῖς βιβλίοις, οἱ περὶ κέλσον, καὶ τὸν βαταναιώτην τὸν μετ' ἐκεῖνον. οὐ γὰρ δὴ τοῖς μετ' αὐτοὺς συντεθεῖσιν ἀντέλεγον. *Sufficiunt autem & qui contra nos scripserunt, ad testandam librorum nostrorum antiquitatem, nempe Celsus & Bataneotes, qui fuit post illum. Non enim contradicebant aduersus ea, quæ post illos fuerant composita.* Ita vertit Ambrosius Camaldulensis: Chrysostomus autem non minus ac Hieronymus per *Bataneoten* intellexit Porphyrium, quippe ex regione *Basan*, quæ & *Batanea*, oriundum, quod Stephanus le Moyne To. II. Variorum Sacrorum pag. 606. 607. obseruauit, alteramque denominationis rationem adiecit: *Porphyrius erat Batanea oriundus, & hinc vocatur Bataneotes, nec tantum erat Batanea oriundus, sed instar Taurorum* Βαταναιωτικῶν, *instar* שורי בשן, *petulco impetu inuadebat Religionem Christianam, vt olim hostes Dauidis & Christi, illos instar Taurorum Baschan, vexabant & adoriebantur.* Iustinus Martyr cum gentilis adhuc Philosophus esset, diuina volumina a Christiano sene sibi commendata studiose legit, idque ipse refert in Dialogo cum Tryphone p. 225. ἐμοῦ δὲ παραχρῆμα πῦρ ἐν τῇ ψυχῇ ἀνήφθη, καὶ ἔρως ἔχει με τῶν προφητῶν, καὶ τῶν ἀνδρῶν ἐκείνων, οἵ εἰσι Χριστοῦ φίλοι. *Confestim vero in animo meo ardor excitatus est, & amor me inuasit Prophetarum, & virorum illorum, qui Christo clari sunt & amici.* Tantum sane abfuit senex ille Christianus a Schelstratii opinione, vt ipse potius lectionem sacrarum Scripturarum Iustino suaserit. Ad eundem modum Theophilus Antiochenus, priusquam Christianus fieret, τὰς ἱερὰς γραφὰς τῶν ἁγίων προφητῶν legit, idque in fine libri primi ad Autolycum fatetur, & lib. II. p. 110. & 112. illum ad idem faciendum hortatur. Imo Autolycum noui etiam fœderis scripta legisse patet ex eius cauillatione, quam initio Libri III. Theophilus proponit atque refellit, προσφάτους καὶ νεωτερικὰς εἶναι τὰς παρ' ἡμῖν γραφάς, *nostra scripta esse recentia & nupera.* Sic Commodianus, sæculi quarti scriptor, cuius Instructiones aduersus paganos exstant, *dum inter seculares litteras etiam nostras legit, occasionem accepit fidei*, teste Gennadio Massiliensi in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap. XV. Anno 350. quinque libros scripsisse dicitur Magnes Christianus aduersus Theosthenem gentilem, discrepantiam Euangelistarum & alia in Euangeliis notantem Christianisque obiicientem. Franciscus Turrianus hoc Magnetis Apologeticum in scriptis suis sæpe allegauit, quem tamen explosit Albertinus pag. 420. *Quis enim Veterum, imo etiam recentiorum per nouem & decem sacula Magnetis huius vel quoad nomen tantum meminerit?*

 Ficti-

Fictitius prorsus auctor est, aut saltem nouus aliquis aut nuperus Græculus, cuius scriptorum certitudo tota est penes Turrianum, exigui iudicii virum & fidei valde suspecta. Aduersus hæc ne hiscere quidem ausus est Natalis Alexander, qui Dissertationem XII. sæculi XI. Albertino opposuit: sed Schelstratius forte ex Codicibus Vaticanis Turriano suppetias feret. Turriani certe auctoritas maioris pretii est apud Paullum Colomesium in Paralipomenis ad Cauii Chartophylacem, quorum pag.18. huius etiam Magnetis facit mentionem, & inter alia obseruat, *auctorem hunc laudare Græcos in Responsionibus suis ad Cardinalem de Guise*, quod mirum est non obseruasse Albertinum, quem illas Græcorum Responsiones non ignorasse ex fine Operis eius liquet. Certiora sunt, quæ de Libauio, celeberrimo sub Apostata Iuliano Sophista, notat Hugo Grotius epistola 1057. *Libanius, homo paganus, sed Euangelii non indiligens lector, in oratione de custodia reorum laudat præceptum de chlamyde aut tunica non litigandi*, quod Christus dedit Matthæi V. Præterea Disputationes gentilium Philosophorum in Synodo Nicæna apud Gelasium Cyzicenum nos dubitare non sinunt, Veteris & Noui Testamenti libros haud perfunctorie ab iis fuisse perlectos: & quanquam concederem, quod nonnulli volunt, fictas esse a Gelasio, is tamen ad sui saltem temporis disciplinam respexisset, quo disciplina arcani apud Christianos vbique recepta erat, neque adeo gentiles a sacrarum litterarum lectione arcebat. Quam eadem ætate confirmant centum & quadraginta sex quæstiones, *quas Gentes ex variis locis vtriusque Testamenti Christianis obiiciebant*, vt Sixtus Senensis & Labbeus scribunt. Responsio ad eas inter Iustini Martyris Opera exstat, sed ab omnibus eruditis illi hodie abiudicatur, quorum plerique existimant, sæculo quinto fuisse adornatam. Vnde autem ethnici harum rerum notitiam hausissent, interdicta ipsis sacrorum voluminum lectione? Denique Hypatiam, celebrem Philosophiæ magistram, libros sacros N.T. legisse, comprobat epistola eius, quam in Gratiam Nestorii ad Cyrillum Alexandrinum scripsit, editam a Christiano Lupo inter alias epistolas ad Concilium Ephesinum spectantes, cap. CCXVI. Prouocat enim diserte ad *Euangelistam*, eiusque verba, *Deum nemo vidit vnquam*, Cyrillo opponit. Legit igitur Ioannem non minus ac Amelius, de quo supra dictum est. Quod exemplis hactenus firmauimus, ratione etiam adstrui potest haud contemnenda, petita ex vetustissima gentilium calumnia, quam his verbis exprimit Conradus Rittershusius in Notis ad Lib. IV. epistolarum Isidori Pelusiotæ, epist. 28. *Vulgatissimum olim conuicium, quod sacris & diuinis litteris faciebant pagani & infideles, illud erat, barbarismis ac solæcismis eas scatere. Ab hoc igitur crimine veteres ecclesiæ Doctores scripturam diuinitus inspiratam vt liberarent, multa attulerunt, quæ ex ipsorum Libris est petere. Vide cumprimis Arnobium lib. 1. aduersus Gentes, & Lactantium Firmianum lib. 6. cap. 21. & in Epitoma diuinarum Institutionum cap. 5.*

Atue-

Atuero qua ratione de ſtylo & charactere dicendi iudicare aut loqui ſaltem potuiſſent gentiles, niſi legendi copiam habuiſſent? Digniſſima etiam obſervatu eſt Petauii ſententia, in Præfatione tomi II. Dogmatum Theologicorum, cap.III.n.6. de Origene: *Cum is Chriſtiana dogmata, Scripturasque ſacras rideri ab Ethnicis, & contemni videret, tum propter eorum ſimplicitatem; tum quod multa continent, hominum ac mundi, vt loquitur Apoſtolus, ſtulta iudicio; dediſſe operam, vt aliorſum, quam præ ſe ferebant, trahenda & interpretanda illa putarentur: ac primum rerum geſtarum hiſtoricam ab Scripturis veritatem abiudicaſſe, totumque retuliſſe ad allegoricos figuratosque ſenſus: deinde fidei capita præcipua ad horum ſimilia, quæ penes gentes erant, applicaſſe, aut hæc in illa transtuliſſe.* Quibus tacite innuit Petauius, ethnicis patuiſſe diuina volumina, quorum ſimplicitatem illi traducentes, occaſionem allegorias venandi Origeni ſubminiſtrarunt. Apertius loquitur Martinus de Roa Parte I. Singularium lib.I.cap. V. *Veteres Poëtas, atque eos præſertim, qui poſt Chriſtum natum Romæ verſati ſunt, multa ex ſacris litteris mutuatos, cum alia multa, quæ in hiſce libris explicantur, oſtendunt, tum hoc apud Martialem &c.* Longius adhuc progreditur Halloixius, Notis in caput III. vitæ Iuſtini pag. 316. quando inter cauſſas atrocium calumniarum, de quibus ſupra diximus, hanc etiam recenſet: *Adde, quod curioſiores ſacrarum litterarum perſcrutatores ex ipſiſmet euangeliis, vbi de manducatione carnis Domini & potione ſanguinis eius agitur, nonnullam potuerint obtrectandæ legis noſtræ, & talium concinnendarum fabularum anſam arripere. Nam & Auerroës Philoſophus, quum in diuina ſcripta oculos, & in ſacra myſteria mentis aciem, ſed abſque fidei lumine tumidius, quam timidius proieciſſet, vel hoc nomine impios Chriſtianos vocitabat quod ſe Deum ſuum edere dicerent.* Tot igitur argumentis indiciisque cognoſcitur, ethnicos primis duobus & ſequentibus poſt Chriſtum natum ſæculis Scripturam ſacram legiſſe, vt merito iudicet Gothofredus Voigtius in Exercitatione Hiſtorica de S S.Diuinitatis Triade cap. II. p. 76. *gentiles, qui a nato Chriſto vixerunt, nemo facile, niſi hoſpes in veterum monumentis, legiſſe Sacram Scripturam negauerit.*

VIII. Schelſtratius tamen noſter negare auſus eſt, quibus rationibus, breuiter videamus. Vrget primo, Euangelia & Epiſtolas Apoſtolicas ad ſolas fideli um eccleſias ſcriptas in iisque legi præceptas eſſe. Quod etiamſi abſolute concederem, nihil tamen viri docti opinionem iuuaret. Conſtat enim, veteris Teſtamenti volumina initio pro ſolis Ebræis & ad illos ſcripta fuiſſe, quæ poſtea tamen a gentilibus lecta, & propterea in Græcam linguam conuerſa ſunt, non ſolum a LXX. Interpretibus, ſed etiam ante illos, vt eruditi norunt. Hinc patet conſequentiæ Schelſtratianæ infirmitas, in qua etiam plura vt indubitata ſupponuntur, quæ vel dubia vel erronea ſunt. Quanquam enim facile largior, epiſtolas a Paul-

lo & cæteris Apoſtolis ad fideles primum ac præcipue ſcriptas eſſe, non tamen vel Iudæis, vel gentilibus priuata earum lectione interdictum fuiſſe pro certisſimo habeo. Recordetur Schelſtratius eorum, quæ dixit pag.66. de Epiſtola ad Ebræos, per quos cum Hieronymo intelligit Iudæos nondum conuerſos, quæ proinde ad eos transmiſſa eſt ex viri docti opinione. At ſi vnam legere potuerunt ac debuerunt Iudæi, quidni etiam reliquas eodem plerunque volumine a Chriſtianis deſcriptas & comprehenſas? Porro mandatum Chriſti, quod voce ſcriptisque exſequutos eſſe Apoſtolos ſponte concedit Schelſtratius, non illius ſolum, ſed etiam ſequuturi temporis gentes reſpicere optime monet Gerhardus noſter in Exegeſi Loci primi de Scriptura Sacra num. 25. pag.45. Sicut igitur tum oralem prædicationem nulli ethnicorum denegabant Apoſtoli, ita etiam ſcripta eorum ad omnes pertinebant. Neque omiſerim occaſionem haud poſtremam epiſtolarum ab Apoſtolis ſcriptarum quam his verbis propoſuit Stephanus le Moyne To.II.Variorum Sacrorum pag. 6. *Quod eo ſedulius præſtare voluerunt, quod Iudæos feruentes animaduerterent, vt per legatos & Epiſtolas, quas ad Iudæos vbique terrarum curabant, currenti Euangelio intercederent, illiusque propagationem viribus omnibus interuerterent.* Probat id Moynius ex Iuſtini Martyris & Euſebii locis, quæ nos num.I. huius ſectionis deſcripſimus, vnde repetant Lectores, & ſimul ad lancem veritatis expendant Martini Cruſii teſtimonium, Parte III.Annalium Sueuicorum lib. V. cap. II. ex Sebaſtiano Franco Iudæorumque confeſſionibus depromtum: *Anno 1348. cum Iudæis omnibus Vlmæ combuſtis, bona eorum annotarentur: reperta ſunt inter ea litteræ quædam tempore Chriſti ex vrbe Hieroſolyma Vlmam miſſa (habitantibus videlicet ibi tunc etiam Iudæis) in hanc ſententiam: Fratribus in regionibus transmarinis, Iudæis Vlmæ in Sueuia (quaſi iam ibi Suevi habitarent: cum Romani, veriſimilius) ſalutem optant fratres; qui ſunt Hieroſolymæ, & in Iudæa ſiue terra Chanaan. Magna tribulatione liberati, merito Deo gratias agimus magnopere. Significamus vobis, impium ſeductorem Ieſum Nazarenum, Ioſephi F. ſublatum e viuis eſſe. Cum enim non amplius blaſphemias eius ferre poſſemus: eum apud Prætorem Rom. accuſauimus. Qui noſtra accuſatione audita, miſericordia noſtri affectus, bene flagellatum, crucifigendum curauit pro meritis eius: diſcipulis eiusdem eiectis & diſperſis, Valete. Etiam aliis in locis capti Iudæi, confesſi ſunt: litteras de his rebus Hieroſolymæ ſcriptas tempore Chriſti fuiſſe.* Sicut igitur a Iudæis non ſolum ad contribules ſuos, ſed etiam εἰς πάντα ἔθνη, vt loquitur Euſebius, legati & epiſtolæ aduerſus Chriſtianam doctrinam mittebantur, ita etiam par erat, vt nec a Iudæorum, nec gentilium vſu lectioneque occultarentur epiſtolæ Apoſtolicæ, meliorem de dogmatibus & vita Chriſtianorum informationem continentes. Euangelia autem Iudæis pariter & gentilibus ad legendum permiſſa fuiſſe multo etiam clarius apertiusque liquet.
Nam

Nam ex Iudæis Trypho in Dialogo cum Iustino p. 227. diserte ait: *ὑμῶν δὲ καὶ τὰ ἐν τῷ λεγομένῳ ἐυαγγελίῳ παραγγέλματα θαυμαστὰ ὕτως καὶ μεγάλα ἐπίσαμαι εἶναι, ὡς ὑπολαμβάνειν μηδένα δύνασθαι φυλάξαι αὐτά. ἐμοὶ γὰρ ἐμέλησεν ἐντυχεῖν αὐτοῖς. Vestra sane, quæ in Euangelio, quod dicitur, sunt præcepta, tam magna & admiranda esse nouimus, vt suspicio nostra sit, a nemine illa seruari posse. Incessit enim ea cura mihi vt legerem.* Nec alia de caussa in linguam Ebræam translata videntur Ioannis Euangelium, & Acta Apostolica, quæ Iudæorum Gazophylacia in vrbe Tiberiade seruabant, adnotante Epiphanio Hæresi XXX. num. 3. 6. & 12. Quis igitur inficias iuerit, lecta olim a Iudæis fuisse sacrosancta Euangelia? De Ethnicis res pariter indubia est ex iis, quæ dixi antea de Porphyrio, Philostrato & Amelio. Certe Huetius multo magis ingenuus est Schelstratio: adducit enim vna eademque pagina locum Paulli a Schelstratio nobis obiectum de laude Euangelii Lucæ per Ecclesias, & fatetur tamen, id a Philostrato lectum exscriptumque esse; vidit enim, hæc sibi inuicem minime opponenda, sed simul consistere posse.

IX. Nec maiorem adplausum meretur, quando a publica sacrarum litterarum in Ecclesiis lectione Iudæos Ethnicosque exclusos vult; bene cæteroquin animaduertens, in quibusdam saltem Ecclesiis id vsuuenisse, quandoquidem in plerisque & infideles & Catechumenos publicæ isti lectioni interfuisse aduersus Bonam, Albaspinæum & Lupum ipse prolixe contenderat in Vindiciis Canonis II. Concilii Antiocheni cap. V. Mihi autem sufficientem caussam haud habere videntur, qui initio Christianismi hunc morem non vbiuis obtinuisse volunt. Etenim ex Concilio Valentino tantum abest, vt concludi debeat, in Hispania ex eius demum præscripto Catechumenos & infideles (hos enim in Canone per *omnes, qui ex diuerso sunt*, indicari patet) lectioni Euangeliorum interesse cœpisse, vt potius hæc Synodus non nisi contrariam consuetudinem ab aliquibus introductam abroget, alteramque antea receptam firmet ac stabiliat, cum subdit: *Sic enim Pontificum prædicatione audita nonnullos ad fidem attractos euidenter scimus.* Hos autem in ipsa Hispania conuersos nihil dubitare attinet, nec opus est de aliis regionibus cogitare: hinc potius colligitur, Iudæos, Ethnicos, & Catechumenos iampridem in Hispania sacris Episcoporum sermonibus interesse consueuisse, ac proinde etiam Lectiones ex nouo fœdere hisce præmitti solitas audiuisse. Par ratio est Canonis alterius, quem hoc quidem loco indubie Schelstratius Concilio Carthaginensi quarto adserit, sed tanta confidentia non vtitur Dissertatione III. Ecclesiæ Africanæ cap. IIX. Vtcunque sit, non satis caussæ habuit Schelstratius, tam in Apologia, quam in Notis ad Concilium Antiochenum, ad solos Catechumenos restringendi formulam solennem: *Norunt fideles*, in Augustini tractatibus occurrentem, quippe quam in genere adhibitam constat, quotiescunque præsentibus

tibus tam infidelibus, quam Catechumenis, ad Sacramentorum ritus Symbolaque deflectebat oratio. Nec obstat, quod Catechumenos, non Ethnicos, aut Iudæos, illa occasione alloquitur Augustinus, siquidem in Catechumenis desiderium Eucharistiæ accendendum, & cunctatio Baptismi nimia improbanda erat, quorum neutrum apud infideles locum inueniebat. Neque me pœnitet corollarii, quod supra Sect. III. num. IX. ex epistola Maximi Madaurensis ad Augustinum scripta, ibique ab ipso Schelstratio allegata deduxi, Philosophum istum sæpius audiuisse conciones Augustini: id enim omnino velle videntur verba eius; *remoto facundiæ colore atque exploso, quia cunctis clarus es, omissis etiam, quibus pugnare solebas, Chrysippeis argumentis.* Vbi omnibus innotuisse tradens facundiam Augustini, simul innuit, sermonibus eius plurimos etiam gentiles interesse solere, apud quos propterea ad tantam nominis claritatem peruenerit. Nec alia mens est Cardinali Bonæ lib. I. Rerum Liturgicarum cap. XVI. n. I. *Ideo Augustinus & alii Patres, interdum gentiles, interdum hæreticos, sæpe etiam Iudæos in suis sermonibus exagitant, quia simul cum fidelibus illis interesse consueuerant.* Igitur Canon Carthaginensis nequit ita explicari, vti hoc loco vult Schelstratius; sed omnino eum in sensum accipiendus est, vt prohibeat nouaturientem quorundam Africanorum episcoporum singularitatem, infideles ab auditu verbi Dei inclementius excludentium. Ac eodem sane modo accepit Schelstratius in Vindiciis Concilii Antiocheni Canonem Laodicenum 19. pag. 200. *Nihil noui statuit perantiquum Laodicenum Concilium, sed antiquam Ecclesiæ traditionem in regulam Canonicam redigit, ideoque contra nonnullas forsan Ecclesiarum innouationes, vtitur solo verbo Δεῖν, oportere.* Quod si in Oriente antiquas consuetudines quidam abrogarunt, iisque oppositus est Canon Laodiceni Concilii: cur non in Occidente idem fecerint nouarum rerum cupidi, quibus a Concilio Valentino & Carthaginensi obex erat ponendus? Cæterum Liturgia Iacobi Apostoli, quam in præsidium opinionis suæ adsciuit Schelstratius, eius non est, vt proxima sectione prolixius monstrabimus. Licet autem tantisper demus Schelstratio, quæ inde attulit, ab ipso Iacobo esse; quomodo is aliter constituere potuit initio sui episcopatus, quo nondum quidquam scriptorum noui fœderis exstabat? Nam Matthæus, qui primus omnium scripsisse communiter putatur, anno demum octauo vel etiam quinto decimo post Christi adscensionem Euangelium suum dicitur adornasse. Cum igitur Iacobus nondum haberet librum quendam de Christi incarnatione & beneficiis in his terris præstitis agentem, oralem tantummodo prædicationem demonstrationemque in ecclesia sua adhibere & in Liturgia inculcare potuit, a qua tamen audienda nunquam vel Catechumenos vel Iudæos vel gentiles exclusos esse ipsa Apostolorum Acta luculenter euincunt. Præterea Iacobus martyrium subiit, antequam multæ Paulli epistolæ, & Ioannis scripta prodiere; adeo-

adeoque priusquam quatuor Euangelia in vsum Ecclesiæ commendarentur a Ioanne Apostolo, si vera est vetus apud Eusebium traditio lib. III. Historiæ Ecclesiasticæ cap. XXIV. Nam vt calculos iniuit Valesius in Annotationibus Eusebianis pag. 41. Iacobus interfectus est anno Neronis quarto, qui cum æræ vulgaris 58. concordat. Quare is non potuit Lectiones ex Noui Testamenti scriptis Ecclesiæ suæ ordinare, ac proinde frustra laborauit Schelstratius, vt liturgiam Iacobi in partes suas traheret. Quod denique subdit, & trium priorum sæculorum monumentis *colligi posse*, Iudæos & Gentiles ne quidem ad Missam Catechumenorum admissos, & toto illo tempore a sacrorum codicum lectione remotos fuisse, tamdiu pro falso adserto habebimus, donec nobis libros & loca Veterum Patrum nominauerit, vnde illud *probari posse* sibi persuasit. Certe ex Tertulliano, quem in Notis ad Canonem Antiochenum pag. 200. citauit, contrarium potius liquet. Verba Tertulliani hæc sunt cap. 41. de præscriptionibus hæreticorum: *Inprimis, quis Catechumenus, quis fidelis, incertum est: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant, etiam Ethnici, si superuenerint.* Nota, Tertullianum indicare, eandem fuisse rationem Ethnicorum & Catechumenorum apud Marcionistas, nec inter vtrosque & fideles vllum discrimen obseruatum, adeoque quod de Catechumenis dicit, ad Ethnicos quoque applicandum esse. Quemadmodum igitur Marcionistas perstringit, quod Catechumenos permittant pariter cum fidelibus *adire, audire & orare*, id est, *sese cum fidelibus miscere, nec obseruato Narthecis loco in ipsa interiori ecclesia, ac si fideles essent, audire & sacrificio interesse*, vt ipse Schelstratius explicat; sic in iisdem improbat Tertullianus, quod parem libertatem ethnicis concedant. Porro sicut Schelstratii iudicio non insimulat Catechumenos, quod Ecclesiam adeant, vel in illa audiant, siue orent, sed recte potius Ferrarius elicit, Catechumenis aditum ad Conciones audiendas fuisse permissum; ita etiam verisimiliter inde colligitur, Ethnicis quoque aditum in Orthodoxa Ecclesia ad Conciones audiendas patuisse. Quod disertis verbis enunciat Origenes, Tertulliano suppar, homilia XIX. in Ieremiam pag. 190. *ἂν ἀκούσατέ μου τοὺς λόγους, καὶ ἡμεῖς ἔσθ᾽ ὅτε τοιαῦτα, ὅταν λυσιτελὲς ἡμῖν φανῇ, ποιοῦμεν. ἐνίοτε λόγους ἀπὸ τῶν ἐθνῶν προσάγομεν, βουλόμενοι αὐτοὺς προσαγαγεῖν τῇ πίστει. καὶ ἐὰν ἴδωμεν, ὅτι διαβεβλημένοι εἰσὶ πρὸς χριστιανισμὸν, καὶ βδελύσσονται τὸ ὄνομα, καὶ μισοῦσι τὸ ἀκοῦσαι ὅτι οὗτος ὁ λόγος χριστιανῶν ἐστιν, οὐ προσποιούμεθα χριστιανὸν λέγειν λόγον ὠφέλιμον. ἀλλ᾽ ὅταν ὁ λόγος ἐκεῖνος κατασκευασθῇ κατὰ δύναμιν ὑφ᾽ ἡμῶν, καὶ δοκοῦμεν ἐρᾷν τὸν ἀκροατὴν οὐχ ὡς ἔτυχε τοῦ λεγομένου ἀκούσαντα, τότε ὁμολογοῦμεν, ὅτι οὗτος ὁ ἐπαινετὸς λόγος χριστιανῶν λόγος ἦν.* *Cum auditis sermones meos, etiam nos quandoque similia (vbi commodum visum fuerit) facimus; nonnunquam sermones ab Ethnicis adducimus, volentes illos adducere ad fidem; & cum viderimus eos alienos & auersos a Chri-*

stianismo, & nomen ipsum execrari, atque odisse si vel audiant sermonem hunc esse Christianorum, non prae nobis ferimus Christianum sermonem vtilem proferre: sed quando sermo iste pro virili a nobis fuerit stabilitus, & viderimus cupidum auditorem non vulgari modo id quod dicitur auscultantem, tunc confitemur, hunc laudabilem sermonem, Christianorum sermonem esse. Praeterea, qui Tertulliano & Origene senior fuit, Iustinus Martyr, cum in Apologetico pag. 93. scribit: ὅσοι ἂν πεισθῶσι καὶ πιστεύωσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ὑμῶν διδασκόμενα καὶ λεγόμενα εἶναι, καὶ βιοῦν οὕτως δύνασθαι ὑπισχνῶνται. *quicunque persuasi fuerint & crediderint, vera esse, quae a nobis traduntur & dicuntur, ac vivere se ita posse receperint;* simul innuit, hanc persuasionem fidemque ex verbo diuino, tanquam ordinario conuersionis medio, seu praedicato, seu lecto, ortam esse: vnde colligitur, Iustini aetate gentiles nec ab auditu concionum, nec a lectione Noui Testamenti fuisse exclusos. Sed quid vetat exemplum proferre Ethnici cuiusdam, quem sacris Christianorum interfuisse haud ex vano colligitur, & cum in magna auctoritate positus aeuoque Apostolorum proximus fuit, tum laudem haud exiguam modestiae ac pietati Christianorum tribuit. Is est Dio Prusaeensis, ob grauitatem facundiamque orationis Chrysostomus appellatus, de quo Thomas Bruno ad calcem Dissertationis de Therapeutis Philonis, cum Clementis Romani epistolis a Colomesio editae, haec obseruat: *Et certe tanta videtur fuisse Christianis Alexandrinis illo tempore grauitas & attentio, sobrietas & silentium in audiendis Angelorum suorum siue Nunciorum Domini verbis & concionibus, circa finem Domitiani praesertim & initium Traiani, quo tempore Dio Chrysostomus erat Alexandriae, vt non dubitaret ille mores illorum sobrios & compositos, in contumeliam & opprobrium Gentilibus Alexandrinis, Orationum suarum ineptis & procacibus auditoribus trahere, qui nihil sobrii poterant vel facere, vel audire. Verba Dionis haec sunt;* ἀλλ' ἐν αὐτῇ τῇ θέᾳ, τὰ γινόμενα αἰσχρὰ καὶ μετὰ πάσης ὕβρεως ἀνατετάσθαι καὶ ἀποβλέπειν, μόνον οὐκ ἐπὶ τοῖς χείλεσι τὰς ψυχὰς ἔχοντες, καθάπερ οἶμαι, διὰ τῶν ὤτων τὴν εὐδαιμονίαν δεχομένους, Σωτῆρα καὶ Θεὸν καλοῦντες ἄνθρωπον ἄθλιον. *Orat. 32. ad Alexandrinos. Male affectum esse credo hunc locum, vt mille alios, & forsan ab Interprete satis infeliciter acceptum: Atqui vero cum tota versetur haec Oratio in perstringendis Alexandrinorum moribus, qui petulanter sese gerere solebant, & inconditos clamores, strepitus & tumultus in Conuentibus publicis & Theatris edere; prout innuit Photius in lectione sua Dionis Chrysostomi; verisimile est in verbis illis latere non illepidum sarcasmum, & Dionem sugillare Alexandrinos illos obstreperos, quasi animam suam per linguas suas efflantes; cum vice versa nonnulli essent inter illos, qui ne quidem hiscere vel mutire auderent in Conuentibus suis publicis, sed felicitatem per aures suas intromitterent; illi nempe, qui Seruatorem & Deum vocant miserum Hominem;*

quibus

quibus verbis videtur mihi Dio Chrysostomus Christianos intelligere, qui tempore Traiani Conuentus suos publicos agebant Alexandriæ. Equidem nihil video, quod huic interpretationi Brunonis merito opponi possit. Quomodo autem illa de Christianis testari poterat Dio, nisi ipse Conciones Christianorum adiisset, ac modestiam pietatemque illorum coram contemplatus esset? Quomodo obstreperos Alexandrinos ad eorum imitationem adhortaretur, nisi & ipsis aditus ad Christianorum sacra patuerit? quantum risum sibilumque apud illos excitasset, propositis in exemplum talibus hominibus, quorum Conuentibus interesse minime licebat non-initiatis? Sed non opus est multa ratiocinatione, quum dubitationem prorsus præcludat Paulus Apostolus 1. Cor. XIV. 23. 24. 25. cujus hæc sunt verba: ἐὰν ὖν συνέλθῃ ἡ ἐκκλησία ὅλη ἐπὶ τὸ αὐτὸ, καὶ πάντες γλώσσαις λαλῶσιν, εἰσέλθωσι δὲ ἰδιῶται, ἢ ἄπιςοι, ὐκ ἐρῦσιν ὅτι μαίνεσθε; ἐὰν δὲ πάντες προφητεύωσιν, εἰσέλθῃ δέ τις ἄπιςος, ἢ ἰδιώτης, ἐλέγχεται ὑπὸ πάντων, ἀνακρίνεται ὑπὸ πάντων. Καὶ ὕτω τὰ κρυπὰ τῆς καρδίας αὐτῦ φανερὰ γίνεται. καὶ ὕτω πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον, προσκυνήσει τῷ θεῷ, ἀπαγγέλλων ὅτι ὁ θεὸς ὄντως ἐν ἡμῖν ἐςι. *Si ergo conueniat vniuersa ecclesia in vnum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ aut infideles, nonne dicent, quod insanitis? Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota: conuincitur ab omnibus: diiudicatur ab omnibus: occulta cordis eius manifesta fiunt: & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians, quod vere Deus in vobis sit.* Præsupponit Paullus liberam infidelium facultatem ad accedendum ecclesiam fideliumque conuentus, quam his verbis complectitur Ioannes Morinus lib. VI. de Administratione Sacramenti Pœnitentiæ cap. IV. num. 4. *In illis igitur ad Eucharistiæ celebrationem præambulis* (quæ postea communiori nomine Missa Catechumenorum dicta sunt) *nascente ecclesia non modo Psalmi cantabantur, Lex, Prophetæ, Epistolæ & Euangelia legebantur, & homiliæ ad populum habebantur, quod hactenus in vtraque Ecclesia Orientali & Occidentali viget; sed etiam collationes variæ, & sermunculi a duobus aut tribus fidelibus in vnaquaque Synaxi pronuntiabantur, de quibus cæteri iudicabant; aliquot etiam Hymnos & Psalmos quandoque fidelium nonnulli componebant, non modo vernacula lingua, sed etiam peregrina, quos publice recitabant, vt videre est eodem Epistolæ loco. Hæc omnia non modo fidelibus, sed etiam infidelibus audire semper licuit. Hoc etiam colligitur ex Luciani Dialogo Philopatris dicto, vbi Christianum inducit cum Ethnico colloquentem, eumque ad Ecclesiam ducentem, in qua ab omnibus læto vultu excipitur. Ex sermonis autem contextu apparet, exceptum fuisse Ethnicum illum ante mysteriorum celebrationem, cum ea, quæ ex S. Paullo enarrauimus, agerentur.* En egregiam Morini confessionem de aditu ad lectionem concionemque sacram infidelibus nunquam denegato!

X. Verum Schelstratius nondum quiescit, ex Diocletiani quoque persequutione opinionem suam confirmare satagens; quanquam inani labore. Non enim ea de caussa sacros Codices ethnicis tradere religioni sibi duxerunt Christiani, quod lectionem iis inuiderent; sed quoniam vniuersalis eorum exstirpatio decreta & mandata erat ab Imperatoribus, Christianæ doctrinæ diuinarum scripturarum combustione exitium finemque illatum iri putantibus. Testatur enim Eusebius lib. VIII. Historiæ Ecclesiasticæ cap. II. Imperialia edicta iussisse *τὰς γραφὰς ἀφανεῖς πυρὶ γενέσθαι*, *sacros Codices flammis absumi*. Et initio capitis: *τὰς δὲ ἐνθέους καὶ ἱερὰς γραφὰς κατὰ μέσας ἀγορὰς πυρὶ παραδιδομένας αὐτοῖς ἐπείδομεν ὀφθαλμοῖς*, *sacros diuinarum Scripturarum libros in medio foro concremari, oculis nostris vidimus.* Operæ pretium facient Lectores, qui consulunt Lactantii librum de mortibus persequutorum a Stephano Baluzio ex tenebris erutum, quo vltima illa persequutio diligentissime accuratissimeque describitur. Nos in præsens querelam saltem Arnobii, qui Lactantii præceptor fuit, audiemus ex lib. IV. *Nostra quidem scripta, cur ignibus meruerunt dari? cur immaniter conuenticula dirui? in quibus summus oratur Deus, pax cunctis, & venia postulatur magistratibus, exercitibus, Regibus, familiaribus, inimicis?* Eundem ethnicorum in diuinioribus libris exurendis, Christianorumque in conseruandis studium produnt tot martyrum, Afrorum præcipue, Acta apud Baronium An. CCCII. CCCIII. & CCCIV. quibus addimus Acta Philippi, Episcopi Hadrianopoleos in Thracia, a Mabillonio tomo quarto Analectorum edita: vbi pag. 137. dicit Bassus: *Vasa quæcunque vobiscum sunt, aurea vel argentea, vel cuiuscunque metalli aut artis insignis; scripturas etiam, per quas vel legitis vel docetis, obtutibus nostræ potestatis ingerite.* Respondet Philippus: *Vasa vero ea quæ postulas, quæcunque apud nos sunt, mox accipe. Facile enim quæ a vobis petimur, ista contemnimus. Non enim pretioso metallo Deum colimus, sed timore: nec ornatus ecclesiæ Christo plus potest placere, quam cordis. Scripturas vero nec accipere tibi, nec dare mihi conuenit.* Sed quum diutinis tormentis Philippus torqueretur, Hermes eius Diaconus edixit: *Etsi omnes Scripturas nostras, dure inquisitor, acceperis, vt nulla prorsus in orbe terrarum vestigia veræ huius traditionis appareant; posteri tamen nostri, & paternæ memoriæ & suæ animæ consulentes, maiora voluminum scripta conficient, & vehementius timorem, qui impendendus Christo sit, edocebunt.* Postea tradidit cum vasis scripturas, quæ publice sunt crematæ. Nescio an quidquam dici possit, quod Christianorum gentiliumque hac in parte consilium luculentius exprimat. Ineptum igitur est Schelstratii epiphonema: *Tantum abest, primitiuam Ecclesiam codices sacros Gentilibus seu non initiatis communicasse.* Si locum aliquem is protulisset, vnde pateret, Christianos ethnicis sacram Scripturam legere volentibus codicem denegasse, speciem aliquam obiectio eius haberet. Sed quia gentiles libros

bros ſacros Vulcano conſecrandos poſtulabant, merito Chriſtiani omni ſtudio eos occultarunt, neque tamen a lectione paganos vnquam prohibuerunt, vti tot exempla a nobis ſupra allata euincunt. Quod ſi autem Lectori cognoſcere volupe eſt, quantum ab iſto feruore abſit hodierna Romana Eccleſia, Dallæum conſulat lib. 1. de Cultus Religioſi Obiecto cap. XXV.

XI. Quoniam itaque Gentilibus & Iudæis nec priuata nec publica Scripturæ lectione interdixerunt primi Chriſtiani, multo minus Catechumenis eam denegaſſe cenſendi ſunt, quos iamtum Chriſto nomen dediſſe nouerant. Præclarum Conſtantini Magni exemplum Euſebius nobis commendauit lib. 1. de vita eius capite 32. hac inſcriptione ſiue ab Acacio, Euſebii ſucceſſore, (vt Valeſius coniicit) ſiue ab alio quodam non longe recentiore, ornato: *ὅπως κατηχηθεὶς Κωνσαντῖνος, τὰς θείας γραφὰς ἀνεγίνωσκεν*, quod vertit Valeſius: *Quomodo Conſtantinus Catechumenus factus ſacras Scripturas perlegerit.* Ipſa vero Euſebii verba ita habent: *καὶ αὐτὸς δ᾽ ἤδη τοῖς ἐνθέοις ἀναγνώσμασι προσέχειν ἠξίου. Exinde ipſemet diuinorum librorum lectioni vacare inſtituit.* Non poteſt vim huius teſtimonii euadere Schelſtratius, etiamſi fabulam de Baptiſmo Conſtantini Romano retineat. Si enim is a Syluestro baptizatus eſt, non potuit ſane tingi ante annum 314. quo iuxta proprios Schelſtratii calculos cathedræ primum admotus eſt Syluester. At Conſtantinus Catechumenus factus eſt ſacræque Scripturæ lectioni vacauit ſtatim poſt viſionem cœleſtem notiſſimam ſibi oblatam, & ante victum Maxentiũ, quam victoriam ipſe Schelſtratius biennio ante Syluestri epiſcopatum contigiſſe ſtatuit. Cogitur ergo inuitus fateri, Conſtantino vt Catechumeno lectionem ſacrarum litterarum permiſſam fuiſſe, quod quo minus de aliis etiam dicamus, nihil prohibet. Inde eſt, quod Athanaſius in Apologia ad Conſtantium, exemplo Patris adhuc Catechumenum, ſcribit, *οἶδας ἀναγνοὺς τὰς γραφάς, noſti ex lectione Scripturarum.* Et ad calcem iterum: *οἶδα ὅτι καὶ σὺ γινώσκων τὰς θείας γραφάς, ſcio quod & tu legens diuinas Scripturas, annuas noſtris rationibus &c.* Huc etiam facit peculiaris conſuetudo Eccleſiæ Alexandrinæ, quam ſupra ex Socrate attigimus, Lectores ex Catechumenis ſumendi. Vix dubito, eam Athanaſii ætate, ſi non prius, receptam fuiſſe, ſummopere improbandam, niſi Catechumenis lectio ſacrarum litterarum conceſſa eſſet. Inutile foret, de re tam clara apertaque & Sect. 11. num. 9. pluribus demonſtrata, quidquam addere: quare tantum Schelſtratii ipſius ſuffragium addam. Non ſolum enim haud rogatus agnoſcit in hac Apologia, Artic. IV. capitis ſeptimi, Conſtantinum adhuc Catechumenum diuinorum librorum lectioni vacaſſe, idque ex eodem Euſebii loco probat: ſed etiam pro Apoſtolica Scriptorum Dionyſio Areopagitæ ſuppoſitorum antiquitate, tanquam pro aris & focis pugnat; quæ ſi vera nec fucata deprehenderetur, Catechumenos publicæ Euangeliorum lectioni ex

 inſtituto

instituto Apostolorum interfuisse nullatenus dubitandum foret, quum Dionysius cap.3. de Ecclesiastica Hierarchia istam consuetudinem diserte referat. Vtrunque & Eusebii & Dionysii testimonium callide hoc loco dissimulauit Schelstratius, vix tamen euasurus contradictionis notam, quoniam ea sequentibus capitibus inculcat, non animaduertens, si quidquam ibi ponderis haberent, nunc nobis etiam multum conferre ad euincendum, & priuatam sacræ scripturæ lectionem Catechumenis haud denegatam, & publicam noui fœderis præsentibus Catechumenis lectionem ad traditiones Apostolicas pertinere, quam Ecclesias nonnullas innouandi studio mutasse antea diximus.

Caput VI.

De tempore, quo cœpit, & desiit disciplina arcani, quod ex more dimittendi solemniter ab Ecclesia Catechumenos deduci posse, putatur.

Opinatur Tentzelius num. 13. suæ disputationis, non minus ad disciplinam arcani spectare dimissionem Catechumenorum a Sacrificio, quam occultationem mysteriorum in sermonibus: „ Hæc enim disciplina, inquit, ita obseruata fuit in Ecclesia, vt quoties præ„ sentibus Paganis aut Catechumenis ad mysteriorum ritus diuerterent in homiliis Doctores, „ statim sermonem abrumperent solemni adiecta formula: *Norunt fideles:* siue ἴσασιν οἱ „ μεμυημένοι. Tum in ipsa Eucharistiæ celebratione procul esse iubebantur Gentiles pa„ riter ac Neophyti, Diacono exclamante: *Ite missa est* „. Potest itaque iuxta Tentzelium ex more dimittendi a sacrificio Catechumenos statui, quandonam disciplina arcani cœperit in Ecclesia, prout de disciplinæ istius desuetudine ex prætermissa Catechumenorum dimissione statuit Eminentissimus Cardinalis Bona lib.1. rerum Liturgicarum, cap.16. De tempore itaque, quo Catechumeni solemni Diaconorum voce dimitti cœperunt ab Ecclesia, agendum est hoc capite. Vtque controuersiæ finem imponamus, breuiter adiungemus, quo tempore solemniter ab Ecclesia dimitti desierint; sic enim de initio & fine vsitatæ apud Christianos arcani disciplinæ facilius constabit.

Ac primo quidem de tempore, quo cœpit solemnis Catechumenorum dimissio, non ego ille sum, qui putem omnes ritus Ecclesiasticos fungi instar vna nocte creuisse, ac primo post aduentum Spiritus Sancti die ab Apostolis pro omni sub cœlo Ecclesia institutos fuisse. Noui namque Gregorii Magni sententiam fuisse lib.7. epistola 63. quod *Apostoli sola oratione Dominica oblationis hostiam consecrarint:* & Honorium Augustodunensem in gemma animæ cap.86. eiusdem sententiæ fuisse, quam hisce verbis exponit: *Missam Dominus Iesus instituit, quando ex pane & vino corpus & suum Sanguinem fecit, & memoriam sui suis celebrare præcepit. Hanc Apostoli auxerunt, dum super panem & vinum verba, quæ Dominus dixit, & Dominicam orationem dixerunt.* Atque hoc modo Apostolos post aduentum Spiritus Sancti aliquanto tempore sacrificium obtulisse, facile crediderim, & de illo intelligendum esse Lucam Actorum 2. vbi tradit, Apostolos *quotidie* fregisse *circa domos panem*, & fideles perseuerasse *in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis & orationibus.* Nec puto, dimissos

dimissos tunc fuisse Catechumenos, cum soli fideles, & baptizati adessent; Gentiles vero, Iudæi & Catechumeni omnino a sacrificio excluderentur.

Aliud quid est, dum cœpit augeri multitudo fidelium: illis enim crescentibus cœperunt ipsi Apostoli Lectiones, preces, & ceremonias adiicere, quibus sacrificii dignitas clarius emineret, & maior ipsi veneratio conciliaretur, pietasque fidelium, ac feruor Catechumenorum magis accenderentur. De hoc sacrificandi ritu, teste Augustino, monuit Paulus Timotheum in 1. ad eum epistola cap. 2. vbi vult *fieri obsecrationes, orationes, interpellationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt.* Hoc enim loco, inquit Augustinus epistola 59. ad Paulinum, per precationes intelligit Paulus eas, *quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa incipiat benedici.* Per orationes intelligit eas, *quas proferimus, cum benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Ecclesia Dominica oratione concludit.* Per interpellationes intelligit Apostolus eas, quas Antistites adhibent, *cum populus benedicitur*: per Gratiarum vero actionem eam, *quæ cuncta concludit.* Quibus omnibus D. Augustinus ritus sacrificandi ab Apostolis vsitatos describit, de quibus etiam intelligendus videtur Chrysostomus, dum homilia 27. in primam ad Corinthios scripsit: *Cum sacras illas cœnas accipiebant Apostoli, quid tum faciebant? Nonne in preces conuertebantur & hymnos? Nonne in sanctas Vigilias? Nonne in longam illam doctrinam & multa Philosophiæ plenam?* Et post Chrysostomum Proclus Constantinopolitanus libello de Diuina Liturgia clarius affirmans: *Saluatore nostro in cœlis assumpto, Apostoli, antequam per omnem terrarum orbem dispergerentur, conspirantibus animis conuenientes ad integram orandum diem conuertebantur: & cum multam consolationem in mystico illo Dominici Corporis sacrificio positam reperissent, fusissime, longoque verborum ambitu Missam decantabant.* Et ante Proclum, ac Chrysostomum D. Epiphanius hæresi 79. *Petrus*, inquit, *& Andreas, Iacobus, & Ioannes, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, Thaddæus, & Iacobus Alphæi, & Iudas Iacobi, & Simon Cananæus, & Matthias in complementum duodecim electus, hi omnes electi sunt Apostoli, per Orbem sacram Euangelii functionem administrantes, vna cum Paulo, & Barnaba, ac reliquis, & mysteriorum institutores cum Iacobo fratre Domini, & primo Hierosolymorum Episcopo.*

Meminit Epiphanius Iacobi Apostoli, tamquam Liturgiæ institutoris, extatque etiamnum Liturgiæ eius nomine, quam licet aliqui a posterioribus auctam voluerint, in plerisque tamen genuinum esse Iacobi Apostoli Opus, nullatenus dubitandum videtur. In hac autem Liturgia Apostolica reperitur dimissio Catechumenorum, quam tam antiquam esse, ex aliis quoque priscorum scriptis confirmari potest. Author enim, qui tertio Christi sæculo floruit, & Constitutiones Apostolicas edidit sub nomine Clementis, libro 1. cap. 57. tradit: *egressis* post lectionem *Catechumenis, & pœnitentibus*, fideles Deum orasse. Libro autem 8. refert orationes super Catechumenos, aliosque a Sacrificio dimitti solitos. Dionysius item lib. de Hierarchia Ecclesiastica cap. 3. postquam egerat de Sacrarum Scripturarum lectione, *Ea finita*, inquit, *sacro ambitu arcentur Catechumeni, & cum iis energumeni, ac pœnitentes, illis, qui Diuinorum aspectu & communione digni sunt, remanentibus.* Et Tertullianus libro de Præscriptionibus hæreticorum asserens, contra authoritatem & vsum Ecclesiæ apud Hæreticos nullam inter Catechumenos & fideles esse distinctionem; *Pariter*, inquit, *audiunt, pariter orant*: quæ vltima verba notanda sunt; indicant enim, Catechumenos ante orationes fidelium ab Ecclesia Catholica dimitti consueuisse, & Marcionistas antiquissimos hæreticos, contra quos ibi agit Tertullianus, grauiter deliquisse, non dimittendo ante orationem Catechumenos.

Meminit dimissionis Catechumenorum Concilium Laodicenum canone 19. quo statuitur,

tur, post allocutiones Episcoporum seorsum primo orationem super Catechumenos celebrandam esse, & post hanc orationem Catechumenos ab Ecclesia dimittendos; quod ipsum solemni Diaconorum voce fieri consueuisse, tam Basilius Magnus, quam Diuus Chrysostomus tradunt in Liturgiis: ibi enim leguntur verba Diaconi exclamantis: Ὅσοι κατηχούμενοι προέλθετε, οἱ κατηχούμενοι προέλθετε, ὅσοι κατηχούμενοι προέλθετε. μή τις τῶν κατηχουμένων. *Quotcumq; Catechumeni estis, recedite. Catechumeni recedite. Quicunq; estis Catechumeni, recedite. Ne quis Catechumenorum (supersit.)* Neq; dubitari potest, quin Basilii & Chrysostomi temporibus solemnis Catechumenorum dimissio per totam sub cœlo Ecclesiam in vsu fuerit: nam præterquam quod ex prædictis testimoniis constet de Oriente, pro Occidente facit D. Ambrosius epistola 14. ad Marcellinam sororem, vbi disertis verbis scripsit: *Post lectiones atque tractatum dimissis Catechumenis.* Et D. Augustinus sermone 237. de tempore: *Ecce post sermonem fit Missa Catechumenis, manebunt fideles, venietur ad locum orationis.* Et Diaconi similiter in Missa: *Catechumeni recedant; si quis est Catechumenus, recedat.* Omitto reliqua istorum temporum testimonia, cum de recepto tunc vsu dimittendi ab Ecclesia Catechumenos nulla possit esse controuersia, & de hac disciplina generaliter per totam Ecclesiam recepta, etiamsi non constaret ex antiquiorum testimoniis, dici posset iuxta regulam Augustini libro 4. de Baptismo, cap. 24. quod diximus supra de disciplina arcani: *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec a Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Et hæc quidem de tempore, quo Catechumeni dimitti cœperunt ab Ecclesia. Restat nunc, vt agamus de tempore, quo consuetudo illa finem accepit.

Tentzelius quidem non vno, sed pluribus locis suæ disputationis putat, disciplinam arcani vsque ad sextum sæculum viguisse in Ecclesia. De qua re facile inter me & ipsum conueniet, cum Ferrandi Carthaginiensis Diaconi, & Sancti Fulgentii Ruspensis Episcopi testimonia superius a nobis allata indicent, morem antiquum circa Catechumenos in Africa seruatum fuisse initio sexti sæculi, quo floruerunt. Idem facile crediderim de Gallia, & iis Orbis Romani Prouinciis, in quibus, cum serius Idola destructa, & Paganorum Templa obseruata fuerint, diutius Pagani inuenti sunt, qui ad fidem accedebant, & nomen suum inter Catechumenos dabant.

Supererant autem in Italia etiam quinto sæculo, vt probari potest ex variis antiquorum monumentis, & Scriptorum testimoniis, vnde & disciplina arcani in Italia quinto sæculo nondum desierat. Missa Romana, quæ ante Gregorium Magnum in vsu fuit, & in antiquissimo mille ducentorum annorum Codice Bibliothecæ Palatinæ sub numero 493. continetur, distinguit Sabbatho Sancto inter orationes pro Neophytis, & Competentibus. Neophyti in oratione vocantur tyrones in fide; Competentes dicuntur mox baptizandi, vt ex hoc Codice constet, Romæ tunc morem seruatum fuisse, distinguendi Competentes a cæteris; quamuis autem nulla eorum mentio extet in Sacramentario Gregorii M. quod solorum infantium meminit, non obinde tamen distinctio illa omnino euanuit. In Ordine enim Romano, quem aliqui octauo sæculo compositum fuisse volunt, præscribitur, vt post tria scrutinia Catechumeni ab Ecclesia dimitti debeant, clamante Diacono: *Catechumeni recedant, si quis Catechumenus est, recedat, omnes Catechumeni recedant foras.* Quæ disciplina pro infantibus retenta ex alia circa adultos olim obseruata ortum habuit. Vnde cum iam nulli Romæ superessent Pagani, sed omnes baptizandi filii Christianorum, & infantes essent, adultorum ritum circa infantes retinere voluit Romana Ecclesia. Aliæ vero Ecclesiæ, quæ tardius ab Idolorum cultoribus liberatæ fuerunt, vna cum infantibus adultos Catechumenos ad solemnem Pascha-

tis

tis Baptismum seruarunt. Quare Author anonymus in 600. annorum Codice M. S. Bibliothecæ Palatinæ sub numero 485. præmissa formula epistolæ, quam Episcopus ad cunctos per Diœcesim Presbyteros mittere solebat, statim agit de Catechumeno, quem ab audiendo vel instruendo dici asserit: *Catechumenus enim Græce, Latine Audiens vel Instructus dicitur. Fit enim hoc tempore, vel isto eodemque ordine. Tertia hebdomada in Quadragesima feria secunda hora tertia veniant ad Ecclesiam. Antequam introeant, scribantur nomina infantum, & eorum, qui post suscepturi sunt, ab Acolyto.* Vbi notanda sunt *& eorum*, hæc enim verba indicant, adultos, si qui inter Catechumenos nomina sua dabant, eodem modo scrutinia subiisse, & non nisi in gradu Competentium constitutos Symbolum, & Orationem Dominicam edoctos fuisse. Patet id clare ex eiusdem anonymi tractatu, vbi statim ad interrogationem de differentia inter Catechumenum & Competentem respondetur: *Competens est, qui diligenter instructus fide, & attente de credulitate imbutus, per traditam sibi doctrinam Christianitatis, & mysterium Symboli, & traditionem Orationis Dominicæ petit & rogat, vt possit consequi mysteria sacri Baptismatis, & gratiam, & particeps fieri Sanctæ Ecclesiæ; & in seruitio cum fidelibus esse Christi. Vnde & a petendo Competentes vocantur.* Ex quibus apparet, etiam post conscriptum Ordinem Romanum in aliis Ecclesiis Catechumenos, si qui adulti erant, a Competentibus distinctos fuisse.

Putabat Eminentissimus Cardinalis Bona lib. 1. rerum Liturgicarum, cap. 16. circa annum 700. in Ecclesia Latina antiquam quoad dimissionem Catechumenorum disciplinam desiisse. Hoc tamen in iis Regionibus, vbi Paganismus serius extinctus est, in Gallia nimirum, & Germania, locum non habuisse, constat ex Theodulpho primum Abbate Floriacensi, postea Aurelianensi in Gallia Episcopo, qui in libello de ordine Baptismi tempore Caroli Magni conscripto cap. 9. disertis verbis agens de adultis, ait: *Qui vero illius sunt ætatis, vt rationem credulitatis suæ reddere possint, diligenti examine scrutandi sunt, vtrum veraciter credant - - - Hunc enim morem Ecclesia seruare consueuit, vt per aliquod dierum spatium hi, qui in solemnitate Paschali baptizandi sunt, scrutentur.* Editum est hoc Opusculum ab Hugone Menardo in notis ad Sacramentarium Gregorii Magni. Ex quo apparet, quosdam ex non initiatis etiam tunc superfuisse in Galliis, qui adulta ætate Baptismum petebant. Distinguit quoque inter Catechumenos, & Competentes, & quid circa illos obseruare consueuerat Ecclesia, exponit. Vnde Amalarius Fortunatus Treuirensis Episcopus lib. 3. cap. 36. iisdem temporibus: *Consuetudo nostra est, vt Catechumenos repellamus ante Euangelium.*

Et hæc quidem de Catechumenorum, & Competentium distinctione, eorundemque solemni ab Ecclesia dimissione, clamante Diacono, vt *Catechumeni recederent.* Obseruatus fuit mos ille in Ecclesia Latina vsque ad duodecimum sæculum, vtpote cuius meminit libro de Diuinis Officiis cap. 34. Ioannes Beleth, qui anno 1190. florebat.

Pro Ecclesia Orientali, quamuis etiam-num Diaconus in Liturgiis alta voce exclamet, vt *Catechumeni recedant*, extat testimonium Ioannis Zonaræ, qui in notis ad Concilium Laodicenum asserit, suo tempore, sæculo nimirum 12. quo florebat, ministros a ianuæ custodia recessisse: quod scilicet ex tunc nulli infideles, Catechumeni, aliique non initiati essent, qui ab Ecclesia dimitterentur. Quamuis autem vestigia dimissionis Catechumenorum vsque ad 12. sæculum in Oriente & Occidente appareant, non obinde tamen asserere vellem, disciplinam arcani tamdiu in vsu fuisse apud tractatores Ecclesiasticos, adeo vt ob Catechumenos vel non initiatos obscure loquerentur in sermonibus, vel præcipua Christianæ Religionis mysteria sub silentio præterirent in scriptis. Cum enim post sextum sæculum rariores essent in Ecclesiæ Catholicæ Regionibus, qui mysteria prophanarent, vix vllum ex Patribus vel Scriptoribus inuenien-

dum puto, qui prophanationis metu a clara & perspicua de mysteriis nostris doctrina abstinuerit; facileque admiserim, disciplinam arcani in Oriente ad finem quinti sæculi, in Occidente post medium sexti in desuetudinem abiisse.

SECTIO VI.
ANIMADVERSIONVM
IN
CAPVT VI. APOLOGIÆ.

I.

MAgno labore sese leuasset Schelstratius, si ex germanis ac veris siue Apostolorum, siue primorum Ecclesiæ Doctorum scriptis vllum protulisset testimonium, quo pateret, initio Ecclesiæ *Gentiles, Iudæos & Catechumenos omnino a sacrificio exclusos fuisse.* Præterquam enim quod nullibi in sacris N.T. libris Eucharistiæ Sacramentum *sacrificii* nomine veniat, manifestum est, Schelstratium istam Catechumenorum dimissionem non alia de caussa ad Apostolorum tempora reuocasse, quam vt suam de origine disciplinæ arcani Apostolica sententiam incrustaret. Hanc cum inuita veritate ab eo defensam esse hactenus constiterit, omni etiam fundamento carere consequitur, quæcunque eidem superstruuntur. Certe methodus docendi Apostolica, vti efficacissima fuit, ita dubitare nos non sinit, peculiarem Catechumenorum ordinem in eorum cœtu non fuisse, sed quibus cor mouebat Dominus, baptismo statim initiatos & in numerum fidelium cooptatos, vt ex Actibus Apostolicis liquet. Quare non opus erat Catechumenorum dimissione, vbi nulli reperiebantur. Sed gentiles etiam Iudæosque a conspectu rituum Sacramentalium primo Ecclesiæ sæculo exclusos esse, vnde probatum dabit Schelstratius? Nuda enim eius adfirmatio non sufficit, neque vllum eius rei indicium in noui fœderis libris occurrit. Potius cum antea ostenderim, Apostolos primosque Christianos ad consuetudines Synagogæ Iudaicæ ritus suos ordinasse, Iudæi autem neque gentiles neque proselytos a Synagogarum accessu rituumue contemplatione prohibuerint, consequens est, eundem modum in Ecclesia Christiana obtinuisse, donec aliis moribus viuere cœptum, ethnicorumque ceremoniæ apud Christianos ex gentilismo conuersos retentæ, adeoque in Ecclesiam introductæ fuerunt, in quibus haud postremum locum occupabat non-initiatorum separatio, qui solenni præconis voce exesse iubebantur. Addi etiam meretur Dallæi obseruatio de scriptis Dionysianis cap. XXII. *At Apostolicis & proxime sequutis temporibus hanc iam obtinuisse in Christianorum cœtibus disciplina*

adeo

adeo accuratam & nonnihil morosam formam, cum Ecclesiæ conuentus ob crebras ac pæne assiduas persequutiones essent difficillimi, plane est incredibile.

II. Quare mea ita fert sententia, solennem infidelium & Catechumenorum dimissionem ex disciplina arcani originem traxisse, quæ proinde ad finem secundi sæculi pariter referenda venit. Antiquissimus liber, in quo mos ille obseruatur, Constitutiones sunt, quæ Apostolicæ vulgo audiunt, sed secundo demum sæculo vergente adornari cœperunt, & ritus eodem tempore in Ecclesiam inuectos complectuntur. In prioribus sane scriptoribus nulla apparent vestigia, quidquid etiam congesserit Schelstratius, plerunque ad quæstionem nostram nihil pertinens. Quid enim illam iuuat, siue Oratione tantum Dominica, siue pluribus precibus Eucharistiam celebrarint Apostoli? Diuersitas autem, quæ apud scriptores ecclesiasticos hanc in rem reperitur, tanta non est, quanta primo intuitu videtur. Gregorius quippe Magnus ipsum consecrandi actum respicit: reliqui vero plerique omnes, qui ipsi contrariari videntur, totum cultus diuini publici (cuius haut vltima pars celebratio Eucharistiæ apud Christianos habita semper fuit) apparatum, variis precibus, hymnis, lectionibusque constantem, intelligunt. Pontificii hanc conciliandi rationem non animaduertentes, & pompam missaticam ab Apostolis more suo deriuantes, varias difficultates persentiscunt, quas apud Bellarminum, Goarum, Bonam, aliosque videre licet. Noster Schelstratius Bonam Lib. I. Rerum Liturgicarum cap. v. n. 3. hac de re agentem tacito nomine exscribit, auctoque fidelium numero ad dignitatem sacrificii augendam plures ceremonias ab Apostolis adiectas putat. Verum Walafridus Strabo non tantum Apostolos, sed proximos etiam eorum discipulos simpliciori modo consecrasse adfirmat, quod Iustini Martyris Apologia ostendit. Vnde patet vanitas effugii Schelstratiani; si enim Apostoli ipsi plures addidissent ritus a proximis ipsorum discipulis ii procul dubio obseruati fuissent. Quod cum factum non sit, luculenter consequitur, Apostolos non esse auctores missatici apparatus. Verba Walafridi, licet apud Bonam deprehenderit Schelstratius, caute tamen omisit, quod videret sibi contrariari. Ita enim VValafridus cap. xxii. de rebus ecclesiasticis: *Quod nunc agimus multiplici orationum, cantilenarum & consecrationum officio; totum hoc Apostoli, & post ipsos proximi, vt creditur, orationibus & commemoratione passionis Dominicæ, sicut ipse præcepit, agebant simpliciter. Vnde circa domos, secundum superius commemorata testimonia frangebant panem. Quod etiam alia sententia Lucas declarat:* Vna autem Sabbathi cum conuenissemus ad frangendum panem; *& reliqua. Et relatio maiorum est, in primis temporibus Missas fieri solitas, sicut modo in Parasceue Paschæ (in quo die apud Romanos Missæ non aguntur) communicationem facere solemus, id est, præmissa oratione Dominica, & sicut ipse*

Dominus noster præcepit, commemoratione passionis eius adhibita corpori Dominico communicasse, & sanguini, quos ratio permittebat.

III. Expendemus tamen Patrum testimonia, quæ pro sua sententia Schelstratius allegat. Primo ad Augustinum sese confert, a quo ex Paullo 1. Timoth. II. descriptos putat *sacrificandi ritus ab Apostolis vsitatos.* At nec Paullus, nec Augustinus eo in loco *sacrificandi* voce vtuntur, aut missaticum sacrificium, in cujus gratiam hæc loquitur Schelstratius, vnquam adprobarunt. Præterea Augustinus, (cuius verba in notis ad Gregorii Magni epistolam citauerat etiam Petrus Gussanuillæus) de difficultate loci Paullini conqueritur, nec expositionem suam alio, quam coniecturæ nomine venditat. *Excepto itaque nomine generali, & solita loquendi consuetudine, secundum quam siue dicas precationem, siue orationem, siue interpellationem, siue postulationem, vna eademque res intelligitur, aliqua etiam singulorum istorum proprietas inquirenda est, sed ad eam liquido peruenire difficile est. Multa quippe hinc dici possunt, quæ improbanda non sint, sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis vel pene omnis frequentat Ecclesia.* Deinde Augustinus non solam consecrationem intelligit, vt Gregorius Papa, sed totam Eucharistiæ celebrationem, vt patet ex collatione cum Iustino Martyre. Nam quas Augustinus dicit precationes ante benedictionem panis & vini fieri solitas, eas manifestum est consecrandi actum præcedere, quo etiam modo collocantur a Iustino in Apologia pag. 97. vbi testatur, neophytum ad locum adduci, quo congregati sint fratres, *κοινὰς εὐχὰς ποιησόμενοι ὑπέρ τε ἑαυτῶν καὶ τοῦ φωτισθέντος, καὶ ἄλλων πανταχοῦ πάντων εὐτόνως, ὅπως καταξιωθῶμεν τὰ ἀληθῆ μαθόντες, καὶ δι᾽ ἔργων ἀγαθοὶ πολιτευταὶ, καὶ φύλακες τῶν ἐντεταλμένων εὑρεθῆναι, ὅπως τὴν αἰώνιον σωτηρίαν σωθῶμεν*, i. e. *ad communes preces & supplicationes, cum pro seipsis, tum pro illuminato, & aliis vbique gentium omnibus, animo intento peragendas: vt digni idoneiue simus, qui veritate agnita, per opera etiam ipsa boni atque officiosi rerum administratores, & datorum nobis mandatorum custodes inueniamur, atque vt salute saluemur sempiterna.* Idem repetit p. 98. & vtrobique confirmat, quod Augustinus ait, per orationes τὰ προσκείμενα benedici: *καὶ ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας ὅση δύναμις αὐτῷ ἀναπέμπει. Præpositus itidem quantum pro virili sua potest, preces & gratiarum actiones fundit.* Hæ ipsum consecrandi actum immediate præcesserunt, qui statim sequutus est, & oratione Dominica verborumque institutionis repetitione absolutus. Sed celebratione Sacramenti ad finem perducta benedictionem Sacerdotis & gratiarum actionem peractam fuisse facile concedam. Neutra tamen ad consecrationem pertinuit, ac proinde Augustinus Gregorio non debuit opponi. Quanquam ne quid dissimulem, apud alios interpretes ea verborum Paulli explicatio non occurrit, quæ Augustino placuit. Certe Chrysostomus Homilia VI. in priorem ad Timotheum

motheum de quotidianis Christianorum precibus, vespertinis & matutinis, non de Eucharisticis in specie, accipit: καὶ τοῦτο ἴσασιν οἱ μύσαι, πῶς καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν γίνεται ἡ ἐν ἑσπέρᾳ ἡ πρωΐᾳ, πῶς ὑπὲρ παντὸς τοῦ κόσμου, ἡ βασιλέων καὶ πάντων τῶν ἐν ὑπεροχῇ ὄντων ποιούμεθα τὴν δέησιν. *Atque id nouerunt fideles, quomodo diebus singulis mane & vespere orationes fundantur ad Dominum, quomodo pro omni mundo, & regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt positi, obsecrationes ab ecclesia fiant.* Sic Oecumenius, ex antiquioribus procul dubio, vt solet, interpretibus: ἐν τῇ καθημερινῇ λατρείᾳ, τοῦτο πρὸ τῆς τῶν ἄλλων μνήμης εἴη, φησί. ποιεῖσθαι δεήσεις. δέησις μὲν ἐστιν ἱκεσία ὑπὲρ ἀπαλλαγῆς λυπηρῶν προσφερομένη. προσευχὴ δὲ, αἴτησις ἀγαθῶν. ἔντευξις δὲ, κατηγορία τῶν ἀδικούντων. Εὐχαριστίας. δεῖ γὰρ εὐχαριστεῖν ὑπὲρ τῶν εἰς ἀλλήλους γενομένων ἀγαθῶν. *In quotidiano, inquit* (Paullus,) *cultu hoc ante aliorum mentionem fit.* Vt fiant deprecationes. *Deprecatio quidem est supplicatio pro remotione tristium oblata: obsecratio vero petitio bonorum. Interpellatio autem est ad accusationem nocentium.* Gratiarum actiones: *Oportet enim gratias agere pro bonis quæ mutuo inter nos fiunt.* Qui scopum Paulli & seriem verborum attentius considerat, facile animaduertet, expositionem Græcorum meliorem esse Augustiniana. Hæc enim ad solos Sacerdotes restringit ἐντεύξεις, quam Paullus ad omnes precantes refert & pro omnibus hominibus fieri vult; Sacerdotes autem benedictionem, quam Augustinus intelligit, solis communicantibus impertiebantur. Neque commodius gratiarum actiones post Eucharistiæ participationem tantum nominat Augustinus, quas Paullus pro omnibus beneficiis Deo offerendas præcipit. Vt nihil dicam de Iustino, qui morem Apostolicum delineans gratiarum actionem ante vsum Sacramenti memorat, quam postea demum Augustinus collocat, nec aliter potest, si ordinem verborum Paulli cum ordine actionum Sacramentalium congruere velit.

IV. Posthæc Chrysostomum ad partes trahere conatur Schelstratius, Bonam Goarumque sequutus: verum Dallæus Lib. IX. de Cultibus Latinorum religiosis cap. III. prolixe respondet, veramque Chrysostomi mentem adeo clare & diserte explicat, vt non possim non verba eius, quamuis longiuscula, huc transferre: *Sed neque mihi quidquam aduersus Gregorianam de Apostolis traditionem valere videntur quæ Goar* (Schelstratius) *adfert ex Chrysostomo:* Cogita *(inquit)* quid fecerint Apostoli, quando sacrarum illarum mensarum fuerunt participes. Annon ad preces & hymnos conuersi sunt? nonne ad sanctas vigilias? Nonne ad longam illam doctrinam, & multæ philosophiæ plenam? ἐννόησον, ὅτε μετέλαβον οἱ Ἀπόστολοι τῶν ἱερῶν δείπνων ἐκείνων τι ἐποίησαν. οὐχὶ εἰς εὐχὰς ἐτράπησαν καὶ ὑμνῳδίας οὐχὶ εἰς παννυχίδας ἱεράς, εἰς διδασκαλίαν τὴν μακρὰν

χρὰν ἐκείνην, καὶ πολλῆς γέμουσαν φιλοσοφίας. *Hæc Goar* (Schelstratius) *describit, quibus, vt plane aperiatur mens auctoris & verborum sensus, continuanda sunt, quæ sequuntur;* Tunc enim illis *(inquit)* res magnas & admirabiles narrabat & præcipiebat, cum abiisset Iudas ad vocandos eos, qui ipsum acturi erant in crucem. τὰ γὰρ μεγάλα καὶ παράδοξα τότε αὐτοῖς διηγεῖτο καὶ παρήγγελλεν, ἀπελθόντος τοῦ Ἰούδα καλέσαι τοὺς μέλλοντας αὐτὸν σταυροῦν. *Ex his iam planum est, qua de re hic agat Chrysostomus; de iis nimirum, quæ egerunt Apostoli, & ad quæ eos Dominus vocauit, postquam nocte illa, qua ab Iuda traditus est, sacram cum eo Cœnam sumsissent. Quæ enim dicit* ἱερὰ δεῖπνα ἐκεῖνα, *id est, sacras illas cœnas, siue sacra illa conuiuia, ea hanc postremam Apostolorum cum Domino cœnam significant, tametsi plurium nomine expressa sit; quod vidit Interpres, qui sacras mensas reddidit, quæ auctor* ἱερὰ δεῖπνα, *sacras cœnas, dixerat. Nimirum vel ob rei magnitudinem, vel ob duplices epulas, quæ in illo vno conuiuio distingui possunt, vnas, agni paschalis; alteras, Eucharistiæ; illas veteris, has noui Testamenti; quod* δεῖπνον *Cœnam, & Paullus & nos cum Paullo in singulari numero dicimus, Chrysostomus* δεῖπνα, *cœnas, in plurali dicere maluerit.* Cum ergo *(inquit)* Apostoli sacram illam cœnam sumsissent, tum conuersi sunt ad preces & hymnodias &c. *Omnia ex Euangelica historia clarissima. Nam Matthæus & Marcus diserte tradunt, Christum & discipulos Cœna illa peracta hymnum dixisse, eoque dicto in montem Oliueti exiisse. Vigilias vero & preces eas dicit, quas Christus Apostolis eadem illa nocte commendabat, Sustinete hic (inquit) & vigilate mecum; atque iterum, cum eos in somnum grauatis oculis lapsos inuenisset, Vigilate (inquit) & orate, ne intretis in tentationem.* Longam *autem*, & multa philosophia plenam doctrinam, *dicit diuinissimos sermones, quos nocte illa (postquam Iudas accepta buccella continuo exiuisset) Dominus Iesus apud ceteros Apostolos habuit, quosque Ioannes posteriori capitis decimi tertii parte, & quatuor inde sequentibus totis capitulis ad c. 18. initium complexus, litteris ad nostram memoriam diligentissime mandauit. Iam hæc omnes credo satis intelligunt, quam ab Apostolico Eucharistiæ officio & Canone aliena sint, quæ ad omnes, etiam Laicos, suo quodam modo pertinent, quicunque Dominicæ mensæ participes facti sunt; quibus scilicet hoc incumbit, vt apud Domini mensam epulati reliquum illius diei tempus non in comessationibus aliisque ludicris & vanis consumant, sed in hymnis & precibus, & doctrina ac sapientia Christiana auditione, lectione & meditatione caste sobrieque exigant; qualiter illam noctem traduxisse Apostolos post sumtam cum Domino Cœnam apud Euangelistas legimus. Hoc enim agit toto illo loco Chrysostomus. Non istic Presbyteros instituit, quo ritu, quibusue orationibus peragi debeat sacra synaxis. Omnia plane alia agit. Auditores obiurgat, quod post sumtam Eucharistiam Ecclesia*

clesia egressi ebrietati & comessationibus indulgerent, semper quidem (*inquit*) sed maxime in festis, quando maxime oporteret non fieri. Tunc enim post communionem statim excipit ebrietas, & pauperum despicientia. *Et post quadam alia in eandem fere sententiam dicta*, Cum autem in conuiuio Spiritu sis pastus (*cum Spiritu epulatus fueris*) Satanicas inducis delicias, πνεῦμα δὲ ἑςιαθεὶς, σατανικὴν ἐπεισάγεις τροφήν. *Quibus continenter ea, qua recitamus, subnectit*, Cogita quid fecerint Apostoli, quando fuerunt participes sacrarum mensarum facti, &c. *Hac vsque adeo clara sunt, vt non possim satis mirari doctissimo Goari* (Schelstratio) *venisse in mentem, vt in istis verbis se nactum putaret, quibus actibus, quibusue orationibus constaret Apostolicum Eucharistia officium.*

V. His nondum contentus Schelstratius alia duo loca ex Proclo & Epiphanio describit, quæ partim ex Bona, partim ex Allatii de Liturgia Iacobi ad Nihusium epistola depromsit. Atuero Proclo vt fidem accommodemus, vix impetrabit Schelstratius, qui nondum probatum dedit, a Proclo, Chrysostomi discipulo, libellum istum elaboratum esse. Nam *incertum omnino* dicit Albertinus pag. 773. *vtrum fragmentum hoc vnius tantum pagina de traditione diuina liturgia sub nomine Procli editum, ipsius sit necne, cum nemo Veterum eiusmodi scripti sub nomine Procli meminerit.* Nec minus obseruanda, quæ Allatio tanta confidentia Iacobum & Proclum crepanti reposuit Petrus Alix, Reformatorum quondam Carentonensium Pastor, in Dissertatione de Trisagio cap. 1. *Vnum quidem eumque omni exceptione maiorem se habere confidenter pronuntiat Allatius, Iacobum scilicet in ea, pro cuius fide contra Riuetum acriter pugnat, Liturgia. At non indigne ferant viri docti manes, quod in eo difficilius illi fidem accommodemus, quam Romana partis homines penitus se derogare profitentur. Certe Habertus Vabrensis Episcopus, de Liturgiis qua Apostolorum nomen praferunt, inter quas pracipua est Liturgia Iacobi nomine insignita, iudicium ferens,* cuius antiquitatis essent hæ Liturgiæ, non esse se tam doctum, vt sciret, *libere fassus est, ad Pontificale Gracorum pag. 164. Nec in eo parum prudentem esse Haberti ignorationem patebit, quum opusculum, cui titulus est*, de traditione diuinæ Liturgiæ, *Proclo CPtano falso adscribi, alias clare demonstrabo.* Núm hoc præstiterit Alixius, non habeo compertum. Scio tamen Allatium extra disputationis æstum Albertini & Alixii sententiam haud obscure confirmasse, Dissertatione 1. de Libris Ecclesiasticis Græcorum pag. 17. Cum enim eundem Procli locum, quo in epistola ad Nihusium tantopere superbit, Naudæo etiam describere vellet, hoc præmisit iudicium: *Proclus Patriarcha Constantinopolitanus de traditione diuina Missa, si tamen illius Procli tractatus ille est.* Eligat itaque Schelstratius, vtrum malit Allatium feruentiori, an sedatiori animo iudicantem sequi? Posterius sane fecit Richardus Simonius Notis in

in Apologiam Gabrielis Seueri pag. 77. cum ait, *si tamen fragmentum de traditione Missæ, quod vulgo tribuitur Proclo, reapse ab illo profectum fuerit:* eandemque tenuit sententiam pag. 159. & 205. Certe a Proclo Constantinopolitano, Chrysostomi discipulo & anagnosta, non potuisse proficisci istud qualecunque fragmentum, vel ea ratio euincit, quam pro se vrget Allatius, quod Liturgiæ Iacobi meminit. Hanc quippe vero Proclo ignotã fuisse luculenter probat Natalis Alexander in Synopsi Sæculi primi Cap. xi. Artic. I. *quia in illa beatæ Virgini tribuitur Deiparæ nomen, ante Concilii Ephesini tempora valde infrequens: nec præfatum Concilium, in quo prolata sunt omnia antiquitatis monumenta, quæ huic appellationi patrocinabantur, huius Liturgiæ meminit, quæ in Oriente tamen nota fuisset, si genuinum esset S. Iacobi opus: maxime si Proclo, Constantinopolitano Episcopo, qui præfato Concilio interfuit, accepta fuisset, vt scribit Sixtus Senensis.* Præterea supposititius Proclus instar soricis se prodit, dum de dispersione Apostolorum ita commentatur, quasi ipse præsens interfuerit: quæ audacia non sæculi quinti, sed sequioris æui hominibus adhærebat, quibus solenne erat fingere ex proprio ingenio, quemadmodum se res habere potuisset, si suo tempore gesta fuisset. Mittamus igitur planum istum, & ad Epiphanium pergamus, de cuius suffragio caussæ suæ nihil polliceri debuit Schelstratius, quum is nude *μυστηρίων ἀρχηγέτας* Apostolos appellans nihil determinet, an plures paucioresue ritus adhibuerint. Postquam enim duodecim post Christi adscensionem Apostolos nominasset, addit: *οὗτοι πάντες ἐξελέγησαν Ἀπόστολοι, καὶ κατὰ τὴν γῆν ἱερουργοῦντες τὸ Εὐαγγέλιον, ἅμα Παύλῳ καὶ Βαρνάβᾳ, καὶ λοιποῖς, καὶ μυστηρίων ἀρχηγέται, σὺν Ἰακώβῳ τῷ ἀδελφῷ τοῦ Κυρίου, καὶ πρώτῳ ἐπισκόπῳ Ἱεροσολύμων. ἐξ οὗπερ ἐπισκόπου καὶ τῶν προειρημένων Ἀποστόλων, κατεστάθησαν διαδοχαὶ ἐπισκόπων, καὶ πρεσβυτέρων ἐν οἴκῳ θεοῦ. καὶ οὐδαμοῦ, γυνὴ ἐν τούτοις κατεστάθη. Illi, inquam, omnes, & Apostoli delecti sunt, ac toto terrarum orbe sacram Euangelii functionem administrarunt, cum Paullo & Barnaba, ac cæteris: iidemque mysteriorum auctores, atque conditores fuerunt, vna cum Iacobo Domini fratre, primo Hierosolymorum Episcopo: a quo vt & ab aliis, quos numerauimus, Apostolis, Episcoporum, ac Presbyterorum successiones sunt in domo Dei constitutæ. Nec inter illos tamen mulier vlla cooptata legitur.* Epiphanii verba paullo plenius descripsimus, vt scopus ac ratio eorum exactius cognoscatur. Disputat enim auctor aduersus mulierculas Collyridianas, contenditque, nunquam, ex quo mundus conditus est, mulieres sacerdotio functas esse; neque in Nouo Testamento Mariæ virgini id collatum, sed Apostolis, quorum duplex describit officium, quod cum iis Episcopi & Presbyteri habeant commune, verbi nimirum prædicationem & Sacramentorum administrationem. Hanc esse summam sententiæ Epiphanii, quili-

quilibet deprehendet, qui antecedentia & consequentia eo, quo par est, studio, ponderauerit. Quamobrem mirari subit, Allatium de Liturgia Iacobi cogitasse, eique ex Epiphanio præsidium quæsiuisse. *Ineptissimum* pro sua modestia dicit Allatius, adfirmare, mysteria ab Epiphanio posita esse pro Sacramentis, præcipitque, vt tantum intelligamus ceremoniarum precumque apparatum, quo Liturgia, siue vt communiori nomine Latini vocant, Missa peragitur. At Epiphanium de vtroque noui fœderis Sacramento loqui, non solum ex scopo eius patet, quo eorum administrationem solis viris vindicare vult, sed etiam ex præcedentibus, vbi Mariæ virgini ne baptizandi quidem potestatem factam esse monet, sed eam primum Ioanni Baptistæ, deinde Apostolis, postea Episcopis & Presbyteris concessam disputat. Vnde patet, Allatium potius ineptissime ad solam Eucharistiæ celebrationem restringere, quæ ad Baptismum quoque pertinebant. Libenter autem fateor, Epiphanium ad ritus in vtroque Sacramento dispensando adhiberi solitos potissimum respexisse, quum institutio ad Christum pertineat, ceremoniarum vero ordinatio Apostolis relicta sit. Sed dum Epiphanius nihil siue de paucitate, siue de pluralitate eorum addit, nemini in alterutram partem verba eius accipere licet, nisi ex aliis vel coætaneis, vel antiquioribus potissimum, de rituum Apostolicorum ratione certus fuerit. Atqui summæ simplicitati Apostolos studuisse, neque vllum quæsiuisse splendidiorem apparatum, ex Augustino aliisque Patribus apertissime constat. Itaque veritati multo propius accedit, qui Epiphanium de breuiori simpliciorique Liturgia, quam de prolixiori & ad ὄγκον pompamque composita interpretatur. Ex quibus omnibus colligere est, quantum aberret Schelstratius cum Allatio, quando Epiphanium de Liturgia sub Iacobi nomine hodienum exstante loquutum putat. Certe hoc opusculum, quod in Patrum Bibliothecis impressum circumfertur, Epiphanio ignotum fuisse, egregie probauit Dallæus lib. IX. de Cultibus Latinorum religiosis cap. X. quoniam is Aerium preces pro mortuis ex Ecclesiæ vsu eiicientem oppugnans facile prosternere potuisset, hac Liturgia obiecta, in qua disertissimæ reperiuntur pro mortuis preces. *Quanto promptius*, inquit Dallæus, *& ad rem profligandam validius erat, voces e Liturgiis afferre, si quæ exstarent, quas communis Ecclesiæ consensus pro vere Apostolicis haberet? Nullas Epiphanius attulit. Ergo pro certo statuendum est, nullas tum adhuc fuisse vel Petri vel Iacobi Liturgias, quas vel ipse, vel vniuersa Ecclesia, vel ab hoc vel ab illo auctore scriptas, institutasque censeret.* Porro si hanc Iacobi Liturgiam cognitam habuisset Epiphanius, cur eam non protulisset aduersus Arianos, Macedonianos & Nestorianos, quos Iacobi Apostoli auctoritate, tanquam omni exceptione maiori, profligare licuisset? Imo quare Patres in Nicæno, CPtano & Ephesino Concilio congregati, & aduersus pestilentissimas istas hæreses

summo studio Doctorum Ecclesiæ antiquiorum suffragia conquirentes, Iacobi Liturgiam omisissent, qua nihil clarius, nihil aptius, nihil firmius, proferre potuissent, iudice Alexandro, qui hoc Veterum silentium animose vrget; cuius reliquas etiam rationes si sufficienter ponderasset Schelstratius, nunquam scripsisset, *nullatenus dubitandum videri, in pleriusque tamen genuinum esse Iacobi Apostoli Opus.* Nam Alexander inter alia notauerat, *huius Liturgiæ contextum pluribus sententiis ex Epistolis sancti Paulli decerptis ornatum esse, quarum multas post martyrium Iacobi scriptas esse, eruditorum virorum nemo nescit.* Quod si igitur tollas, quæ ὁμοούσιον, θεοτόκον, & Trisagium respiciunt, demasque ex epistolis Paullinis depromta, quantillum remanebit, quod Iacobi esse possit, idemque maxime dubium, quoniam ab iis profectum merito censeri queat, quibus cætera debentur. Cautior itaque Schelstratio fuit Bellarminus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis: *Exstat etiam Liturgia sancto Iacobo attributa, quæ a posterioribus ita locupletata est, vt non sit facile diiudicare, quæ pars Liturgiæ sanctum Iacobum habeat auctorem.* Neque omittam, in Liturgia ista præcipi, vt Symbolum Nicænum recitetur; hoc enim, nec aliud esse Σύμβολον πίστεως, cuius ibi initium allegatur, collatio euincit. At non tantum Symbolum Nicænum multo recentius est Iacobo Apostolo, sed vsus etiam illius in Liturgia ineunte demum septimo sæculo inualuit, fatente Schelstratio in Commentario ad canonem secundum Antiochenum cap. vi. num. 6. Quod nouum est interpolationis argumentum, cæteris iunctum facile persuadet, optime omnium illos sentire, qui Liturgiam Iacobi pro centone variorum rituum successu temporis aucto & immutato habent, adeo vt nec ejus origo, nec cuiusque interpolationis tempus exacte possit determinari, sed ex germanis scriptoribus prius docendum sit, quando quisque ritus ea contentus in Ecclesiam receptus fuerit.

VI. Quamuis igitur nihil certi ex supposititia Liturgia depromi possit, Schelstratius tamen dimissionem Catechumenorum *tam antiquam*, id est, Apostolicam esse nihil dubitat, *& ex aliis quoque priscorum scriptis confirmari posse putat.* Vbi minime Lector exspectet scripta indubie Apostolica, quæ præcipue adferenda essent, sed antiquitatem illam non minus ac Liturgia Iacobi ementientia. Certe Schelstratius ipse fatetur, Constitutiones Apostolicas tertio demum sæculo collectas esse; quomodo igitur de rebus ab Apostolis Domini institutis, testari, cum solæ sunt, poterunt? Ex iis potius colligimus, dimissionem Catechumenorum prius non esse inuectam, quam peculiarem ordinem stationemque in Ecclesia habuerunt, quod eodem tempore factum esse, quo pleraque in istis statuta sunt, id est, circa secundi sæculi finem, vel inde patet, quoniam in scriptis Apostolorum & proxime sequentium nulla eius rei exstant vestigia, cuiusmodi apud Tertullia-

num

num demum eiusque synchronos deprehenduntur. Præterea dimissionem Catechumenorum cum Pœnitentium dimissione simul in Ecclesia obseruari cœpisse perquam verisimile est: huius autem initia post sæculum secundum maxima parte elapsum statuenda esse ex Petauii aliorumque prudentiorum Pontificiorum opinione relinquitur, quando publicam pœnitentiam eo demum tempore cœpisse volunt, cuius signum atque indicium illa pœnitentium ciectio fuit. Cum itaque vergente secundo sæculo sacra Christianorum in certam quandam regiminis formam redigi cœperunt, tum Catechumeni etiam, Pœnitentes atque infideles dimitti consueuerunt, quibus antea celebrationem S. Cœnæ contemplari impune licebat. Dionysii Areopagitæ testimonium, vtpote spurium & quarto demum sæculo natum, merito reiicimus: Schelstratium autem iterum monemus, quemadmodum sub capitis præcedentis finem fecimus, vt si ex Dionysio dimissionem Catechumenorum Apostolicam recte probari putat, agnoscat etiam, se grauiter alucinatum esse, dum lectioni Scripturæ publicæ Catechumenos ex Apostolica institutione interfuisse negauit. Tertullianus ex vsu & auctoritate Ecclesiæ sui æui recte impugnauit Marcionistas, & ex eodem fonte profluxit, quod Epiphanius hæresi XLII. num. 4. inter errores Marcionis numerauit: μυστήρια δὲ δῆθεν παρ' αὐτῷ ἐπιτελεῖται, τῶν κατηχουμένων ὁρώντων. *Mysteria catechumenis cernentibus apud illum celebrantur;* sed neuter Apostolicis institutis Marcionem eiusque adseclas hac in re aduersari docuit, haut obscuro indicio, dimissionem Catechumenorum post Apostolos demum cœpisse. Quæ posthæc attulit Schelstratius ex Orientalibus & Occidentalibus scriptoribus, probant quidem, quarto & quinto sæculo in vtraque Ecclesia morem istam obtinuisse, non tamen sufficiunt ad antiquitatem eius Apostolicam probandam. Neque felicius Augustini regulam adplicat, quoniam ea ad traditionem Apostolicam requirit, vt semper in Ecclesia retineatur, quam sane perpetuitatem dimissioni Catechumenorum & infidelium ipse Schelstratius derogat, nec salua Iesuitarum apud Sinenses aliosque gentiles disciplina concedere potest.

VII. Nec satis sibi constat vir doctus in temporis inquisitione, quo dimissio Catechumenorum, ipsaque arcani disciplina abolita est. Facile inter nos conuenire scribit, illam Sæc. VI. in Africa & Gallia adhuc obtinuisse; In Italia quinto sæculo nondum desiisse, eiusque mentionem occurrere in Ordine Romano, quem aliqui octauo sæculo compositum velint; In Germania autem & Gallia nono sæculo adhuc receptam; imo in Ecclesia Latina vsque ad duodecimum sæculum obseruatam fuisse. Mihi non placet ejusmodi fluctuatio, statque sententia, disciplinam arcani in Occidentali Ecclesia septimo sæculo desiisse. Cum vero ea partim in occultis de Symbolis ritibusque Sacramentalibus in præsentia non-ini-

tiatorum ſermonibus, partim in dimiſſione & prohibitione eorundem a conſpectu myſteriorum conſiſteret, de vtroque videndum eſt. Equidem tractatores Eccleſiaſticos poſt ſextum ſæculum nec in homiliis, nec in ſcriptis, arcani diſciplinam obſeruaſſe, Schelſtratius ad finem huius capitis vltro largitur atque concedit, vt de eo nulla inter nos ſuperſit diſputatio. Difficiliorem ſe præbet quoad alteram partem, neque ſubſcribere in totum vult Cardinali Bonæ lib. I. Rerum Liturgicarum cap. XVI. num. 6. ſtatuenti. circa annum 700. in Eccleſia Latina antiquam circa dimiſſionem Catechumenorum diſciplinam deſiiſſe. Non ſatisfecit tamen argumentis Bonæ, quæ nos non minus ac ipſam Cardinalis opinionem de tempore ceſſantis in Occidente Catechumenorum dimiſſionis comprobamus, & proinde transſcribemus: *Nam primo iſtius dimisſionis nulla ſit mentio in antiquis Miſſalibus & Ritualibus: nec vllum eius veſtigium exſtat apud veteres officiorum expoſitores, Strabonem, Micrologum, Rabanum, Amalarium, Alcuinum: licet alios quoscunque ritus minutisſime ſoleant explicare. Patres etiam & Concilia poſt annum 700. nihil prorſus de hac re agunt, quamuis nonnunquam de Miſſa Catechumenorum atque Fidelium ex priſco vſu ſermonem habeant.* Quod aliis etiam argumentis licet confirmare. Poſito enim, quod fatetur Schelſtratius, Doctores Eccleſiæ ſeptimi ſequentiumque ſæculorum in tractatibus ſuis nihil occultaſſe, ſed Symbola ritusque myſteriorum ſine vllis inuolucris, præſentibus quoque Catechumenis, euulgaſſe, cui bono eorum dimiſſionem ſcrupuloſius obſeruaſſent? cum ſublato vno alterum nulli foret vſui, nec quidquam impediebat, vt quod auribus Catechumenorum non amplius occultabatur, oculis eorum pariter exponeretur. Huc pertinet notabilis locus Rhemberti Hamburgenſis Archiepiſcopi in vita Anſcharii, Anteceſſoris ſui, quem in editione Colonienſi omiſſum in Hamburgenſi reſtituit Petrus Lambecius, & pluribus expoſuit Ioan. Andr. Boſius Exercit. de Clinicis Eccleſiæ Veteris cap. II. extremo. Etenim Rhembertus cap. XXI. induſtria Anſcharii in conuertendis Nordalbingenſibus paganis laudata, ſubiicit: *Et cum multi inibi baptizati ſuperuixerint, innumerabilis tamen Albatorum multitudo exinde ad regna conſcendit cœlorum. Quia libenter quidem ſignaculum crucis recipiebant, vt Catechumeni fierent, quo eis Eccleſiam ingredi & ſacris officiis intereſſe liceret, baptiſmi tamen perceptionem differebant, hoc ſibi bonum diiudicantes, vt in fine vitæ ſuæ baptizarentur, quatenus purificati lauacro ſalutari puri & immaculati vitæ æternæ ianuas absque vlla retardatione intrarent.* Nullum eſt dubium, quin *ſacra officia* pro more loquendi ſua ætate recepto dixerit totum cultum diuinum publicum, cuius haud ignobilis pars in Sacramentorum celebratione conſiſtit. Quicunque enim eo tempore *de diuinis officiis* ſcripſerunt, Sacramentorum ritus æque ac alios complexi ſunt. Vnde patet, Catechume-

nos

nos a conspectu mysteriorum prohibitos amplius haud fuisse. Neque his tantum, sed quibuscunque non-initiatis eandem libertatem permissam, colligere est ex Responso Nicolai I. Papæ ad consulta Bulgarorum, sub annum 858. dato, cap. CIV. *A quodam Iudæo, nescitis vtrum Christiano an Pagano, multos in patria vestra baptizatos adseritis, & quid de his sit agendum consulitis. Hi profecto, si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt, (vnum quippe idemque est, vt sanctus exponit Ambrosius,) constat eos non esse denuo baptizandos. Sed primum, vtrum Christianus, an Paganus, ipse Iudæus exstiterit, vel si postmodum factus fuerit Christianus, inuestigandum est.* Ioannes Harduinus ex Quæstione triplici de Baptismo tertiam huic Nicolai responso impendit, & pag. 64. 65. hunc in modum commentatus est: *Nuperrime Bulgarorum natio abiectis inanium numinum simulacris ad Christiana sacra transierat, adhuc plena Paganorum: neque erat satis exploratum, falsisne diis etiamtum addictus esset is qui baptizarat, Iudæus vtique, hoc est, mercator circumforaneus, (neque enim religionis istud ibi, sed negotiationis nomen est, vt alii ante nos monuerunt:) an Christi iam vnius cultui consecratus, atque adeo non profani, vt olim, sed sacri baptismatis peritus administer.* At quid opus erat hac dubitatione ac inuestigatione, obtinente adhuc exclusione non-initiatorum a conspectu mysteriorum? Cum enim illi prohiberentur, formulam sane Baptismi ignorabant, Symbolum confessionemue baptizandi nesciebant, nec reliquos baptismatis ritus conspexerant. Quomodo igitur Nicolaus dubitare potuit, vtrum Christianus, an paganus homo iste fuerit? quo iure potuit approbare illum baptismum, si in nomine sanctæ Trinitatis, vel Christi a pagano datus fuerit? qua ratione in homine ethnico notitiam formulæ rituumque Baptismi Christiani supponere ac requirere potuit? nisi sua ætate actionibus Sacramentalibus impune præsentes fuerint non initiati, adeoque arcani disciplina prorsus euanuerit. Sane tantis ambagibus Nicolaus alioquin opus non habebat, sed Bulgaris vno verbo respondere poterat, baptismum Christianum ab homine pagano, formulam ritusque propter arcani disciplinam plane ignorante, rite administrari non posse. Egregiam quoque obseruationem ex Micrologo & Remigio promit Tobias Pfannerus in præclaro de Catechumenis libello cap. II. num. 5. Vt autem consuetudinem dimittendi non-initiatos sæculo octauo & nono in Occidente desiisse videmus, ita non ex vano persuasum habemus, eam septimo sæculo abrogatam fuisse.

VIII. Expendamus tamen, quæ in contrarium Schelstratius attulit. Missale Romanum, quod ex MSto Palatino laudat, si non idem est cum eo, quod sub Gelasii Papæ nomine Thomasius Romæ edidit, non multum tamen diuersum puto. Quo de videant, qui librum Thomasinum oculis meis nondum oblatum possident.

Non autem perſpicere poſſum, quamobrem diſcrimen inter orationes pro Neophytis & Competentibus ibi obſeruatum tanta ſollicitudine inculcet Schelſtratius. Certe Neophyti vocantur, qui baptiſmi lauacro nouiſſime tincti ſunt; Competentes autem mox baptizandi appellantur, vtique a neophytis diſtinctiſſimi, quippe id demum exſpectantes, quod hi iamtum acceperant; vt ſine dubio diuerſimode pro iis precari oportuerit. Iidem igitur, qui competentes ante baptiſmum nuncupabantur, poſt eius perceptionem Neophytorum nomine veniebant. Ad obiectionem ex Ordine Romano, Amalario & Beletho petitam reſponderat iamtum Cardinalis Bona: *Neque obſtat Amalarius ita ſcribens lib.1. cap.36. Conſuetudo noſtra eſt, vt Catechumenos repellamus ante Euangelium: nam de alio ritu loquitur, qui a media Quadrageſima vsque ad Sabbatum ſanctum ſuo tempore vigebat, & aliquot poſt ipſum ſæculis in vſu fuit, eius enim meminit Ioannes Beleth, qui viuebat anno 1190. lib. de diu. offic. cap.34. quia cum nemo eſſet, qui baptiſmum peteret ex Ethniciſmo vel Iudaiſmo conuerſus, ſed omnes baptizandi, filii Chriſtianorum & infantes eſſent, quidam ex illis ad ſolemne Paſchatis baptiſma reſeruabantur. Et hi manebant in Eccleſia, donec legeretur Epiſtola, & cantato Graduali Diaconus elata voce dicebat;* Catechumeni recedant: ſi quis Catechumenus eſt, recedat: omnes Catechumeni recedant foras. *Et egrediebantur exſpectantes præ foribus eccleſiæ, vsque ad finem Miſſæ; ipſisque egreſſis legebat Diaconus Euangelium. Hic mos erat primi & ſecundi ſcrutinii: in tertio vero quod apertionis aurium dicebatur, tradito Symbolo & explicata Dominica oratione, annunciabat Diaconus, vt diſcederent: & egrediebantur parentes cum infantibus, eisque relictis ſub cuſtodia, donec Miſſarum ſolemnia perficerentur, regreſſi in eccleſiam tam ipſi parentes, quam ſuſceptores cum oblationibus, eas pro illis offerebant: quæ omnia fuſius in Ordine Romano deſcribuntur. De hac igitur dimiſſione Amalarius & Beleth intelligendi ſunt; non de illa ſolemni & quotidiana, a qua miſſa Catechumenorum nomen accepit, licet hæc ab illa promanarit.* Differebat itaque hæc Catechumenorum dimiſſio, quæ in recentiori Eccleſia obtinebat, ab ea, quæ antiquis ſæculis recepta erat, tam ratione temporis, quam ratione modi. Antiquior enim eccleſia Catechumenos quotidie a conſpectu myſteriorum arcebat: recentior tantum tempore ſcrutiniorum. Illa Catechumenis etiam Euangelia & Concionem ſacram audire permittebat; hæc ante lectionem Euangeliorum eos dimittebat. Ita in hoc quoque ritu vſuuenit, quod in aliis multis, vt ſequioris ætatis Eccleſia vmbram tantum priſci ritus retinuerit. Hunc recentioris Eccleſiæ morem agnoſcit etiam Schelſtratius, ſed ad Romanam reſtringit, quæ adultorum ritum circa infantes retinere voluerit, cum iam Romæ nulli ſupereſſent pagani; alias vero eccleſias tardius a paganis liberatas vna cum infantibus adultos Catechumenos ad ſolennem Paſchatis Baptiſmum ſeruaſſe ſcribit. Atqui non in Romana duntaxat Eccleſia, ſed etiam

in

in Germanica & Gallicana viguit iſta circa infantes conſuetudo, vt ex Amalario & Beletho probauit Bona; quorum hic Pariſienſis Doctor fuit, ille autem non Treuirenſis Epiſcopus, quo nomine apud Schelſtratium vulgari errore ſeductum venit, ſed Metenſis Diaconus, prout melior eruditorum pars poſt Sirmondum & Labbeum hodie ſtatuit. Eſto autem, quod addit Schelſtratius, alias eccleſias ritum dimittendi infantes ad adultos Catechumenos extendiſſe, nihil tamen noſtræ ſententiæ decedit. Tantum enim abeſt, vt diſciplinam arcani dudum ſane abolitam adhuc in vſu fuiſſe inde probetur, vt potius vix vmbram eius referat, quæ tertio decimo ſæculo prorſus euanuit. Præterea hic mos ſolum tempore ſcrutiniorum a miſſa arcebat Catechumenos, an ergo reliquo anni ſpatio adultos illos pariter ab auditu euangelii, concionum ſacrarum, & conſpectu myſteriorum excluſos dicemus? Atqui contrarium potius obtinuiſſe, rationibus exemplisque oſtendi; nec facile crediderim Schelſtratium ex animi ſententia aliter ſtatuiſſe; aut ſi hæc eius fuerit intentio, in conatu probandi non ſatisfecit. Neque enim ſufficit docere, adultos Catechumenos in Eccleſia fuiſſe, quibus ne Romana quidem Eccleſia tum plane carebat, vt patet ex Ioannis Diaconi epiſtola ad Senarium, quam Mabillonius tomo I. Muſei Italici inſeruit: Sed oſtendendum erat, eosdem a conſpectu myſteriorum quotidie expulſos, vt priſcæ eccleſiæ mores ferebant, & non hodierna potius conſuetudine præſentiam eorum toleratam fuiſſe. Sane Odilbertus Mediolanenſis & Leidradus Lugdunenſis, qui pariter a Carolo Magno de ritibus Baptiſmi interrogati fuerant, in libellis ſuis de hoc argumento a Mabillonio editis, & Ioannes Diaconus in illa epiſtola non minus ac Theodulfus adultos Catechumenos ac Competentes, & ſcrutinia cum iis ſuſcepta commemorant, verbis Iſidori Hiſpalenſis plerunque vſi; nullus tamen eorum a myſteriorum conſpectu prohibitos refert, de quo Theodulfus quoque altum tenet ſilentium. Alucinatur etiam Schelſtratius in explicandis verbis Anonymi inter Manuſcripta Vaticana deliteſcentis: Cum enim is dixerit: *Antequam introeant, ſcribantur nomina infantum, & eorum, qui poſt ſuſcepturi ſunt, ab Acolytho*, priſcum intelligens ritum, quo nomina infantum & ſuſceptorum ſiue Patrinorum in diptychis adnotabantur: Schelſtratius ita accipit, quaſi infantes & adulti Catechumeni nomina ſua dederint, plane contra mentem auctoris, qui *infantum* appellatione omnes Catechumenos comprehendit, exemplo Auguſtini, ex cuius *Sermone ad infantes* quædam deſcripſit Fulgentius, ab ipſo Schelſtratio Cap. IV. num. 16. citatus. Nihil itaque amplius obſtat, quo minus ſæculo ſeptimo diſciplinam arcani tam quoad obſcuras in concione loquutiones, quam quoad ſolennem Catechumenorum dimiſſionem in Occidentali Eccleſia exoleuiſſe ſtatuamus.

IX. Nec temere conceſſerim Schelſtratio, diſciplinam arcani in Oriente ad finem quinti ſæculi in deſuetudinem abiiſſe. Etenim poſt medium ſexti ſcri-

pſit

psit Auctor anonymus Actorum Siræ martyris a Papebrochio To. IV. Sanctorum Maii editus, apud quem non obscura disciplinæ huius vestigia deprehenduntur. Sira parentibus gentilibus Seleuciæ, quæ nobilis Mesopotamiæ ciuitas est, nata, propter Christianismum martyrio coronata fuit anno XXVIII. Chosroæ Senioris, anno 870. Græcorum, qui respondet anno æræ vulgatæ 558. computante Papebrochio in Commentario præuio num.5. Vita eius concinnata est ab Auctore coæuo, vtpote qui Chosroe Iuniore regnante scripsit, sub cuius auo, seniore Chosroe, passa est ipsa S. Sira, monente eodem Papebrochio num.2. Ita ergo Auctor ille Anonymus num. XVI. pag. 179. Πῶς δὲ ἐβαπτίσθη, καὶ διά τινων ἐπ' αὐτῇ τὸ τοιοῦτον ᾠκονομήθη μυστήριον, χρησίμως παρέρχομαι διὰ τὴν τοῦ ἐπισκόπου γεγραμμένην ἐπαγγελίαν, ἐν τῷ καιρῷ τῶν δεσμῶν αὐτῆς ἀξιοῦται τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ τῆς πόλεως. *Quamodo autem, & quibus hoc mysterium administrantibus, baptizata sit; expedit ob præsentem rerum statum silentio præterire: id solum nunc postulantibus significo; quod secundum suprascriptam Episcopi promissionem, sacrum baptisma consequuta sit, ipso vinculorum suorum tempore, in sanctissima vrbis ecclesia.* Equidem Papebrochius num.16. Commentarii præuii putat hoc silentium prouenire ex timore persequutionis Persarum, in ea regione tum dominantium: *tacet auctor, per quos & quomodo baptizata fuerit,* propter præsentem rerum statum; *indicans etiam tunc Christianos haud satis libere egisse, fortassis post victorias Persarum contra Christianos, quibus an.614. capta Hierosolyma & sancta Cruce abducta in Persidem, insolescebant nimium barbari.* Confirmari posset hæc sententia ex Elmacino, Historico Arabe, qui Lib.I. Historiæ Saracenicæ cap.I. describit grauissimam Chosroæ persequutionem, Anno secundo Hegiræ, cuius initium in An. Christi 623. incidit, motam, qua inter alia *destrui iusserit templa omnia Syriæ & Mesopotamiæ,* vt dubium non sit, quin ea Seleuciæ quoque magnam attulerit calamitatem. Sed quominus hanc explicationem comprobem, id me præcipue retrahit, quod episcopi disertam mentionem faciens scriptor ille, Diaconos saltem vel Presbyteros, Baptismi ministros, reticet. Siccine conueniebat primarium sacrorum antistitem periculo exponere, minoris autem ordinis Sacerdotes eximere? Nec quidquam persequutionem vel minuisset, vel auxisset rituum Baptismalium silentium, quod auctor sollicite obseruat. Potius disciplinam arcani sapit hæc reticentia, quæ ritus mysteriorum propter paganos, quales tum temporis adhuc erant Persæ, occultari præcipiebat; & quemadmodum in sacris Græcorum Eleusiniis nefas erat, nomen Hierophantæ prodere; ita Christiani quoque religioni sibi duxerunt, nomina Antistitum baptizantium paganis patefacere. Vnde noua resultat disciplinæ arcani cum Eleusiniis conuenientia, iis addenda, quas supra allegauimus Sectione IV. num. XXXIX.

X. Ca-

X. Cæterum, quod diſciplina Arcani ſexto ſeptimoque ſæculo in Orientali Eeclesia locum habuerit, ex Maximo etiam Abbate, illis temporibus viuente, luculenter patet, cui quantum tribuat Schelſtratius, inde cognoſcere licet, quæ in Apologia ſua de Dionyſio Areopagita disputauit. Iam vero Maximus in Myſtagogia Cap. 14. diſerte ſcribit: *μετὰ τὴν θείαν τοῦ ἁγίου εὐαγγελίου ἀνάγνωσιν, καὶ ἡ τῶν κατηχουμένων, καὶ ἡ τῶν λοιπῶν τῶν ἀναξίων τῆς θείας τῶν δειχθησομένων μυστηρίων θεωρίας ἀπόλυσίς τε καὶ ἐκβολὴ διὰ τῶν λειτουργῶν γίγνεται. Poſt diuinam Sancti Euangelii lectionem, & Catechumenorum, & reliquorum, qui diuina oſtendendorum ſacramentorum contemplatione indigni ſunt, fit per ſacros miniſtros dimiſſio, & eiectio.* Inter opera Athanaſii exſtant quinque Dialogi de Trinitate, qui ei ab omnibus hodie abiudicantur: & quanquam de vero auctore dubitant nonnulli, vtrum Theodoreto, an potius Maximo ſint tribuendi; tamen ſi Codicum MStorum epigraphæ, & eruditorum plerorumque ſuffragia valent, in Maximum fere conclamatum eſt. Nec opus habeo, multis rationibus nominibusue chartas complere, quum haud inuitus adſtipuletur Schelſtratius in Vindiciis Concilii Antiocheni Diſſertat. III. Cap. II. num. 6. *Putat autem Hermantius auctorem Dialogi non quidem fuiſſe Athanaſium, inter cuius opera quinque illi Dialogi reperiuntur, ſed qui tribus poſt Athanaſium ſaculis floruit, S. Maximum Abbatem græcum, & recte: Maximi enim opera nuper ſtudio Franciſci Combefiſii in lucem edita habent hos quinque Dialogos de Trinitate, & Georgius Protoſyncellus apologia aduerſus Marci Epheſini epiſtolam in appendice ad Synodum Florentinam loquens de addito* filioque *in Symbolo: in hac ſententia, inquit, eſt etiam S. Maximus, vt conſtat ex eius Dialogo cum Eunomiano &c.* Hic ergo Maximus in primo Dialogo colloquentes introducit Anomœum hæreticum, & Orthodoxum, & in ipſo ſtatim exordio diſciplinam arcani ſeruat. Ita enim incipit: Ἀν. χριστιανὸς εἶ; Ὀρθ. καὶ πάνυ. Ἀν. Τί ἐστιν ὁ χριστιανισμός; Ὀρθ. Ἀλλὰ τὸ μὲν ἦν ἀναγκαῖον εἰπεῖν, τὸ δὲ οὐκ ἀσφαλές. Ἀν. διά τι; Ὀρθ. Τὸ μὲν γὰρ εἰπεῖν, ὅτι Χριστοῦ δοῦλος εἰμὶ, ἀναγκαῖον εἰπεῖν τὸ δὲ, τί ἐστιν ὁ χριστιανισμὸς, οὐκ ἀσφαλὲς, ἐὰν μὴ γνῶ τίς ἐστιν ὁ ἐρωτῶν. μή ποτε εὑρεθῶ βάλλων τὰ ἅγια τοῖς κυσὶν, ἢ τοὺς μαργαρίτας ἔμπροσθεν τῶν χοιρῶν. καὶ γὰρ ἐάν με ἐρωτήσῃς, καὶ πιστὸς εἴης κατηχούμενος, ἑτοίμως λέγω ὅ εἰμι. τί δέ ἐστι τὸ εἶναι πιστὸν, οὐ λέγω μή ποτε καὶ Ἰουδαῖος εἶ ὁ ἐρωτῶν. Anomœus. *An Chriſtianus es?* Orthodoxus. *Sane quidem.* A. *Quid eſt Chriſtianiſmus?* O. *At illud quidem dicere neceſſe fuit, iſtud vero non ita tutum.* A. *Quamobrem?* O. *Quoniam dicere quidem neceſſe fuit, quod ſim Chriſti ſeruus: dicere vero quid ſit Chriſtianiſmus, tutum non fuerit, niſi cognouero, quisnam ille ſit, qui hoc percontatur: ne forte comperiar canibus res ſanctas & porcis margaritas proiicere. Etenim ſi quid ex me quæras, & fueris ex fidelium numero, qui myſteriis initiantur,*

prompte id quod ego sum tibi dixero: quid sit autem fidelem esse non dixero, ne forte sis Iudaeus, qui me interrogas. Orthodoxus hic dubio procul de Symbolo fidei, tanquam baptismi & Christianismi tessera, loquitur, quod non-initiatis prodere ex disciplinæ arcani præscripto nefas habebatur: notabile autem est, sacrum hoc silentium propter Iudæos ab Orientali Ecclesia retentum esse, quandoquidem in regionibus illis Christianorum ditioni subiectis ethnicismus sæculo septimo ferme exstirpatus erat. Denique obseruari meretur, vtramque disciplinæ arcani partem diutius in Oriente, quam in Occidente viguisse. Alterius, Catechumenorum nempe dimissionis, in hodiernis Græcorum Liturgiis exstare mentionem fatetur Schelstratius, nec illam Diaconi exclamationem frustraneam esse putarim, saltem quoad Catechumenos ex Turcarum & Iudæorum numero, si qui adfuerint; verba autem Zonaræ de ministrorum a ianuæ custodia recessu hanc consuetudinem excludere non arbitror, cum in Pontificia quoque Ecclesia subinde Ethnici, Turcæ & Iudæi Catechumeni reperiantur, etiamsi ianuarum custodia pariter abolita est. In hoc ergo discrimen consistit, quod Orientalis Ecclesia adhuc hodie Catechumenos a conspectu mysteriorum pellit, quorum præsentiam Occidentalis impune tolerat & permittit. Alteram porro disciplinæ arcani partem, quæ formulas *ἴσασιν οἱ μεμυημένοι*, similesque, in sacris ad populum sermonibus requirebat, longius in Oriente durasse patet ex loco Philothei supra Sect. II. num. XV. a nobis vindicato, qui sæculo XIV. Patriarcha CPtanus fuit, & Symbolum fidei in Baptismo recitandum solita priscis Patribus cautela indicauit.

XI. Singularia sunt, quæ de Græcorum in hac disciplina erga Muhammedanos seruanda studio adnotauit Christianus Lupus Scholiis in caput XLI. Tertulliani de Præscriptionibus hæreticorum, & Schelstratio nostro merito opponenda: *Et huius disciplinæ posteriores etiam Græci fuerunt semper obseruantissimi. Etenim de Imperatore Leone sapiente, qui Saracenorum Legatos excepit honorificentissime, adiungit Leo Grammaticus:* Imperator magnam Ecclesiam sumptuoso decorauit ornatu, omniaque pretiosa vasa Agarenis ostendit, quod indignum Imperatoriæ & Christianæ institutionis exstitit, sacra Dei vasa a Gentilibus conspici: *Istud ipsum narrat Georgius Cedrenus, & adiungit:* Id quidem statu Christiano indignum fuit, peregrinis hominibus, eisque a vera religione alienis, ea ostendere, quæ ne a piis quidem, & integræ vitæ hominibus temere visuntur. *Duodecimo Christi Domini sæculo etiam Clitzieslan Turcorum Sultanus venit Constantinopolim, ab Imperatore Emmanuele Comneno fuit superbissime exceptus, & Ioannes Cinnamus adiungit Lib. 4. fol. 222.* Imperator rerum prosperarum magnitudine elatus, triumphum instruebat apparatissimum, quo Clitzieslan ab arce summa vsque ad inclytum diuinæ sapientiæ templum in pompa traduceret. Sed non est exsequutus

prop-

propositum. Lucas enim Ecclesiæ tunc antistes huic actui resistere: Non decere inquiens inter religionis instrumenta & sacra ornamenta impium hominem transire. *Et accedens horrendus terræ motus Patriarchæ dicta confirmauit. Quod ipsum ample refert Nicetas Choniates lib. III. cap. v. Etiam Azatinus Turcorum Sultanus sub Michaëlis Palæologi Imperio venit Constantinopolim, & Patriarcha Arsenius fuit ipsi adeo familiaris, vt se reddiderit calumniis obnoxium. Etenim quidam Clerici aduersus illum Imperatori porrexerunt accusatorium libellum, in quo erant hi articuli:* Quod Arsenius nimium se propensum & familiarem Sultano præbuisset, adeo vt ipsi & comitibus permiserit sæpius lauari in balneo Ecclesiæ, vbi sunt signa venerandæ crucis marmoribus insculpta, cum isti essent Agareni, & Christi mysteriorum expertes. Præterea quod ipse Sultan cum suis Satrapis, per matutinum splendidæ & magnæ Dominicæ, Patriarchæ Litanias celebranti adfuisset, & simul Litanias recitasset. *Ita refert Georgius Pachymeres, addens Arsenium ea de caussa fuisse degradatum. Quod ipsum scribit Nicephorus Gregoras lib. 4. cap. 3. & 6. Ex quibus vides paganos non solum a Missæ sacrificio, sed etiam a quauis in Ecclesia oratione, imo & a quouis Basilicæ ingressu esse excludendos. Quæstio est de ingressu & lauatione in Ecclesiæ balneo. Etenim hunc ingressum illis non posse permitti sustinebant Arsenii accusatores, verum ipse intercessit.* Ad Sultani Comites, quod attinet, lotos eos Ecclesiæ balneo se nescire, neque id iussisse. Cæterum si allegata ratio valeret, excludendos eos cunctis pariter vrbis balneis, non minus quam illo, quod ad Ecclesiam pertineret. Cum aliæ quoque thermæ, præterquam quod crucis signo insculptæ sint, sacris etiam imaginibus ornentur. Si autem id non obstat, quo minus iis, quantumuis veræ religionis expertibus, vsus permittatur aliorum lauacrorum, quid est quod repellantur ab Ecclesiæ balneo? *Scio Arsenii degradationem fuisse latrocinalem: Etenim Sultanus ille profitebatur se Christianum. Interim ipse etiam Arsenius profitetur ista alia omnia, de quibus accusabatur, in pagania non licuisse.* Hactenus Lupus, qui tamen non minus ac Græculi isti obiectum disciplinæ arcani longius quam par erat, extendit. Neque enim ex eius disciplinæ præscripto prioribus & purioribus sæculis vnquam vel a conspectu imaginum vel ab ingressu ecclesiæ, sed tantum a conspectu mysteriorum prohibiti sunt pagani. Græculi autem sequioris æui ex staurolatriæ & iconolatriæ studio cruces etiam imaginesque occultari voluerunt, quos recte redarguit Arsenius, qui nihil tamen reperit, quod ad obiectum crimen admissi ad Litanias Sultani ac Satraparum responderet, a quibus tanquam rituum Eucharisticorum parte ἀμύητοι excludendi erant. Tantum igitur abest, vt in Orientali Ecclesia disciplina arcani quinto sæculo in desuetudinem abierit, quemadmodum vult Schelstratius, vt potius Græci eandem strictius obseruarint, & Muhammedanos etiam excludere voluerint. Notauit hoc etiam Pfannerus cap. II. & Catechu-

chumenis num. v. extremo, non solum ex Nicolao Cabasila, Thessalonicensium sæculis modo abhinc tribus Antistite, Catechumenorum dimissionem probans, sed & hæc verba subiiciens: *Et retinuere forsan morem maiorum etiam recentioris æui Ecclesiæ, Muhammedanis, Iudæis gentilibusue permixtæ, quarum ideo maior in dignitate sacrorum mysteriorum ab istorum calumniis atque ludibriis tuenda cura atque industria erat.* Sed Græcorum aduersus Muhammedanos cautelam pluribus confirmat Iosephus Georgirenes, Archiepiscopus in Insula Samo, qui Antonio Pagio etiam notus & sub Giorgerini nomine laudatus in Critica Baroniana An. XXIX. num. 7. Græcoque libello descriptionem trium Insularum, Samos, Nicariæ & Pathmos, complexus est. Hunc Græce quidem non vidi, Germanicam autem versionem ante biennium editam ad manus habeo, de cuius fide nihil dubitare attinet, siquidem ab eo Interprete adornatæ, qui ipso Auctore familiariter Londini vsus est. Huius libelli pag. 59. 60. describitur panis sacer vino intinctus, qui festo S. Cœnæ die in vsum ægrotorum consecratus per totum annum adseruatur. Itaque Constantinopoli aliisque in vrbibus, quæ magna Turcarum frequentia abundant, Sacerdos particulam ad ægrotum tecte sub brachio fert, ex metu contumeliæ. Verba huc spectantia dabo: Wenn eines franck ist/nimmt er ein solch klein Stückgen Brodt/wirfft es in einen Kelch/und träget es in seiner Hand zu des Krancken Hause. Aber zu Constantinopel und in andern Städten/wo die Türcken in grosser Menge seyn/trägt er solches verborgen unter seinem Arme/aus Furcht einer Beleidigung. Vnde apertissime liquet, disciplinam arcani vsque in hodiernum diem apud Græcos nondum plane desiisse. Claudam obseruatione Franc. Combefisii in Notis ad Triadem Martyrum p. 148. *Singulare est, ac nescio an satis probatum, quod refert Auctor libri miraculorum SS. Cosmæ & Damiani, miraculo 10. apud Orientales eum vigere morem (quo nempe tempore is scribebat) vt si quis non-Christianus ingressus Ecclesiam, tum maxime cum in ea Sacra peragerentur, eorum aliquid vidisset, quæ τοῖς ἀμυήτοις (i. e. profanis) arcana habebantur, mox incandescente Christianorum plebe, in ciuitate vel oppido, nulla admissa satisfactione, nullo Præsidis metu, combureretur. Quibus tamen significatur hæc, non iure, sed tumultu, sic illis vsurpata esse; cum tamen iuris aliquam speciem ipsum hoc præferret, quod sacrorum violationem, pœna illi peculiarius addicta, vindicarent.* Non licuit mihi esse tam felici, vt librum istum miraculorum oculis vsurparem, eiusque ætatem cognoscerem; quare Schelstratio relinquo definiendum, vtrum suæ meæue de duratione disciplinæ arcani opinioni faueat.

CAPVT

CAPUT VII.

De variis ad dogmata, & eruditionem Ecclesiasticam spectantibus, quæ ex disciplina arcani deducuntur.

NOn vnum est, quod ex disciplina arcani sequitur corollarium, sed plura sunt, eaque notatu dignissima: vnde & sub diuersis titulis placuit ea omnium Lectorum meorum oculis proponere.

ARTICULUS I.

Quod non apud veteres de mysteriis mentio fiat, & nulli de septem Sacramentis tractatus scripti sint, ex disciplina arcani prouenit.

SÆpe mecum cogitaueram, quid in caussa esset, quod hisce nostris temporibus tam frequens mentio fiat septem Sacramentorum Ecclesiæ, & antiquitus nulla ferme apud Patres eorum memoria reperiatur. Scio quidem, non Lutheranos solum, sed Caluinistas quoque, hoc antiquorum silentium contra septenarium numerum Sacramentorum adducere, & cum Patres frequenter agant de Baptismi, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ mysteriis, non plura, quam duo, vel tria ad summum Sacramenta admittere. Verum errare Nouatores, ostendi in commentario de Ecclesia Africana, quam non duo, vel tria, sed septem omnino Sacramenta antiquitus admisisse, probaui dissertatione 2. cap. 5. ex Tertulliano, Cypriano, Optato Mileuitano, & Sancto Augustino, qui variis in locis, quamuis rarius subinde, & obscurius, aliorum Sacramentorum mentionem faciunt.

Vnum hoc loco inquirendum suscepi, qua de causa, quo consilio antiqui Patres tot numero Sacramenta admittentes, & quotidie in Ecclesia administrantes, de iis rarius & obscurius quandoque locuti fuerint, nullumque tractatum de septem Sacramentis posterorum memoriæ consecrarint? Si enim peruoluamus omnia antiquitatis monumenta; si perscrutemur cuncta antiquissimorum Patrum scripta; si inuestigemus ipsa Synodorum decreta: nullum tractatum, nullum librum, nullum decretum reperiemus, quod ante septimum sæculum egerit de septem Sacramentis, eorumque ritus exposuerit. E contra vero post septimum sæculum non modo apud Latinos, sed etiam Græcos frequens eorum memoria reperietur, cum integri tractatus de illis compositi habeantur, nihilque tot scriptorum libris, totque Synodorum decretis æque celebretur, quam Theologica de septem Sacramentis materia. Videri possunt apud Latinos scripta virorum sanctitate vel doctrina celebrium, qui a tempore Caroli Magni floruerunt in Ecclesia; Scholasticorum commentaria, qui post Sanctum Bonauenturam, & Diuum Thomam prodierunt vsque ad Concilii Tridentini tempora; Synodorum Prouincialium decreta, quæ post Tridentinum Concilium per omnem totius Occidentis Ecclesiam statuta sunt ab Episcopis; magna eorum pars circa doctrinam de septem Sacramentis versatur. Idem videre est post tempora Photii apud Græcos, cum in Oriente non defuerint, qui de septenario Sacramentorum numero egerint. Habes Photium ipsum, qui in sua Bibliotheca ex Iobio Monacho: *Septem Sacrosancta Christi Ecclesiæ mysteria celebrat.* Habes Epiphanium Græcum, qui in libello de Religione Christiana per Petrum de Monte Brixiensem Episcopum ante 240. annos Latinitate donato de septem Sacramentis latios tractat. Habes Synodum Cypriam sub Germano Amathuntis Episcopo celebratam, quæ illorum virtutem explicat. Ha-

bes Ioannis Palæologi Imperatoris Constantinopolitani professionem, quod septem Sacramenta credat. Habes Symeonis Thessalonicensis dialogos de septem mysteriis, in quibus diffusissime de eorum instituto, ritu, & effectu disputat. Habes Gabrielem Philadelphiensem, qui in Opusculo de septem Sacramentis eorum materiam & formam assignat. Habes Gregorium Hieromonachum, Meletium Syrigum, aliosque Græcos recentiores, qui cum variis Conciliis Constantinopoli & in Oriente habitis de septem Sacramentis egerunt, prout latius patebit ex actis Orientalis Ecclesiæ contra exortam præterito sæculo Lutheri hæresim breui, vt spero, in lucem a me edendis.

Hæc cum ita sint, quid in causa esse potuit, quod antiquiores illi Patres rarius de Sacramentis egerint, nullumque de eorum numero tractatum ediderint? Dicunt quidem Hæretici, eos a commentario de septem Sacramentis abstinuisse, quod numerum illum Sacramentorum non admiserint. Sed id ex Orientalis Schismaticæ, & Occidentalis Orthodoxæ Ecclesiæ sententia facile refellitur. Neque enim Orientales Schismatici cum Orthodoxis Latinis in vnam eandemque sententiam ab octingentis annis conspirassent, nisi illam a maioribus accepissent, prout accepisse patet ex raris illis antiquiorum testimoniis, quibus licet non de omnibus simul, de omnibus tamen Sacramentis sparsim egerunt, & obscurius quandoque locuti sunt. Alia itaque ratio subesse debet, quam somniant Hæretici: & quænam obsecro alia, quam illa de disciplina arcani? Cum tractatus eduntur de septem Sacramentis, necesse est eorum ritus exponere; materiam & formam, quibus conficiuntur, determinare; dogma ipsum de omnibus ad Sacramentorum consecrationem, & administrationem spectantibus minime celare. Atqui hæc sunt, quæ prisca Ecclesiæ disciplina oculis & auribus Gentilium, Iudæorum, & Catechumenorum religiose occultabat, quorum profanationem metuentes antiqui, ab iis abstinebant in sermonibus, & sibi cauebant, ne agerent in scriptis. Audiuimus supra Sanctum Ioannem Chrysostomum, cum de ritibus Baptismi, & verbis in administratione eius proferri solitis ageret, exclamasse in tractatibus ad populum: *Volo quidem aperte hoc dicere: non audeo autem propter eos, qui non sunt initiati: ii enim expositionem nobis faciunt difficiliorem, & qui nos cogunt vel non aperte dicere, aut eis arcana enuntiare. Sed tamen dicam quoad eius a me fieri poterit, tecte & adumbrate: nam post mysticorum illorum & terribilium verborum enuntiationem, & horrendas regulas dogmatum, quæ e cælo sunt dimissa, hoc quoque in fine addimus, quando sumus baptizandi, iubentes dicere: Credo &c.* Verba Græca dedimus supra, ne quisquam existimaret, vel textum a nobis corruptum, vel quidquam Chrysostomo affictum fuisse. Innocentius Primus Pontifex Sanctissimus interrogatus a Decentio Episcopo Eugubino de Sacramento Confirmationis, respondet; *Forma verba dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.* Et infra: *Reliqua, quæ scribi fas non est, cum adfueris, interrogati poterimus edicere.* Epiphanius in Ancorato agens de consecratione Eucharistiæ, vbi ad formæ verba peruenit, non est ausus ea proferre, sed bis dixit: *Hoc meum est hoc:* omittens Corporis mentionem, vt ex loco superius allato clarissime constat. Quod Sanctus Augustinus præsentibus Catechumenis de Eucharistia vix aliud dicere solitus fuerit, quam *Norunt fideles,* audiuimus ex variis locis supra, quibus vnum hic adiungere lubet ex commentario eius in Psalmum 141. vbi asserit, multa Sacramenta aliter atque aliter accipi: *Quædam,* inquit, *sicut nostis, ore accipimus, quædam per totum corpus accipimus. Quia vero in fronte erubescitur &c.* vbi de pluribus Sacramentis agit: Confirmatione, quæ in fronte confertur; Corpore & Sanguine Christi, quæ ore accipiuntur; Baptismo, & Extrema vnctione, quæ per totum corpus administrantur. Verum cur Augustinus, tam obscure de illis Sacramentis loquitur? Cur clarius ab eo non exponuntur? Notandum est

est verbum, *sicut nostis*, quo significat, fideles ea nouisse, Catechumenos vero ignorasse, & ne scirent, ex professo illis occultata fuisse.

Præclaram horum omnium rationem dedit Basilius Magnus libro de Spiritu Sancto ad Amphilochium: cum enim docuisset ritus Baptismi, & Confirmationis, verba consecrationis Eucharistiæ, ac Olei vnctionem ex tacita & minime scripta traditione Apostolica obseruari ab Ecclesia, adiungit: *Nam quæ nec intueri fas est non initiatis, qui conueniebat horum doctrinam publicitus circumferri scripto.* Ex quibus videre possunt Tentzelius, & eius sequaces, nullum de Sacramentis tractatum publicatum fuisse a temporibus Apostolorum vsque ad Basilium Magnum, sed nec publicari recte potuisse post Basilium, quamdiu disciplina arcani obseruabatur in Ecclesia. Egit quidem Dionysius de quibusdam ritibus & arcanis mysteriis: sed siue Areopagitam dicas, qui temporibus Apostolorum floruit, siue alium Authorem esse afferas, qui tertio vel quarto sæculo scripsit, liber ipsius ob hæc arcana occultandus fuit, prout Author ipse non semel, sed sæpius admonuit? Disciplina itaque arcani in causa fuit, quod sex primis Ecclesiæ sæculis Sancti Patres, & Catholici Scriptores a tractatibus de Sacramentis abstinuerint, rarius & obscurius de iis scripserint, & cum numquam ex professo materiam illam commentariis suis illustrandam susceperint, neque de eorum numero recensendo solliciti fuerint. Aliud quid est post sextum, & septimum sæculum: quia obsoleta & extincta arcani disciplina, nihil erat, quod Scriptores Ecclesiasticos a commentario de Sacramentis arceret: vnde clare de iis eorumque ritibus, materia, & forma egerunt, & Ecclesia ipsa septenarium numerum in Conciliis contra Nouatores hæreticos confirmauit.

SECTIO VII.

ANIMADVERSIONVM

IN

CAPVT VII. APOLOGIÆ.

EIVSQVE

ARTICVLVM I.

I.

ACcedit Schelstratius ad consectaria ex opinione sua de disciplina arcani elicienda, quorum pleraque ita sunt comparata, vt falsam supponant hypothesin, quasi hæc disciplina non tantum rituum, sed dogmatum quoque occultationem ambitu suo comprehendisset. Sed inuita veritate hæc statuere Schelstratium, ex iis, quæ hactenus disputauimus, omnes cognoscent. Iuuat tamen corollaria eius propius inspicere, & quid in recessu habeant, considerare. Primum est de septem Sacramentis, quorum expressam mentionem cum non reperiret apud Patres septimo sæculo antiquiores, ex disciplina arcani eam prætermissam suspicatur, subscribente Antonio Pagio in Critica Baroniana An.CXVIII. num.IX. Cuius opinionis falsitas vel inde patet, quod plura Patrum scripta ad initiatos & fideles directa

directa sunt, quam Catechumenorum vel infidelium manibus exposita. Quanquam igitur in hisce vel plane non, vel obscure Sacramentorum meminissent, non debuerunt tamen eorum numerum definitum silere in illis, si septem distincta agnouere, vt vult Schelstratius. Caussa in promtu est: quia initiatos in ambiguo incertoque relinquere nec voluerunt, nec debuerunt; imo cum constet, de duobus proprie dictis Sacramentis, Baptismo & Cœna Domini, tam clare aperteque in eiusmodi libris eos egisse, certe incredibile est, tantum de reliquis quinque reperiri silentium; nisi accuratiorem forsan cognitionem fidelibus pariter & infidelibus inuiderunt: quod saltem cogitare, nedum dicere, summam venerando Patrum choro ignominiā adfert. Non possumus itaque, quin credamus, confirmationem, pœnitentiam, matrimonium, ordinem, & extremam vnctionem pro Sacramentis proprie dictis eos non agnouisse. Contrarium quidem se probasse putat Schelstratius, Dissertatione II. de Ecclesia Africana, sed quam infirmis argumentis, breuiter indicabimus. Notum quippe est, Patres Latinos, Africanos præcipue, terminum Sacramenti in latiori significatu accepisse pro quouis rei sacræ signo, imo pro quouis diuino dogmate abstruso & a ratione humana remoto. Schelstratius autem, ne ab hodiernorum suæ religionis hominum consuetudine descisceret videretur, nonnulla Afrorum testimonia strictiori interpretatione comprehendit, quæ nimirum ad septem sua Sacramenta facere videbantur; reliqua omisit. Sed rationem reddere debuisset, quamobrem excludat *crucem* siue *signum crucis*, quod Sacramentum audit Cypriano & Augustino lib. II. contra litteras Petiliani cap. CIV. & in Psalmum CXLI. Idemque Augustinus lib. X. de Ciuitate Dei cap. XXXII. Sacramentum vocat *virginitatem Mariæ*, & lib. XVII. cap. VI. *oleum regale*. Imo, quis tandem numerus foret Sacramentorum, si ex nuda appellatione apud Patres proprie dictum Sacramentum exsculpere velis? Ipsi certe Afri satis aperte innuunt, quanta latitudine Sacramenti vocem vsurparint, dum Canone V. Concilii tertii Carthaginensis an. 397. celebrati *Sacramentum Catechumenorum* commemorant, quo ipse Schelstratius Dissert. III. de Ecclesia Africana cap. VII. num. 7. pag. 201. intelligit *mel, lac, & præcipue sal, quo catechumeni initiabantur, & quod ipsis benedictum dari solebat, vt eo refecti paullatim ad eucharistiæ fidem erigerentur.* Porro inanem laborem insumsit Schelstratius, dum monstrare voluit ex Tertulliano, Cypriano & Augustino, Africanam Ecclesiam septem cum Romana Ecclesia Sacramenta agnouisse, quum eorum ætate totidem Sacramenta proprie dicta, de quibus nobis sermo est, ne ipsa quidem Romana Ecclesia numerauerit: non potest sane Schelstratius in quoquam illorum temporum Romano scriptore eum reperire. Neque de Africanorum suffragiis multum gloriari debet. Neque enim licuit Afris miscere scriptores exteros, qui opera quædam Cypriano & Augustino supposita elaborarunt, vt ipse vir doctus agnoscit.

scit. Nam librum de Operibus Cardinalibus Christi scripsisse Arnoldum Bonæ Vallis Abbatem circa medium duodecimi sæculi, summo hodie consensu eruditi statuunt. Libri de Ecclesiasticis dogmatibus Auctor a plerisque habetur Gennadius Massiliensis. *Opusculum de rectitudine* (non *beatitudine*, vt apud Schelstratium legitur) *Catholicæ conuersationis, quod inter opera sancti Augustini supposititia legitur, est certo sancti Eligii, cuius mentionem facit sanctus Audoënus in vita Sancti Eligii,* vt nuper definiuit Oudinus in Supplemento de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 171. & quanquam scrupulos haud spernendos mouet Natalis Alexander in Synopsi Sæc. v. p. 503. agnoscit tamen, Augustini libro de Bono Coniugali id repugnare; & p. 502. monet, *libros duos de Visitatione infirmorum, plane lutulentos, auctoris ignoti partum esse.* Quæ igitur isthæc audacia est, inter Scriptores Afros numerare eiusmodi hominum libros, qui nunquam fortassis Africam viderant? Neque enim sufficiet, quod inter Opera Patrum Africanorum ii hactenus latuerint, quos spurios esse Schelstratius ipse sponte largitur. Quibus omnibus obseruatis quilibet facile animaduertet, quam infeliciter septenarium Sacramentorum numerum ex Africanis Doctoribus probare conatus sit Schelstratius, ea tantum loca de Scriptis ipsorum genuinis depromens, quæ centies a Nostratibus discussa sunt, curaque proinde peculiari a nobis perpendi haud merentur.

II. Redeamus ad eius Apologiam, in qua porro autumat, post septimum sæculum apud Latinos & Græcos frequentissimam septenarii Sacramentorum numeri memoriam occurrere. Sed velim audire aliquem veterum Scriptorum ante Hugonem Victorinum viuentium, aut quamlibet Synodum ante Florentinam, quorum ille primus inter Romanæ Ecclesiæ Doctores, hoc primum inter Concilia septenarium Sacramentorum numerum definiuit, quemadmodum eruditi obseruarunt. Græcorum autem consensum miror Schelstratium inculcare, quem latere non debuit, quantuscunque in numero consensus habeatur, non carere tamen illum dissensu in explicatione & vsu, monstrante celeberrimo Theologo, Elia Veielio, contra Allatium, tam in Exercitatione pag. 38. 39. & 40. quam in Defensione p. 197. 198. eo potissimum argumento, quod Græci duo tantum Sacramenta, quæ nos etiam agnoscimus, institutioni Christi, reliqua autem institutioni Ecclesiæ accepta ferunt. Siquando igitur Schelstratius in lucem publicam proferet Acta Orientalis Ecclesiæ contra Lutherum, quæ hoc iterum loco minatur, in quamplurimis reperiemus Acta eiusdem Ecclesiæ contra Papam Romanum, quandoquidem constat, Græcos plerunque in ipso cum Latinis, quem hi fingunt, consensu diuersas fouere opiniones. Nos vti non mouemur recentioribus Ecclesiæ Romanæ placitis, ita nihil curamus, quidquid contra nos decernat hodierna Græcorum Ecclesia: sed ita animum inducimus nostrum, vt quæ apud eos Latinosque bona & sacris litteris consentanea deprehenduntur, laudemus & ample-

amplectamur, quæ autem mala & verbo diuino aduersa, repudiemus & in utrisque damnemus. Sed videamus paullo distinctius, cuiusmodi sint Græci, quos aduersum nos in aciem produxit Schelstratius. Nominat primo Photium, Patriarcham illum schismaticum, quem Allatius diris deuouet, & vbicunque sibi non consentit, cum sibilo reiicit atque explodit. Scribit Schelstratius, Photium ex Iobio Monacho de septem Sacramentis testari, non animaduertens, quam abiecte de eo iudicet ipse Photius, tantum abest, vt sententiæ eius vbique subscribat. Ego autem quouis pignore contendam, Schelstratium, quum hæc scriberet, Photii Bibliothecam ne quidem euoluisse. Nihil enim Photius toto illo tmemate CCXXII. de septem Ecclesiæ mysteriis, vel ex sua, vel ex Iobii sententia habet: vt vel ex hoc specimine colligere detur, quanta fide in arduo isto negotio versaturus sit Schelstratius, qui procul omni dubio deceptus est festinanti Allatiani Consensus lectione, ex quo pleraque recentiorum Græcorum nomina nobis obiecta desumsit. Inter eos Allatius Lib. III. cap. XVI. num. 4. primo loco ponit *Iobum Monachum de septem Ecclesiæ Sacramentis*, eiusque hæc recitat verba: τὰ ἑπτὰ τῆς ἱερᾶς τῦ Χριςῦ ἐκκλησίας μυςήρια κατὰ τάξιν εἰσὶ ταῦτα, πρῶτόν ἐςι βάπτισμα, δεύτερον χρίσμα, τρίτον μετάληψις τῶν ἁγιασμάτων τῦ ζωοποιῦ σώματος καὶ αἵματος τῦ Χριςῦ, ἱερωσύνης τέταρτον, πέμπτον τίμιος γάμος, ἕκτον ἅγιον σχῆμα, καὶ εὐχέλαιον, ἕβδομον, ἤτοι μετάνοια. *Septem sacrosancta Christi Ecclesiæ Mysteria hæc ordine sunt. Primum Baptismus; secundum Chrisma, tertium participatio viuifici corporis & sanguinis Christi; quartum Sacerdotium; quintum honorabiles nuptiæ; sextum sanctus habitus; septimum Euchelæum, hoc est pænitentia.* Nemo non videt, Schelstratio prima huius scriptoris apud Allatium in mente habenti *Iobi* nomen imposuisse, quod cum *Iobio* apud Photium confudit. Quam belle autem conuenit ille Hieromonachus cum Latinis, quando *sanctum habitum*, id est, monasticum, inter septem Sacramenta recenset? Vt taceam, acerrimum Latinorum hostem Iobum hunc fuisse, & vnionem cum illis redintegrandam omni studio impediuisse, & contra eandem Papæque primatum peculiari Apologia præceptorem suum, Iosephum Galesiotam, Constantinopolitanum ab an. 1267. ad 1283. Patriarcham, defendisse, quæ in Cæsarea Bibliotheca adseruatur, Lambecio teste lib. V. Commentariorum pag. 227. 228. nec diffitente Allatio lib. II. cap. XV. num. 15. Quæ omnia cum manifesta sint, tum miror, clarissimum Papium hoc Schelstratii παρόραμα non animaduertisse, sed iuxta cum aliis exscripsisse. Cæterum Epiphanius Græcus ab eodem Schelstratio productus ater an albus sit, dicere non habeo: quem ne ab Allatio quidem, qui summo studio istos scriptores conquisiuit, vnquam vel hoc loco, vel alibi allegatum memini. Mustea autem antiquitas est Petri de Monte Brixiensis, qui ante duo & dimidium sæculum vixit, quo tempore in Græcam pariter Latinamque Ecde-

clesiam septenarium Sacramentorum numerum inuectum fuisse facile largimur. Synodum Cypriani post Allatium crepat Schelstratius, quam egregie explodit Veielius in Defensione pag. 218. 219. 220. Reliquos speciatim perstringere nihil attinet, quos constat vel sæculo decimo quinto, vt Ioannem Palæologum, & Simeonem Thessalonicensem; vel sexto decimo, vt Gabrielem Philadelphiensem, vel decimo septimo, vt Gregorium Hieromonachum, & Meletium Syrigum, vixisse, ac diuini verbi meliorisque antiquitatis silentio erroris conuinci: quanquam Lectorem non pœnitebit consuluisse Thomæ Smithi Miscellanea eorumque defensionem contra Simonium, vbi de Syrigi aliorumque esurientium Græculorum malis artibus, in transsubstantiatione defendenda adhibitis, prolixe agitur.

III. Instat amplius Schelstratius vrgetque, ex profundo veterum silentio non sequi, quod nos volumus, septenarium nempe Sacramentorum numerum illis ignotum fuisse. Caussam dat, quia Orientalis & Occidentalis Ecclesia in totidem Sacramentis amplectendis hodie consentiat. Sed hoc ipsi est probandum. Nemo quippe ignorat, quam exiguus Græcorum in Oriente sit numerus, si computetur cum Maronitis, Armeniis, Coptitis, & aliis, qui non minus a Græcis & Latinis, quam a se inuicem plurimum differunt. Hos autem omnes septem Sacramenta amplecti non tantum dicere, sed testibus etiam minime suspectis confirmare debet Schelstratius, si fidem a nobis impetrare voluerit. Sed largiamur tantisper Orientalium consensum, quidni illi pariter cum Romana Ecclesia a vera & genuina antiquitate, vt in quamplurimis aliis, ita etiam in Sacramentorum numero constituendo, secessum fecerint & aberrarint? Illam quidem de septem Sacramentis sententiam, si Schelstratium audimus, *a maioribus acceperunt*; an ab aliis, quam ante quatuor aut quinque ad summum sæcula viuentibus? Negat vir doctus, & *ad rara antiquiorum testimonia* prouocat, qui de omnibus licet non simul, sparsim tamen egerint. At nos quidem pœnitentiæ & ordinationis frequentem, non raram apud eos mentionem fieri nouimus, sed Sacramentum proprie dictum inde nemo euincet, ex Græcis præsertim Patribus, apud quos non facile occurrit vocabulum, sub cuius amphibolia latere quis possit, vt est vox Sacramenti apud Latinos. Matrimonium veteres quidem μυστήριον vocant, sed Paullum Apostolum sequuti, quem non de Sacramento proprie dicto, vt sunt Eucharistia & Baptismus, loqui a Nostratibus dudum est demonstratum. Confirmationem prisci Patres, non vt peculiare Sacramentum, sed Baptismi complementum celebrant: Extremam vero vnctionem plane ignorant, quæ sequiori demum ætate ex miraculosa primorum Christianorum vnctione ortum traxit, quemadmodum ad calcem tertiæ Sectionis monuimus, & alii pluribus docuerunt. Porro quis ignorat, Græcos in dogmatibus, quæ a Latinis diuersa habent, de Processione Spiritus Sancti &c. eodem modo ad maiorum suorum traditionem pro-

uocare, quam veram esse ne ipse quidem Schelstratius concesserit? Manet igitur salua & incolumis Nostratium sententia, qui in primitiua Ecclesia septenarium Sacramentorum numerum haud obtinuisse ex constantissimo planeque admirabili illius silentio colligunt.

IV. At Schelstratius rationem huius silentii ex disciplina arcani deriuat; quam frustra ab eo obuerti paullo ante obseruauimus; quoniam Patres in scriptis suis ad initiatos prolixe accurateque de duobus Sacramentis, Baptismo & Eucharistia, egerunt, non prætermissuri cæterorum tractationem, multo minus in ambiguo incertoque suos relicturi, quis numerus Sacramentorum foret, siquidem septem præcise credidissent. Præsentio, quid Schelstratius excepturus sit, nouisse iamtum initiatos septem illa Sacramenta. Atenimuero aut ex sermonibus, aut ex libris Doctorum suorum hanc cognitionem hauserunt. Non ex illis, cum plurimi exstent etiam coram solis baptizatis habiti, vt Cyrilli Hierosolymitani & Zenonis Veronensis, in quibus nihil de septenario Sacramentorum numero; de quo tamen neophytos ac Φωτιζομένες monere haud obliti fuissent, quemadmodum hodie in Catechesibus suis Pontificii faciunt. Neque ex illis, in quibus nihil haberi Schelstratius ipse non rogatus concedit. Qui certe ad normam hypothesium suarum consectarium istud minime effinxit. Etenim disciplinam arcani ad Trinitatis mysterium sese extendisse statuit. Quis vero nescit, Patres quarti præcipue quintique sæculi, quando vbique disciplina illa valebat, cum peculiares libros de summo hoc Christianæ religionis dogmate edidisse, tum in reliquis, præsertim ad initiatos missis, nihil præteriuisse, quod ad cognitionem eius pertineret? Nulla autem dari potest ratio, propter quam Trinitatis quidem doctrinam illi latissime exponerent, neque hoc facientes læderent arcani disciplinam; de Sacramentis tamen aliter statuerent, & numerum diuinarum personarum diserte exprimentes in Sacramentorum numero reticendo scrupulosiores essent. Agnoscat itaque Schelstratius corollarii sui infirmitatem, nisi contendere voluerit, priscos Patres maiorem Sacramentis, quam ipsi diuinitati reuerentiam detulisse. Cæterum si Patrum monumenta, tam ante, quam post introductam arcani disciplinam scripta euoluimus, vtrobique eandem fidem, eundemque Sacramentorum proprie dictorum numerum deprehendimus. De Augustino, qui disciplinam hanc exacte seruauit, res clara est ex lib. III. de doctrina Christiana, cui opponi non debet epistola ad Ianuarium, in qua Sacramenti vocem latiori significatu adhibet, vt vel hæc verba innuunt: *& si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur*, quæ non congruunt multorum Scholasticorum opinioni, Confirmationem a Christo institutam negantium; vt de reliquis Sacramentis nihil dicam. Ad Iustinum Martyrem, qui ante receptum solennis reticentiæ ritum vixit, Veielius noster in Defensione pag. 217. Allatium recte remittit: *Lege Apologiam Iustini*

Mar-

Martyris, in qua capita fidei Christianæ, ritus item & ceremonias diligenter exponit, & deprehendes, duorum tantum (Sacramentorum) *sanctissimum Virum facere mentionem: neque id propterea, quasi instituto reliqua non inseruirent, sed quia plura tum quidem temporis, sæculo nimirum secundo, non reputabantur esse proprie sic dicta sacramenta: cum enim sibi proposuerit, integram fidem Christianorum apud populum Romanum explicare, cumque Baptismi & S. Cœnæ expresse meminerit, quæ erit ratio, ex qua reliquorum non pariter iniicere debuisset mentionem?* Inuictum est Veielii argumentum, quum Iustinus omnem fraudis ac silentii suspicionem a se amoliatur pag. 93. ὃν τρόπον δὲ καὶ ἀνεθήκαμεν ἑαυτοὺς τῷ Θεῷ, καινοποιηθέντες διὰ τοῦ Χριστοῦ, ἐξηγησόμεθα. ὅπως μὴ τοῦτο παραλιπόντες, δόξωμεν πονηρεύειν τὶ ἐν τῇ ἐξηγήσει. *Quo vero modo Deo nos dicauerimus, per Christum renouati, iam exponemus: ne, si hoc prætereamus, maligne quidquam & dissimulanter agere in hac oratione videamur.*

V. Ex quibus omnibus colligere est, frustra Schelstratium repetere loca Chrysostomi, Innocentii, Epiphanii, Augustini & Basilii, quæ supra discussimus, ostendendo, nec Innocentium de Confirmatione, tanquam de peculiari & a Baptismo distincto Sacramento; nec Augustinum de Confirmatione aut Extrema Vnctione; nec Basilium de iisdem loqui. Sed quoniam ex Basilio præcipuum hoc loco fundamentum quæsiuit vir doctus, obseruare conuenit, Basilium diserte loqui de scriptis noui fœderis Apostolicis, quæ sane ad non-initiatorum manus veniebant, non autem de iis, quæ solis baptizatis, præsertim eruditis & sacerdotibus patebant, cuiusmodi libri inprimis rituales erant. Ipse enim Basilius alioquin maxime deliquisset, ritus Sacramentorum proprie dictorum, quæ sola agnouit, tam in Liturgia, quam in aliis operibus partim enarrando, partim in ordinem redigendo. Male autem caussæ suæ consuluit Schelstratius, dum Dionysii Hierarchiam allegauit. Cum enim pro Areopagita eum habeat, vniuersam septem Sacramentorum congeriem turbauit ac dissipauit. Certe si hic est Apostolorum discipulus, non potuit non Sacramentorum numerum ab ipsis Apostolis traditum exactissime nosse ac comprobare. At tantum abest, vt cum Schelstratio conueniat, vt potius non nisi sex agnoscat Sacramenta, quorum quatuor cum fidei suæ sociis amplecti potest Schelstratius, reliqua non minus ac nos repudiare debet, si numerum suum septenarium integrum seruare cupit. Testem dabimus Allatium lib. III. capite XVI. num. 10. *Difficultas, eaque non contemnenda, afferri posset ex Dionysio Areopagita. Namque ille, de Ecclesiastica Hierarchia libro, in quo ordinem & ritum Sacramentorum omnium exhibere debuerat, cum de Ecclesiastica perfectione agat, nulla habita ratione Pœnitentiæ, extremæ vnctionis, & matrimonii, quatuor tantum commemorat, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, & Ordinem;*

 tum

chumenis num. v. extremo, non solum ex Nicolao Cabasila, Thessalonicensium sæculis modo abhinc tribus Antistite, Catechumenorum dimissionem probans, sed & hæc verba subiiciens: *Et retinuere forsan morem maiorum etiam recentioris aui Ecclesia, Muhammedanis, Iudæis gentilibusue permixtæ, quarum ideo maior in dignitate sacrorum mysteriorum ab istorum calumniis atque ludibriis tuenda cura atque industria erat.* Sed Græcorum aduersus Muhammedanos cautelam pluribus confirmat Iosephus Georgirenes, Archiepiscopus in Insula Samo, qui Antonio Pagio etiam notus & sub Giorgerini nomine laudatus in Critica Baroniana An. xxix. num. 7. Græcoque libello descriptionem trium Insularum, Samos, Nicariæ & Pathmos, complexus est. Hunc Græce quidem non vidi, Germanicam autem versionem ante biennium editam ad manus habeo, de cuius fide nihil dubitare attinet, siquidem ab eo Interprete adornatæ, qui ipso Auctore familiariter Londini vsus est. Huius libelli pag. 59. 60. describitur panis sacer vino intinctus, qui festo S. Cœnæ die in vsum ægrotorum consecratus per totum annum adseruatur. Itaque Constantinopoli aliisque in vrbibus, quæ magna Turcarum frequentia abundant, Sacerdos particulam ad ægrotum tecte sub brachio fert, ex metu contumeliæ. Verba huc spectantia dabo: Wenn eines kranck ist / nimmt er ein solch klein Stückgen Brodt / wirfft es in einen Kelch / und träget es in seiner Hand zu des Krancken Hause. Aber zu Constantinopel und in andern Städten / wo die Türcken in grosser Menge seyn / trägt er solches verborgen unter seinem Arme / aus Furcht einer Beleidigung. Vnde apertissime liquet, disciplinam arcani vsque in hodiernum diem apud Græcos nondum plane desiisse. Claudam obseruatione Franc. Combefisii in Notis ad Triadem Martyrum p. 148. *Singulare est, ac nescio an satis probatum, quod refert Auctor libri miraculorum SS. Cosmæ & Damiani, miraculo 10. apud Orientales eum vigere morem (quo nempe tempore is scribebat) vt si quis non-Christianus ingressus Ecclesiam, tum maxime cum in ea Sacra peragerentur, eorum aliquid vidisset, quæ τοῖς ἀμυήτοις (i. e. profanis) arcana habebantur, mox incandescente Christianorum plebe, in ciuitate vel oppido, nulla admissa satisfactione, nullo Præsidis metu, combureretur. Quibus tamen significatur hæc, non iure, sed tumultu, sic illis vsurpata esse; cum tamen iuris aliquam speciem ipsum hoc præferret, quod sacrorum violationem pœna illi peculiariter addicta, vindicarent.* Non licuit mihi esse tam felici, vt librum istum miraculorum oculis vsurparem, eiusque ætatem cognoscerem; quare Schelstratio relinquo definiendum, vtrum suæ meæue de duratione disciplinæ arcani opinioni faueat.

CAPVT

CAPUT VII.

De variis ad dogmata, & eruditionem Ecclesiasticam spectantibus, quae ex disciplina arcani deducuntur.

NOn vnum est, quod ex disciplina arcani sequitur corollarium, sed plura sunt, eaque notatu dignissima: vnde & sub diuersis titulis placuit ea omnium Lectorum meorum oculis proponere.

ARTICULUS I.

Quod non apud veteres de mysteriis mentio fiat, & nulli de septem Sacramentis tractatus scripti sint, ex disciplina arcani prouenit.

SÆpe mecum cogitaueram, quid in caussa esset, quod hisce nostris temporibus tam frequens mentio fiat septem Sacramentorum Ecclesiæ, & antiquitus nulla ferme apud Patres eorum memoria reperiatur. Scio quidem, non Lutheranos solum, sed Caluinistas quoque, hoc antiquorum silentium contra septenarium numerum Sacramentorum adducere, & cum Patres frequenter agant de Baptismi, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ mysteriis, non plura, quam duo, vel tria ad summum Sacramenta admittere. Verum errare Nouatores, ostendi in commentario de Ecclesia Africana, quam non duo, vel tria, sed septem omnino Sacramenta antiquitus admisisse, probaui dissertatione 2. cap.5. ex Tertulliano, Cypriano, Optato Mileuitano, & Sancto Augustino, qui variis in locis, quamuis rarius subinde, & obscurius, aliorum Sacramentorum mentionem faciunt.

Vnum hoc loco inquirendum suscepi, qua de causa, quo consilio antiqui Patres tot numero Sacramenta admittentes, & quotidie in Ecclesia administrantes, de iis rarius & obscurius quandoque locuti fuerint, nullumque tractatum de septem Sacramentis posterorum memoriæ consecrarint? Si enim peruoluamus omnia antiquitatis monumenta; si perscrutemur cuncta antiquissimorum Patrum scripta; si inuestigemus ipsa Synodorum decreta: nullum tractatum, nullum librum, nullum decretum reperiemus, quod ante septimum sæculum egerit de septem Sacramentis, eorumque ritus exposuerit. E contra vero post septimum sæculum non modo apud Latinos, sed etiam Græcos frequens eorum memoria reperietur, cum integri tractatus de illis compositi habeantur, nihilque tot scriptorum libris, totque Synodorum decretis æque celebretur, quam Theologica de septem Sacramentis materia. Videri possunt apud Latinos scripta virorum sanctitate vel doctrina celebrium, qui a tempore Caroli Magni floruerunt in Ecclesia; Scholasticorum commentaria, qui post Sanctum Bonauenturam, & Diuum Thomam prodierunt vsque ad Concilii Tridentini tempora; Synodorum Prouincialium decreta, quæ post Tridentinum Concilium per omnem totius Occidentis Ecclesiam statuta sunt ab Episcopis; magna eorum pars circa doctrinam de septem Sacramentis versatur. Idem videre est post tempora Photii apud Græcos, cum in Oriente non defuerint, qui de septenario Sacramentorum numero egerint. Habes Photium ipsum, qui in sua Bibliotheca ex Iobio Monacho: *Septem Sacrosancta Christi Ecclesiæ mysteria celebrat.* Habes Epiphanium Græcum, qui in libello de Religione Christiana per Petrum de Monte Brixiensem Episcopum ante 240. annos Latinitate donato de septem Sacramentis latius tractat. Habes Synodum Cypriam sub Germano Amathuntis Episcopo celebratam, quæ illorum virtutem explicat. Ha-

bes Ioannis Palæologi Imperatoris Constantinopolitani professionem, quod septem Sacramenta credat. Habes Symeonis Thessalonicensis dialogos de septem mysteriis, in quibus diffusissime de eorum instituto, ritu, & effectu disputat. Habes Gabrielem Philadelphiensem, qui in Opusculo de septem Sacramentis eorum materiam & formam assignat. Habes Gregorium Hieromonachum, Meletium Syrigum, aliosque Græcos recentiores, qui cum variis Conciliis Constantinopoli & in Oriente habitis de septem Sacramentis egerunt, prout latius patebit ex actis Orientalis Ecclesiæ contra exortam præterito sæculo Lutheri hæresim breui, vt spero, in lucem a me edendis.

Hæc cum ita sint, quid in causa esse potuit, quod antiquiores illi Patres rarius de Sacramentis egerint, nullumque de eorum numero tractatum ediderint? Dicunt quidem Hæretici, eos a commentario de septem Sacramentis abstinuisse, quod numerum illum Sacramentorum non admiserint. Sed id ex Orientalis Schismaticæ, & Occidentalis Orthodoxæ Ecclesiæ sententia facile refellitur. Neque enim Orientales Schismatici cum Orthodoxis Latinis in vnam eandemque sententiam ab octingentis annis conspirassent, nisi illam a maioribus accepissent, prout accepisse patet ex raris illis antiquiorum testimoniis, quibus licet non de omnibus simul, de omnibus tamen Sacramentis sparsim egerunt, & obscurius quandoque locuti sunt. Alia itaque ratio subesse debet, quam somniant Hæretici: & quænam obsecro alia, quam illa de disciplina arcani? Cum tractatus eduntur de septem Sacramentis, necesse est eorum ritus exponere; materiam & formam, quibus conficiuntur, determinare; dogma ipsum de omnibus ad Sacramentorum consecrationem, & administrationem spectantibus minime celare. Atqui hæc sunt, quæ prisca Ecclesiæ disciplina oculis & auribus Gentilium, Iudæorum, & Catechumenorum religiose occultabat, quorum profanationem metuentes antiqui, ab iis abstinebant in sermonibus, & sibi cauebant, ne agerent in scriptis. Audiuimus supra Sanctum Ioannem Chrysostomum, cum de ritibus Baptismi, & verbis in administratione eius proferri solitis ageret, exclamasse in tractatibus ad populum: *Volo quidem aperte hoc dicere: non audeo autem propter eos, qui non sunt initiati: ii enim expositionem nobis faciunt difficiliorem, vt qui nos cogunt vel non aperte dicere, aut eis arcana enuntiare. Sed tamen dicam quoad eius a me fieri poterit, tecte & adumbrate: nam post mysticorum illorum & terribilium verborum enuntiationem, & horrendas regulas dogmatum, quæ e cælo sunt dimissa, hoc quoque in fine addimus, quando sumus baptizandi, iubentes dicere: Credo &c.* Verba Græca dedimus supra, ne quisquam existimaret, vel textum a nobis corruptum, vel quidquam Chrysostomo affictum fuisse. Innocentius Primus Pontifex Sanctissimus interrogatus a Decentio Episcopo Eugubino de Sacramento Confirmationis, respondet; *Formæ verba dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere.* Et infra: *Reliqua, quæ scribi fas non est, cum adfueris, interrogati poterimus edicere.* Epiphanius in Ancorato agens de consecratione Eucharistiæ, vbi ad formæ verba peruenit, non est ausus ea proferre, sed bis dixit: *Hoc meum est hoc:* omittens Corporis mentionem, vt ex loco superius allato clarissime constat. Quod Sanctus Augustinus præsentibus Catechumenis de Eucharistia vix aliud dicere solitus fuerit, quam *Norunt fideles*, audiuimus ex variis locis supra, quibus vnum hic adiungere lubet ex commentario eius in Psalmum 141. vbi asserit, multa Sacramenta aliter atque aliter accipi: *Quædam*, inquit, *sicut nostis, ore accipimus, quædam per totum corpus accipimus. Quia vero in fronte erubescitur &c.* vbi de pluribus Sacramentis agit: Confirmatione, quæ in fronte confertur; Corpore & Sanguine Christi, quæ ore accipiuntur; Baptismo, & Extrema vnctione, quæ per totum corpus administrantur. Verum cur Augustinus, tam obscure de illis Sacramentis loquitur? Cur clarius ab eo non exponuntur? Notandum

est

est verbum, *sicut nostis*, quo significat, fideles ea nouisse, Catechumenos vero ignorasse, & ne scirent, ex professo illis occultata fuisse.

Præclaram horum omnium rationem dedit Basilius Magnus libro de Spiritu Sancto ad Amphilochium: cum enim docuisset ritus Baptismi, & Confirmationis, verba consecrationis Eucharistiæ, ac Olei vnctionem ex tacita & minime scripta traditione Apostolica obseruari ab Ecclesia, adiungit: *Nam quæ nec intueri fas est non initiatis, qui conueniebat horum doctrinam publicitus circumferri scripto.* Ex quibus videre possunt Tenzelius, & eius sequaces, nullum de Sacramentis tractatum publicatum fuisse a temporibus Apostolorum vsque ad Basilium Magnum, sed nec publicari recte potuisse post Basilium, quamdiu disciplina arcani obseruabatur in Ecclesia. Egit quidem Dionysius de quibusdam ritibus & arcanis mysteriis: sed siue Areopagitam dicas, qui temporibus Apostolorum floruit, siue alium Authorem esse asseras, qui tertio vel quarto sæculo scripsit, liber ipsius ob hæc arcana occultandus fuit, prout Author ipse non semel, sed sæpius admonuit? Disciplina itaque arcani in causa fuit, quod sex primis Ecclesiæ sæculis Sancti Patres, & Catholici Scriptores a tractatibus de Sacramentis abstinuerint, rarius & obscurius de iis scripserint, & cum numquam ex professo materiam illam commentariis suis illustrandam susceperint, neque de eorum numero recensendo solliciti fuerint. Aliud quid est post sextum, & septimum sæculum: quia obsoleta & extincta arcani disciplina, nihil erat, quod Scriptores Ecclesiasticos a commentario de Sacramentis arceret: vnde clare de iis eorumque ritibus, materia, & forma egerunt, & Ecclesia ipsa septenarium numerum in Conciliis contra Nouatores hæreticos confirmauit.

SECTIO VII.

ANIMADVERSIONVM

IN

CAPVT VII. APOLOGIÆ.

EIVSQVE

ARTICVLVM I.

I.

ACcedit Schelstratius ad consectaria ex opinione sua de disciplina arcani elicienda, quorum pleraque ita sunt comparata, vt falsam supponant hypothesin, quasi hæc disciplina non tantum rituum, sed dogmatum quoque occultationem ambitu suo comprehendisset. Sed inuita veritate hæc statuere Schelstratium, ex iis, quæ hactenus disputauimus, omnes cognoscent. Iuuat tamen corollaria eius propius inspicere, & quid in recessu habeant, considerare. Primum est de septem Sacramentis, quorum expressam mentionem cum non reperiret apud Patres septimo sæculo antiquiores, ex disciplina arcani eam prætermissam suspicatur, subscribente Antonio Pagio in Critica Baroniana An.cxviii. num.ix. Cuius opinionis falsitas vel inde patet, quod plura Patrum scripta ad initiatos & fideles directa

directa sunt, quam Catechumenorum vel infidelium manibus exposita. Quanquam igitur in hisce vel plane non, vel obscure Sacramentorum meminissent, non debuerunt tamen eorum numerum definitum silere in illis, si septem distincta agnouere, vt vult Schelstratius. Caussa in promtu est: quia initiatos in ambiguo incertoque relinquere nec voluerunt, nec debuerunt; imo cum constet, de duobus proprie dictis Sacramentis, Baptismo & Cœna Domini, tam clare aperteque in eiusmodi libris eos egisse, certe incredibile est, tantum de reliquis quinque reperiri silentium; nisi accuratiorem forsan cognitionem fidelibus pariter & infidelibus inuiderunt: quod saltem cogitare, nedum dicere, summam venerando Patrum choro ignominiã adfert. Non possumus itaque, quin credamus, confirmationem, pœnitentiam, matrimonium, ordinem, & extremam vnctionem pro Sacramentis proprie dictis eos non agnouisse. Contrarium quidem se probasse putat Schelstratius, Dissertatione II. de Ecclesia Africana, sed quam infirmis argumentis, breuiter indicabimus. Notum quippe est, Patres Latinos, Africanos præcipue, terminum Sacramenti in latiori significatu accepisse pro quouis rei sacræ signo, imo pro quouis diuino dogmate abstruso & a ratione humana remoto. Schelstratius autem, ne ab hodiernorum suæ religionis hominum consuetudine desciscere videretur, nonnulla Afrorum testimonia strictiori interpretatione comprehendit, quæ nimirum ad septem sua Sacramenta facere videbantur; reliqua omisit. Sed rationem reddere debuisset, quamobrem excludat *crucem* siue *signum crucis*, quod Sacramentum audit Cypriano & Augustino lib. II. contra litteras Petiliani cap. CIV. & in Psalmum CXLI. Idemque Augustinus lib. X. de Ciuitate Dei cap. XXXII. Sacramentum vocat *virginitatem Mariæ*, & lib. XVII. cap. VI. *oleum regale*. Imo, quis tandem numerus foret Sacramentorum, si ex nuda appellatione apud Patres proprie dictum Sacramentum exsculpere velis? Ipsi certe Afri satis aperte innuunt, quanta latitudine Sacramenti vocem vsurparint, dum Canone V. Concilii tertii Carthaginensis an. 397. celebrati *Sacramentum Catechumenorum* commemorant, quo ipse Schelstratius Dissert. III. de Ecclesia Africana cap. VII. num. 7. pag. 201. intelligit *mel, lac, & præcipue sal, quo catechumeni initiabantur, & quod ipsis benedictum dari solebat, vt eo refecti paullatim ad eucharistiæ fidem erigerentur.* Porro inanem laborem insumsit Schelstratius, dum monstrare voluit ex Tertulliano, Cypriano & Augustino, Africanam Ecclesiam septem cum Romana Ecclesia Sacramenta agnouisse, quum eorum ætate totidem Sacramenta proprie dicta, de quibus nobis sermo est, ne ipsa quidem Romana Ecclesia numerauerit: non potest sane Schelstratius in quoquam illorum temporum Romano scriptore eum reperire. Neque de Africanorum suffragiis multum gloriari debet. Neque enim licuit Afris miscere scriptores exteros, qui opera quædam Cypriano & Augustino supposita elaborarunt, vt ipse vir doctus agnoscit.

ſcit. Nam librum de Operibus Cardinalibus Chriſti ſcripſiſſe Arnoldum Bonæ Vallis Abbatem circa medium duodecimi ſæculi, ſummo hodie conſenſu eruditi ſtatuunt. Libri de Eccleſiaſticis dogmatibus Auctor a plerisque habetur Gennadius Maſſilienſis. *Opuſculum de rectitudine* (non *beatitudine*, vt apud Schelſtratium legitur) *Catholicæ conuerſationis, quod inter opera ſancti Auguſtini ſuppoſititia legitur, eſt certo ſancti Eligii, cuius mentionem facit ſanctus Audoënus in vita Sancti Eligii*, vt nuper definiuit Oudinus in Supplemento de Scriptoribus Eccleſiaſticis pag. 171. & quanquam ſcrupulos haud ſpernendos mouet Natalis Alexander in Synopſi Sæc. v. p. 503. agnoſcit tamen, Auguſtini libro de Bono Coniugali id repugnare; & p. 502. monet, *libros duos de Viſitatione infirmorum, plane luculentos, auctoris ignoti partum eſſe.* Quæ igitur iſthæc audacia eſt, inter Scriptores Afros numerare eiusmodi hominum libros, qui nunquam fortaſſis Africam viderant? Neque enim ſufficiet, quod inter Opera Patrum Africanorum ii hactenus latuerint, quos ſpurios eſſe Schelſtratius ipſe ſponte largitur. Quibus omnibus obſeruatis quilibet facile animaduertet, quam infeliciter ſeptenarium Sacramentorum numerum ex Africanis Doctoribus probare conatus ſit Schelſtratius, ea tantum loca de Scriptis ipſorum genuinis depromens, quæ centies a Noſtratibus diſcuſſa ſunt, curaque proinde peculiari a nobis perpendi haud merentur.

II. Redeamus ad eius Apologiam, in qua porro autumat, poſt ſeptimum ſæculum apud Latinos & Græcos frequentiſſimam ſeptenarii Sacramentorum numeri memoriam occurrere. Sed velim audire aliquem veterum Scriptorum ante Hugonem Victorinum viuentium, aut quamlibet Synodum ante Florentinam, quorum ille primus inter Romanæ Eccleſiæ Doctores, hoc primum inter Concilia ſeptenarium Sacramentorum numerum definiuit, quemadmodum eruditi obſeruarunt. Græcorum autem conſenſum miror Schelſtratium inculcare, quem latere non debuit, quantuscunque in numero conſenſus habeatur, non carere tamen illum diſſenſu in explicatione & vſu, monſtrante celeberrimo Theologo, Elia Veielio, contra Allatium, tam in Exercitatione pag. 38. 39. & 40. quam in Defenſione p. 197. 198. eo potiſſimum argumento, quod Græci duo tantum Sacramenta, quæ nos etiam agnoſcimus, inſtitutioni Chriſti, reliqua autem inſtitutioni Eccleſiæ accepta ferunt. Siquando igitur Schelſtratius in lucem publicam proferet Acta Orientalis Eccleſiæ contra Lutherum, quæ hoc iterum loco minatur, in quamplurimis reperiemus Acta einsdem Eccleſiæ contra Papam Romanum, quandoquidem conſtat, Græcos plerunque in ipſo cum Latinis, quem hi fingunt, conſenſu diuerſas fouere opiniones. Nos vti non mouemur recentioribus Eccleſiæ Romanæ placitis, ita nihil curamus, quidquid contra nos decernat hodierna Græcorum Eccleſia: ſed ita animum inducimus noſtrum, vt quæ apud eos Latinosque bona & ſacris litteris conſentanea deprehenduntur, laudemus &

amplectamur, quæ autem mala & verbo diuino aduersa, repudiemus & in utrisque damnemus. Sed videamus paullo distinctius, cuiusmodi sint Græci, quos aduersum nos in aciem produxit Schelstratius. Nominat primo Photium, Patriarcham illum schismaticum, quem Allatius diris deuouet, & vbicunque sibi non consentit, cum sibilo reiicit atque explodit. Scribit Schelstratius, Photium ex Iobio Monacho de septem Sacramentis testari, non animaduertens, quam abiecte de eo iudicet ipse Photius, tantum abest, vt sententiæ eius vbique subscribat. Ego autem quouis pignore contendam, Schelstratium, quum hæc scriberet, Photii Bibliothecam ne quidem euoluisse. Nihil enim Photius toto illo tmemate ccxxii. de septem Ecclesiæ mysteriis, vel ex sua, vel ex Iobii sententia habet: vt vel ex hoc specimine colligere detur, quanta fide in arduo isto negotio versaturus sit Schelstratius, qui procul omni dubio deceptus est festinanti Allatiani Consensus lectione, ex quo pleraque recentiorum Græcorum nomina nobis obiecta desumsit. Inter eos Allatius Lib. iii. cap. xvi. num. 4. primo loco ponit *Iobum Monachum de septem Ecclesiæ Sacramentis*, eiusque hæc recitat verba: *τὰ ἑπτὰ τῆς ἱερᾶς τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίας μυστήρια κατὰ τάξιν εἰσὶ ταῦτα, πρῶτόν ἐστι βάπτισμα, δεύτερον χρίσμα, τρίτον μετάληψις τῶν ἁγιασμάτων τοῦ ζωοποιοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ, ἱερωσύνης τέταρτον, πέμπτον τίμιος γάμος, ἕκτον ἅγιον σχῆμα, καὶ εὐχέλαιον, ἕβδομον, ἤτοι μετάνοια. Septem sacrosanctæ Christi Ecclesiæ Mysteria hæc ordine sunt. Primum Baptismus; secundum Chrisma, tertium participatio viuifici corporis & sanguinis Christi; quartum Sacerdotium; quintum honorabiles nuptiæ; sextum sanctus habitus; septimum Euchelæum, hoc est pænitentia.* Nemo non videt, Schelstratio prima huius scriptoris apud Allatium in mente habenti *Iobi* nomen imposuisse, quod cum *Iobio* apud Photium confudit. Quam belle autem conuenit ille Hieromonachus cum Latinis, quando *sanctum habitum*, id est, monasticum, inter septem Sacramenta recenset? Vt taceam, acerrimum Latinorum hostem Iobum hunc fuisse, & vnionem cum illis redintegrandam omni studio impediuisse, & contra eandem Papæque primatum peculiari Apologia præceptorem suum, Iosephum Galesiotam, Constantinopolitanum ab an. 1267. ad 1283. Patriarcham, defendisse, quæ in Cæsarea Bibliotheca adseruatur, Lambecio teste lib. v. Commentariorum pag. 227. 228. nec diffitente Allatio lib. ii. cap. xv. num. 15. Quæ omnia cum manifesta sint, tum miror, clarissimum Papium hoc Schelstratii παρόραμα non animaduertisse, sed iuxta cum aliis exscripsisse. Cæterum Epiphanius Græcus ab eodem Schelstratio productus ater an albus sit, dicere non habeo: quem ne ab Allatio quidem, qui summo studio istos scriptores conquisiuit, vnquam vel hoc loco, vel alibi allegatum memini. Mustea autem antiquitas est Petri de Monte Brixiensis, qui ante duo & dimidium sæculum vixit, quo tempore in Græcam pariter Latinamque Ecle-

clesiam septenarium Sacramentorum numerum inuectum fuisse facile largimur. Synodum Cypriani post Allatium crepat Schelstratius, quam egregie explodit Veielius in Defensione pag. 218. 219. 220. Reliquos speciatim perstringere nihil attinet, quos constat vel sæculo decimo quinto, vt Ioannem Palæologum, & Simeonem Thessalonicensem; vel sexto decimo, vt Gabrielem Philadelphiensem, vel decimo septimo, vt Gregorium Hieromonachum, & Meletium Syrigum, vixisse, ac diuini verbi meliorisque antiquitatis silentio erroris conuinci: quanquam Lectorem non pœnitebit consuluisse Thomæ Smithi Miscellanea eorumque defensionem contra Simonium, vbi de Syrigi aliorumque esurientium Græculorum malis artibus, in transsubstantiatione defendenda adhibitis, prolixe agitur.

III. Instat amplius Schelstratius vrgetque, ex profundo veterum silentio non sequi, quod nos volumus, septenarium nempe Sacramentorum numerum illis ignotum fuisse. Caussam dat, quia Orientalis & Occidentalis Ecclesia in totidem Sacramentis amplectendis hodie consentiat. Sed hoc ipsi est probandum. Nemo quippe ignorat, quam exiguus Græcorum in Oriente sit numerus, si computetur cum Maronitis, Armeniis, Coptitis, & aliis, qui non minus a Græcis & Latinis, quam a se inuicem plurimum differunt. Hos autem omnes septem Sacramenta amplecti non tantum dicere, sed testibus etiam minime suspectis confirmare debet Schelstratius, si fidem a nobis impetrare voluerit. Sed largiamur tantisper Orientalium consensum, quidni illi pariter cum Romana Ecclesia a vera & genuina antiquitate, vt in quamplurimis aliis, ita etiam in Sacramentorum numero constituendo, secessum fecerint & aberrarint? Illam quidem de septem Sacramentis sententiam, si Schelstratium audimus, *a maioribus acceperunt*; an ab aliis, quam ante quatuor aut quinque ad summum sæcula viuentibus? Negat vir doctus, & *ad rara antiquiorum testimonia* prouocat, qui de omnibus licet non simul, sparsim tamen egerint. At nos quidem pœnitentiæ & ordinationis frequentem, non raram apud eos mentionem fieri nouimus, sed Sacramentum proprie dictum inde nemo euincet, ex Græcis præsertim Patribus, apud quos non facile occurrit vocabulum, sub cuius amphibolia latere quis possit, vt est vox Sacramenti apud Latinos. Matrimonium veteres quidem *μυςήριον* vocant, sed Paullum Apostolum sequuti, quem non de Sacramento proprie dicto, vt sunt Eucharistia & Baptismus, loqui a Nostratibus dudum est demonstratum. Confirmationem prisci Patres, non vt peculiare Sacramentum, sed Baptismi complementum celebrant: Extremam vero vnctionem plane ignorant, quæ sequiori demum ætate ex miraculosa primorum Christianorum vnctione ortum traxit, quemadmodum ad calcem tertiæ Sectionis monuimus, & alii pluribus docuerunt. Porro quis ignorat, Græcos in dogmatibus, quæ a Latinis diuersa habent, de Processione Spiritus Sancti &c. eodem modo ad maiorum suorum traditionem prouocare,

uocare, quam veram esse ne ipse quidem Schelstratius concesserit? Manet igitur salua & incolumis Nostratium sententia, qui in primitiua Ecclesia septenarium Sacramentorum numerum haud obtinuisse ex constantissimo planeque admirabili illius silentio colligunt.

IV. At Schelstratius rationem huius silentii ex disciplina arcani deriuat; quam frustra ab eo obuerti paullo ante obseruauimus; quoniam Patres in scriptis suis ad initiatos prolixe accurateque de duobus Sacramentis, Baptismo & Eucharistia, egerunt, non prætermissuri cæterorum tractationem, multo minus in ambiguo incertoque suos relicturi, quis numerus Sacramentorum foret, siquidem septem præcise credidissent. Præsentio, quid Schelstratius excepturus sit, nouisse iamtum initiatos septem illa Sacramenta. Atenimuero aut ex sermonibus, aut ex libris Doctorum suorum hanc cognitionem hauserunt. Non ex illis, cum plurimi exstent etiam coram solis baptizatis habiti, vt Cyrilli Hierosolymitani & Zenonis Veronensis, in quibus nihil de septenario Sacramentorum numero; de quo tamen neophytos ac Φωτιζομένους monere haud obliti fuissent, quemadmodum hodie in Catechesibus suis Pontificii faciunt. Neque ex illis, in quibus nihil haberi Schelstratius ipse non rogatus concedit. Qui certe ad normam hypothesium suarum consectarium istud minime effinxit. Etenim disciplinam arcani ad Trinitatis mysterium sese extendisse statuit. Quis vero nescit, Patres quarti præcipue quintique sæculi, quando vbique disciplina illa valebat, cum peculiares libros de summo hoc Christianæ religionis dogmate edidisse, tum in reliquis, præsertim ad initiatos missis, nihil præteriuisse, quod ad cognitionem eius pertineret? Nulla autem dari potest ratio, propter quam Trinitatis quidem doctrinam illi latissime exponerent, neque hoc facientes læderent arcani disciplinam; de Sacramentis tamen aliter statuerent, & numerum diuinarum personarum diserte exprimentes in Sacramentorum numero reticendo scrupulosiores essent. Agnoscat itaque Schelstratius corollarii sui infirmitatem, nisi contendere voluerit, priscos Patres maiorem Sacramentis, quam ipsi diuinitati reuerentiam detulisse. Cæterum si Patrum monumenta, tam ante, quam post introductam arcani disciplinam scripta euoluimus, vtrobique eandem fidem, eundemque Sacramentorum proprie dictorum numerum deprehendimus. De Augustino, qui disciplinam hanc exacte seruauit, res clara est ex lib. III. de doctrina Christiana, cui opponi non debet epistola ad Ianuarium, in qua Sacramenti vocem latiori significatu adhibet, vt vel hæc verba innuunt: *& si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur,* quæ non congruunt multorum Scholasticorum opinioni, Confirmationem a Christo institutam negantium; vt de reliquis Sacramentis nihil dicam. Ad Iustinum Martyrem, qui ante receptum solennis reticentiæ ritum vixit, Veielius noster in Defensione pag. 217. Allatium recte remittit: *Lege Apologiam Iustini*

Mar-

Martyris, in qua capita fidei Christianæ, ritus item & ceremonias diligenter exponit, & deprehendes, duorum tantum (Sacramentorum) *sanctissimum Virum facere mentionem: neque id propterea, quasi instituto reliqua non inseruirent, sed quia plura tum quidem temporis, sæculo nimirum secundo, non reputabantur esse proprie sic dicta sacramenta: cum enim sibi proposuerit, integram fidem Christianorum apud populum Romanum explicare, cumque Baptismi & S. Cœnæ expresse meminerit, quæ erit ratio, ex qua reliquorum non pariter inicere debuisset mentionem?* Inuictum est Veielii argumentum, quum Iustinus omnem fraudis ac silentii suspicionem a se amoliatur pag. 93. ὃν τρόπον δὲ καὶ ἀνεθήκαμεν ἑαυτοὺς τῷ Θεῷ, καινοποιηθέντες διὰ τοῦ Χριστοῦ, ἐξηγησόμεθα. ὅπως μὴ τοῦτο παραλιπόντες, δόξομεν πονηρεύειν τι ἐν τῇ ἐξηγήσει. *Quo vero modo Deo nos dicauerimus, per Christum renouati, iam exponemus: ne, si hoc prætereamus, maligne quidquam & dissimulanter agere in hac oratione videamur.*

V. Ex quibus omnibus colligere est, frustra Schelstratium repetere loca Chrysostomi, Innocentii, Epiphanii, Augustini & Basilii, quæ supra discussimus, ostendendo, nec Innocentium de Confirmatione, tanquam de peculiari & a Baptismo distincto Sacramento; nec Augustinum de Confirmatione aut Extrema Vnctione; nec Basilium de iisdem loqui. Sed quoniam ex Basilio præcipuum hoc loco fundamentum quæsiuit vir doctus, obseruare conuenit, Basilium diserte loqui de scriptis noui fœderis Apostolicis, quæ sane ad non-initiatorum manus veniebant, non autem de iis, quæ solis baptizatis, præsertim eruditis & sacerdotibus patebant, cuiusmodi libri inprimis rituales erant. Ipse enim Basilius alioquin maxime deliquisset, ritus Sacramentorum proprie dictorum, quæ sola agnouit, tam in Liturgia, quam in aliis operibus partim enarrando, partim in ordinem redigendo. Male autem caussæ suæ consuluit Schelstratius, dum Dionysii Hierarchiam allegauit. Cum enim pro Areopagita eum habeat, vniuersam septem Sacramentorum congeriem turbauit ac dissipauit. Certe si hic est Apostolorum discipulus, non potuit non Sacramentorum numerum ab ipsis Apostolis traditum exactissime nosse ac comprobare. At tantum abest, vt cum Schelstratio conueniat, vt potius non nisi sex agnoscat Sacramenta, quorum quatuor cum fidei suæ sociis amplecti potest Schelstratius, reliqua non minus ac nos repudiare debet, si numerum suum septenarium integrum seruare cupit. Testem dabimus Allatium lib. III. capite XVI. num. 10. *Difficultas, eaque non contemnenda, afferri posset ex Dionysio Areopagita. Namque ille, de Ecclesiastica Hierarchia libro, in quo ordinem & ritum Sacramentorum omnium exhibere debuerat, cum de Ecclesiastica perfectione agat, nulla habita ratione Pœnitentiæ, extremæ vnctionis, & matrimonii, quatuor tantum commemorat, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, & Ordinem;*

tum demum addit Monasticam consecrationem, & ea, quæ in Defunctos peragi solent; quæ, æque ac quatuor prima, vocat Mysteria. Hinc concludi videtur, Sacramenta Ecclesiæ non esse Pœnitentiam, extremam Vnctionem, Matrimonium; esse vero Consecrationem Monasticam, & Ceremonias in mortuos; & sic numerum quoque Sacramentorum violari, cum ex eodem non septem, sed sex tantum numerentur. Neque Allatius tantum hunc Dionysii sensum esse fatetur, sed a Theodoro etiam Studita, qui ante nongentos circiter annos floruit, admissum probatumque refert in epistola ad Gregorium filium, cuius verba describit, & deinceps plurimum olei operæque insumit a num. 14. vsque ad 22. vt Dionysium explicet ac cum Ecclesiæ Romanæ opinione conciliet. *Tandem vero ipse aliter respondere nequit, nisi vt dicat, Patres multas res vocare Sacramenta, quæ proprie Sacramenta non sint, & hoc est illud ipsum, quod totiens Pontificiis oggerimus, quando ex vocabulo Sacramenti, quod apud Patres non soli Baptismo & Eucharistiæ tribuitur, ad Sacramentum proprie sic dictum imperite colligunt,* vti optime Veielius noster obseruat in Dissertatione de Anabaptismo Monachali num. 42. Allatii verba, quoniam ab inuito veritatem expresserunt, transferre operæ pretium puto. Quærit num. 21. *quare vero inter alia Sacramenta Monachi consecrationem, & defunctorum ritus, enumerat?* & in fine rationem appellationis tradit: *Et hæc vocauit mysteria, non eo sensu, quo nos Sacramenta mysteria nuncupamus, sed vt ea sunt nostræ religionis arcana, non cuique obuia, & post Sacramenta ad veram Christi perfectionem ducentia: vt cæteri Patres multa vocarunt hoc eodem sensu Sacramenta, quæ proprie Sacramenta non sunt; & a Pachymere, in Areopagitam, consecratio Altaris mysterium appellatur, cum ea consecratio inter Ecclesiæ Sacramenta nulla sit.* An meliora prolaturus sit Schelstratius, videbimus: qui si amplectatur istam Allatii responsionem, vno flatu euertet omnia, quæ hactenus de septenario Sacramentorum definito numero adstruxit: Sane Hugo Grotius in epistola ad Ioannem Cordesium, Canonicum Lemouicensem, quæ 350. est in nouissima editione, ex re & vero scribit: *Scio, non ignotum tibi, quam laxe vocem Sacramenti veteres Christiani vsurpauerint, haud dubie & vocabulo sæpe designantes etiam ritus, ab Ecclesiis aliquibus institutos, qui ad significationem aliquam mysticam viderentur non inidonei.*

ARTI-

ARTICVLVS II.

De Operibus Dionysii Areopagitæ, quod ex disciplina arcani confirmationem accipiant.

VNa ex maioribus difficultatibus, quæ circa antiquorum Patrum scripta mouentur, est illa, quæ ad Opera Dionysii spectat, quorum αὐθεντίαν non soli Lutherani & Caluinistæ, sed plerique etiam Catholici negarunt, dicendo Opera illa non esse Pauli discipuli Athenis ad fidem conuersi, sed posterioris æui Scriptoris, qui sub Areopagitæ nomine latere voluit. Albertinus libro 2. de Sacramento Eucharistiæ in Dionysio, cap. 1. sustinet, neminem eorum, qui primis quinque sæculis vixerunt, vel remissimam illorum Operum mentionem fecisse. Idem omnino ex Catholicis volunt Ioannes Morinus libro de sacris Ordinationibus, & le Coinct. tomo 8. Annalium Francorum, qui putant, primam horum Operum mentionem factam esse a Seuerianis hæreticis in Collatione anno 532. Constantinopoli habita, iisque proinde Hypatium Episcopum Ephesinum Catholicorum nomine respondisse: *Illa testimonia, quæ vos Dionysii Areopagitæ dicitis, vnde potestis ostendere, vera esse, sicut suspicamini? Si enim ejus erant, non potuissent latere B. Cyrillum. Quid de B. Cyrillo dico? Quando & Beatus Athanasius, si pro certo scisset ejus fuisse, ante omnia in Nicæno Concilio de consubstantiali Trinitate eadem testimonia protulisset. Si autem nullus ex antiquis recordatus est ea; vnde nunc potestis ostendere, quod illius sint, nescio.*

Ex his Hypatii verbis ortum proculdubio habuit opinio recentioris illius, cuius mentionem feci in commentario ad Concilium Antiochenum, pag. 197. referens, eum putasse, quod Auctor Operum Dionysii fuerit *natione Ægyptius, professione Monachus, Religione Seuerianus, sexto Christi sæculo natus.* Repetit hæc Tentzelius num. 16. & putat, me sententiam de Operibus Dionysii in Antiquitate illustrata propugnatam infirmasse, cum tamen eodem loco adiunxerim, quod Parte II. Antiquitatis habuerim Dionysium pro Pauli Apostoli Discipulo, & Auctorem Operum certo Catholicum esse insinuauerim. Quin imo tantum abest, me vllatenus recentioris opinione motum fuisse, vt cum primum illius scripta ad manus meas peruenerint, exclamarim, indignum esse Opusculum, quod lucem videret, & non sine stomacho summam hominis impudentiam admiratus fuerim. Et si verum dicendum est, quis non mirabitur, Opera illa Hæretico tribui, quæ Sanctissimo Doctori, Apostolorum discipulo, & Episcopo Martyri a 1160. annis per omnem sub cœlo Ecclesiam tributa fuerunt? Nolo hic repetere, quæ Parte II. Antiquitatis illustratæ pro hac re adduxi Conciliorum Generalium, & Prouincialium, Romanorum Pontificum, & Sanctorum Patrum, Scriptorum Occidentalium, & Orientalium testimonia, cum indubitatum sit, a temporibus Gregorii Magni omnes ferme Scriptores Catholicos Opera Dionysii pro genuinis habuisse.

Quædam itaque in antiquitate illustrata omissa hic adiungere placuit, eaque præcipue, quæ Opera Dionysii ante sextum sæculum, quo Collatio Constantinopoli habita fuit, nota fuisse ostendunt. Ac primo quidem inquirendum est, quid de Ioannis Chrysostomi testimonio, quod sermone vltimo, quem Græci Cygneum vocant, continetur, & in quo Dionysius Areopagita ob cælestia proculdubio, & Diuina scripta, ὄρνεον πετεινὸς *volucris cæli* dicitur, sentire debeamus. Si enim Albertino credimus, in sermone illo fit mentio *Nestorii*, adeoque Chrysostomi esse non poterit. Verum vt mentem meam libere de hoc sermone aperiam, duo præsertim in eo continentur, ex quibus de ætate Auctoris iudicare licebit. Primo continentur in eo Hæretici, & Imperatores, qui vsque ad tempus Auctoris fidem oppugnarunt. Secundo Sancti Patres, qui eam defenderunt. De posteriorum numero in omnibus MSS.

MSS. & editis codicibus ponitur Dionysius, & *Volucris cœli* dicitur: in priorum catalogo iuxta Albertinum *Nestorius*, iuxta Vossium *Eunomius*, iuxta Græcam editionem Henrici Sauilii *Eunomius*, & *Nestorius* nominantur, quæ lectionum varietas hic aliquam interpolationem factam significat. Non solæ enim editiones variant in referendis Hæreticorum & Imperatorum nominibus, sed etiam manuscripta, vt constat ex tribus MSS. Bibliothecæ Vaticanæ. Vbi enim in editione Græco-Latina Frontonis Ducei habetur: Πȣ̃ Σίμων Μάγος ὁ πρῶτος ἐν αἱρέσει ὁ μαθητὴς τȣ̃ Ἀντιχρίστου καὶ πρόδρομος; ποῦ τὸ κακὸν τούτου γέννημα καὶ τῆς αὐτȣ̃ μανίας καὶ ἀσελγείας διάδοχος Μοντανός; ποῦ Μαρκίων; ποῦ ὁ Τάλης; ποῦ Μάνης; ποῦ Βασιλείδης; ποῦ Ἄρειος; ποῦ Νεστόριος; ποῦ οἱ καθεξῆς αἱρεσιάρχαι; ποῦ πάντες καθείλοντο; *Vbi Simon Magus in hæresi primus, discipulus & præcursor Antichristi? Vbi malus huius fœtus, & eius insaniæ atque lasciuiæ successor Montanus? Vbi Marcion? Vbi Valentinus? Vbi Manes? Vbi Basilides? Vbi Arius? Vbi Nestorius? Vbi reliqui Hæresiarchæ; Vbi cuncti, qui Veritati restiterunt?* Ibi in antiquissimo Codice 450. MS. Græco Bibliothecæ Vaticanæ post nomen Montani integra periodus adiungitur, cuius ne verbum quidem apud Frontonem Duceum habetur, & post Basilidem ponitur: Πȣ̃ Νέρων; ποῦ Ἰȣστινιανός; *Vbi Nero? Vbi Iustinianus?* Ex quibus patet, hunc locum omnino corruptum esse in Græco, & per aliquem sciolum nomen Iustiniani insertum fuisse. Codex sane 733. MSS. Græcus Bibliothecæ Vaticanæ habet: Πȣ̃ Νέρων; ποῦ οἱ ἄλλοι Βασιλεῖς καὶ δυνάσται; ποῦ Ἰȣλιανός; ποῦ δὲ Ὠριγένης; ποῦ Ἄρειος; ποῦ Νεστόριος. *Vbi Neron? Vbi alii Imperatores & domini? Vbi Iulianus? Vbi vero Origenes, Vbi Arius, Vbi Nestorius?* Et Codex 571. MS. Græcus Bib. Vat. Ποῦ Νέρων; ποῦ Ἰȣλιανὸς ὁ παραβάτης; ποῦ Ἄρειος; ποῦ Νεστόριος; ποῦ πάντες οἱ ἀντιταξάμενοι τῇ ἀληθείᾳ; *Vbi Nero? Vbi Iulianus transgressor? Vbi Arius, Vbi Nestorius? Vbi reliqui aduersantes Veritati?* Ex quibus omnibus manifestum est, hunc locum, in quo mentio fit Nestorii, corruptum esse in pluribus etiam MSS. Codicibus, & quædam nomina in aliquibus addita fuisse, quæ in aliis minime reperiuntur: vt & nomen *Nestorii* posterius additum esse potuerit, & necessario debuerit, si sermo Diuo Ioanni Chrysostomo tribuatur, prout ei tribuunt omnes Codices MSS. Græci etiam Vaticani, inter quos codex 450. ante septingentos annos exaratus fuisse videtur.

Neque quidquam officit, quod apud Frontonem Duceum adiungitur post vltimum hæresiarcham, qui in textu Græco *Nestorius*, in Latino *Eunomius* dicitur, Ποῦ οἱ καθεξῆς αἱρεσιάρχαι; *Vbi reliqui Hæresiarchæ?* Codex enim MS. 450. Bibliothecæ Vaticanæ habet, vt Codex 572. Ποῦ πάντες οἱ ἀντιταξάμενοι τῇ ἀληθείᾳ; *Vbi omnes aduersantes Veritati?* Qui loquendi modus non importat, Auctorem epistolæ Hæreticos Eunomio posteriores citare voluisse, sed vel coætaneos, vel etiam alios Hæreticos eius antecessores intelligere potuisse. Et sane vltimus Imperator, quem citat, est Iulianus, & vltimus antiquus Pater, quem Auctor in sequentibus post duos Gregorios Nazianzenum & Nyssenum nominat, est Ephreem Syrus, qui ante tempora D. Ioannis Chrysostomi floruerunt omnes, vt verisimile sit, Chrysostomum esse Auctorem huius sermonis, qui ante 800. annos ab Anastasio Bibliothecario citatur pro hac eadem de Dionysii Areopagitæ Operibus materia, idque his verbis epistolæ ad Carolum Caluum insertis. *Hunc*, scilicet Dionysium Areopagitam, *Beatus Ioannes Chrysostomus* Πετεινὸν τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃, *id est Volucrem Cœli in Vltimo sermonum describit.* Ex quibus habemus, sermonem *de Pseudoprophetis seu falsis Doctoribus*, qui vltimus dicitur, iam inde

inde ab antiquissimis temporibus Chrysostomo tributum fuisse, adeoque antiqua MSS. exemplaria cum recentioribus hac in re conuenire.

Secundo, antiquos Ecclesiæ Patres ante initium sexti sæculi notitiam librorum Dionysii habuisse, probari potest ex Operibus D. Gregorii Nazianzeni, qui quarto sæculo scripsit, & Areopagitæ Opera nouit, vt præclare obseruauit vir in Græco versatissimus Gulielmus Sirletus, cuius hac de re epistolam ex MS. Codice 6277. Bibliothecæ Vaticanæ hactenus ineditam subnectimus Italicam cum Latina versione.

Epistola Gulielmi Sirleti ad Cardinalem Sanctæ Crucis apud Tridentinum Concilium Sedis Apostolicæ Legatum.

IL Dionisio di V. S. R.ma l'hò finito di riscontrar con quel di Don Basilio, e hò notato diligentemente, quanto in quello era. Hò reso il suo al sopradetto, e quel di V. S. R.ma riposto tra gli suoi libri. Certo hò hauuto gran piacer far questa fatica, perche per corregerlo bene, me son forzato studiarlo, & intenderlo, quando Iddio benedetto mi hà dato lume: & mi son molto più confermato, che quella Opera sia di Dionisio Areopagita, perche hò veduto, che'l Nazianzeno non solo piglia le sentenze, doue parla de medesime materie, mà anche le parole stesse; & questo fà moltissime volte. E se no'l nomina, non importa, perche non suol nominar altro, che la Sacra Scrittura vecchia & nuoua. Mà con tutto questo nella oratione del Natale dichiarando quel bel misterio del dire tre volte *Sanctus*, e vna volta *Dominus Deus*, che se esprime vna sustantia e tre Persone, mostrò d'hauer presa questa intelligentia da Dionisio Areopagita con queste parole: Ὃ καὶ ἄλλῳ τινὶ τῶν πρὸ ἡμῶν πεφιλοσόφηται κάλλιστά τε καὶ ὑψηλότατα. Si che ringratio V. S. R.ma, che tra l'altri beni e stara lei anche causa di farme far questo, dico de studiar il Dionisio per hauerlo a correger. Non altro: me recommando a V. Signoria Reuerendissima, e prego Iddio, la conserui in sua gratia. Da Roma 25. di Aprile 1548.

Seruitor minimo

Di V. S. Reuerendissima

Gulielmo Sirleto.

OPera Dionysii ad Rmam D. V. spectantia contuli cum Codice Domini Basilii, & diligenter notaui, quidquid in eo obseruandum erat. Reddidi supradicto Basilio Codicem suum, & vestrum inter cœteros tuos libros collocaui. Placuit omnino labor adhibitus; ad Opera enim Dionysii bene corrigenda, & pro lumine mihi diuinitus concesso intelligenda, omne studium adhibui: & magis confirmatus sum in opinione, quæ Opera illa Dionysio Areopagitæ adscribit. Vidi enim, quod Gregorius Nazianzenus non solum sententias suas ex eo desumpserit, vbi loquitur de eadem materia, sed ipsissima quoque verba; idque non semel, sed sæpius fecerit. Neque refert, quod eum non nominet; non solet enim citare authoritatem alicuius, præterquam Scripturæ Veteris & Novi Testamenti. Accedit, quod Oratione de Natiuitate Domini exponens insigne Trisagii mysterium, quo dicitur tribus vicibus *Sanctus*, & vna *Dominus Deus*, ac exprimitur vna substantia cum tribus Personis, significat, sese sensum illum accepisse a Dionysio Areopagita hisce verbis: *Quod & ab alio quodam ante nos sapienter intellectum est, pulcherrimeque dictum, & altissime.* Gratias proinde ago D. V. Rmæ, quod inter cætera anthor fuisti, vt studerem Dionysio, dum corrigendi onus imposuisti. Non aliud: commendo me D. V. Reverendissimæ, & rogo Omnipotentem, vt te in gratia sua conseruet. Romæ 25. Aprilis 1548.

minimus famulus

D. V. Reverendissimæ

Gulielmus Sirletus.

Placuit integram fere Sirleti Epistolam hic inserere, quod ex illa constet, quam incaute recentiores quidam in censuram Operum Dionysii proruperint, eaque non nisi sexto Christi sæculo composita fuisse errarint. Gregorius enim Nazianzenus floruit ante finem quarti sæculi, ante quod Opera Dionysii extasse oportuit. Non solus enim Sirletus, sed & Eminentiss. Cardinalis Perronius lib. 2. de Eucharistia Author. 11. & lib. 3. de eadem, cap. 11. per *alium*, quem citat Nazianzenus, intellexit cum Budeo *Dionysium Areopagitam:* quod ipsum confirmant alii asserentes, locum a Nazianzeno citatum reperiri apud Dionysium libro de Cœlesti Hierarchia, cap. 7. sub finem. Allegat autem Iacobus Billius lib. 1. obseruatione 23. alia loca Nazianzeni, quæ ex Dionysio desumpta esse, ex vtriusque textus collatione demonstrat. „ Nazianzenus, inquit, de Deo loquens, Ὅλον ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν ἔχει τὸ εἶναι: „ Dionysius autem cap. 5. libro de Diuinis nominibus: Ὅλον ἐν ἑαυτῷ τὸ εἶναι συνειληφώς. Eodem loco Gregorius Deum esse dicit Πέλαγος οὐσίας ἄπειρον καὶ „ ἀόριστον. Quæ verba non longe remota sunt ab his Dionysii libro de Cœlesti Hierar„ chia cap. 9. Θεαρχικοῦ φωτὸς ἄπειρόν τε καὶ ἄφθονον πέλαγος. - - Quod „ autem ait Gregorius in oratione de dogmate de vitæ puritate verba faciens: Ἀεὶ τὰς θείας „ ἐμβάσεις καθαρὰς ἐν ἑαυτῷ φέρειν, οἷον ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον Θεοῦ καὶ τῶν „ θείων ὂν &c. Id sane mihi a Dionysio sumpsisse videtur; is enim libro de Cœlesti Hie„ rarchia his verbis vtitur: Σκοπὸς ἱεραρχίας ἐστὶ τοὺς ἑαυτῆς θιασώτας ἀγάλματα „ θεῖα τελεῖν, ἔσοπτρα διειδέστατα, καὶ ἀκηλίδωτα δεκτικὰ τῆς ἀρχιφώτου „ ἀκτῖνος, Ac paulo inferius Hierarchæ munus esse: Δεῖται τὴν θείαν ἐνέργειαν ἐν „ ἑαυτῷ κατὰ τὸ δυνατὸν ἀναφαινομένην. „ Hæc pauca ex multis, quæ Iacobus Billius affert, cuius obseruationum sacrarum libri duo editi sunt post epistolas Isidori Pelusiotæ editionis Parisiensis anno 1585.

Sunt quidem alii, qui cum Eminentissimo Cardinali Baronio D. Athanasium in Dionysii libros incidisse putent, quorum opinionem confirmat Petrus Halloix quæstione 2. in vitam Dionysii adducens locum Athanasii e libro de communi essentia Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, vbi circa finem decantatam ab Areopagita Angelicorum Ordinum subordinationem sese cognouisse refert, & desumpta videntur ex libro Dionysii de Cœlesti Hierarchia, cap. 7. Quinimo putat idem Halloix, librum de Diuinis nominibus non ignotum fuisse Clementi Alexandrino, cum libro 4. Stromatum sub finem imitari videatur similitudinem ductam a naui ad saxum funibus alligata, qua lib. de Diuinis nominibus cap. 3. vtitur Dionysius, vt ostendat, quomodo orationibus Deus ad nos trahatur. Et ne hactenus dicta de Dionysii Operibus tertio sæculo cognitis fundamento destitui videantur, notanda sunt verba Nicetæ Colossensis, qui lib. 2. Thesauri Orthodoxæ fidei, cap. 15. testatur, Dionysii Areopagitæ Opera adeo nota fuisse quibusdam Patribus tertii sæculi, vt Dionysius Alexandrinus Cypriano coætaneus in ea commentaria confecerit. Verba Nicetæ sunt: *Dionysius quoque Alexandrinus ille Rhetor in Scholiis, quæ in sibi cognominem Areopagitem edidit, ait, ingenitum apud externos seu profanos Philosophos omnem naturam significare, quæ sub aspectum non cadit.*

Mirum quibusdam hoc videbitur, quod Nicetas testatur; nouum tamen non est, neque ab ipso excogitatum, sed a Sancto Maximo, qui quingentis annis ante Nicetam, & mille annis ante nos floruit, memoriæ traditum. Ita enim doctissimus ille Martyr in commentariis ad librum Dionysii Areopagitæ de Hierarchia Cœlesti, cap. 5. *Cur porro, cum Ecclesia tradat, omnes Sanctos Angelos vnius esse substantiæ, Diuus Dionysius multas virtutes nominat?*

Ὁ γοῦν

Ὁ γοῦν μέγας Διονύσιος ὁ Ἀλεξανδρείας Ἐπίσκοπος, ὁ ἀπὸ Ῥητόρων, ἐν τοῖς Σχολίοις οἷς πεποίηκεν εἰς τὸν μακάριον Διονύσιον τὸν αὐτοῦ συνώνυμον, οὕτω λέγει, ὅτι ἀγέννητον εἴωθε καλεῖν ἡ ἔξω σοφία πᾶσαν ἀόρατον φύσιν, ὁμοίως καὶ οὐσίας τὰς ὑποστάσεις· κἀκ τούτου φησὶν, ὅτι κατὰ τοὺς ἔξω εἴρηνται τῷ ἁγίῳ Διονυσίῳ αἱ τοιαῦται φωναὶ καταχρηστικῶς. *Magnus ille Dionysius Alexandriæ Episcopus & Orator, in Scholiis a se in Beatum sibi cognominem concinnatis notat, externam Philosophiam solere naturam omnem inuisibilem ingenitam vocare, vti & essentias supposita: atque hinc ait, abusiue voces istiusmodi a Sancto Dionysio fuisse vsurpatas.* Ex hoc loco Nicetas desumpsit, quod de Dionysii Alexandrini commentariis in Areopagitam tradidit. Enimuero Dionysii cognominem esse Areopagitam, clarissime insinuat Sanctus Maximus, qui Sancti Dionysii Areopagitæ verba *De cælestibus essentiis* exponens, testatur, Dionysium Alexandrinum dixisse: *abusiue voces istiusmodi a Sancto Dionysio*, nimirum Areopagita, *fuisse vsurpatas.*

Hæc cum clariora sint, quam vt vlla expositione indigeant, obiicit tamen Petrus Halloix, S. Maximum tantum vno loco commentariorum Dionysii mentionem fecisse, neque verisimile esse Dionysium illum fuisse Diuo Cypriano coætaneum. Si enim Dionysius ille Scholiastem egisset, sæpius, inquit Halloix, Scholiis eius in exponendo Dionysio S. Maximus vsus fuisset. Huic autem obiectioni vt fiat satis, notandum omnino, S. Maximum allatum supra locum non ex Dionysii Alexandrini commenrariis, sed ex alio posteriore Patre desumpsisse, ex Anastasio nimirum Sinaita, qui centum annis ante S. Maximum floruit, & ita libro, cui titulus, *Viæ Dux*, cap. 22. de Dionysio Areopagita loquitur: Ὁ γοῦν μέγας Διονύσιος ὁ Ἀλεξανδρείας Ἐπίσκοπος ὁ ἀπὸ Ῥητόρων, ἐν τοῖς Σχολίοις, οἷς πεποίηκεν εἰς τὸν μακάριον συνώνυμον αὐτοῦ Διονύσιον, οὕτω λέγει, ὅτι ἀγέννητον εἴωθεν καλεῖν ἡ ἔξω φιλοσοφία, πᾶσαν ἀόρατον φύσιν. Ὁμοίως καὶ οὐσίας τὰς ὑποστάσεις. Κἀκ τούτου φησὶ κατὰ τοὺς ἔξω εἴρηνται τῷ ἁγίῳ Διονυσίῳ αἱ τοιαῦται φωναὶ καταχρηστικῶς. „ *At Magnus Dionysius Alexandrinus Episcopus ex Oratorum numero in Scholiis, quæ scripsit in Beatum sibi cognominem Dionysium, hac habet:* „ *Externa Philosophia ingenitam appellare solet omnem naturam inaspectabilem: similiter & hypostases substantias. Et iuxta hoc, quod externi dicunt, ait, Sanctum Dionysium talibus vocibus abusum esse.* Ita habet textus Græcus supra, quem ex Bibliotheca Augustana primum eruit Iacobus Gretserus, & Ingolstadii anno 1606. edidit.

Auro contra æstimandum est hoc testimonium Anastasii Sinaitæ, quod an aliquis pro merito obseruauerit, plurimum dubito. Illud enim Cardinali Perronio ignotum fuit, cùm tamen maximi ponderis censendum sit: eo namque tempore, quo Collatio Constantinopoli habita fuit, ipse Anastasius Sinaita non solum Dionysii Opera in authoritatem admisit, sed Areopagitæ tribui debere, irrefragabili quoque Dionysii Alexandrini testimonio commonstrauit. Hunc enim Dionysium, quem Alexandrini Cognominem vocat, eodem loco Diuinum & Apostolicum, & eodem Opere Pauli discipulum vocat, vt apud ipsum Alexandrinus Dionysium Areopagitam indigitat his verbis: Κἀκ τούτου φησὶ κατὰ τοὺς ἔξω εἴρηνται τῷ ἁγίῳ Διονυσίῳ αἱ τοιαῦται φωναὶ καταχρηστικῶς. *Et iuxta hac, quod externi dicunt, ait; Sanctum Dionysium talibus vocibus abusum esse.* Hæc enim desumpta sunt ex Dionysii Alexandrini Scholiis in Dionysium Areopagitam, vt refert cum Anastasio Sinaita Sanctus Maximus. Quod autem Dionysius Alexandrinus, cuius meminerunt iidem Patres, sit ille,

ille, qui temporibus Diui Cypriani floruit; constat primo ex eo, quod eum Alexandrinum Episcopum dicant, nemo autem a Sancto Marco primo Alexandrinorum Episcopo vsque ad tempora Anastasii Sinaitæ eius nominis Episcopus Alexandriæ federit, quam Dionysius Cypriano coætaneus. Constat 2. ex eo, quod *Magnum* cognominent, quo cognomine distingui solet Dionysius ille Alexandrinus ab aliis aliarum ciuitatum Episcopis, qui Dionysii appellati sunt, & virtute vel eruditione claruerunt. Sic Diuus Basilius epistola canonica ad Amphilochium, hunc Dionysium Alexandrinum simpliciter vocat τὸν μέγαν Διονύσιον *Magnum Dionysium*. Et apud Eusebium lib. 7. historiæ cap. 1. Μέγας Ἀλεξανδρέων Ἐπίσκοπος Διονύσιος, *Magnus Alexandrinorum Episcopus* hic *Dionysius* dicitur.

Huius itaque magni Alexandrinorum Episcopi Commentaria in Dionysium Areopagitam citat Anastasius Sinaita, qui cum locum integrum ex illis referat, commentaria ipsa legisse, & penes se habuisse, necesse est. Et quamuis commentaria illa iam deperdita sint, fragmenta tamen nonnulla in quibusdam Bibliothecis superesse, indicauit Cardinalis Perronius, qui testatur libro 2. & 3. de Eucharistia, se Venetiis in Bibliotheca Domini Lollini vidisse catenam commentariorum in Dionysium Areopagitam, & in ea complura Dionysii Alexandrini Scholia comperisse. Desiderandum quidem fuisset, quod libros Dionysii, in quos Scholia Alexandrini ejusdem nominis Episcopi extant, notasset Perronius, cum ex illis certo constitisset, quænam Opera ante tempora Cypriani Dionysio Areopagitæ tributa fuerint. Verum cum hoc a Cardinali Perronio factum non sit, librum saltem de Hierarchia Cœlesti Areopagitæ tribuendum esse, Scholium Alexandrini euincit, quod ex S. Maximo, & Anastasio Sinaita adduxi supra. Scholia illa quæsiui quidem in Bibliotheca Vaticana; sed cum ibi non sint, minime reperi: alia tamen inueni hactenus inedita, Germani nimirum Patriarchæ Constantinopolitani, quem in Dionysii Areopagitam quoque scripsisse, ignorabam.

Hæc cum ita sint, inquirendum est, quid demum in causa sit, quod tam Areopagitæ Opera, quam Dionysii Alexandrini commentaria adeo paucis Patribus nota fuerint, vt vix eorum vestigia apud antiquos reperiantur. Si enim Tentzelio & Albertino credamus, ex eo, quod nec Eusebius, nec Hieronymus, nec Sophronius, nec Gennadius, qui veterum scripta diligentissime inquisiuerunt, mentionem vel tenuissimam illorum librorum fecerint, pro νοθεία librorum Areopagiticorum concludendum est. Verum quam grauiter hi hallucinentur, ostendit S. Maximus in præfatione suorum commentariorum, cum quo enumerare possem Opera antiquorum, quæ nec Eusebius, nec Hieronymus, nec Gennadius attulerunt, & tamen pro genuinis habentur ab omnibus. Aliam tamen rationem, eamque Dionysii Operibus peculiarem reperio, ex disciplina nimirum arcani desumptam, quam Anastasius Bibliothecarius, aliique annotasse reperiuntur. Enimuero si Dionysii Opera peruoluamus, videbimus eum clarius de præcipuis Catholicæ Religionis mysteriis egisse, quam vt *publice scriptis circumferri*, vt Basilii verbis vtar, *conueniebat*. Inueniemus eum manifeste egisse de Sanctissima Trinitate, Baptismi ritibus, Eucharistiæ mysteriis, Sacris Ordinationibus, aliisque Sacramentis, quæ omnia iuxta disciplinam Ecclesiæ non minus infidelium auribus occultanda erant, quam oculis, vt mirum omnino non sit, libros Dionysii, quamdiu disciplina arcani in Oriente vigebat, occultatos fuisse; quin potius mirum esset, si primis quinque sæculis passim ad omnium manus peruenissent.

Vt autem constet, quam vera sit nostra obseruatio, notanda sunt ipsius Dionysii verba, quibus initio libri de Hierarchia Ecclesiastica statim Timotheum admonet: *Vide autem, ne Sancta Sanctorum enunties, sed verearis ea potius, & quæ occulta Dei sunt, cognitione mentis & animi in honore habebis & pretio: ita tamen, vt ea non tradas, & intacta nullo*

Sacra-

Sacramento initiatis conserues. Solis vero Sacramento aliquo initiatis cum sancta illustratione pro sacrarum rerum dignitate communices. Monet similiter libro de cœlesti Hierarchia, cap. 2. *Vt res sacrosanctas obiectas à profana multitudine tueretur.* Hæc cum Dionysius ipse secundo monenda esse duxerit, Opera eius singulari causa profanorum oculis & auribus occultata fuisse, credendum est. Idque in causa fuit, quod vna cum Dionysii Areopagitæ Operibus scholia Dionysii Alexandrini tamdiu latuerint, quam diu disciplina arcani in Oriente obseruata fuit, hoc est usque ad initium sexti sæculi, post quod Anastasius Sinaita floruit, qui nominatim, tam Dionysii Areopagitæ Opera, quam Alexandrini commentaria publice citauit.

ANIMADVERSIONES
IN
ARTICULUM II.

I.

ANtequam controuersiam de Operibus Dionysio Areopagitæ suppositis adgredior, non possum non Schelstratii iudicium mirari, quo mihi tribuit, quasi putarim, *ipsum sententiam de Operibus Dionysii in Antiquitate Illustrata propugnatam infirmasse;* quod sane ex verbis meis exsculpere nunquam potuit. Nihil enim aliud dixi, quam Schelstratium *non dissimulasse aliorum dissensum*, quod mihi satis erat ad ostendendum, effugium eius pro scriptis Dionysii saluandis apud plerosque fidei suæ homines vix receptum iri. Potius a plagii suspicione se liberasset, quam incurrit ob exscriptum, non tamen nominatum Halloixium. Bene auten est, quod fatetur, *plerosque etiam Catholicos* negare, scripta illa Dionysii Areopagitæ esse; multorum enim testimonia produxit Dallæus in Opere de Libris Dionysio suppositis cap. XXXVI. quæ facile ex Labbeo, Huetio, Brietio, & aliis augere possem, sed Schelstratio Romæ nunc degenti tantum commendo exempla duorum Cardinalium, Bonæ & Pallauicini, ex quibus patet, Romæ etiam veritatem apparere cœpisse, quæ ibi cæteroquin tardius perspici solet. Nec tacebo, Reiserum nostrum in Launoio veritatis teste pag. 767. & 776. tricas a Schelstratio in Antiquitate illustrata aliisque obiectas expediuisse, & Launoii sententiam defendisse. Quod si autem his non contentus fuerit Schelstratius, prolixius examen a me facile impetrabit. Interea respondeat iis, quæ eruditi viri in Disputatione mea citati de auctore pariter ætateque librorum Areopagiticorum obseruarunt, cum quibus adhuc statuo, fœtum istum sæculo quarto exclusum esse. An vero genuinus Parens sit Apollinaris, quemadmodum Græcos quosdam ætatis suæ eruditissimos statuisse refert Laurentius Valla in Annotatis ad Act. Apost. cap. XVII. non improbante Iacobo Vsserio, & nouissime Guilielmo Caue tomo primo Patrum

Primitiuorum, in vita S. Dionysii num.13.14.15. ab eruditis discuti meretur. Quanquam me haud latet, dissensum suum pridem professum esse Iacobum Fabrum, Viennensem Episcopum, in Epistola ad Ioachimum Vadianum, quæ XLVI. est epistolarum Philologicarum a Goldasto editarum; ac postea Dallæum, Pearsonium, alios; imo Cauius ipse non vsque adeo certus est in Chartophylace Ecclesiastico, pag.60.61. Postquam enim egisset de Apollinario iuniori, Episcopo Laodiceno, addit: *Dionysius, qui Areopagitæ nomen splendide mentitur, hoc circiter tempore scripsisse videtur; forsan non alius, quam Apollinaris Antistes Laodicenus, cuius iam facta mentio, qua de re nos alibi. Fateor (quod vidit olim S. Maximus) in his libris Chiliastarum damnari sententiam, quam tamen Apollinarium fouisse tradunt veteres. At quis nescit eos, qui sub alieno nomine merces suas extrudere solent, quo speciosius fucum faciant, dogmata vtcunque a suis aliena, præsertim si æuo, quod sibi fingunt, apprime congruant, quandoque immiscere? Verum in hac re nihil statuo.* Ego etiam ampliandum censeo, donec vtriusque partis argumenta probe ponderentur, quod ii faciant, quibus Anglicum Cauii Opus vitas Patrum primitiuorum complexum euoluere datur.

II. Nunc autem agam, quod agendum est, perpendamque argumenta, quæ in Apologia Schelstratius attulit, vt Hierarchica Areopagitæ adsereret. Primum desumsit ex Chrysostomi oratione de Pseudo-Prophetis: Sed quia ab Albertino in Opere de Eucharistia pag.261.262. eam reiici vidit, cum ex aliis argumentis, tum ob Nestorii mentionem, locum illum interpolatum & Nestorii nomen a recentioribus additum esse contendit. At enimuero, si quidquam valet ipsius responsio, quam mihi Hieronymi locum in dubium vocanti ad calcem præfationis suæ dedit, certe huic dubio maxime est accommodanda. Legitur enim Nestorii nomen in omnibus MSS. Codicibus, quos vel ipse Schelstratius, vel alii peritorum allegarunt. Schelstratius tres Codices Vaticanos attulit, qui vtut in quibusdam discrepant, omnes tamen Nestorium habent. Idem faciunt Codices, quorum fidem Ducæus in Parisiensi editione sequutus est; & Cæsareus, quem Sauilius in Etonensi expressit. Petrus Lambecius lib.IV. Commentariorum de Bibliotheca Vindobonensi pag.86. eiusdem homiliæ titulum & principium ex Codice Theologico Græco CXXXVII. exhibet: Τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως τοῦ Χρυσοστόμου λόγος περὶ ψευδοπροφητῶν καὶ ψευδοδιδασκάλων, καὶ ἀθέων αἱρετικῶν, καὶ περὶ σημείων τῆς συντελείας· ἐῤῥέθη δὲ, μέλλοντος αὐτοῦ ἐκδημεῖν ἀπὸ τοῦ σώματος. Ὀδυνηρὸς ὁ λόγος, καθότι ἔσχατος ὑμῖν δεδήλωται, ἀλλὰ καὶ πολλῆς χαρᾶς γέμων &c. Addit insuper ad oram paginæ Lambecius, hanc orationem exstare in editione Anglicana To. VII. pag. 211. *vbi Sauilius in margine expresse indicat, se Orationem hanc accepisse ex Codice quodam MSto Cæsareo. Fuit autem is diuersus ab illo, de quo*

quo in præsens agitur. Principium enim eiusdem Orationis legitur apud Sauilium corrupte hoc modo: Ὀδυνηρὸς ὁ λόγ⊙, καθότι καὶ ἔσχατ⊙ μηδὲ δηλῶται, ἀλλὰ *&c.* Sed quia in sequentibus libris aliud exemplum, quod Sauilius describi curauerit, non protulit Lambecius, dubium vix est, quin ex eo, de quo diximus, habuerit Sauilius, quando inprimis Codex ille ad Sambucum olim pertinuit, e cuius libris Cæsareæ Bibliothecæ legatis plurima Sauilius accepit; nec diuersa & corrupta lectio diuersos codices, sed oscitantiam potius librarii arguit, quem Vindobonæ alebat Sauilius. Vtcunque autem ea res se habeat, si vnquam Codicum MSStorum consensus certitudinem rei adfert, Nestorii nomen ab ipso sermonis auctore additum esse consequitur; vt prolixius fortiusque contra Halloixium vrget Dallæus de Scriptis Dionysii cap. IV. pag. 37. 38. 39. cuius rationes si exacte ponderasset Schelstratius, opem Halloixio ferre in animum nunquam induxisset. Nec euadet vim argumenti, quod ex sequentibus verbis (ποῦ οἱ καθεξῆς αἱρεσιάρχαι; *vbi, qui deinceps fuerunt, hæresiarchæ?*) nectit Dallæus: quanquam in duobus Codicibus Vaticanis ea non habentur, sed tantum scribitur: ποῦ πάντες οἱ ἀντιτασσόμενοι τῇ ἀληθείᾳ. Ducæus enim neutrum omisit, sed in editione Parisiensi retinuit: ποῦ οἱ καθεξῆς αἱρεσιάρχαι; ποῦ πάντες οἱ ἀντιτασσόμενοι τῇ ἀληθείᾳ: οὐχὶ πάντες καθείλοντο; Schelstratius quidem medium comma omisit, nescio vtrum calami, an typographi lapsu, qui facile deprehenditur ex luxata apud eum oratione: ποῦ οἱ καθεξῆς αἱρεσιάρχαι; ποῦ πάντες καθείλοντο. Sed Latinam versionem integriorem sistit: *vbi reliqui hæresiarchæ? vbi cuncti, qui veritati restiterunt?* Vnde patet, Ducæum in Codicibus suis vtramque periodum reperisse, & neutram a sermonis auctore alienam putasse. Imo quod amplius, Codex Vaticanus antiquissimus a Schelstratio adductus & septingentorum annorum æstimatus, Ducæanæ lectioni patrocinari videtur, quippe quem hac in parte variare Schelstratius non monuit. Quidquid autem interpolationis & differentiæ inter libros manu exaratos occurrit, id ego omne a recentiorum Græcorum manibus esse suspicor, qui istam homiliam pro cygnea Chrysostomi cantione venditantes, delere conabantur iunioris auctoris vestigia, quæ in illa hæreticorum enumeratione nimis manifeste elucebant. Sed quantamcunque adhibuerunt diligentiam, veritatem tamen supprimere haud potuerunt, quæ vel ex vnico *Nestorii* nomine cognoscitur, quod incaute reliquerunt maleferiati isti mangones, instar soricum seipsos prodentes. Aliter quidem statuit Petrus Franciscus Chiffletius in Dissertatione de vno Dionysio pag. 36. 37. *In editione Anglicana Etonensi anni 1612. pure Græca, habetur hic sermo tomo septimo operum Chrysostomi, in quo inter alios hæresiarchas recensetur Nestorius, quem constat non nisi pluribus post Chrysostomi obitum annis innotuisse. At in editione Parisiensi anni 1624. a Frontone Ducæo & a Sir-*

mondo meliorum aliquot codicum ope expurgata, Nestorii nulla apparet mentio: vt minime dubium sit, quin huius nomen a recentioris alicuius indocta manu in legitimum Chrysostomi textum irrepserit. Sed miror, hæc viro docto excidisse, qui Parisiensem editionem non euoluit, dum ista scriberet: quod si fecisset, Nestorii nomen in ea quoque conspici, non minus ac Dallæus & Schelstratius animaduertisset. Cum autem meliorum codicum ope Ducæum vsum fuisse Chiffletius agnoscat, consequitur potius secundum supradicta, in melioribus etiam Codicibus Nestorium haberi, ac proinde Chrysostomum auctorem esse non posse. Quid ergo dicemus de Anastasio Bibliothecario, qui ante 800. annos in epistola ad Carolum Caluum & Chrysostomum huius sermonis auctorem putauit, & in eadem de Dionysio controuersia citauit, supputante & argutante Schelstratio? Epistola illa Anastasii præfixa est Passioni S. Dionysii, auctore Methodio, interprete Anastasio, in eadem Dissertatione a Chiffletio editæ, pag. 10. *Sane quia nonnulli beatum Dionysium* πλεςύγιον τȣ̃ ȣ̉ϱανȣ̃ *a Græcis appellari commemorant, notandum, quod hunc beatus Ioannes Chrysostomus* πετεινὸν τȣ̃ ȣ̉ϱανȣ̃, *id est, volucrem cæli in vltimo sermonum suorum describat.* Quotus autem quisque nescit, medii æui homines, ipsumque Anastasium, in re critica imperitos ac pene infantes fuisse? Quare Anastasio facile ignoscimus, quem sæculi sui ignorantia lapsum, tituloque nudo credentem, orationem illam Chrysostomo attribuisse patet. Schelstratio autem vix condonari potest hæc pertinacia, quod in media eruditionis luce tenebras amat, & non modo spuria Opera Areopagitæ adserere, sed iis quoque ex suppositio Chrysostomi sermone suppetias ferre audet. Magis circumspecte agit Cardinalis Bona, quando & Dionysianorum γνησιότητα in dubium vocat, & de homilia ista scribit: *plerique viri docti hunc sermonem Pseudepigraphum putant,* quem proinde cum aliis eiusdem commatis *tanquam incertum omittit.* Conferri quoque meretur Andreæ Riueti Criticus Sacer lib. I. cap. XI. pluribus disputans, eundem sermonem esse suppositum, vel interpolatum, vel etiamsi genuinus foret, *non tamen efficere, controuersos libros esse Dionysii Areopagitæ.* Hinc Natalis Alexander etiamsi Riuetum alioquin refutare semper solet, in Chrysostomo tamen de illa homilia plane tacet, suoque silentio dubitantes confirmat. Hinc etiam Isaacus Habertus in Theologia Græcorum patrum de Gratia lib. I. c. I. n. 7. hæc ipsa, de quibus disputamus, verba allegans, non Chrysostomum vocat, sed *antiquum scriptorem Homiliæ de pseudo-prophetis inter opera Chrysostomi.* Quorsum si applicare velis Schelstratii rationem de Clementis recognitionibus, dices, Habertum clarioribus verbis auctorem hunc contra Chrysostomum distinguere non potuisse. Elegans vero est coniectura Iacobi Vsserii, qui in Notis ad Epistolas Ignatio suppositas pag. 106. auctorem putat Ioannem Nesteutam siue Ieiunatorem, qui exeunte sæculo sexto Patriarcha Constantinopolitanus fuit. Nec

erudi-

eruditorum adplausu caruit, siquidem amplius diducitur a Ioan. Pearsonio, P. I. Vindiciarum Ignatii cap. x. p. 138. *Hæc quidem Homilia male ab aliquibus Ioanni Chrysostomo attributa fuit; eamque potius Ioanni Nesteutæ tribuendam putat Vsserius: neque dubito quin recte. Nam ea, quæ continet, & Patriarcham sapiunt, & Mauritii ætatem præferunt, qua tot hæreses pullulabant; & libera illa atque seuera obiurgatio Episcoporum, quod ventri dediti essent, & quod splendidioribus vestibus vterentur, illi inprimis Nesteutæ conuenit, qui se inediis macerabat, nec Monachalem habitum vnquam exuebat.* Plausum meretur hæc sententia, quum nihil frequentius in critica ecclesiastica accidat, quam vt homines eiusdem nominis eiusdemque dignitatis confundantur. Imperiti igitur Ioannis Constantinopolitani Patriarchæ nomen huic sermoni præfixum videntes, statim de Chrysostomo cogitarunt, quem Nesteutam siue ieiunatorem duobus fere sæculis iuniorem existimare debebant. Ex hoc errore ortum deinde est, vt τοῦ Χρυσοστόμου, non Νηστευτοῦ, cognomentum præscriberetur. Hinc nouissimus Bibliothecæ Ecclesiasticæ Scriptor, Lud. Blies du Pin, sicut To. I. p. 34. seq. Areopagitæ scripta Hierarchica supposita esse prolixe contendit, ita hunc quoque sermonem non Chrysostomo, sed Ieiunatori Ioanni adscribit. Aut si is forte Schelstratio suspectus videatur, alios audiat duumuiros suæ religionis, qui Ioannem Hierosolymitanum an. 416. defunctum faciunt auctorem. Horum præcipuus est Petrus VVastelius, qui in Vindiciis Ioannis Hierosolymitani lib. II. Sect. IX. Artic. I. non tantum multa eam in rem congerit argumenta, sed Halloixii quoque suffragium allegat, ex epistola d. II. Februarii an. 1641. ad se scripta, quod heic lectu dignum iudico, quia Halloixii Chrysostomum antea venditantis palinodiam continet: *Nam quod postremum in vestris erat de Sermone illo* de Pseudoprophetis, *profiteor Reuerentiam Vestram non tantum me* (non) *inuito, sed etiam lubentissimo, attributuram S. Ioanni Hierosolymitano, quod ipsemet vltro fecissem, si cum illas vitas scriberem, vlla de eodem Sancto succurrisset mihi suspicio, ipsi posse attribui. Tum enim collatis inter se & scriptis & temporibus & aliis eodem spectantibus, demersam, vt opinor, potuissem eruere veritatem. Quod tibi gratulor a Deo reseruatum.* Verum cum istis VVastelii *Vindiciis nihil obstantibus, fere hæc omnia eruditis fabulam sapiant*, vt in Chartophylace monuit Cauius, malim ego Vsserio, quam VVastelio subscribere. Cæterum Ioannes Dallæus, quanquam de vero Auctore sollicitus non fuit, Chrysostomo tamen suppositum tribus argumentis monstrauit, quorum medium a mentione Nestorii & aliorum deinceps hæreticorum desumtum antea latius diduximus, nunc reliqua duo additiuri. Primum in Sauiliana tantum editione, fundari monet Dallæus, non autem in Parisiensi; vnde rogamus Schelstratium, vt Vaticanos Codices consulat, & quomodo ibi legatur, integra fide nos edoceat. Interea Dallæi verba in gratiam Lectorum descri-

describemus: *Ac posterior quidem* (editio Sauiliana) *dum narrat Montanum cum duabus meretricibus* (*Priscam & Maximillam intelligit*) *magno studio fuisse a Paullo Apostolo Pseudoprophetiæ conuictum, osque eius impurum in nomine Iesu Christi obstructum.* Ὁμοίως καὶ τὸν τούτου υἱὸν μᾶλλον δὲ καὶ τοῦ διαβόλου Μοντανὸν τὸν μιαρὸν καὶ ἀκάθαρτον καὶ ἄθεον μετὰ τῶν δύο μοιχαλίδων, σπουδῇ πολλῇ ὁ ἅγιος Ἀπόστολος Παῦλος ἐλέγξας, καὶ ἄθεον ἀποδείξας, καὶ ψευδόχριστον, καὶ ψευδοπροφήτην, ἐφίμωσε, καὶ ἐνέφραξε τὸ μιαρὸν αὐτοῦ στόμα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Hæc tam stulta sunt, tam ab omni historiæ veritate, certissimaque temporum ratione aliena, vt in nullius, nisi imperitissimi & ineptissimi nugatoris mentem venire potuerint; nedum vt Chrysostomo, viro & eruditionis & sapientiæ singularis, hæc monstra excidisse quisquam sanus putet. Nescit scilicet Chrysostomus, quod vel pueri omnes norunt, Paullum Apostolum Martyrium sub Nerone fecisse, annis minimum centum, antequam Montanus cum sua Priscilla & Maximilla exortus esset.* Tertiam denique rationem a charactere dicendi desumtam animose, vt solet, nec sine stimulis acrioribus vrget Dallæus: *Sed præter hoc certissimum argumentum, totius orationis color atque idea negat huius homiliæ patrem fuisse Chrysostomum. Notauerat Fronto Ducæus. Halloixius negat tantam esse stili diuersitatem, quantam facit Fronto. Vtri credemus? Nam vterque Iesuita est. Hoc interest, quod Fronto & candidus, & Græce doctissimus, & in Chrysostomo, quem fere totum edidit & illustrauit, versatissimus; Halloixius rabiosus, neque vlla vel in Græcis litteris, vel in Chrysostomeæ lectione præ eruditorum plebe, excellentia nobilis. Si ergo vel vnum dicentium meritum spectetur, nullum dubium est, quin Frontoni potius credendum sit, quam Halloixio. Sed nobis nihil magnopere opus est Frontonis naso, vel labris. Res per se loquitur. Si quis Chrysostomum vel ex vnguibus nouit, nostrum illum audiat Perronii ac Baronii olorem. Sentiet inter vtrunque tantum esse discriminis, quantum fere est inter simiam, & hominem, inter puerum, & virum. Chrysostomi diues oratio æquabili fluit agmine, aureum verborum flumen maxima cum iucunditate voluens. Hic alter, salebrosus, & ieiunus Sophista, vbique subsultat, neque incedit, sed claudicat; & exclamans interdum pueriliter, frigida & tumida eloquutione nequicquam attollitur; cadit quoties surgit; quæ omnia a diuina Chrysostomeæ orationis felicitate plurimum aliena sunt. Memini equidem, cum olim istam homiliam primum legerem, me subito resiliisse, & vix decursis principiis statim sensisse aliam esse hanc, quam Ioannis vocem.* Hæc prolixius forsan; quam opus erat, persequutus sum, partim vt Schelstratio νοθείαν sermonis Chrysostomo suppositi luculentissime ostenderem, partim vt pateret, quid statuendum sit de Labbei sententia To. 1. de Scriptoribus Eccles. p. 772. *Sed quidquid de ea controuersia sentiendum sit, certum est apud omnes eruditos, eiusdem*

sæculi

sæculi aut supparis ætatis fœtum esse, nec multum inferioris apud æquos iudices auctoritatis.

III. Secundum pro Dionysio argumentum ex Nazianzeno depromit Schelstratius, quem multa ex Areopagiticis scriptis hausisse statuit cum Sirleto, Budæo, Billio & Perronio. Noui quidem, Dallæum cap. XXXII. in contraria versari opinione, quasi auctor Hierarchicorum sua ex Nazianzeno sublegerit: sed magis placent Pearsonii responsiones, quarum nonnullas ex P. I. Vindiciarum Ignatii cap. X. transferre operæ putamus pretium. *Et ego quidem*, inquit, *Dionysium a Gregorio ea minime mutuatum esse credo: quia scriptor ille ab aliis omnibus Ecclesiasticis scriptoribus plane diuersus est, & sui tantum similis. Omnia ferme ad Neotericam Platonistarum scholam conformauit, & a verbis & a notionibus Sanctorum Patrum maxime abhorruit. Quisquis totam Operis eius compagem, admirandam sententiarum ex Philosophia petitarum rotunditatem, & verborum in eadem incude formatorum perpetuam scaturiginem obseruat, nunquam ex Gregorio aut alio quocunque Christiano eum sua hausisse autumabit. Qui autem Nazianzeni Orationes omnibus natiuæ Rhetoricæ coloribus depictas, & optimo dicendi genere præcipue triumphantes legerit, quoties ad obscuriora quædam & magis Philosophica deflectit, facile eum aliunde notiones eas deriuasse, & quam potuit, lucidissime tradidisse fatebitur. Et has quidem nonnunquam ex antiquis Philosophis, sæpius autem ex Dionysio mutuatum esse credimus.* Porro Schelstratius inprimis vrget, quod Nazianzenus *alium quendam ante se* Oratione 38. citans, Dionysium intellexerit. Non tamen dissimulandum est, Eliam Cretensem, Nazianzeni Scholiasten, Athanasium substituere, quocum Albertinus, Dallæus & du Pin faciunt. Ego autem Pearsonio rursus subscribo, cuius paullo post hæc sunt verba: *Sed quo minus hæc de Athanasio intelligam, duo potissimum vetant, tum temporis ratio, tum genus scriptionis. Hunc enim primo Gregorius vocat* τινὰ τῶν πρὸ ἡμῶν, *hoc est*, quendam qui ante ipsum *vixit; quo loquendi genere vti solent Græci scriptores, cum hominem intelligunt antequam ipsi nati sint, aut saltem memoria pollerent, mortuum. Nazianzenus autem maximam vitæ partem cum Athanasio simul consumpsit: has ipsas Orationes Constantinopoli dixisse videtur ante septennium post Athanasii mortem; scripsit autem, cum de festis solennibus agant, forte etiam antequam Athanasius decessit. Qui autem eadem ætate vixit, licet ante eum, qui scribit, & antequam scribat, iam defunctus sit, dici solet Græce* τὶς καθ' ἡμᾶς, *quidam qui nostra ætate vixit, vt ipse loquitur Oratione 36.* &c. *Aliquem igitur Nazianzenus indicat, quem ipse præ ætate non nouit: quod de Athanasio dici non potest. Secundo, illa verba* ὑψηλότατα πεφιλοσόφηται, *indicare videntur aliquem, qui loquutione quadam graui atque sublimi eam rem prosequutus sit: id vero Athanasio nunquam tribuere voluit Nazianzenus, cuius styli simplicitatem ipse optime nouit, cuius oratio-*

nis sub limitatem in Panegyrico nunquam laudauit, quem tantum σοφὸν τὸν λόγον, σοφώτερον τὴν διάνοιαν *dixit. Neutrum igitur Athanasio, ambo Dionysio conueniunt; quem postremis Eusebii temporibus scripsisse nostra fert sententia.* Quanquam igitur libenter largior Schelstratio, Nazianzenum non pauca ex Dionysio vsurpasse, non tamen consequitur, hunc esse Areopagitam, vt videre est apud Pearsonium, qui eandem de ætate huius scriptoris ad quartum sæculum referenda sententiam mecum tenet.

IV. Subnectit Schelstratius alios, qui cum Baronio putent, Athanasium in Dionysii libros incidisse, non addens, quodnam Athanasii scriptum Baronius intellexerit, motus procul dubio verecundia, ne Cardinalis errorem detegere cogeretur, qui Quæstiones ad Antiochum ab omnibus eruditis explosas pro genuino Athanasii fœtu in hac controuersia venditauit, non modo exsibilatus ab Albertino & Dallæo, sed tacite etiam reprehensus à collega suo Bellarmino in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, de ipsis Dionysii Operibus agente. Quamobrem Halloixii saltem clariorem mentionem facit Schelstratius, qui Athanasium in libro de communi essentia Patris, Filii & Spiritus Sancti, ex opere Dionysii de Cœlesti Hierarchia quædam desumsisse putat. Atuero librum istum Athanasii germanum esse probare prius debuerat Halloixius; quem vt spurium aut dubium saltem traducunt Nannius editor, Petauius lib. II. de Angelis cap. V. num. 7. lib. IX. de Incarnatione cap. VI. num. 4. & lib. X. cap. VIII. num. 3. & Natalis Alexander in Synopsi Sæculi IV. pag. 449. vt Cocum, Riuetum, Dorscheum, Bebelium, aliosque ex Protestantibus prætercam. Maxima conuenientia illius libri cum Quæstionibus ad Antiochum, quam Riuetus, Petauius & Alexander obseruant, suspicionem animo meo iniicit, unum & eundem vtriusque auctorem esse. Caue autem existimes, me Athanasium magnum intelligere, quod tantum a veritate abesse iudico, vt potius Athanasium quendam, nostro quadringentis annis iuniorem, cum citata scripta, tum plura alia adornasse credam, quæ ab imperitis consueta nominum confusione magno illi Alexandrino Antistiti supposita sint. Lambecius in omnibus pæne Commentariorum suorum libris de iuniori hoc Athanasio agit, eique præter Historiam de passione Imaginis Christi Berytensi & Quæstiones ad Antiochum, vindicat Orationem de Melchisedech inter notha Athanasii Magni Opera pridem numeratam. Quod si autem propius nosse cupis Athanasium iuniorem, accipe verba Lambecii lib. III. pag. 220. *Athanasius, ad differentiam S. Athanasii Archiepiscopi Alexandrini cognominatus Iunior, primus omnium, tanquam* σύγχρονος *siue coætaneus, mandauit litteris celeberrimum illud Miraculum, quod A.C. 765, sub Constantino Copronymo, cum quæstio de sacrarum Imaginum cultu quam maxime agitaretur, opportunissime contigit Beryti per Christi Saluatoris nostri Imaginem, quæ cum a Iudæis ad imitationem passionis Do-*

-*minicæ*

minica per ludibrium crucifixa esset, verum ex latere suo emisit sanguinem & aquam. De hoc iuniori Athanasio eiusque scriptis alibi latius disquiremus; nunc sufficiat notasse, Halloixium quindecim annorum spatio doctiorem euasisse, quippe cum an. 1633. in primo Scriptorum Ecclesiæ Orientalis Tomo Hierarchica Dionysio Areopagitæ adserens, librum de communi essentia Patris, Filii & Spiritus Sancti, vt Athanasii genuinum citasset, postea in Defensione Origenis Leodii an. 1648. impressa eundem procul abiecit, ac νοθείας aperte postulauit, statimque adstipulatorem nactus est Theophilum Raynaudum in Erotematis de bonis & malis libris, Partitione 1. num. 211. *Librum de communi essentia Patris & Filii, ac Spiritus Sancti, perperam S. Athanasio fuisse suppositum, & erroribus scatere, confirmat Petrus Halloix lib. 4. Origenis defensi quæst. 5. num. 1.* Quare ipsius Halloixii iudicio magnus Athanasius, qui sæculo quarto Alexandrinæ Ecclesiæ præfuit, Dionysii scripta non citauit, quod olim Seuerianis etiam obiecit Hypatius a Schelstratio non longe ab initio huius articuli allegatus, vt proinde idem noster Schelstratius satius duxerit, aliorum tantum mentem exponere. Quod etiam facit in posteriori Clementis Alexandrini testimonio, quando Halloixius contendit, hunc ex Dionysio quædam desumsisse; Dallæus autem contrarium sustinet, iterumque defendit pag. 183. Sed pudet ac piget his Halloixii ineptiis immorari, quæ tum demum verisimilitudine aliqua gauderent, si Clemens diserte indicasset, se vel ex Dionysio vel saltem ex aliquo scriptore ista depromsisse, si forte nomen Dionysii erubuerit, quod tamen incredibile est, cum Hermam, Barnabam, Clementem Romanum, ac similes primitiuæ Ecclesiæ Doctores sæpius laudare soleat. Vt taceam, Albertinum pag. 266. Dallæum cap. xx. & alios sat probabiliter ostendisse, per Clementem Philosophum, cuius ipse Dionysius alicubi meminit, non alium, quam Alexandrinum significari. Vnde etiam suauia Halloixii somnia tantum apud Schelstratiū non valuerunt, vt proprio calculo ea confirmaret.

V. Sed laude maiori dignus foret Schelstratius, si vltimum arietem ab eruditis, Dorscheo, Albertino, Dallæo, Pearsonio, aliisque, toties repulsum deiectumque coniecturis suis fulcire destitisset. Sed quia putauit, a nemine satis expensum, videbimus, quid amplius addiderit. Fateor, a Niceta Colossensi & Maximo Abbate Scholia in Hierarchica Dionysio Alexandrino attribui; sed Nicetam ex Maximo desumsisse vix concedam, quia non sicut Maximus vocat *Alexandriæ Episcopum & Oratorem*, sed nude *Alexandrinum Rhetorem*, forteque Nicetas ipse pro fabula habuit sententiam de Dionysio Alexandrino Episcopo Scholiaste Areopagiticorum, quam Schelstratius tantopere propugnat. Neque Turriano aut Halloixio figmentum istud placuit. Turriani enim iudicium proponit stabilitque Albertinus: *Addo, Maximum deceptum fuisse similitudine nominis, quod & Turrianus notat. Cum enim vidisset commentarios Dionysii Alexandrini*

in Areopagitam, illos esse existimauit Veteris illius Episcopi, qui sub Gallieno obiit. At e libri titulo sibi de fraude cauere poterat. Ait enim, hunc Dionysium ibi Rhetorem dictum fuisse, vt & illum vocant Anastasius Sinaita, & Nicetas Choniates: quo titulo nunquam vetustiores Patres Dionysium Alexandrinum Episcopum indigetarunt. Porro Halloixius miratur, quamobrem Maximus semel tantum scholia illius Dionysii allegarit, ac propterea suspicatur, Dionysium Alexandrinum non in Dionysium Areopagitam, sed in Dionysium Corinthium notas scripsisse. Labbeus quoque a solita audacia multum hoc loco remittit, & in Addendis tomi I. de Scriptoribus Ecclesiasticis pag.765. scribit: *Verum Dionysius ille Rhetor, qui in Areopagitæ opera Commentarios scripsit, cuiusque meminerunt Anastasius Sinaita & Nicetas Choniates, fuisse alius creditur ab Alexandrino Episcopo.* Expressius du Pin Noua Bibliotheca pag.37. *nous ne devons pas croire sur le temoignage d'Anastase, & de Maxime, que Denis d'Alexandrie disciple d'Origenes ait composé des Scholies sur saint Denis l'Areopagite, puisqu' Eusebe, & saint Ierôme, qui ont fait le Catalogue des ouvrages de ce Saint, n'ont fait aucune mention de ces Scholies, il faut donc que ce soit un autre Denis d'Alexandrie, ou que quelque Grec eut supposé sous le nom de Denis d'Alexandrie des Scholies sur les Livres attribuez a Denis l'Areopagite.* Noster Schelstratius nihil quidem reperit, quod Turriano opponeret, quem summo præterit silentio: ad difficultatem vero ab Halloixio motam respondet, Maximum non ex Dionysii Commentariis hausisse, quæ de iis habet, sed ex Anastasio Sinaita, cuius testimonium tanti facit, vt *auro contra æstimandum esse* arbitretur. Sed miror, Schelstratio in mentem non venisse, quam exiguæ fidei sit istud Anastasii opus apud plerosque eruditos, Romanæ etiam communionis. Constat enim, Codices MStos tantopere inter se differre, vt genuinum Anastasii opus cognoscere ἐκ τῶν ἀδυνάτων merito censeatur. Diuersitatem hanc notauit Albertinus pag.893. & 894. cuius verba postquam descripsisset Labbeus, addit pag.717. *Hæc ille satis in plerisque probabiliter, quæ tamen ad seueriorem censuram suo tempore reuocabimus.* Sed quoniam Examen a Labbeo toties promissum in fumum ventosque abiit, subiecisse satis habeo, quæ Oudinus in Supplemento pag.149. adlatis pariter Albertini verbis iudicauit: *Ex quibus constat quantum variant in Bibliothecis MSti Codices sub nomine Anastasii, & quam modicam fidem mereantur.* Præterea Lambecius lib.III. Commentariorum pag. 64.65. Codicem XLVI. Theologicum Græcum Bibliothecæ Cæsareæ *dignissimum esse* ait, qui *diligenter & accurate* cum editione Gretseriana conferatur, & paullo post de Codice 77. agens pag.164.165. notanter scribit: *Differt autem exemplar hoc manuscriptum, tam respectu ordinis, quam ratione variantium lectionum & nonnullorum Additamentorum, non mediocriter cum a iam memorata editione Gretseriana, tum quoque ab altero illo Augustissima Bibliotheca Cæsarea antiquo MSto Exem-*

Exemplari, de quo supra in recensione Codicis XLVIII *facta est mentio. Quamobrem valde necessarium est, vt posterioris huius Exemplaris MSti magna habeatur ratio, si posthac noua eiusdem Operis Anastasiani editio adornanda sit. Interim vero non possum, quin obiter & praeuie significem, Indicem Capitum omnino hic deesse, & quod in editione Gretseriana est Caput tertium, illud hic collocatum esse primo loco, & inscribi atque incipere hoc modo:* Ἀναστασίου τοῦ Σιναΐτου πόνημα περὶ πίστεως ὀρθοδόξου, ἀνθολογηθὲν ἐκ τῶν ἁγίων γραφῶν καὶ διδασκάλων. Προοίμιον περὶ τῆς πραγματείας· Ἀρχὴ τῶν λόγων σου Χριστὲ ἀλήθεια &c. Obseruatu dignissimum est, in Codice hoc summe a Lambecio laudato auctorem simpliciter nominari *Anastasium Sinaitam*, non Antiochenum simul Episcopum, quo verosimilior redditur Albertini sententia, qui alium Anastasium, Antiochenis huius nominis Patriarchis iuniorem, parentem huius Operis esse & intra annum Christi 630. ac 639. scripsisse luculenter probat pag. 894. & pag. 903. 904. Cuius rationes si probe ponderasset Schelstratius, nunquam scripsisset: *Anastasium Sinaitam centum annis ante S. Maximum floruisse*, quos synchronos fuisse ex Albertini demonstrationibus relinquitur, quas cum Labbeus etiam excerpserit, ego haud grauabor in gratiam Lectorum nonnulla describere: *Recenset enim is Auctor nonnulla, quae cum in Alexandria foret, narrata sunt illi a Catholicis Alexandrinis ibidem contigisse, aliquanto ante, quam hoc opus conscriberet: per quae nos ad tempus quod notaui ducere videtur. Nam illi retulerant*, satis diu post tempora Eulogii Alexandrini *fuisse in Alexandria Praefectum quendam Augustalem, Seuerianorum fautorem, qui Veterum libros falsari curaret. Satis longum autem tempus illud, non minus probabiliter assignari potest, quam viginti annorum. At obiit Eulogius anno sexcentesimo octauo, ex omnium confessione. Sed & rursum refert, cum ibidem foret ac quaestio agitaretur de verbis quibusdam Cyrilli sic falsatis & adulteratis, Isidorum quendam Bibliothecae Patriarchae praefectum ac vere Orthodoxum, codicem Cyrilli sincerum protulisse: quod indicium est, Patriarcham tunc adhuc ibi Orthodoxum fuisse. Neque enim verisimile est, Patriarcham Theodosianum & Eutychianum bibliothecae suae praefectum habere voluisse Catholicum virum, qui suorum pudenda reuelaret & confunderet. Videntur ergo haec contigisse paullo ante annum sexcentesimum trigesimum sub Georgio, vltimo huius saeculi Orthodoxo Episcopo Alexandrino. At testatur Auctor se aliquanto post scripsisse. Non autem scribere potuit post annum sexcentesimum quadragesimum. Nam ipsemet narrat, fuisse adhuc in Alexandria praefectos Augustales, cum scriberet, nec vllam mentionem ibidem facit Saracenorum in Aegyptum irruptionis. Scripsit igitur necessario ante annum trigesimum nonum, quo Saraceni Aegyptum oppugnarunt & vi ceperunt, ipsa quoque Alexandria anno quadragesimo primo oppugnata, & praefectis Augustalibus inde in perpetuum expulsis.* Ex quibus sole meridiano clarius liquet, Anastasium

ὁδηγοῦ

ὁδηγȣ̃ scriptorem coæuum fuisse Maximo Abbati, quem an. 662. in decrepita ætate decessisse communis fert sententia. Imo etiamsi concederemus, Anastasium Patriarcham ὁδηγȣ̃ auctorem esse, falsissime tamen Schelstratius adsereret, eum centum annis ante Maximum floruisse. Lambecius enim lib. VII. Commentariorum pag. 169. 170. Anastasii Antiocheni annos ex eiusdem Oratione hactenus inedita & Nicephori Constantinopolitani Chronographia accurate computat, & an. 559. sedem Antiochenam primum obtinuisse, an. 570. ab Imperatore Iustino Iuniore in exilium pulsum, post viginti trium annorum spatium (*non triginta trium*, vt perperam nescio quo casu apud Lambecium tam hoc loco, quam in Indice pag. 308. legitur, quum in Græco diserte habeatur διὰ τριῶν καὶ εἴκοσι χρόνων) sedi suæ restitutum, deinde sex annis elapsis an. 599. obiisse ostendit. Nec difficile est, Maximi annos inuenire, quippe quem *ex Anastasii Bibliothecarii Collectaneis pag. 114. 135. constat An. Dom. 655. annum ætatis suæ egisse septuagesimum quintum*, obseruante Dallæo cap. XI. pag. 68. Itaque Maximus natus est anno circiter 580. magnumque propterea errorem commisit Schelstratius, dum Lectoribus suis persuadere conatur, Anastasium Sinaitam Patriarcham centum annis ante Maximum floruisse, quum tamen Maximus iamtum annos plus minus nouendecim exegerit, antequam Anastasius in viuis esse desiit. Nec minus ex Lambecii Chronologia cum Albertini demonstrationibus collata euincitur, auctorem ὁδηγȣ̃ perperam statui Anastasium Patriarcham, qui tamen septimi sæculi initia non attigit. Quare alius nobis Anastasius quærendus venit, qui post an. 630. scribere potuerit, eodemque tempore monasticam vitam professus fuerit. Reperimus autem Anastasium quendam Monachum, qui ipsius Maximi discipulus fuit, & Epistola contra Monotheletas ad Caralitanos in Sardinia Monachos scripta ac a Sirmondo Combefisioque edita clarus habetur, & *obiit in Lazica an. 662. die 24. Iulii, præueniens ad patriam cœlestem sanctum Magistrum Maximum, qui obiit sequentis Augusti die 13.* vt nuperrime docuit Oudinus in Supplemento p. 181. 182. Quid igitur obstat, quo minus hunc Anastasium ὁδηγὸν scripsisse arbitremur, quemadmodum aduersus eosdem hæreticos, quos in ὁδηγῷ oppugnauit, epistolam adornauit, quando inprimis temporibus characteres ab Albertino consignati exactissime quadrare videntur? Posita hac opinione, cui, vt diximus, & nomen auctoris, & tempus argumentumque libri apprime fauent, non possunt non omnes Schelstratii machinæ in nihilum recidere, quum neutiquam Maximum ex Anastasio, sed Anastasium potius discipulum a præceptore suo Maximo verba controuersa hausisse credibile sit. Quamobrem in vnius Maximi fide scholia ista Dionysii Alexandrini reposita manent, de quo summo iure Dorscheus noster scribit: *Maximus ille est ex sæculo septimo, adeoque de Dionysio Alexandrino & eius scholiis tam falli potuit, quam de ipso Dionysio Areopagita.* Certe qui in præcipua

caussa

caussa decipi se patitur, cum nihil mirum est in minoribus rebus labi. Apposite Dallæus pag.40.41. *Mouerer, si fabulam ex aliquo nobis Eusebio, vel ex eiusdem memoriæ scriptore firmarent; quam nunc ex vno Maximo, septimi iam inclinati sæculi homine, adhuc auidissimo Dionysianorum admiratore repetant.* Iudicent autem peritiores, annon probabile sit, scholiasten Hierarchicorum, quem Magnum Dionysium Alexandrinum Maximus credidit, eundem esse cum Dionysio, ad quem litteras dedit Apollinarius, ipse pro auctore Hierarchicorum librorum a nonnullis habitus? Mentio illius fit in collatione inter Hypatium aliosque Orthodoxos & Seuerianos Constantinopoli habita: *Nam & B. Iulii famosam illam epistolam manifeste Apollinaris ostendimus fuisse scriptam ad Dionysium.* De hac Apollinaris epistola fraudulenter Iulio Episcopo Romano supposita (quam integram Latine edidisse videtur Christianus Lupus inter varias Patrum epistolas ad Ephesinum Concilium cap. ccxxiv. pag.462.463.) pluribus agit Petauius Lib.iv.de Incarnatione cap.vi. num. 9. & 10. Dionysium ita nobis depingens: *Dionysium autem illum, ad quem epistola scribitur, Presbyterum fuisse*, *Anonymus* (collationis contra Seuerianos scriptor) *adserit, quem episcopum Corinthiorum falso, vt opinor, facit Leontius.* Vtcunque sit, Dionysius ille magnam cum Apollinari amicitiam exercuisse, & libris ab eo sub Dionysii Areopagitæ nomine editis scholia, dignum patella operculum, addidisse videri potest. Quæ forsan sub Dionysii Corinthii nomine aliquando vidit Maximus, & Dionysio deinde Alexandrino, facili memoriæ lapsu, adscripsit. Sicuti autem hanc coniecturam nemini obtrudo, ita hoc saltem me obtenturum spero, quod Turrianus etiam, Halloixius & Labbeus pro veriori habuerunt, Dionysium nempe Alexandrinum sæculo tertio Episcopum scholia in Hierarchica non edidisse, & melioribus firmioribusque argumentis Schelstratio opus esse, si suam nobis sententiam persuadere voluerit.

VI. Amplectimur potius argumentum, quod a Veterum silentio duxerunt Hypatius aliique antiquiores, tum recentiores plerique omnes Areopagiticorum impugnatores. Schelstratius, ne pondere eius opprimeretur, callide dissimulauit, quæ Dallæus prioribus septem Operis sui capitibus ex primi æui scriptoribus disputauerat. Et quanquam paullo recentiorem, ac par est, epocham illorum Operum Dallæus fixit, ac proinde Pearsonii emendationes commeruit, erudite tamen solideque euicit, a Patribus trium priorum sæculorum Hierarchica scripta allegari potuisse ac debuisse, siquidem eo tempore exstitissent; quod cum nuspiam fecerint, luculenter consequitur, post illorum ætatem ea demum conficta esse. Verum Schelstratius, vt dicere cœpimus, hæc omnia prætermittens putauit, nos Eusebii saltem, Hieronymi, Sophronii atque Gennadii silentio inniti, Maximique responsiones opposuit. Quibus nihil reddimus, nisi caput vi. libri Dallæani, quo sufficienter diluta sunt, quæcunque vel Maximus, vel alii Areopagiticorum patro-

ni excipere solent. Præterea Schelstratius cramben bis coctam adponit, alteram nempe rationem ex disciplina arcani desumtam, quam in Concilio Antiocheno prius insinuatam nunc amplius incrustauit. Miror autem, quod eam in Dissertatione mea n.XVI. variis instantiis debilitatam videns nihil ad stabiliendam contulerit. Nec firmiora sunt, quæ in Apologia congessit. Vult quippe, opinionem suam *Anastasium Bibliothecarium aliosque annotasse.* At Anastasius Bibliothecarius diuersissimam a Schelstratio rationem dicit occultationis Operum Dionysianorum in epistola ad Carolum Caluum, quæ Operibus Dionysii ab Erigena translatis præponitur: *Præterea notandum est, quod licet tantæ gloriæ tantæque scientiæ siue antiquitatis iste Sanctus Dionysius fuerit, nunquam tamen alia opuscula eum edidisse (nisi fallor) quæcunque Orthodoxorum scripta traditio prodit, priusquam Romani Pontifices (videlicet Gregorius, Martinus, & Agatho) dictorum eius in conscriptis suis mentionem fecerint, & ea per hæc probabilia iudicantes admiserint. Gregorius scilicet in homelia capituli Euangelii de centum ouibus & decem dragmis; Martinus in Synodo sua, quam Romæ contra hæreticos celebrauit; & Agatho in Epistola quam ad sextam Synodum destinauit. Vnde ego veram esse Græcorum opinionem coniicio, perhibentium libros eius a prioribus hæreticis occultatos; donec longo post tempore ex opusculis eius solus codex qui nunc habetur, est Romæ repertus, cæterisque nondum inuentis, in Græciam asportatus. Edidit enim alios, vt ipse innuit, libros; quos nec Græcus quisquam nec adhuc potuit inuenire Latinus.* Descripsi plenius Anastasii verba, vt exinde sententia eius melius possit cognosci; qua Græcorum opinionem probat, & Opera Dionysiana ab hæreticis occultata queritur: Schelstratius autem e diametro ipsi contrariatur, & ab Orthodoxis ex disciplina arcani celata contendit: quare igitur Anastasium nobis opponit? *Alii*, quos nominat, longe magis distant, & gentilium studio Dionysii scripta a Christianorum vsu prohibita volunt; tantum abest, vt Schelstratio patrocinentur, & in Orthodoxorum scriniis recondita fuisse adserant. Ambrosius Camaldulensis, Marsilius Ficinus, aliique, sententiæ huic addicti fuere, vt patet ex Augustini Florentini, Monachi Camaldulensis, Parte priori Historiarum Camaldulensium, libro tertio, vitam istius Ambrosii complectente, cap.XI. pag.348. 349. quando de Latina Areopagiticorum versione ab Ambrosio Camaldulensi adornata agens, *Expressit autem*, inquit, *latinis id opus Ambrosius singulari eloquentiæ puritate, primum Monachus in libro de cœlesti & Ecclesiastica Hierarchia: deinde Generalis in libris de diuinis nominibus & mystica Theologia, & epistolis. Quo tempore cum Germani disertissimi, & reliqui Vltramontani Ambrosii mirandam eruditionem in Concilio Basileensi & Florentino conspicuam haberent, tantum huic lucubrationi tribuere, vt festiue multum exceptum volumen huiusmodi inscriptione decorauerint, & mox imprimendum curauerint. Translatio noua Ambrosii Florentini Philosophi, Rhetoris*

toris & Theologi luculentissimi, Abbatisque generalis Ordinis Camaldulensis. Præterea Ambrosii sententiam post D. Basilium (sicut & de Marsilio Ficino liquet) de furtis Platonicorum vt diffinitiuam admittentes; quæ quidem furta ex libris S. Dionysii quasi propria inuenta extraxerunt testimonia; hoc Operi quoque præmiserunt elogium. Sciendum multos externorum Philosophorum, & maxime Proclum, sententiis Dionysii, imo vero ipsis vocabulis nudis vsos plerunque fuisse. Vnde suspicari possumus ab iis, qui Athenis philosophabantur, libros B. Dionysii (quorum ipse meminit) celatos fuisse: vt quæ inde sumebant, inuenisse ipsi putarentur. Sed diuina prouidentia (his modo libris adinuentis) inanis gloria illorum & malitia patefacta est. . *Hæc Ambrosii scolium:* Notatu apprime dignum iudico, non solum Ambrosium & Marsilium Ficinum ita statuisse, sed Germanos etiam aliosque Cis-Alpinos, qui versionem Ambrosianam imprimi typisque publicis exscribi curarunt: quo pertinet Matthæi Galeni suffragium, præfatione in Hilduini Areopagitica pag. 45. quando aduersus Illyricum disputat, quo sensu Dionysius dicatur Platonicus: *Quanto autem syncerius erat, sublimitatem & elegantiam caussam fecisse similitudinis: quam M. N. & eruditissimi superiores, ac nostræ memoriæ Platonici agnouerunt tantam, vt Platoni ipsi præferre non dubitauerint, in his M. Ficinus, & A. Camaldulensis Orator merito Græcæ eloquentiæ, & librorum istorum diuturnam suppressionem, minoremque quandam familiaritatem Platonicis dudum nominatis tanquam plagiariis, aut compilatoribus adscribere?* Omnes itaque citati docti viri consentiunt, Platonicos Philosophos occultasse Dionysii scripta, vt quæ ex iis hauserant, de suo ingenio dedisse viderentur. Quod quantum repugnet Schelstratianæ hypothesi, nemini ignotum esse potest. Noster enim libros Hierarchicos a Christianis absconditos contendit, ne in Gentilium cæterorumque non-initiatorum manus deuenirent: illi autem contrariam plane viam ineunt, & a Philosophis ethnicis suppressos statuunt, ne Christianorum oculis paterent; quibus concessis non possunt non in fumum ventosque abire, quæcunque ex disciplina arcani pro scriptis Dionysianis, & ex his pro ista Schelstratius commentus est. Nec noua est illa Ambrosii Camaldulensis cæterorumque opinio, sed fundatur in Græco Operum Areopagiticorum prologo, quem Natalis Alexander Dissertatione XXI. sæculi primi pag. 273. putat conscriptum *ab antiquo Auctore, nisi sit S. ipse Maximus.* Dubius quippe est auctor illius præfationis, quæ in Græco ita inscribitur: πρόλογος τοῦ ἁγίου Μαξίμου, ἢ κατά τινας τοῦ Συκοπολίτου. *Prologus sancti Maximi, vel secundum quosdam, Sycopolitani.* Pearsonius recte emendat, intelligitque Ioannem Scythopolitanum, qui circa confinia quinti sextique sæculi vixit, & παραθέσεις in Dionysiana adornasse dicitur. Ego hanc controuersiam non componam, sed verba tantum adferam,

 prout

prout ex Lanſſelii verſione apud Alexandrum leguntur: *Sciendum, aliquos prophanorum philoſophorum, & maxime Proclum, ſæpe vſum ſpeculationibus B. Dionyſii; immo ipſis etiam nudis dictionibus. Vnde ex hoc ſuſpicari licet, antiquiores Athenis Philoſophos, huius Opera ſibi vendicantes, ſicut in præſenti libro admonet, occultaſſe, vt ipſi diuinorum eius librorum auctores ac patres viderentur. Et DEI diſpenſatione tunc præſens opus demonſtratum eſt, ad ipſorum vanitatem & nequitiam redarguendam.* Notent Lectores, quæ in verbis paullo ante citatis pro Ambroſii Camaldulenſis ſcholio habuit Auguſtinus Florentinus, Græco iſti auctori prologi in libros Dionyſianos vendicanda eſſe. Hæc autem ſine vlla tergiuerſatione admittit Alexander, qui Schelſtratio tamen adſtipulatur in origine diſciplinæ arcani adſignanda, non omiſſurus Halloixii opinionem a Schelſtratio palliatam de Areopagiticis apud Chriſtianos occultatis, ſiquidem veritati eam congruere putaſſet: cum autem contrariam plane Veterum amplexus ſit, facile intelligere datur, quid de Halloixiana iudicauerit. Et quid ego multa de Alexandro dico? Schelſtratius ipſe Parte II. Antiquitatis Illuſtratæ num. 267. pag. 403. verba quædam Suidæ citat, nec obſcure probat, alieniſſima profecto ab ea ſententia, quam nunc defendit, quippe ex Græco illo Areopagiticorum prologo aperte deſumta.

VII. Porro Veterum diligentiæ Schelſtratii hypotheſis minime congruere, vel vnico argumento cognoſcere licet, de Angelorum ordinibus; quos tanta cura inquiſiuerunt antiqui Doctores, nec prioribus quinque ſæculis nouenarium numerum cognitum habuerunt. Quam facile autem fuiſſet, ſcripta Dionyſii Areopagitæ conſulere, quæ ex Schelſtratiana ſententia in ſcriniis ſuis ſumma cautione recondebant? Si nomen eius exprimere religioni ſibi duxiſſent, ſaltem *ἀνωνύμως* vt Nazianzenus, allegaſſent, vel rem ipſam tradidiſſent, breuique via ſuæ aliorumque curioſitati ſatisfeciſſent. Certe Dionyſius Petauius exſerte negat, cognita fuiſſe noſtris de angelorum ordine diſputatoribus Areopagitæ Opera, lib. II. de Angelis cap. I. num. 8. *Neque tamen Veterum quiſquam, qui nondum cognitis Dionyſii libris exſtiterunt, ita ordinum iſtorum nomina poſuit, vti certo eos numero complexus ſit; aut vt nouem, quomodo ille, conſtituerit. Sed tam illud in incerto reliquerunt; quam ſingularum proprietates, ac diſcrimina.* Et ne quisquam dubitet, firmo animi propoſito Petauium hæc eſſe eloquutum, paullo poſt eandem ſententiam repetit num. 12. *Nec temere antiquiorem aliquem, quique primis quinque ſæculis vixerit, nouenarium hunc ordinum numerum inuenias: cum nondum exſtarent ſcripta Dionyſii, a quo primum ille proditus eſt. Quos quidem libros ne ipſe quidem Gregorius Papa legerat, qui eos citat. Nam ſic eorum meminit, vt ex aliorum fide referat, quod inde promit.* Quamobrem nemo ſibi perſuaſerit, quod incredibile eſt, Codices Dionyſii in Chriſtianorum ſcriniis, etiamſi rarius adſeruatos,

tos,

tos, nunquam tamen in re tantæ quæstionis & difficultatis euolutos adhibitosque fuiſſe. Præterea obſeruatu dignum eſt, Schelſtratium ipſum contendere, Chryſoſtomum & Gregorium Nazianzenum Dionyſiana in publicis Concionibus allegaſſe, neque inficiari poterit, a Iuuenali Hieroſolymitano, Andrea Cæſarienſi, & Ioanne Scythopolitano ea diligenter lecta eſſe. Hi autem omnes ante extrema quinti ſæculi ſcripſiſſe cenſentur, imo Theodorum Presbyterum parum abeſt, quin ad idem ſæculum reuocet Schelſtratius in Antiquitate Illuſtrata, ſaltem Hypatio antiquiorem dicit, quem Theodorum de Raythu eſſe Pearſonius conijcit. At illo tempore adhuc in Oriente vbique obtinebat diſciplina arcani, quæ tamen nihil prohibere potuit, quo minus & in publicis ſermonibus, & in Commentariis Dionyſium allegarent, & ſcholiis illuſtrarent, & apologiis vindicarent Eccleſiæ. Imo cum eandem diſciplinam adhuc ſexto ſeptimoque ſæculo in Oriente viguiſſe certum ſit, aduerſus eandem peccaſſent Ephræmius Antiochenus, Leontius Maximus, & alii eiusdem ætatis Areopagiticorum encomiaſtæ. Aut ſi licitum id fuerit quarti, quinti, ſexti & ſeptimi ſæculi ſcriptoribus, ſine vllo diſciplinæ eccleſiaſticæ diſpendio, quidni eandem libertatem habuerint ſecundi tertiique ſæculi Doctores? Mera igitur illuſio eſt, qua Schelſtratius diſciplinam arcani prætendit, & fatendum potius haberet, ſicuti recte dicitur, quarto adulto & ſequentibus ſæculis exſtitiſſe ſcripta Hierarchica, eaque a tractatoribus Eccleſiaſticis nihil obſtante arcani diſciplina ſæpiuſcule citari; ita non minus veritati conſentaneum eſſe, ſecundo tertioque ſæculo ea nondum nata fuiſſe, quoniam a nullo illorum temporum ſcriptore in medium producuntur, nihil quidquam prohibente arcani diſciplina. Quamobrem Cardinalis Pallauicinus, etiamſi hoc effugium ab Halloixio excogitatum procul dubio cognitum habuit, tantum tamen abfuit, vt probarit, vt potius non niſi in aduerſis Chriſtianorum primorum fatis cauſſam diuturnæ occultationis quæſiuerit, Lib. XXI. Hiſtoriæ Concilii Tridentini cap. XIII. n. 15. *Quod ſi ante S. Gregorium expreſſa mentio non legitur illius Operis, quid mirum eſt, ſi, cum Chriſtiani, eorumque ſcripta inſectationibus adeo diuexabantur, nec typorum opera conſeruabat, diffundebatque memoriam ſcripturarum, illæ veluti ſemiuiuæ ignotæque plura ſæcula iacuerint, cum compertum nobis ſit, quid Ariſtotelis aliorumque præſtantiſſimorum ſcriptorum Operibus acciderit? Quanto minora veſtigia comperiuntur apud veteres Hiſtoriæ Quinti Curtii? neque tamen ea ſuppoſititius partus exiſtimatur.* Quid de hac Pallauicini ſententia ſtatuendum ſit, prudentiores facile iudicabunt, eamque Rhetorum magis, quam Hiſtoricorum ſcholam ſapere deprehendent. Neque enim ex Chriſtianiſmo exemplum ſimile proferri poteſt vllum, quod ſcriptoris cuiusdam ex æuo Apoſtolico libros tanto ſilentio preſſerint proximarum ætatum Doctores, quanto Opera Hierarchica vrgeri in confeſſo eſt. Multa quidem ex primi ſæculi Doctorum ſcriptis periiſſe negari

Pp 3 nequit,

nequit, eorum tamen memoria adhuc supereſt apud alios ſynchronos ſuppareſque, qui ſummo cæteroquin ſtupendoque ſilentio Dionyſiana premunt. Nec vlla dari poteſt ratio, quamobrem Clementis quidem, Ignatii, Polycarpi epiſtolas celebrent, Hierarchica autem, quæ & magnitudine & rerum pondere illas longe ſuperant, nuſquam commemorent. Neque deſunt, qui Curtii hiſtoriam pro ſuppoſita & ante 300. annos ab ingenioſo quodam Italo confiſta habeant, vti videre eſt ex Guidonis Patini epiſt. 27. Nobis cum Dan. Georg. Morhoſio Polyhiſtoris Literarii L. 1. c. IX. dixiſſe ſufficit: *An ex his argumentis confici paradoxon illud poſſit, Critici viderint.*

VIII. Sed miſſo Pallauicino ad Schelſtratium redeamus, qui *credendum eſſe* pronunciat, Dionyſii Opera ſingulari cauſſa profanis oculis & auribus occultata fuiſſe. Vnde autem fidem ſuam probat? Ex ipſis Dionyſii verbis, inquit. At vbi Dionyſius ſcripta ſua præcipit occultari? Audio quidem mandantem, ne *Sancta Sanctorum enuntientur*, aut non-initiatis prodantur, ſed vt libros eius recondat Timotheus, non reperio: idemque aduerſus Halloixium, quem Schelſtratius ſequitur, obſeruauerat Albertinus pag. 260. Ad eundem modum alii Patres myſteria in vulgus efferenda eſſe negant, neque tamen propterea Opera ſua occultari volunt. Imo Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſes τῶν φωτιζομένων aliis quam competentibus dari non vult, quæ ſane nec eodem nec ſequenti ſæculo vel his vel initiatis ignotæ fuerunt. Etiamſi igitur concedatur, Dionyſium voluiſſe Opera ſua occultari, a fidelibus tamen & doctoribus præſertim Eccleſiaſticis neglecta fuiſſe incredibile eſt. Quorſum faciunt Halloixii verba Not. in cap. XXV. Vitæ Iuſtini pag. 223. *Erant obſcura* (Areopagitica) *& ex compoſito occultabantur; cum id Auctor ipſe efflagitaſſet, nec cuperet niſi cum Epiſcopis communicari.* Hoc autem poſito quæſtio redit, quamobrem totis primis tribus ſæculis nullus ſacrorum Antiſtitum in ſcriptis ſaltem acroamaticis ea citauerit? Vnde patet, fruſtraneum eſſe Schelſtratii καταφύγιον, quantocunque etiam labore fulciatur. Diruto autem fundamento reliqua etiam corruere neceſſum eſt, quæ de Dionyſii Alexandrini ſcholiis repetit, rationi temporum ſimul contradicens, quando Anaſtaſium Sinaitam poſt initium ſexti ſæculi floruiſſe cenſet, quum Patriarcha Antiochenus illius nominis primus iſto demum ſæculo labente præfuerit, ὁδηγοῦ vero auctor adulto demum ſæculo ſeptimo ſcribere potuerit, quemadmodum in ſuperioribus prolixe demonſtrauimus.

ARTI-

ARTICVLVS III.

Cultus imaginum in parietibus depictarum ex hac disciplina vetitus canone 37. Illiberitani Concilii

DAmnatum in Concilio Generali Septimo Iconoclastarum errorem renouauit præterito sæculo Ioannes Caluinus, qui vt cultum imaginum conuelleret, lib. 5. institut. cap. 11. adducit canonem 37. Illiberitanum, quo vetatur, ne picturæ in Ecclesia habeantur. *Placuit, picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.* Antiquissimum est hoc Illiberitanum Concilium, & ante redditam Ecclesiæ pacem ipsis persecutionum temporibus a 19. ex omni Hispania Episcopis, cum 36. Presbyteris celebratum: vnde nouissime Hottingerus, qui in historia Ecclesiastica scripserat, cultum imaginum quarto sæculo non fuisse in Ecclesia, parte prima analectorum in appendice ad dissertationem 8. canonem Illiberitanum supra citatum contra imaginum cultum adducit.

Neque difficultate hic canon carere videbatur Cardinali Baronio, qui, cum de synodo Illiberitana annotasset Tomo 1. ad annum 57. quod Concilium illud in multis esse irritum, constaret ex iis, quæ in eo sinceris Ecclesiæ Catholicæ dogmatibus aduersari videntur: subiungit, id præcipue constare ex canone 36. contra cultum imaginum statuto, quem spurium, & ab vno ex Claudii Taurinensis discipulis suppositum fuisse, suspicatur. Mitius cum illo canone egit Cardinalis Bellarminus lib. 2. de imaginibus Sanctorum, cap. 8. notans, illo canone agi de imaginibus Dei, siue sanctissimæ Trinitatis: Deus enim, & Sanctissima Trinitas propriæ colitur & adoratur. Illius autem imagines olim non fuisse in vsu, fatetur, probari posse ex D. Augustino, Eusebio, Lactantio Firmiano, & Origene, qui vltimus rationem reddit lib. 7. aduersus Celsum, circa finem: *Vt qui Deum incorporeum, & inuisibilem nulla figura circumscribimus.* Rationem hanc vlterius exponit Gabriel Albaspineus Aurelianensis in Gallia Episcopus in commentario ad eumdem hunc canonem 37. Illiberitanum: „In picturis, „ inquit, & tabulis, non vero de signis aut statuis hic agitur, & de picturis quidem, non qui- „ bus Sancti & Martyres, sed quibus Deus ipse ipsaque Trinitas repræsentaretur: illi siqui- „ dem non adorantur. Vetant igitur Deum in parietibus depingi, ne scilicet quem Gentili- „ bus, ac Catechumenis immensum, omnipotentem, inuisibilem, æternum, incomprehensibi- „ lem, spiritualem, corporis & materiæ expertem, & immunem prædicarent, eum ipsi Genti- „ les, & Catechumeni in ipsorum Ecclesiis lineis & coloribus circumscriptum & comprehen- „ sum cernerent. Ne igitur Diuini Numinis Maiestas minueretur, & aliud de Deo depinge- „ retur, quam prædicarent, & quem supra homines extollerent, humana specie depictum „ oculis objicerent, vetant, ne in Ecclesia Dei imagines suspendantur. Hæc ad Sanctorum „ imagines nullatenus pertinent. „

Rationem attingit Albaspineus, quæ vlteriori commentario indiget, vt Patrum Hispanorum menti & sententiæ congruat. Recte notat Vir eruditus, canonem illum statutum fuisse pro Catechumenis potius & Gentilibus, quam pro fidelibus & Catholicis. Catholici enim scientes Deum sub variis olim figuris apparuisse, ex imaginibus Deum sub illis formis repræsentantibus nullam falsam opinionem concepissent. Sed Gentiles, & Catechumeni audientes, Deum a Christianis inuisibilem, & incorporeum prædicari, humana figura depictum videntes, alienum quid ab ejus maiestate concepissent: quinimo ignorantes mysterium Sanctissimæ Trinitatis facile ex picturis illis Patrem in figura senis, Filium in figura Viri, Spiritum Sanctum in figura Columbæ repræsentantibus, in notitiam Summæ Diuinitatis venissent, quam eis occultare studebat Ecclesia. Et hoc est, quod Eminentissimus Cardinalis Bona

Bona lib. I. Rerum Liturgic. cap. 16. voluit, cum scripsit num. 2. canonis sensum *ex more istius sæculi sollicite cauentis, ne Religionis nostræ arcana infidelibus proderentur, æstimandum esse.* Consonat eruditus Mendoza in commentario ad eumdem canonem, *vt vel Christi humanitatem, vel Patris & Spiritus Sancti assumptam formam in parietibus depingi eo tempore Hispani Episcopi interdixerint; qui tunc nefas putarent, abstrusiora Trinitatis mysteria publicari.* Omitto plura, quæ celeberrimus hic Author hac de re adducit antiquorum testimonia. Ex superioribus enim abunde constat, quantum hoc mysterium Atheniensibus occultare studuerit Paulus, & re ipsa occultasse feratur Petrus Apostolorum Princeps & Coryphæus. Adduximus Clementem Alexandrinum, aliosque Patres, qui mori in Ecclesia recepto testimonium perhibuerunt, neque mysterium Sanctissimæ Trinitatis tantum, sed & Sacrosanctæ Eucharistiæ præsertim occultari consueuisse, asseruerunt. Et hæc sunt, quæ Patres Hispani in parietibus depingi vetuerunt, ne id, quod colitur & adoratur, ab irrumpentibus quandoque in Ecclesiam Gentilibus, & admissis quotidie Catechumenis, in parietibus depictum cerneretur, & disciplina arcani eo modo neglecta, sacratiora Religionis Catholicæ mysteria profanarentur, & non initiatorum ludibrio exponerentur. Atque hinc patet, Patres Illiberitanos nihil statuisse contra cultum imaginum, nihil quod Caluinistis fauet, posterorum memoriæ reliquisse.

ANIMADVERSIONES
IN
ARTICULUM III.

I.

QVanquam πόρισμα de imaginum cultu non tam aduersus nos, quam Reformatos direxit Schelstratius, placet nihilominus in eo examinando occupari, quoniam multa continet veritati aduersa, & frustra repetitur ab Antonio Pagi in Critica Annalium Baronii ad An. Christi LV. num. 6. Equidem Canonem Illiberitanum ex disciplina arcani iam exposuerat Schelstratius post Cardinalem Bonam in Notis ad Concilium Antiochenum pag. 201. 202. & præcipue imagines Trinitatis a Patribus Hispanis prohibitas vult, ne gentilibus illud mysterium proderetur. Atenimuero probandum prius ipsi incumbit, Synodi Illiberitanæ tempore eiusmodi imagines Trinitatis pingi consueuisse; neque enim prohiberi potest, quod nondum existit. Certe Petauius lib. XV. de Incarnatione cap. XIII. exempla imaginum ex prima antiquitate studiose conquirens, nullum adferre potuit sæculo quarto cadente vetustius, quo Trinitatis etiam imagines in vsu fuisse doceret ex Paullini Nolani epistola XII. ad Seuerum: nec altius adscendere licuit Rosvveydo in Notis ad Paullinum. Præterea notandum est, inter tot antiquissimas Musiui operis picturas, quas illustris Ciampinus P. I. Veterum Monimentorum Cap. XX. & sequentibus exhibet, quintoque & sexto sæculo elaboratas statuit, ne vnicam quidem occurrere, quæ Trinitatis ideam sistat. Exspectamus igitur a Schel-

Schelstratio antiquiora, qui suam sane interpretationem Canonis Illiberitani nemini prius persuadebit, quam ex indubitatis veterum monumentis monstrauerit, Trinitatis imagines ea ætate pingi consueuisse.

II. Neque monere præterierim imaginem Trinitatis a Schelstratio descriptam longe differre a Paulliniana. Schelstratius enim *Patrem in figura senis, Filium in figura viri, Spiritum Sanctum in figura columbæ repræsentatum* pro more nimirum hodie recepto fingit. Veteribus autem longe aliam fuisse consuetudinem ex Paullini versibus patet, quos variis exemplis illustrauit in Notis Rosvveydus. Nobis Paullinum audiuisse satis est:

Pleno coruscat Trinitas mysterio,
Stat Christus Agno: vox Patris cælo tonat;
Et per columbam Spiritus Sanctus fluit.
Crucem corona lucido cingit globo;
Cui corona sunt corona Apostoli,
Quorum figura est in columbarum choro.
Pia Trinitatis vnitas Christo coit,
Habente & ipsa Trinitate insignia:
Deum reuelat vox paterna & Spiritus.
Sanctam fatentur crux & agnus victimam.

III. Maiori consideratione dignum est, quod Paullinus non dubitauit hanc Trinitatis effigiem in Basilica ponere. Inde quippe necessario consequitur, aut Paullinum grauiter contra Canonem Illiberitanum ipsamque arcani disciplinam sua adhuc ætate receptam peccasse, aut eandem disciplinam nihil obstitisse, quo minus Trinitatis imagines in Ecclesiis erigerentur. Prius non dicet Schelstratius, nisi obliuioni tradiderit, quantæ Sanctitatis vir Paullinus fuerit: posterius igitur inuitus concedat, quod hypothesi eius e diametro contrarium est. Imo commentum Schelstratianum funditus euertit Augustinus a Petauio num. 6. citatus, qui lib. 1. de Consensu Euangelistarum cap. x. diserte innuit, Ecclesiæ imagines a gentilium conspectu non fuisse prohibitas. Etenim de quibusdam gentilibus agens, qui libros nescio quos a Christo scriptos ad Apostolos Petrum & Paullum esse fingebant, cur istos potius elegerint, rationem ita reddit: *Cum enim vellent tale aliquid fingere, Christum scripsisse ad discipulos suos, cogitauerunt ad quos potissimum scribere potuisse facile crederetur, tanquam ad illos, qui ei familiarius adhæsissent; quibus illud quasi secretum digne committeretur: & occurrit eis Petrus & Paullus. Credo quod pluribus locis simul eos cum illo pictos vide-*

runt; quia merita Petri & Paulli etiam propter eundem passionis diem celebrius, & sollemniter Roma commendat. Illustrior est locus Ioannis Thessalonicensis, quem Acta Concilii Nicæni secundi seruarunt, indeque produxit Natalis Alexander Dissertatione XXI. in Historiam Ecclesiasticam sæculi III. pag. 180. In illo quippe Ioannis sermone inducitur gentilis dicens: *Vos ergo in Ecclesiis imagines non pingitis Sanctis vestris, & adoratis illas? Et non solum Sanctis, sed & ipsi Deo vestro? Sic ergo æstima & nos simulacra circumfouentes, non ea adorare, sed incorporales virtutes, quæ per illa placantur.* Non dubito, Episcopum hunc Thessalonicensem quinto sæculo vixisse, quo adhuc vbique florebat arcani disciplina. Etenim *hic est ille Ioannes Archiepiscopus Thessalonicensis, qui laudatur a S. Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano in Antirrheticis, inter eos, qui Chalcedonense Concilium generale quartum, An. Christi 451. celebratum, contra Eutychianos strenue defenderunt,* obseruante Lambecio lib. IV. Commentariorum pag. 444. 445. Vnde patet, quarto & quinto sæculo sartam tectamque mansisse arcani disciplinam, etiamsi gentiles a conspectu sacrarum imaginum non arcerentur. Quomodo autem præcedentium ætatum Doctores aliam viam iniissent, nec credidissent saluam manere disciplinam, nisi imaginum sacrarum notitia Gentilibus & Catechumenis interdicerent? Sed non opus est, vt eo dilabamur, cum prudentiorum hodie Pontificiorum sententia *vix vllus fuerit in Ecclesia imaginum vsus tribus primis Ecclesiæ sæculis*, fatente expresse Alexandro in citata proxime Dissertatione pag. 179. qui paullo ante dixerat: *Primis tribus Ecclesiæ sæculis infrequens admodum erat apud Christianos imaginum vsus; & exceptis calicibus Romanæ Ecclesiæ, in quibus depicta erat parabola Boni Pastoris ouem humeris reportantis, quorum Tertullianus meminit libro de pudicitia, nullum inuenies imaginum vsus in ista Ecclesiæ infantia vestigium.* Nec aliter fere Petauius num. 1. & 2. cuius hæc saltem adnotasse sufficiat: *Quamobrem vti basilicas, siue, vt appellari tandem cœperunt, Ecclesias, & altaria in DEI honorem, ac cultum extruere non dubitarunt, & quidem magnifice ac sumptuose; pace ac libertate reddita: nec pristino illo vsu, & antiquo more, ac magnorum etiam virorum auctoritate deterriti sunt, quo minus ita facerent: sic imagines Christi, atque Sanctorum, quarum nondum hactenus percrebuerat vsus, eodem tempore vsurpauit Ecclesia; cum iam nullum idololatriæ periculum esset; & ad propagandam Christi, ac martyrum, Sanctorumue ceterorum memoriam: & animandos ad pietatis constantiam illorum exemplo fideles vtile id esse videretur. Atque hoc neutiquam omnibus in locis eodem instituto ac tempore constat esse factum: sed alibi citius, alibi tardius, prout nationum captus & indoles erat; & qui illis præerant, expedire*

pedire indicabant. Repetit etiam probatque hæc Petauii verba Pagius in Critica anno citato, num. 4. ac denuo confirmat anno sequenti, num. 3. Neque præterierim, quæ commemorat Ioan. Henricus Heideggerus in Historia Papatus, Periodo VII. num. CCCXXI. *Sed & circa cultum imaginum doctorum in Papatu discordia gliscere cœpit. Ex Iesuitarum officina prodierat liber Maimbourgii, aduersus Iconoclastas, quo imaginum cultum ab antiquitate eiusdem commendare operose sustinuit, pro more grauissime in detrectatores cultus illius inuectus. Ei se Pontificius Doctor haud incelebris opposuit, edito aduersario scripto, in quo passim Maimburgium castigans, solide efficaciterque probat, tribus primis sæculis in Ecclesiis & Proseuchis nullas omnino imagines expositas, nedum cultas esse; quarto sæculo a plurimis adhuc Ecclesiis imagines abfuisse; initio quinti non ad cultum, sed ad ornamentum & memoriam Martyrum erigi hinc inde eas cœpisse; cultum vero earundem serius in Ecclesiam irrepsisse, ac demum in Concilio septimo stabilitum esse. Ceterum liber doctissimus cum rationibus refutari amplius non potuerit, auctoritate, nisi fallor, proscriptus, paucis, quæ in manus nostras inciderunt, exemplaribus exceptis, tenebris damnatus est.* Nolumus nunc istam de imaginibus controuersiam excutere, quam ex Reformatis nuper Fridericus Spanhemius in Historia imaginum restituta disquirendam suscepit; sed monemus tantum, ex illa saniorum Pontificiorum confessione relinqui, tribus primis sæculis non arcani disciplinam, sed imaginum publice nondum receptarum defectum, vsum earundem in Ecclesiis prohibuisse: quanquam vero is quarto & quinto sæculo inualuerit, semper tamen gentilium oculis imagines patuisse, luculenter euincunt, quæ antea diximus.

IV. Hinc clarissime liquet, falsam esse interpretationem Schelstratii, cuius πρῶτον ψεῦδος est, quod mysterium Trinitatis ex arcani disciplina gentibus occultatum statuit; sed contrarium a me Sectione II. abunde monstratum. Nec satis congrue suis hypothesibus eam effinxit Schelstratius. Vult enim cum Mendoza, Patres Illiberitanos prohibuisse quoque humanitatem Christi depingi. At mysterium Incarnationis vbique propalarunt Apostoli, eorumque successores, neque Schelstratius cum Origene id potest diffiteri. Alia itaque ratio fuerit, quæ Patres Illiberitanos ad canonem illum sanciendum compulit, nempe metus idololatriæ, quam Hispanorum multi recens conuersi & cum ethnicis habitantes nondum plane ex animo deposuerant. Quo spectant Petauii verba num. 3. *Cum enim plenis adhuc velis gentilium superstitio ferretur, multa primis illis Ecclesia temporibus, vel non inu-*

tilia per sese, vel etiam commoda supprimi, omittique satius visum est; dum periculum erat, ne offensionis aliquid traheret externa quorundam rituum species, cum iis, quæ ab Ethnicis celebrabantur, similitudine ipsa congruens. Velut ne imagines (Trinitatis) *Christi, atque Sanctorum pro idolis, quibus erant assuefacti, ab rudibus, & imperitis haberentur : & vt eorum animus ab inanium simulacrorum consuetudine ac memoria abstraheretur.* Quamobrem ad prudentum potius συγκατάβασιν a disciplina arcani (vt supra docuimus) longe diuersam pertinuit decretum Illiberitanum, cuius auctores auditorum suorum imbecillitati consulere voluerunt, *vti ne vmbra quidem superstitionis & idololatriæ teneris adhuc, & vt ita dicam, musteis Christianorum animis offensionem afferret*, quæ iterum Petauii verba sunt : idemque agnouit Mendoza ab ipso Schelstratio in Antiquitate Illustrata Parte II. num. 161. pag. 280. allegatur : *Ne vesano ethnicorum errore putarent vel ipsæ gentes, vel Catholici simpliciores, DEUM nostrum verum, æternum, & inuisibilem, vt quid corporeum idolorum stulta imitatione pingi debere aut posse, ideo imagines inuisibilis DEI in Ecclesiis pingi Hispani Episcopi interdixerunt.* Videat Schelstratius, quam egregie cum Mendoza sibi conueniat. Hic enim rationem canonis Illiberitani ad *Catholicos simpliciores* etiam se extensisse diserte fatetur; ille autem *pro Catechumenis potius & Gentilibus, quam pro fidelibus & Catholicis statutum fuisse* contendit. At melior procul dubio est Mendozæ opinio, quam nuper amplexus est Natalis Alexander Dissertatione VI. Sæculi VII. pag. 662. pronunciando, *ex hoc Canone aliud nihil colligi posse, quam sublatum fuisse in Prouincia Bætica imaginum vsum, & cultum actualem ex Ecclesiis, quia partem illam disciplinæ minus expedire Christianis adhuc inter idololatras viuentibus, iudicarunt Illiberitani Patres.* Stante autem Mendozæ iudicio non potest ex disciplina arcani exponi Canon Illiberitanus, quippe quam ad fideles siue baptizatos se non extendisse Schelstratius ipse contendit.

ARTI-

ARTICULUS IV.

Baptismum Constantini ante Nicanum Concilium Romæ a S. Siluestro collatum fuisse, ex disciplina arcani ostenditur.

NOn parua difficultas est, neque recens mota, quæ de tempore & loco, quibus Constantinus baptizatus fuit, etiamnum superest. Eusebius Constantino æqualis libro 4. de eius vita, cap. 61. & sequenti, tradit, eum in fine vitæ Nicomediæ Catechumenum factum, baptizatumque fuisse. Cuius sententiam apud Græcos secuti sunt Socrates lib. 1. cap. 39. Sozomenus lib. 2. cap. 34. & Theodoretus lib. 1. cap. 32. apud Latinos vero D. Ambrosius sermone de obitu Theodosii, & Patres Ariminenses in Synodica apud Hilarium in fragmentis. Alii contra in Vrbe eum baptizatum fuisse a Siluestro Papa, probant ex antiquissimis eiusdem Siluestri Actis, & Constantini baptisterium habent in testimonium, quod etiamnum videre est in Vrbe ad Ædes Lateranas. Traditionem illam confirmant D. Athanasius in vita S. Antonii quarto sæculo, quinto sæculo Seuerus Sulpitius, & magnus Augustinus, sexto Gregorius Turonensis, & Catalogus Romanorum Pontificum tempore Iustiniani Imperatoris conscriptus; & vt uno verbo finiam, omnes fere Scriptores tam Græci, quam Latini, qui a septimo sæculo per 800. an. sequentes de Constantini baptismo egerunt.

Tam difficilis visa semper fuit hæc antiquorum Scriptorum discrepantia, vt Onuphrius Panuinus in Annalibus Ecclesiasticis hactenus ineditis, & in Bibliotheca Vaticana seruatis, maluerit variantium Patrum & Scriptorum sententias adferre, quam de ipsa difficultate opinionem suam proponere; & septingentis ferme ante Onuphrium annis Theophanes Scriptor Græcus ab Anastasio Bibliothecario Latinitate donatus, controuersiam illam, cum ex testimoniis pro vtraque parte stantibus decidi commode nequeat, ex Ecclesiæ disciplina vitæ Constantini comparata soluendam esse iudicarit. Scribit itaque apud Anastasium Bibliothecarium in Chronologia tripartita, Constantinum decimo octauo sui Imperii anno vna cum Crispo eius filio a Siluestro Romæ baptizatum fuisse; idque inter cætera probat ex disciplina arcani tunc temporis vsu recepta. *Si enim, inquit, non erat in Nicana Synodo baptizatus; ergo nec Diuinorum participator mysteriorum, nec orabat cum Sanctis Patribus, quod nequissimum est & dicere, & sentire.* Præclara est hæc Theophanis Historici & Martyris obseruatio, qui ex disciplina Ecclesiæ Constantini vitæ comparata argumentum desumit longe validissimum. Disciplina enim Ecclesiæ arcebat Gentiles & Catechumenos a participatione mysteriorum: eos ab oratione fidelium excludebat: præcipua demum Religionis Catholicæ arcana illis occultabat. Hæc autem, quomodo vitæ Constantini Magni possunt esse consona? Quis dicet, Imperatorem fuisse exclusum ab orationibus fidelium? Quis admittet, tota vita priuatum fuisse participatione mysteriorum? Quis credet, nullum habuisse arcanorum nostræ Religionis dogmatum & rituum notitiam?

Scribit quidem Eusebius lib. 4. cap. 61. de vita Constantini, eum in fine vitæ manuum impositionem accepisse; & posteaquam Catechumenus factus est, Deo gratias egisse, quod tempus baptismi tamdiu a se desiderati aduenisset, quo una cum fidelibus orare, & Sacrorum mysteriorum particeps fieri posset. Sed quomodo hæc vitæ Constantini anteactæ, & ab ipso Eusebio descriptæ consonent, haud videre possum. Affert namque Eusebius libro 4. de vita Constantini, cap. 17. eum in palatio quamdam veluti Ecclesiam Dei constituisse, ac diligentia quidem & alacritate cunctis præiuisse; dominico die cum cæteris orasse; militibus Christianis exercendi se ex more, institutoque Ecclesiæ, tempus atque otium indulsisse; aliis nondum Christianis locum orationis extra campum assignasse, & quomodo orarent, docuisse.

Quæ omnia fideli, & Christiano de mysteriis nostræ Religionis plene instructo conueniunt, non vero Gentili vel Catechumeno ab orationibus fidelium excluso, & arcanorum nostræ Religionis ignaro. Neque id dissimulare potuit Eusebius, quandoquidem in terminis adiungar. Αὐτὸς δ' οἷά τις μέτοχος ἱερῶν ὀργίων. *Ipse*, inquit de Constantino, *Sacrorum mysteriorum particeps fuit*. Quid clarius? quid in rem nostram expressius? Sacrorum enim nostrorum mysteriorum Gentilis particeps esse non potuit. Numerianus Imperator Antiochiæ aliud quid non desiderabat, quam Sacrificio Christianorum, quibus plurimum fauebat, interesse. Sed obstitit Babilas eiusdem Ciuitatis Episcopus, qui maluit trucidari, & sanguine suo nostra Sacra sigillare, quam ipsa prodendo vitam redimere. Egit hac de re Philostorgius in Excerptis apud Photium: & si Numerianum Imperatorem Ecclesia habere maluerit tyrannum, quam ei prodendo mysteria, fautorem & amicum, credendumne est, disciplinam relaxasse pro Constantino, eique Ethnico & Gentili arcana sua prodidisse, & mysteriorum suorum participem effecisse?

Aliud quid refert Eusebius lib. 1. cap. 44. de vita Constantini, eum nimirum frequenter Concilia Episcoporum congregasse, adiungens: *Nec dedignatus adesse & considere in medio illorum conuentu, cognitionis particeps fuit, ea, quæ ad pacem Dei pertinent, cunctis procurans*. Asserit alibi: *Sic in medio Nicæni Concilii consedisse, omniumque, quæ ibidem acta sunt, participem fuisse*: Quæ iterum nec Catechumeno, nec infideli conueniunt. Nam teste Sulpitio Seuero lib. 2. Constantius exclusus fuit a Concilio Mediolanensi non aliam ob causam, quam quod Catechumenus esset; quod nimirum in Conciliis frequens mentio fieret de mysteriis, & arcanis Religionis Catholicæ, quæ non infidelium solum, sed & Catechumenorum oculis & auribus ex disciplina istius temporis occultanda erant. Celebrabantur hujusmodi mysteria a Patribus Nicæni Concilii, & agebatur in eorum congressibus de Religionis nostræ arcanis, vt patet ex ipsis Nicæni Concilii canonibus, vbi de Sacris ordinationibus, de Corporis & Sanguinis Christi communione, aliisque dogmatibus, & ritibus infidelium, & Catechumenorum auribus occultandis quamplurima statuta reperiuntur. Hæc autem quomodo Constantino adhuc Gentili prodidissent Patres Nicæni? Quomodo Constantinus ipse contra Ecclesiæ disciplinam audire & noscere voluisset? Quomodo piissimus Imperator post Tyrium Conciliabulum causæ D. Athanasii sese immiscuisset, qui ab Eusebianis accusabatur de fracto calice & effuso Christi Sanguine, quorum cognitionem adeo certum est Gentilibus, & Catechumenis non competiisse, vt D. Athanasius, tota Ægyptus in synodo Alexandrina, Iulius demum primus cum Italiæ Episcopis vel hac ratione Eusebianos tamquam impios, & nefarios homines coram toto orbe traduxerint, quod coram Gentilibus & Catechumenis de fracto calice, & de profuso Christi Sanguine tractare ausi fuissent. Habes horum omnium testimonia superiori capite a nobis relata, ex quibus hactenus dicta clarius confirmantur, quam vt vlla arte eludi, vlla ratione valeant negari.

Eo ipso tempore, quo superiora typis descripta erant, opportune ad manus meas peruenit disputatio Tentzelii de duplici Baptismo Constantini, in qua ad argumentum ex disciplina arcani pro Baptismo ipsius Romæ suscepto desumptum responsurus, nihil aliud præter verba & voces opposuit: ait namque, *se non immerito mirari, me potuisse hunc iterum mouere scrupulum, quem toties a Theophane, Baronio, horumque pedissequis iniectum, & a suis exemptum noueram*. Verum quid si dicerem ego, quod mirari satis non possim, eum argumento ex antiqua Ecclesiæ disciplina desumpto nihil habuisse, quod opponeret, sed vt vim eiusdem declinaret, nos ad duos recentiores Scriptores remisisse, Henricum scilicet Valesium in Eusebium pag. 251. & 252. & Alexandrum pag. 754. Quoniam vero vltimus priorem imitatus

fuit,

ctit, verbaque sua ex altero fere desumpsit, sufficiet pro Tentzelii refutatione ostendere, Valesium nihil ipsius sententiæ fauere.

Enimuero cum Tentzelius ex suo Schurzfleischio non respondere, sed fontes responsionis potius indicare voluerit, ait *notissimum esse discrimen Catechumenorum in veteri Ecclesia institutum, quo alii rudiores, alii prouectiores in rebus fidei erant.* Priores ait Catechumenos, posteriores Competentes vocatos fuisse, iuxta illud Scholium ad canonem non 25. vti præscribitur, sed quintum Synodi Neocæsariensis apud Harmenopulum in epitome sect. 5. tit. 3. Δύο τῶν Κατηχουμένων ἦσαν τάξεις, ἡ μὲν τῶν γόνυ κλινόντων, ἡ τελειοτέρα ἡ δὲ τῶν ἀκροωμένων, ἡ ἀτελεστέρα. *Duo Catechumenorum erant ordines; vnus eorum, qui genuflectebant, perfectior scilicet; alter imperfectior eorum, qui audiebant.* Et ex his putat solui posse, quidquid difficultatis ex Eusebio mouetur, dicendo Constantinum ab vno ordine ad alterum progressum esse, & ipsum non nisi in fine vitæ per ritum imponendæ manus perfectiorem Catechumenum euasisse, idque voluisse Eusebium libro 4. de vita Constantini, cap. 61. cum scripsit, Imperatorem genuflexum & humi procumbentem, veniam a Deo supplicem poposcisse, & manuum impositionem cum solemni precatione tunc primum meruisse accipere.

Verum quam vana sit Tentzelii obseruatio, nihilque ad Eusebii contradictionem soluendam inseruiat, ostendendum est ex Henrici Valesii notis ad hæc Eusebii verba, cap. 6. lib. 4. Ἔνθα δὴ καὶ πρῶτον τῶν διὰ χειροθεσίας εὐχῶν ἠξιοῦτο. *Ibi vero manuum impositionem cum solemni precatione primum meruit accipere.* „ Id est, inquit Vale-
„ sius, tunc primum factum esse Catechumenum: nam Catechumeni per manus impositio-
„ nem fiebant ab Episcopo. „ Firmare id conatur ex Canonibus 6. Arelatensi, & 39. Illibe-
„ ritano, & pergit: „ De eodem ritu locus est illustris apud Sulpitium Seuerum in Dialogo 2.
„ de miraculis S. Martini, cap. 3. *Postremo cuncti cateruatim ad genua beati Viri ruere cæ-*
„ *perunt, fideliter postulantes, vt eos faceret Christianos. Nec cunctatus, in medio, vt erat,*
„ *campo, cunctos imposita vniuersis manu Catechumenos fecit.* Idem in libro 1. *Nemo fere,*
„ inquit, *ex immani illa multitudine fuit Gentilium, qui non impositione manus desiderata in*
„ *Dominum Iesum relicto impietatis errore crediderit.* Augustinus etiam libro 2. de pecca-
„ torum remissione, cap. 26. *Non uniusmodi est sanctificatio: nam & Catechumenos se-*
„ *cundum quemdam modum suum per signum Crucis & orationem manus impositionis puto*
„ *sanctificari.* Sed & Petrus Chrysologus idem scribit in sermone 52. *Hinc est quod veni-*
„ *ens ex Gentibus, impositione manus & exorcismis ante a Dæmone purgatur, & apertionem*
„ *aurium percipit, vt fidei capere possit auditum.* Sic etiam in sermone 105. *Namque vt in-*
„ *curuus peccatis Gentilis erigatur ad cœlum, prius a Gentili per impositionem manuum ne-*
„ *quam Spiritus effugatur.* His adiungendus est Simeon Metaphrastes, qui in actis Sancto-
„ rum Martyrum Indis & Domnæ ita scribit de Cyrillo Episcopo: *Ille autem cum moderate*
„ *diuinas ei cecinisset Scripturas, & veneranda Christi Cruce eam obsignasset, tunc quidem eam*
„ *facit Catechumenam.* Denique Marcus in libro de vita Porphyrii Gazensium Episcopi:
„ *Die sequenti parentes mulieris & cognati euntes ad B. Porphyrium procidentes ad eius pedes,*
„ *petentes Christi signaculum. Beatus vero, cum eos signasset, & fecisset Catechumenos, dimisit*
„ *illos in pace, præcipiens eis, vt vacarent Sanctæ Ecclesiæ. Et paulo post cum eos Catechesi*
„ *instituisset, baptizauit.* Ex his patet, Catechumenos non aliter, quam per impositionem
„ manus olim in Ecclesia factos fuisse. Cum igitur Constantinus tunc primum manus im-
„ positionem in Ecclesia accepisse dicatur, constat, eum Catechumenum nondum fuisse. „

Hæc Valesius illo ipsomet loco, ad quem nos remisit Tentzelius, qui ex testimo-
niis

niis Sulpitii Seueri, D. Augustini, Petri Chrysologi, Metaphrastis, & Marci cognoscere poterat, Catechumenos imperfectiores per manuum impositionem, & solemnes Ecclesiæ preces fieri consueuisse, & consequenter nihil ad concilianda Eusebii testimonia facere distinctionem Catechumenorum & Competentium. Si enim primum in fine vitæ manuum impositionem cum solemni precatione Constantinus accipere meruisset, vt ait Eusebius lib. 4. cap. 6. quomodo conciliari sibi potest Eusebius lib. 1. cap. 32. vbi Constantinum diu antea Catechumenum effectum esse innuit, iuxta hunc eius capitis titulum: Ὅπως κατηχηθεὶς Κωνσταντῖνος, τὰς θείας γραφὰς ἀνεγίνωσκεν. *Quomodo Constantinus Catechumenus factus Sacras Scripturas legerit.* Qui titulus non solum reperitur in omnibus editionibus, sed etiam in M. SS. Codicibus Græcis, quibus Christophorsonus, & Valesius vsi sunt, vti & in M. SS. Græcis Bibliothecæ Vaticanæ, quorum vnus sane autiquissimus est, & sub num. 149. asseruatur. Neque dubium hac de re moueri potest ex contextu eiusdem capitis, cum ibi Eusebius narret, Constantinum post cœlestis Crucis visionem ad se Sacerdotes accersisse, qui eum de fide Incarnationis Christi instruxerunt, exindeque Diuinorum librorum lectioni Imperatorem vacasse. Quæ sane, vt de Catechesi, siue instructione ab Eusebio scripta sunt, ita de Catechumenatu Constantini intelligenda esse, nemo eruditorum negare potest.

Ex his autem cum maneat, Eusebium sibi contradixisse, non nobis sed Eusebio ipsi subirasci potuit Schurzfleischius, qui in testimonio ad finem disputationis per Tentzelium edito putat, Eusebium nihil de veritate huius rei detrahere potuisse, pro ratione adiungens, „ quod eo tempore historiam condiderit, quo multi erant superstites, qui & Constantinum „ & Costantini acta euentaque omnia familiariter norant reprehensuri Authorem, si tam „ aperte & parum verecunde falsum commemorasset. „ Quasi vero Eusebius in sola de Catechumenatu & Baptismo Constantini historia, & non etiam errasset in aliis, ob quæ Gelasius Papa cum 70. Italiæ Episcopis ante mille & ducentos feræ annos in Synodo Romana historiam Eusebii Pamphyli inter apocrypha reiecit his verbis: *Historia Eusebii Pamphyli apocrypha.*

Non illius sane authoritatis est Eusebius, vt ubi suum dumtaxat in rebus historicis testimonium adfert, oraculi instar habendus sit, multo minus in hac de baptismo Constantini materia, in qua a plerisque Patribus receptus non fuit, cum eo ipso tempore, quo Constantinus florebat, & antequam ad extremum vitæ peruenerat, totus terrarum orbis eum pro Christiano Principe habuerit: patet id ex Ægypto, ad cuius solitudines fama huius veritatis peruenerat, testante magno Alexandrino Patriarcha Athanasio in vita D. Antonii, quod cum Antonius ad litteras Constantini Magni respondere ob humilitatem recusaret: προτραπεὶς δὲ παρὰ τῶν Μοναχῶν, ὅτι Χριστιανοί εἰσιν οἱ Βασιλεῖς, *a Monachis*, inquit Athanasius, *admonitus est, Principes illos Christianos esse.* Idem cum Athanasio memoriæ tradidit Magnus Augustinus, qui cum Italiam perlustrasset, ad Africam reuersus est, & contra Donatistas Constantini Imperatoris pietatem, & iustitiam vrgens, edicta ab illo tamquam Principe Christiano profecta esse asserit epistola 162. & 166. Qua in re Augustino consonat Sulpitius Seuerus, qui in Galliis ad finem quarti, & initium quinti sæculi floruit, & Constantinum diu ante obitum Christianum fuisse, plusquam semel indicauit. Et hi sunt Authores, quos vulgari opinione deceptos non fuisse existimem.

Scio quidem, nomen Christiani latius patere, & ab Orientalibus in Concilio Constantinopolitano contra Macedonium sub Theodosio Imperatore anno 381. habito Catechumenis prioris gradus tributum fuisse, vt patet ex his canonis 7. verbis: *Primo quidem die ipsos Christianos facimus, secundo Catechumenos, deinde tertio exorcizamus. - - Et sic eos catechizamus,*

zamus, siue initiamus, & curamus vt longo tempore versentur in Ecclesia, & audiant Scripturas, & tunc eos baptizamus. Neque ignoro, ab Occidentalibus circa tempora Constantini Magni Christianum nomen canone 39. Illiberitano Confirmatis dumtaxat tributum fuisse, cum eodem statutum reperiatur: *Gentiles si in infirmitate desiderauerint sibi manum imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte vita honesta, placuit eis manum imponi, & fieri Christianos.* Quamuis enim Valesius loco superius citato putauerit, per manus impositionem a Patribus Hispanis intellectam fuisse, quæ Catechumenis adhibetur, Albaspineus tamen, & Mendoza in commentario eiusdem canonis rectius intelligunt eam, quæ post baptismum in administratione Sacramenti Confirmationis conferebatur, & per quam Christianos fieri, Patres Hispani testati sunt. Ex quibus sane colligitur, non vno eodemque modo Christiani nomen acceptum fuisse, cum in Oriente Catechumenis, in Hispania Confirmatis, per totam vero Ecclesiam communiter datum fuerit baptizatis; quo vltimo modo Constantinum apud D. Augustinum, & Sulpitium Seuerum Christianum audiri potuisse, non solum firmatur testimoniis Latinorum Gregorii Turonensis in historiis Francorum, venerabilis Bedæ in Chronico, Hadriani primi epistola ad Constantinum Imperatorem & Irenem eius matrem Elipandi Toletani Episcopi epistola ad Albinum Caroli magni magistrum, Anastasii Bibliothecarii in Pontificali Romano, Hincmari Remensis opusculo 14. ad proceres regni pro institutione Carlomanni, Adonis Viennensis in Chronico ætate 6. Leonis Noni epistola 9. ad Michaelem Imperatorem, aliorumque recentiorum Scriptorum: verum etiam firmatur testimoniis Græcorum Theophanis Abbatis & Martyris in Chronologia tripartita per Anastasium Bibliothecarium ex Græco translata, Ioannis Zonaræ in historia, Georgii Cedreni in historiarum compendio, Michaelis Glycæ in annalibus, Nicephori Callisti in historia Ecclesiastica, & vt alios prætercam, Constantini Manassæ in compendio chronico: qui omnes, Constantinum Romæ baptizatum fuisse, posterorum memoriæ tradiderunt.

Notandum autem omnino est, ex supradictis authoribus Græcis, tres omnino Baptismum a Constantino ante Synodum Nicenam susceptum voluisse, tum ex aliis rationibus, tum præsertim ex disciplina arcani desumptis. Ita enim Theophanes in chronographia testatur, sibi pro vero compertum esse, Constantinum a Siluestro baptizatum fuisse. Εἰ γὰρ οὐκ ἦν βεβαπτισμένος ἐν τῇ κατὰ Νικαίαν Συνόδῳ, λοιπὸν οὐδὲ μετελάμβανε τῶν θείων μυστηρίων, οὐδὲ συνήκετο τοῖς ἁγίοις πατράσιν, ὅπερ ἀτοπώτατόν ἐστι καὶ λέγειν καὶ φρονεῖν. *Nondum enim lustratus si Nicana interfuisset Synodo, sane neque Diuinorum mysteriorum, neque precum a Sanctis Patribus factarum particeps extitisset. Id vero dicere, nedum sentire, iniquissimum est.* Hæc Theophanes, qui Synodo generali 7. interfuit, vbi & Hadriani Primi de baptismo Constantini Romæ suscepto epistola recepta, & actis inserta fuit. Eadem vrget Michael Glycas, qui circa annum 1150. floruit, & parte 4. annalium inter alia habet: Εἴγε καὶ μᾶλλον ἀδυνατον ἦν ἀκοινώνητον εἶναι αὐτὸν ἐν τῇ κατὰ Νικαίαν Συνόδῳ. Πῶς γὰρ ἠδύνατο ἢ συνέχεσθαι, (συνέρχεσθαι) ἢ συλλειτουργεῖν αὐτοῖς, οὕτως ἔχων αὐτός. τὸ λέγειν οὖν καὶ φρονεῖν οὕτω περὶ τοῦ μεγάλου, καὶ λίαν ἐστὶν ἀτοπώτατον. *Immo fieri non potuit, ut Niceno in Concilio baptismi expers ipse foret. Quo enim pacto vel preces vna concipere, vel sacris adesse rebus poterat, nondum baptismi particeps? Quapropter in hunc modum de viro maximo vel loqui, vel sentire, prorsus absurdum fuerit.* Et post Michaelem Glycam Nicephorus Callistus Patriarcha Constantinopolitanus lib. 7. historiæ, cap. 35. Εἰ γὰρ οὔπω τοῦ θείου μετέχε λουτροῦ, συνάγεται μηδ' ἐν τῇ κατὰ Νικαίαν Συνόδῳ συνέρχεσθαι τοῖς πατράσι,

καὶ τῶν θείων μυστηρίων αὐτοῖς κοινωνεῖν. Πῶς δὲ εὐλογίας ἐκείνοις κατηξιῶτο, καὶ κοινῆς μετεῖχε τραπέζης, ὡς ἡ ἱστορία παρέδωκε. *Quod si enim nondum sacri lauacri particeps fuit, consequitur, eum neque in Nicana synodo cum Patribus congressum esse, & cum eis Diuina mysteria non participasse. Quomodo vero aliter benedictione eorum dignus reputatus esset, & communis mensæ particeps fuisset, sicuti historia tradit?* Hæc Authores Græci, qui Constantinum non solum Catechumenum, sed etiam baptizatum fuisse, ex disciplina arcani deducunt: quod scilicet præcipua Religionis nostræ mysteria, quæ coram Constantino discussa, & preces ad diuinum cultum spectantes, ad quas eumdem admissum fuisse indicat Eusebius lib. 4. de vita illius, cap. 56. non solis Gentilibus, sed Catechumenis quoque occultari debuisse, constet ex hactenus dictis.

ANIMADVERSIONES
IN
ARTICULUM IV.

I.

Lubrica sunt fundamenta, quæ ad probandum Baptismum Constantini Romanum denuo inculcat Schelstratius, a me peculiari dissertatione eleuata & disiecta, quam refutare is debuisset, nec otiosa repetitione contentus esse. Etenim fallax antiquitas est Actorum Syluestri & baptisterii Constantini: contra sententiam suam citat Athanasium, Augustinum & Seuerum Sulpitium, quod de postremo in Diatriba citata luculenter docui, de cæteris duobus paullo post euincam. Recentiores nimiumque ab ætate Constantini remoti sunt Gregorius Turonensis, & sequentium sæculorum scriptores, quibus omnibus & antiquitate & numero longe præstant vnius Ariminensis Concilii Patres quadringenti, sincerum pro vnico Constantini Baptismo in fine vitæ suscepto testimonium perhibentes. Neque adeo difficile est, quod putat Schelstratius, controuersiam ex testimoniis pro vtraque parte stantibus decidere, cum nemo dubitet, quin scriptores genuini & coæui præferendi sint suppositiis & iunioribus. Prioris autem generis sunt, qui pro Baptismo Nicomediensi stant; posterioris, qui Romanum commentiuntur; idque haud difficulter largitur Daniel Papebrochius To. v. Actorum Maii, die xxi. Cap. ii. de Constantino Magno num. 14. pag. 16.

II. Quoniam vero disciplinam arcani post Theophanem obuertit Schelstratius, nec sibi a me satisfactum putat, telam istam nunc lubet retexere. Ac primo quidem miror, quamobrem, cum Theophanes duplex tantum argumentum ex disciplina illa deduxerit, Schelstratius triplex velit. Nempe Theophanes disciplinam arcani tantum in ritibus consistere opinatus Constantinum a participatione mysteriorum, i. e. Eucharistiæ, & orationibus fidelium exclusum nollet:

Schel-

Schelstratius autem ad doctrinam quoque pertinere ratus addit, præcipua Religionis Catholicæ arcana Imperatori debuisse occultari; plane contra mentem Theophanis, qui id procul dubio ipse addidisset, nisi melius Schelstratio informatus obiectum illius disciplinæ accurate sciuisset. Nec rationem vitæ Constantini satis perspectam habuit Schelstratius, quam nemo melius, nisi ex ipsius Constantini ore percipiet, cuius verba Eusebius habet lib. IV. cap. LXII. Male igitur quærit Schelstratius: *quis dicet, Imperatorem fuisse exclusum ab orationibus fidelium?* Hoc enim dicit ipse Constantinus, καὶ οὕτως ἐμὲ συναγελάζεσθαι λοιπὸν τῷ τοῦ Θεοῦ λαῷ, καὶ ταῖς εὐχαῖς ὁμοῦ τοῖς πᾶσιν ἐκκλησιάζοντα κοινωνεῖν ἅπαξ ὥρισται, interprete Valesio, *idque semel decretum est, vt in posterum vna cum populo Dei permiscear, & in Ecclesiam adscitus cum reliquis omnibus orationum particeps fiam.* Quid clarius, quid in rem nostram expressius? Constantinus diserte fatetur, se demum imposterum, si Deus vitam ipsi produxerit, orationibus fidelium interfuturum: itaque antea vtpote Catechumenus ab iis exclusus erat. Notandum vero probe est, non ab omnibus fidelium orationibus Catechumenos simpliciter prohibitos, sed ab iis tantum, quæ in Sacramentorum Baptismi & Eucharistiæ participatione receptæ erant, cuiusmodi τρεῖς τῶν πιστῶν εὐχαὶ, *tres fidelium orationes*, quas ante Eucharistiam post Catechumenorum & Pœnitentium discessum fieri præcipit Canon XIX. Laodicenus, & μίαν μὲν τὴν πρώτην, διὰ σιωπῆς. τὴν δὲ δευτέραν καὶ τρίτην, διὰ προσφωνήσεως πληροῦσθαι. *Vnam quidem, scilicet primam, silentio, secundam vero & tertiam pronuntiatione impleri.* Perperam rursus quærit Schelstratius: *quis admittet, tota vita priuatum fuisse participatione mysteriorum?* Admittit enim ipse Imperator, ὥρα καὶ ἡμᾶς ἀπολαῦσαι τῆς ἀθανατοποιοῦ σφραγῖδος. ὥρα τοῦ σωτηρίου σφραγίσματος μεταχεῖν. *Iam tempus est, vt signum illud, quod immortalitatem confert, nos quoque percipiamus; tempus est, vt salutaris signaculi participes fiamus.* Loquitur de Baptismo, quem cum vltimo vitæ tempore demum sibi conferri voluerit, facile patet, præcedentibus annis nunquam ad Eucharistiæ communionem admissum. Propterea Eusebius verbis sequentibus, καὶ τῶν ἀπορρήτων μετεδίδοσαν, innuit, Constantinum Episcopos *sacrorum mysteriorum participem fecisse*, vt Valesius interpretatur; id est, pro more illius æui, statim suscepto Baptismo sacram quoque Cœnam ipsi dedisse. Quo quid clarius, quid in rem nostram expressius? Porro quam verum est, Constantinum arcanorum nostræ Religionis dogmatum notitiam habuisse, tam falsum est, eam vt Catechumeno ipsi contingere non potuisse. Siquidem plurima Veteris Ecclesiæ exempla prostant eorum, qui Baptismum vsque ad finem vitæ distulerunt, arcanas tamen Religionis nostræ doctrinas cognitas optimeque perspectas habuerunt. Vnico contenti erimus, sed maxime illustri, Cæsarii, fratris Gregorii Nazianzeni. Is enim, vt

 Con-

Constantinus, paucis ante obitum diebus baptismi lauacrum suscepit, & in omni tamen doctrinæ genere, tum præcipue Theologia Christiana versatus fuit, adeo, vt illam aduersus Iuliani Apostatæ strophas defenderet, καὶ λόγους πολλάκις καὶ πρὸς πολλοὺς συνεστήσατο, οὐ λογικῶς μόνον, ἀλλὰ καὶ λίαν εὐσεβῶς τε καὶ διαπύρως, *& sermones multos & cum multis haberet, non argutos solum, sed etiam valde pios & ardentes*, quod prolixe in eo laudauit Gregorius frater in Oratione funebri, indeque latius diduxit Petrus Lambecius Lib. IV. Commentariorum, vbi simul Billio respondet, eandem obiectionem Leunclauio occinentem, quam nobis Schelstratius oggerit. Ita enim Billius: *Quis credat, eum, qui paucis duntaxat ante mortem diebus baptizatus fuerit, ante susceptum baptismum de obscurissimis quibusque doctrinæ Christianæ Quæstionibus Volumen conscripsisse?* Reponit Lambecius pag. 46. *Quamuis autem Billius obiiciat, S. Cæsarium paucis duntaxat ante mortem diebus fuisse baptizatum, illud tamen nec studio ipsius Theologico, nec scriptis Theologicis, vllum facit præiudicium. Notissimum enim est, in primitiua Ecclesia valde vsitatam fuisse consuetudinem differendi baptismi in vltimum vitæ tempus, eosque qui moribundi in lecto baptizarentur, peculiari nomine appellatos fuisse Clinicos. Quorum in numero fuit Imp. Constantinus Magnus, quem demum paullo ante mortem, cum iam ægrotus decumberet, baptizatum fuisse, Eusebius & reliqui omnes, qui Vitam eius scripserunt, vno ore testantur. Patris Constantini exemplum sequutus etiam est filius Constantius, quippe qui vt S. Athanasius de Synodis Arimini & Seleuciæ refert,* ἀποθνήσκων ἔδοξε βαπτίζεσθαι, *hoc est moriens voluit baptizari. Sic quoque Imp. Theodosius Magnus, teste S. Ambrosio in Oratione de ipsius obitu, Conciliis & mysteriis Christianorum interfuit, antequam foret baptizatus. Sic S. Martinus, inter Catechumenos constitutus miracula edidit. Sic S. Ambrosius nondum baptizatus in Episcopum Mediolanensem electus, & octauo post Baptismum die ordinatus est. Sic S. Gregorius Nazianzenus, Episcopi filius, & summus deinde baptismi differendi dissuasor, ante virilem ætatem non fuit baptizatus. Sic & S. Augustinus, vt Possidius in Vita ipsius refert, trigesimo demum quarto ætatis anno Mediolani a S. Ambrosio baptizatus est.* Quis autem hos omnes arcanorum Christianæ religionis ignaros dixerit, præsertim Augustinum? Et quis doctrinæ Christianæ rudes pronunciauerit Ambrosium & Nectarium, quorum vterque adhuc Catechumenus Ecclesiasticam cathedram adeptus est, ille quidem Mediolanensem, hic autem Constantinopolitanam? Nempe de his etiam verum est, quod prædicat Augustinus Tract. IV. in Ioannem: *Fit aliquando, vt videas Catechumenum, abstinentem ab omni concubitu, valefacientem sæculo, renunciantem omnibus, quæ possidebat, distribuentem pauperibus, & Catechumenus est: instructus est etiam forte doctrina salutari supra multos Fideles.*

III. Gra-

III. Gratis autem repetit Schelstratius, quæ ex Eusebii lib. IV. de vita Constantini cap. XVII. iam in Antiquitate Illustrata proposuerat, in Dissertatione mea de hoc argumento, Parte posteriori num. 8. discussa. Etenim cum Constantinus statim post visum salutare crucis signum haud perfunctorie de dogmatibus Christianis ab Episcopis informatus fuerit, vt Eusebius lib. I. cap. XXXII. & Sozomenus lib. I. cap. III. adnotarunt, quid mirum, si domi suæ Christum veneratus sit, militibusque tam Christianis, quam gentilibus colendum præscripserit? Obtineret aliquid Schelstratius, si Eusebius Sacramenta in illis Constantini domesticis sacris administrata fuisse diceret, deque iis Constantinum participasse. Vult quidem hunc in sensum detorquere verba Eusebii, initio cap. XXII. *αὐτὸς δ᾽ οἷά τις μέτοχος ἱερῶν ὀργίων*, quod satis mirari nequeo. Maxima enim nec ferenda audacia comparatiuam loquutionem in absolutam peruertit, eamque ad consequentiam manifeste pertinentem antecedentibus iungit. Ac comparatiue quidem Eusebium loqui norunt, qui Græce sciunt, & particulam *οἷα* aduerbialiter positam obseruant. Totus autem verborum nexus ita habet: *Αὐτὸς δ᾽ οἷά τις μέτοχος ἱερῶν ὀργίων, ἐν ἀπορρήτοις εἴσω τοῖς αὐτοῦ βασιλικοῖς ταμείοις, καιροῖς ἑκάστης ἡμέρας ἑαυτὸν ἐγκλείων, μόνος μόνῳ τῷ αὐτοῦ προσωμίλει Θεῷ. ἱκετηρικαῖς τε δεήσεσι γονυπετῶν, κατεδυσώπει ὧν ἐδεῖτο τυχεῖν.* Quæ emendata paullisper Valesiana versione sic reddimus: *Ipse vero tanquam aliquis sacrorum mysteriorum particeps, in intimis palatii sui penetralibus quotidie statis horis sese includens, solus cum solo colloquebatur Deo; & in genua prouolutus, ea quibus opus haberet, supplici voce postulabat.* Vnde quilibet videt, Eusebium nihil aliud velle, quam Constantinum in precibus & soliloquiis cum Deo instituendis tanta fretum fiducia, quanta mysteriorum participes siue initiati vti solebant. Quod in summæ pietatis Imperatore mirum non est, nec baptismo tinctum probat, cum etiam Valentiniani Imperatoris, quem in Catechumenatu obiisse constat, preces laudauerit Ambrosius oratione in obitum eius, nec cum Christi precibus dubitauerit conferre; Citans enim verba Christi in Psalmo: *Ego autem orabam*, statim subiicit: *Bonum scutum oratio, quo omnia aduersarii ignita spicula repelluntur. Orabat ergo Dominus Iesus, & eius imitator Valentinianus orabat. Sed forte dicatur: Quid ei profuit sua oratio? Ecce in primo vitæ occidit cursu. De celeritate mortis non de genere loquor. Non enim accusationis voce vtor, sed doloris. Sed etiam Dominus orabat & crucifixus est. Hoc enim orabat, vt peccatum mundi tolleret. Audiamus ergo quid oret Christi discipulus; vtique quod magister docuit. Docuit autem vt vigilemus & oremus, ne intremus in tentationem, hoc est, ne incidamus in peccatum.* Ecquid ergo est in verbis Eusebii, quod Constantino vt Catechumeno conuenire non possit? Accedit nobis Papebrochius num. 16. *Expendi accurate capita* (Eusebii) *quæ allegantur, omnia, & ex omnibus aliud*

 nihil

nihil potui conficere, quam quod pius Imperator, qui militibus nondum initiatis formam comprecationis communis præscripserat, ad quam diebus Dominicis conuenire deberent in patentes suburbiorum campos; idem in suo palatio (vt legitur lib. 4. cap. 17.) instruxerit ἐκκλησίας Θεῦ τρόπον, *formam aliquam ecclesiæ Dei.* Et descriptis reliquis Eusebii verbis pergit: *Ibi (vt dicitur cap. 21.) statis quotidie temporibus solus cum solo Deo agebat,* οἷά τις μέτοχος ἱερῶν ὀργίων, *velut aliquis qui diuinorum mysteriorum reuera particeps foret, vt mentem auctoris paraphrasticôs reddam. Ibi ergo celebritatem Paschæ agebat, eo quo sequenti capite narratur modo: nusquam autem inuenire est verbum, quo ad sacros ecclesiarum conuentus (quamuis etiam hi, excepto sacrificii tempore, non-initiatos admittebant) ingessisse se intelligatur.* Porro videtur Eusebius in ista sua comparatiua loquutione non tam Christianorum, quam Gentilium mysteria respicere: præterquam enim, quod ὀργίων vocem adhibet, *interdum* quidem, *sed rarius* de Christianorum sacramentis vsurpatam, obseruante Casaubono Exerc. xvi. contra Baronium Diatriba xliii. pag. 395. vt fortassis haud aberrauerit, qui vulgari significatione pro ethnicis sacris acceptam dixerit ab Eusebio, in tali præsertim opere, quo in laudes Constantini diffundebatur, & eiusmodi comparationes haud infrequenter instituebat: sane quod mox de Constantino in festi Paschatis celebratione omnibus præeunte habet, θείας ἱεροφαντίας ἐτελεῖτο, vertitque Valesius, *pontificis atque hierophantæ munere fungebatur*; id nemo nisi ad similitudinem Pontificis Maximi apud Gentiles dictum existimabit, cuius erat, populo in sacris faciendis præire. Ad Pontificis Maximi titulum dignitatemque oculos intendere potuit Eusebius, [quorum utrumque ex gentilismo retinuisse Constantinum antiquæ Inscriptiones docent;] simulque ostendere, quemadmodum Imperator, eiurato licet gentilismo, nihilominus Pontificis Maximi munere rite fungatur in veri Dei cultu instaurando. Quam explicationem ex ipso Eusebio confirmare licet. Primo enim vocabulum *hierophantæ* a Dionysio Halicarnasseo lib. II. Antiquitatum Romanarum, Pontifici Maximo adseritur, nec Christianæ religionis sacerdotibus tributum reperitur, imo a Schelstratio doctrinæ Pontificiæ conscio in proprio sensu Constantino vindicari nequit. Deinde omnia, quæ tam in antecedentibus quam sequentibus capitibus de cura Constantini erga religionem disserit Eusebius, cum munere Pontificis Maximi apud Romanos egregie conueniunt, vt prolixa collatione docere possemus, si opus foret, nec res in solis disco posita esset. Præterea verba Constantini ad Episcopos apud Eusebium cap. xxiv. paullo post locum controuersum exstantia, & in eius confirmationem ab ipso Eusebio adlata, quibus se ἐπίσκοπον τῶν ἐκτὸς τῆς ἐκκλησίας nominauit, ad Pontificis Maximi dignitatem retulerunt Iacobus Gutherius de Officiis

ciis

ciis domus Augustæ lib. I. cap. XXXI. Ioan. Seldenus lib. I. de Synedriis Ebræorum cap. X. & Ioan. Andreas Bosius Exercitatione posteriori de Pontificatu Maximo Imperatorum Romanorum cap. IIX. num. 4. quorum hic optime obseruat, ἐπίσκοπον τῶν ἔξω, *non tam rerum quam hominum, qui extra Ecclesiam sunt, episcopum notare*; id enim ipse Eusebius innuit, mox addens: ἀκόλουθα δ' οὖν τῷ λόγῳ διανοούμενος, τοὺς ἀρχομένους ἅπαντας ἐπεσκόπει, προὔτρεπέ τε ὅσηπερ ἂν ἡ δύναμις τὸν εὐσεβῆ μεταδιώκειν βίον. *Itaque consilia capiens dictis congruentia, omnes Imperio suo subiectos Episcopali sollicitudine gubernabat; & quibuscunque modis poterat, vt veram pietatem consectarentur, incitabat.* Denique sententiæ nostræ adstipulatur Valesius in Annotationibus pag. 243. *Constantinum comparat* (Eusebius) *Antistiti & Hierophantæ. Vnde statim subiicit,* οὕτω μὲν οὖν τῷ ἑαυτοῦ ἱερᾶτο Θεῷ· *Hoc igitur modo ipse Deo suo sacra faciebat: additque Constantinum se pro Episcopo gessisse; idque nomen sibi adsciuisse præsentibus Episcopis.* Ex quibus omnibus conspicitur, Eusebium ibi comparationem cum sacris gentilium instituisse, adeoque vniuersam Schelstratii ratiocinationem frustraneam esse. Magis miror, eum Numeriani factum obiecisse, quod non solum fabulæ propius, sed a Constantini etiam moribus plane alienum est. Quis enim credat, Babylam Numeriano Ecclesiam occlusisse, qui ex Eusebio, Hieronymo ac Epiphanio cognitum habet, eum sub Decio vitam martyrio finiisse? quam in rem plura collegit Iacobus Gothofredus in Dissertationibus ad Philostorgii lib. VII. tmema 8. Porro, vnde habet Schelstratius, Numerianum Christianis plurimum fauisse? vnde nouit, eum tantum desiderasse, vt sacrificio Christianorum interesset? Neutrum quippe dicit Philostorgius, quem vnicum testem allegat: imo Papebrochius ad d. XX. Maii, in Commentario præuio de Thallelæo, num. I. persequutionem Numeriani in Christianos motam pluribus depingit: & quando Philostorgius Numerianum a diabolo actum dicit, facile colligere est, quo animo Ecclesiam intrare voluerit. Nos integrum locum describemus ex editione Valesiana: ἐπίσκοπος ἦν τῆς Ἀντιοχείας ὁ Βαβύλας. Νουμεριανῷ δὲ τῷ ῥωμαίων βασιλεῖ, ἢ ὥς ἔνιοι δεκίῳ φασι, κατά δή τινα δαίμονα γνώμην ἐμπεσεῖν, πληθυούσης τῆς ἐκκλησίας εἰσελθεῖν ἐν αὐτῇ. τὸν δέ γε τοῦ Θεοῦ ἀρχιερέα κατὰ τὰ προπύλαια σταντα τοῦ νεὼ, τὴν εἴσοδον ἀποτειχίζειν, φάσκοντα, ὅσα γε δυνατὸς εἴη, μὴ περιόψεσθαι λύκον τῷ ποιμνίῳ παρεισδυόμενον. *Erat Babylas Episcopus Antiochiæ. Quodam igitur tempore Numerianum Rom. Imperatorem, siue vt alii dicunt, Decium a Dæmone inuecta cupiditas incessit ingrediendi in Ecclesiam Christianorum, cum populus ad eam frequentissimus conuenisset. Verum Sacerdos Dei ad Ecclesiæ vestibulum stans, aditum ei interclusit, asserens, non passurum se, quantum in ipso erat, vt lupus in ouile irreperet.* Quis autem similia de Constantino dixerit, nisi ignorans, eum

iam

iam viso crucis signo religioni Christianæ addictum fuisse? Perperam proinde *Ethnicus & Gentilis* audit Schelstratio, qui sane hactenus nihil attulit, vnde pateat, disciplinam Ecclesiæ in gratiam Constantini laxatam fuisse.

IV. Videbimus, quid porro ex Eusebio congesserit. Obiicit, quod is referat, Constantinum interfuisse Conciliis, præcipue Nicæno; quod nec Catechumeno, nec infideli liceat. Vetus hæc cantilena est eorum, qui pro Baptismo Constantini Romano decertant, sed ab aliis pridem reiecta atque explosa. Quorum nonnulli Theodosii Magni exemplum proferunt, *quem constat interfuisse Conciliis & mysteriis priuilegio Episcoporum, & tamen eundem sub finem vitæ fuisse baptizatum testatur Ambrosius*, obseruante Arnoldo Pontaco in Notis ad Eusebii Chronicon. *Sed hallucinatus est vir eruditus*, iudice Natali Alexandro Dissert. XXII. Sæculi quarti pag. 357. *qui ad Theodosium retulit, quod nusquam de Theodosio, quem multis ante obitum annis baptizatum esse constat, sed de Constantino magno dixit Ambrosius*. Quod omnino verissimum est. Ambrosius enim Theodosium in cœlis dicit adhærere *Constantino, cui baptismatis gratia in vltimis constituto omnia peccata dimiserit*, quique *primus Imperatorum crediderit*. Sed Lambecius haud paullo aliter de Theodosio scribit, cuius verba antea quidem dedimus, nunc tamen facilioris collationis caussa repetemus: *Sic quoque Imp. Theodosius Magnus, teste S. Ambrosio in Oratione de ipsius obitu, Conciliis & mysteriis Christianorum interfuit, antequam foret baptizatus*. Vides, hoc inter Pontacum & Lambecium intercedere discriminis, quod ille quidem ex Ambrosio saltem probare intendit, Theodosium in extremis baptizatum fuisse; hic autem, cum non ignoraret ex Socrate, Sozomeno, & aliis, Theodosium an. 380. ab Ascholio Thessalonicensium Episcopo baptizatum esse, demumque an. 395. obiisse; tum ex Ambrosio confirmare voluit, eum Conciliis & mysteriis Christianorum ante baptismum interfuisse. Huic iungemus Gorgoniam, Gregorii Nazianzeni sororem, quæ paullo ante mortem baptizata est, & mysteriis tamen diuinis interfuit, vt Gregorii ipsius confessione probat Dorscheus noster Exercitatione ad Diatyposin Concilii Nicæni de S. Cœna Sect. II. num. II. quid ergo vetat, quo minus Constantinum Catechumenum Conciliis saltem adfuisse, notitiamque mysteriorum sibi acquisiuisse statuamus? Sed & aliud exemplum præsto est ab Alexandro obseruatum, cui respondere debuisset Schelstratius: *Antiocheno Concilio in templi dedicatione celebrato interesse Constantium adhuc Catechumenum, Episcopi passi sunt. Quidni igitur erga Constantinum tam integræ fidei, tamque insignis pietatis Imperatorem, cui tot nominibus obstricta erat Ecclesia, ea indulgentia vsi sint Antistites, vt Ecclesias ingredi, & in illis preces fundere, licet nondum Catechumenus posset: nec non Conciliis interesse ad fidem & vnitatem Ecclesiæ contra hæreticos & schismaticos protegendam?* Non potest vim huius argumenti eludere Schelstratius,

tius, cum pro Orthodoxia Antiocheni Concilii, cui Constantius interfuit, peculiari volumine pugnauerit, & in eo non solum de fidei mysteriis, sed de plurimis quoque ritibus actum esse contenderit. Quod si autem hæc omnia præsente Constantio Catechumeno disceptari gerique potuerunt, quidni in illis Conciliis idem vsu venerit, quibus Constantinus adsedit? quem sane Catechumenum dicere nihil vetat, quanquam id nolit Alexander, præeunte Valesio, de quo infra videbimus. Verum Schelstratius ex Sulpitio Seuero Constantium a Concilio Mediolanensi exclusum esse refert propter Catechumenatum. At apud Sulpitium alia omnia reperiuntur, cuius verba integra dabimus, vt Lectores facilius iudicare queant. Ita igitur Seuerus Lib. II. cap. XXXIX. *Interea Mediolanum conuenitur, vbi dum aderat Imperator, eadem illa contentio nihil inuicem relaxabat. Tum Eusebius Vercellensium, & Lucifer, a Caralis Sardiniæ, episcopi relegati. Ceterum Dionysius Mediolanensium sacerdos, in Athanasii damnationem se consentire subscripsit, dummodo de fide inter Episcopos quæreretur. Sed Valens & Vrsatius, cæterique, metu plebis, quæ catholicam fidem egregio studio conseruabat, non ausi piacula profiteri, intra palatium congregantur. Illinc epistolam sub Imperatoris nomine emittunt, omni prauitate refertam; eo nimirum consilio, vt si ea æquis auribus populus recepisset, publica auctoritate cupita proferrent. Sin aliter fuisset excepta, omnis inuidia esset in rege, & ipsa venialis: quia etiam tum catechumenus, sacramentum fidei merito videretur potuisse nescire. Igitur lectam in Ecclesia epistolam, populus auersatur. Dionysius, quia non esset assensus, vrbe pellitur: statimque eius in locum episcopus subrogatur. Liberius quoque vrbis Romæ, & Hilarius Pictauorum episcopus, dantur exilio &c.* Hæc paullo plenius descripsi, quoniam ad duo magni momenti porismata cognoscenda nos quasi manu ducunt. Primum est, mala fide Schelstratium explicasse Sulpitii verba, qui nihil sane aliud iis vult innuere, quam Vrsatium & Valentem Constantii nomine confessionem fidei Arianismo plenam emisisse, quæ si populo non placeret, culpa in Constantium caderet, qui vtpote Catechumenus ignorabat Symbolum Baptismi, secundum quod confessiones fidei condi debebant. Nunquam autem Sulpitio in mentem venit, quod ipsi Schelstratius tribuit, quasi Constantius propter Catechumenatum a Concilio fuerit exclusus, quem potius interfuisse iudicisque partes sibi sumsisse ipse haud obscure innuit, si cum aliis scriptoribus contendatur, qui Synodi Mediolanensis mentionem fecerunt. Et hoc secundum est, quod ex Sulpitio deduco, Schelstratio plane contrarium. Etenim si Athanasii epistolam ad solitarios & Theodoreti lib. I. Historiæ Ecclesiasticæ cap. XV. & XVI. consulamus, plurima verba Constantium inter & Episcopos in exilium missos Mediolani mixta deprehendemus, vt nemini dubium esse possit, quin præcipuas partes in Concilio isto tenuerit Constantius. Quæ cum ita se habeant, Constantiusque vtut Catechumenus

ad Concilia fuerit admiſſus, quo quæſo iure Conſtantinum patrem ea de cauſſa excludere voluerint Nicæni Patres? Certe Conſtantinus ipſe in Oratione ad Synodum, prout apud Gelaſium Cyzicenum lib. II. cap. VII. exſtat, ſe adhuc Catechumenum eſſe indicat, quum ait: ἀπὸ τούτων τοιγαροῦν ἐγὼ, ἀδελφοὶ ποθεινότατοι οἰκειοτέρᾳ τινὶ προνοίᾳ καὶ ἐνδόξοις εὐεργεσίαις τοῦ ἀθανάτου καὶ ἡμετέρου Θεοῦ, τολοιπὸν ἐπισημότερος εἶναι τῇ πρὸς αὐτὸν καθαρωτάτῃ πίστει πέποιθα. δεξάσθω τοιγαροῦν με ἡ ἁγιωτάτη σύνοδος τῆς ὑμετέρας ἁγιότητος, καὶ μή μοι τὴν σωφρονεστάτην ἐκκλησίαν, καὶ τῆς ἁγνῆς κοινῆς τε πάντων ἡμῶν μητρὸς τὰς θύρας ἀντιτεθῆναι ἀνάσχησθε. εἰ καὶ τὰ μάλιστα καὶ νῦν ὁ λογισμὸς τῆς ἐμῆς ψυχῆς ἐντελῆ τὴν καθαρότητα τῆς καθολικῆς πίστεως ἐπιζητῶν, τοῦτο ἑαυτῷ γενέσθαι οὐκ οἴεται εἶναι ἄξιον. ὅμως προτρέπει καὶ ὑπομιμνήσκει, καὶ τὸ μέτωπον τῆς οἰκείας αἰδοῦς, πασῶν τῶν καλλίστων ἀρετῶν ἐξενήνοχε σφραγίδα. καὶ τῶν πυλῶν τῆς ἀθανασίας ἤρξατο ἅπτεσθαι, καὶ ταύτας κρούειν. ὅπως καὶ ὑμεῖς τῆς ἡμετέρας ἀδελφότητος εὐθὺς συγχωρῆσαι τὴν ἄνοιαν, καὶ εἰρήνην τῆς καθολικῆς εὔνοιαν πίστεως βλέψαντες. Alphonſus Piſanus vertit: *Poſt hæc igitur, fratres deſideratiſſimi, propinquiore quadam prouidentia, & illuſtribus immortalis Dei noſtri beneficiis inſigniorem, me in poſterum futurum, puriſſima erga ipſum fide ſum perſuaſus. Suſcipiat ergo me, o ſinceriſſimum Concilium Sanctitatis Veſtræ, nec mihi ſanctiſſimam eccleſiam, & communis omnium noſtrum, caſtæque matris portas opponi ſuſtineatis. Quamuis enim nunc potiſſimum animi mei ratio perfectam Catholicæ Fidei puritatem inueſtigans, hoc ſibi fieri dignum non eſſe arbitratur, ſuadet tamen, atque admonet. Et propriæ quidem verecundiæ frons omnium pulcherrimarum virtutum ſigillum extulit, portasque immortalitatis cœpit contingere, ipſasque pulſare. Vt & vos cœpiſtis noſtræ fraternitatis imprudentiæ veniam dare, pacem fidei Catholicæ reſpicientes.* Quæ omnia optime de Catechumeno, minime autem de baptizato ſacrisque myſteriis initiato dici poſſunt, vt mirum ſit, quo animo Baronius fundamentum ex hac Oratione pro Baptiſmo Conſtantini Romano ſtruere laborat. Quis enim initiatorum timeret, ſibi fores eccleſiæ occludi, quam impune ingredi poteſt; aut ſe demum veram fidei puritatem inueſtigare diceret, quam noſſe iamtum debebat? Itaque Conſtantini rurſus ipſius teſtimonio liquet, eum adhuc Catechumenum Concilio Nicæno adfuiſſe. Quam in rem Papebrochius num. 17. *Quod autem ad Nicæni concilii conuentus pertinet, ad quos etiam gentiles Philoſophos admiſſos nouimus, cur a fundendis ſecum ibi precibus eum excluſiſſent Patres, qui eis & hanc conueniendi facultatem, & ferendæ ſententiæ libertatem faciebat, ſuoque etiam zelo ad fidem ſtabiliendam præibat?* Pontacus in Notis ad Chronicon Euſebii allegat hiſtoriam *Conſtantii celebrantis Concilia non in Eccleſia, ſed in palatio, vt narrat Seuerus lib. 2. quia adhuc vt Catechumenus non poterat intereſſe illis, quæ fiebant in Eccleſia & inter ſacra.*

Atqui

Atqui etiam Nicænum Concilium in palatio habitum esse Sozomenus, Theodoretus, Nicephorus aliique prodiderunt; nec desunt, qui Eusebium lib. III. de vita Constantini cap.x. idem adserere volunt, vbi Valesii Annotationes consulas. Porro Acta Concilii Nicæni perpendentes aliter in dogmatum, aliter in rituũ tractatione Constantinum sese gessisse reperimus. Cum enim disciplina arcani circa dogmata non versaretur, Imperator, Catechumenus quidem, sed in fide satis informatus, ab eorum tractatione exclusus non est, disceptationesque Episcoporum audiuit & diiudicauit, vt non solum Eusebius, sed etiam Gelasius lib. II. Cap. VIII. retulit: ἐπὶ πολλὰς δὲ ἡμέρας, οὐ μὴν δ' ἀλλὰ καὶ καιροὺς ἐφεξῆς συνερχόμενος τοῖς ἐπισκόποις ὁ βασιλεὺς, ἅμα αὐτοῖς τὰ περὶ τῆς πίστεως διελάμβανε. τὰς δὲ διαφόρους αὐτῶν γνώμας ἀνελέγετο. *Per plures postea dies, imo vero & per menses plures cum episcopis in vnum locum conueniebat, & vna cum iis de fide disceptabat, atque diuersas eorum sententias supputabat.* Quoniam vero eadem arcani disciplina a notitia rituum Sacramentalium Catechumenos excludebat, prudentissimus Imperator vniuersam de ceremoniis ordinationem Episcopis reliquit. Hæc faciunt verba Gelasii lib. II. cap. XXIX. καὶ περὶ τῶν καθ' ἕκαστον ἐκκλησιαστικῶν διατυπώσεων καὶ Κανόνων ἐγγράφως ἐκθεῖναι τοὺς ἐπισκόπους παρεγγυᾷ. *Denique Episcopos vt de Ecclesiasticis constitutionibus & canonibus scriptum ederent, hortatus est.* Videri poterant hæc ipsius Eusebii verba esse, vt accepit Interpres Gelasii Latinus, quia ex lib. III. de vita Constantini hactenus quædam Gelasius descripserat. Sed in vulgatis Eusebii codicibus non occurrunt cap. XIV. citati libri, vbi exstare debebant. Notandum quoque epiphonema Gelasii, quod prolatis Canonibus Concilii subiicit: Τούτους τοὺς εἴκοσι νόμους τὸ αὐτὸ ἅγιον αὐτῶν συνέδριον ἐπὶ παρουσίᾳ τοῦ θεοφιλεστάτου καὶ πανευφήμου βασιλέως Κωνσταντίνου, περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς πολιτείας ἐγράψαντο. *Has viginti leges sanctus ille Episcoporum consessus in præsentia Deo charissimi & celeberrimi Imperatoris Constantini, de administratione Ecclesiastica scripserunt.* Constantinus igitur vtpote Catechumenus solis episcopis permisit constitutiones de ritibus, illi autem hortante & præsente Imperatore negotium confecerunt, adeoque circa Ecclesiæ disciplinam dispensarunt, concedendo ipsi notitiam Symbolorum & rituum Sacramentalium. Neque tamen vel soli, vel frustra indulserunt. Non soli; nam & aliis eadem ætate hæc libertas data est, vt exemplo Constantii & Gorgoniæ docuimus: Siquidem & hi paullo ante obitum baptizati sunt, ille tamen Conciliis, hæc mysteriis nemine impediente interfuerunt. Quod igitur ad hæc exempla responderit Schelstratius, idem sibi a nobis habeat responsum. Nec frustra priuilegium istud Constantino Episcopi concesserunt, qui primus Imperatorum crediderat, neque rigore illo disciplinæ tractandus erat, ne a salubri principio desisteret. Imo nec inuito adeo Schelstratio hæc adserimus, quippe qui me *er-*

rence supponere scribit, *disciplinam arcani omni tempore & casu æque obligasse, nullamque rationem dari potuisse, ob quam Catholici a reticentiæ disciplina excusarentur.* Caueat ergo, ne ipse in eundem incurrat errorem, quando pro Constantino laxatam disciplinam negat, & contradictionis reus efficiatur, quam in eo supra notaui Sect. IV. num. 1. Melius Alexander, etiamsi sententiam Schelstratii de Apostolica disciplinæ arcani antiquitate defendit, hanc tamen Episcoporum erga Constantinum *dispensationem ac indulgentiam* laudat & comprobat.

V. Progreditur Schelstratius ad Diatribam meam de duplici Constantini Baptismo, sed adeo leuiter eam tangit, vt ne perlegisse quidem videatur. Hoc enim si fecisset, facile obseruasset, me non *verba & voces*, sed rationum exemplorumque pondera opposuisse, & ex Constantii ac Valentiniani nondum baptizatorum edictis ad res Ecclesiæ ordinandas datis probasse, Constantinum summo iure ante baptismum idem facere potuisse. Hæc quia soluere non poterat, dissimulat Schelstratius, non minus ac ea, quæ *a Nostratibus* obiecta dixeram, ipsique cognita esse putaueram. Addidi etiam, Valesium Alexandrum scrupulos Baronianos ex Eusebio motos amouisse, vt ex suis etiam esse cognosceret Schelstratius, cum quibus transigere prius debeat, quam nobis negotium se facturum crederet. Quid ad hæc ille? *Sufficere* putat *pro Tentzelii refutatione ostendere, Valesium nihil ipsius sententiæ fauere*, quem Alexander imitatus sit, & fere exscripserit. Sed habet etiam Alexander, quæ Valesius non habet, Schelstratio autem multum aduersantur; quanquam noster omittit, quæ Valesius & Alexander pro defendendo Eusebio contulerunt, ea autem inculcat, quæ meæ sententiæ videbantur apud Valesium contrariari. At sufficit, quod in eo mihi cum Valesio conueniat, quæcunque Eusebius Constantino tribuit, non arguere hominem baptizatum. Nec satis caussæ habuit Schelstratius Valesium mihi opponendi, qui Catechumeni vocem pro iis, qui in perfectiori gradu, τῶν γόνυ κλινόντων, versabantur, accipere potuit, vti sane accipitur Can. 19. Concilii Laodiceni, quo εὐχὴ τῶν κατηχουμένων memoratur, non alia, quam Constantinus in martyrio siue Ecclesia Helenopolitana didicit, & Eusebius pluratiuo numero vocat τὰς διὰ χειροθεσίας εὐχάς, eaque forsan occurrit lib. VII. Constitutionum Apostolicarum cap. 39. vel L. IIX. c. 5. 6. Nec alium sensum requirunt testimonia Veterum pleraque omnia a Valesio producta, quum homines vel statim baptizatos vel baptismo saltem proximos respiciant, vt conferenti patebit. Quamobrem non licet ea cum Schelstratio de imperfectioribus Catechumenis exponere, quibus longo vsu multaque probatione opus erat, antequam ad Baptismum admitterentur. Latiori autem significatu Catechumeni vocem sumsit, qui lemmata capitibus librorum Eusebii de vita Constantini præfixit,

fixit, & Imperatorem in numerum τῶν ἀκροωμένων adſcriptum eſſe innuit; ſiquidem abſurdum foret cogitare, ſanctiſsimos epiſcopos, qui explicationem Chriſtianorum dogmatum ipſi tradebant, perfectiori ſtatim claſsi hominem vix a Gentiliſmo conuerſum inſeruiſſe.

VI. Ex quibus omnibus ſufficienter patet, nullius contradictionis reum eſſe Euſebium, ſed eundem recte defendi a Clariſsimo Schurzfleiſchio, cui tanquam fortiſsimo Euſebii patrono ampliorem defenſionem, quam in *Elogio Euſebii* publicæ luci daturus eſt, libenter committimus. Non poſſumus tamen, quin Papebrochii verba inculcemus num. 11. *Scio equidem Euſebium, non ſolum ante Nicænam Synodum, ſed etiam poſtquam huic ſubſcribendo conſenſit, aut conſenſiſſe ſimulauit, ita fauiſſe Arianis, vt inter eorum Duces haud immerito numeretur, quidquid eundem excuſet Valeſius: ſcio multam magnamque laudem Conſtantino addere potuiſſe, integre ſincereque narrando, quæ contra Arianorum perfidiam proque Nicæna profeſsione egit, adeoque nec panegyriſtæ officio plene perfunctum. Sed ſi cauit, ne Operi de Vita Conſtantini ea inſereret, quæ Conſtantino Imperatori Ariano Euſebioque Nicomedienſi & ſequacibus eius diſplicitura nouerat; ex aduerſo tamen nihilo minori ſtudio videtur cauiſſe, ne ad eorum gratiam quidquam ſcriberet, quod falſitatis poſſet redargui. Hoc enim niſi voluiſſet cauere, obſecro te, quam multa alia ex eorum mente ſcribere potuiſſet de cauſſa S. Athanaſii, quæ adſirmari ac vulgo credi infinities pluris intererat Imperatoris totiusque factionis Arianæ, quam quæ ſcripſit de baptiſmo Conſtantini, ad ſummam rei, quæ ab illis ſtudiis ardentiſsimis agebatur, parum aut nihil facientia? Vt autem fingere voluiſſet, qui potuit in re geſta coram tanta Curialium multitudine, non vnius horæ momento, ſed plurium dierum vel etiam hebdomadarum decurſu? An multus in toto numero Epiſcoporum, Conſtantini in Perſas mouentis caſtra ſequentium, fuit ſincere orthodoxus, qui technam Euſebianorum (nec enim illi tum ſe adhuc gerebant pro Arianis, ſed Nicænam fidem tenere ſimulantes ſolum ſuadebant ὁμοϑσίϑ appellatione abſtinere) an nullus, inquam, in tanto numero fuiſſet inuentus, qui turpiſsimum mendacium palam faceret; & hiſtoricum, ei poſtea ſubſcribere auſum, omni fide pronuntiaret indignum?* Vides, Papebrochium ex eodem fonte hauſiſſe argumenta, vnde Schurzfleiſchius in epiſtola ad me perſcripta ſumſerat. Ego itaque de conſenſu tantorum virorum gauiſi reſponſiones Schelſtratianas luſtrabo. Primo ait, Euſebium in aliis etiam erraſſe, & propterea Hiſtoriam eius a Gelaſio inter Apocrypha relatam. Mittamus nunc controuerſiam de dubio Gelaſii decreto; concedamus quoque, Euſebium in aliis, tam dogmaticis, quam hiſtoricis, erraſſe: nunquam tamen adeo perfrictæ frontis fuit Euſebius, vt res ſua ætate geſtas, & quibus ipſe plerumque interfuit, aliter ac contigerunt, effingeret; quapropter etiam Gelaſius Hiſtoriam eius, non autem libros de vita Conſtan-

 tini

tini Apocryphis accensuit. Deinde gratis dicit Schelstratius, Eusebium a plerisque Patribus receptum non fuisse; quum ex præcipuis ac genuinis quarti quintique sæculi nullum facile reperias, qui cum Eusebio hac parte non fecerit. De Athanasio diximus in Dissertatione nostra, Lambeciique suffragium addidimus, statuentis, eum de Baptismo Constantini in fine vitæ suscepto cum Eusebio sentire. Schelstratius tamen ab Eusebio discessisse contendit, quoniam in vita Antonii Constantinum *Christianum* appellet. At vero ne dicam, a multis eruditis haud spernendo argumentorum robore γνησιότητα huius operis, prout hodie circumfertur, impugnari: certe istud minime sufficere ratiocinium quilibet fatebitur, qui integrum Athanasii locum perlegens animaduerterit, Christianos quoque appellari Constantium & Constantem, quorum illum pariter morientem demum baptizari voluisse idem Athanasius refert, in epistola de Synodis Arimini & Seleuciæ: hic autem, quo præcise tempore baptizatus sit, non memini legere; non longe tamen ante, quam a Magnentio interficeretur, salutari lauacro initiatū ex Athanasii ad Constantium Apologia mihi videor colligere: οὔτε τὴν δοθεῖσαν χάριν τῷ μακαρίτῃ διὰ τοῦ βαπτίσματος πεφόβηται. *nihil gratiam beato tuo fratri in baptismate donatam* (Magnentius) *respexit.* Quibus verbis Constantem gratia baptismi per peccatum non excidisse, adeoque paullo ante mortem tinctum innuit. In eadem sententia fuit Petrus Nannius, interpres Athanasii Latinus, quando epistolam Synodi Ariminensis apud Athanasium de Constantino agentem ad Constantem traxit, & quum Patres illius Concilii fidem Nicænam a Constantino in extremis baptizato promulgatam dicerent, verba eorum ita transtulit: *iniquum esse, quum Imperator Constans ab obitu suo dignus omni memoria, hanc fidem omni cura & diligentia conscriptam promulgarit, tum demum ex quo ille baptizatus ex hominibus in requiem sibi debitam translatus est, aliquid noui in ea fide moliri velle.* Quod Nannii παρόραμα *socordiam* vocat Papebrochius num. 13. eumque miratur non consideraSse, Constanti *parum congruere verba Synodi, qui violenta morte sublatus fuit, & fortassis diu ante baptizatus.* Quam incertum vero est tempus, quo Constans baptizatus est, tam certo id liquet de Constantio. Sicut igitur absurditatem non exiguam committeret, qui Constantium diu ante obitum baptizatum, exinde concluderet, quoniam a Monachis coram Antonio appellatur Christianus: ita eadem aberret chorda necessum est, qui de Constantino similiter ratiocinari cum Schelstratio voluerit. Verba enim Athanasii tam ad patrem, quam ad filios æque pertinent, claraque sunt: ἔφθασε δὲ καὶ μέχρι βασιλέων ἡ περὶ Ἀντωνίου φήμη· ταῦτα γὰρ μαθόντες Κωνσταντῖνος ὁ Αὔγουστος, καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ Κωνστάντιος καὶ Κώνστας οἱ Αὔγουστοι, ἔγραφον αὐτῷ ὡς πατρί, καὶ ηὔχοντο λαμβάνειν ἀντίγραμμα παρ' αὐτοῦ. ἀλλ' οὔτε τὰ γράμματα περὶ πολλοῦ τινος ἐποιεῖτο, οὔτε περὶ ταῖς ἐπιστολαῖς

ἐγε-

ἐγεγήθει. ὁ αὐτὸς δὲ ἦν, οἷος καὶ πρὸ τοῦ γράφειν αὐτῷ βασιλέας· ὅτε δὲ ἐκομίζετο αὐτῷ τὰ γράμματα, ἐκάλει τοὺς μοναχοὺς, καὶ ἔλεγε· Μὴ θαυμάζετε, εἰ γράφει βασιλεὺς πρὸς ἡμᾶς, ἄνθρωπος γάρ ἐστιν· ἀλλὰ μᾶλλον, ὅτι ὁ θεὸς τὸν νόμον ἀνθρώποις ἔγραψε, καὶ διὰ τοῦ ἰδίου υἱοῦ λελάληκεν ἡμῖν. ἐβούλετο οὖν μὴ δέχεσθαι τὰς ἐπιστολὰς, λέγων, οὐκ εἰδέναι πρὸς τὰ τοιαῦτα ἀντιγράφειν. προτραπεὶς δὲ παρὰ τῶν μοναχῶν, ὅτι χριστιανοί εἰσιν οἱ βασιλεῖς καὶ ἵνα μὴ ὡς προρριφέντες σκανδαλισθῶσιν· ἐπέτρεπεν ἀναγινώσκεσθαι· καὶ ἀντέγραφεν. *Fama porro de Antonio ad aures Regum vsque peruenit. His enim cognitis Constantinus Augustus, eiusque filii Constantius & Constans Augusti, illi tanquam parenti scripserunt, & responsum accipere ab illo exoptarunt. Verum neque litteras ita faciebat magni, neque epistolis delectabatur: eratque idem, qui antequam Reges litteras ad ipsum darent. Quæ cum ei afferrentur, accersitis monachis, ne miremini, inquit, si Rex ad me scribat; homo enim est: sed potius, Deum hominibus legem scripsisse, & per filium nobiscum esse loquutum. Nolebat ergo recipere litteras; quod iis respondere nesciret. A monachis autem admonitus, Christianos illos esse, ne tanquam spreti offenderentur: legi permisit: rescripsitque.* Tempus, quo ad Antonium scripsit Constantinus cum filiis, colligi potest ex titulo *Augusti* filiis eius tributo: qui hoc loco Cæsaris dignitatem illis collatam designat. Constans autem leuatus est VIII. Kal. Ianuar. an. 333. vt ex Idatii fastis liquet, adeoque octo & amplius annis post Synodum Nicænam. Quemadmodum itaque non sequitur, Constantium eo tempore baptizatum fuisse, licet monachis Christianus audiat: sic ex eadem denominatione probari nequit, Constantinum tempore Nicæni Concilii Sacramentis initiatum fuisse. Vt adeo nihil in Athanasio præsidii relinquatur Schelstratio, qui non minus vano labore Augustinum ad partes suas trahere conatur. Etenim is epistola 166. eodem modo quo Athanasius Constantino patri filios iungit: *Hunc imitati filii eius talia præceperunt:* imo Valentiniani meminit, quem ante baptismum decessisse constat: *Deinde Valentinianus, legite, quæ contra vos iusserit.* Et hos tamen omnes cum Gratiano & Theodosio intelligit, quando ait: *Quid ergo de filiis Theodosii miramini, quasi aliud in hac caussa sequi debuerint, quam Constantini iudicium per tot Christianos imperatores firmissime custoditum?* Paulloque post Donatistas reprehendit, quod *tam impudenter de iussionibus Christianorum imperatorum faciant inuidiam, cum si vobis* (inquit) *liceret, non quidem iam Constantinum Christianum, quia veritati fauit, contra nos appellaretis, sed apostatam Iulianum ab inferis excitaretis.* Præterea Schelstratius seipsum refutat, quando edicta Constantini contra Donatistas ab Augustino intelligi fatetur. Pleraque enim eorum superstite adhuc Melchiade, Syluestri antecessore, data esse ex iisdem Augustini epistolis constat. Nec iuuat excipere, sub Syluestro Constantini iussu & auctoritate habitum esse Concilium Arelaten-

relatense, quod Augustinus epist.162. *iudicium a Christiano imperatore datum* adpellat. Id enim ipse Schelstratius in Serie Chronologica pag.73. anno primo Syluestri congregatum dicit, nec tamen concedere poterit, eo anno Constantinum a Syluestro baptizatum esse. Quare posita Schelstratii collectione, Constantinus baptizatus fuerit, antequam Syluester cathedram occuparet, quod tamen præcipuæ eius opinioni repugnat. Eadem est ratio Sulpitii Seueri, vt prolixe ostendimus Parte priori Dissertationis nostræ num.IX. ad quam Lector benignus amandari se patiatur.

VII. Præterea ex nudo Christiani nomine confici nequit, aliquem baptismo initiatum esse, quum id *in Oriente Catechumenis datum esse* Schelstratius sponte concesserit, & ex Constantinopolitano primo probatum dederit. Hinc Athanasius initio Apologiæ suæ Constantium ita compellat: ἐκ πολλῶν ἐτῶν ὄντα σε χριστιανὸν, καὶ ἐκ προγόνων φιλόθεον ἐπιστάμενος, εὐθύμως τὰ περὶ ἐμαυτοῦ νῦν ἀπολογοῦμαι. *Cum multis iam annis sciam te Christianum & retro a maioribus vsque Dei studiosum, non possum non bono esse animo ad me tibi excusandum.* Sic etiam Socrates lib.v. cap.vi. Theodosium, antequam baptizaretur, Christianum fuisse indicat: ἐκεῖ τε ἀῤῥωστίᾳ περιπεσὼν, ἀξιωθῆναι τοῦ χριστιανικοῦ βαπτίσματος ἐπεθύμησεν, ἄνωθεν μὲν ἐκ προγόνων χριστιανὸς ὑπάρχων, καὶ τῇ τοῦ ὁμοουσίου πίστει προσκείμενος. *Vbi* (Thessalonicæ) *cum in morbum incidisset, Christianorum more baptismum percipere concupiuit: quippe qui iam inde a maioribus Christianus esset, & consubstantialis fidem profiteretur.* Luculentius est Gregorii Nazianzeni de fratre suo testimonium: πολλῶν καὶ μεγάλων ὑπαρχόντων τοῦ Καισαρίου, πρῶτον ἦν εἰς ἀξίωμα χριστιανὸν καὶ εἶναι καὶ ὀνομάζεσθαι, καὶ τἆλλα ὁμοῦ παιδιά τις ἐκείνῳ καὶ λῆρος, πρὸς ἓν τοῦτο κρινόμενα. *Cum multa & magna Cæsario suppeterent, ad dignitatem tamen hoc primum erat, quod Christianus & esset & nominaretur; sic vt alia omnia cum hoc vno collata, ludus quidam ac nugæ ipsi essent.* Et paullo post Cæsarii cum Iuliano Apostata certamen describens, μεγάλῃ καὶ λαμπρᾷ τε φωνῇ τὸ χριστιανὸς εἶναί τε καὶ μένειν ἀνεκήρυξεν, *magna & clara voce Christianum se & esse, & permanere, pronunciauit.* Ex quibus omnibus elicitur, *Christiani* adpellationem in veteri Ecclesia nihil amplius intulisse, quam publicam Christianæ religionis professionem, qua aliquis relicto falsorum Deorum cultu veritatem Christianam agnouerat, ac publice priuatimque testabatur, etiamsi baptismo nondum initiatus esset. Nec alium in sensum de Constantino denominationem istam vsurpasse Athanasium & Augustinum, Valesius pridem commonuit, *non quod Christianæ fidei Sacramentis initiatus esset, sed quia Christianæ religionis cultum aperte profitebatur*, subscribente Papebrochio num.17. Incassum itaque laborat Schelstratius, quando recentiorum Latinorum & Græcorum Scriptorum nomina pro Baptismo

Con-

Constantini Romano denuo reponit, qui sane omnes nec auctoritatem nec numerum Patrum in Ariminensi Concilio congregatorum exæquant, vt de Eusebio, Athanasio, Socrate, Sozomeno & cæteris alibi adductis taceam, qui vno ore Constantinum semel tantum in fine vitæ baptizatum testantur. Neque satis caussæ habuit, Theophanis obiectionem repetere, eamque Glycæ ac Nicephori suffragiis firmare, cum constet, in eiusmodi controuersiis non attendi, quid dicant homines quadringentis annis, vt Theophanes, vel octingentis, vt Michael Glycas, vel mille, vt Nicephorus Callisti, a re gesta remoti, sed secundum synchronorum & coæuorum testimonia statuendum esse. Quoniam vero Schelstratius Græcorum inprimis suffragiis nititur, quo consilio, sagaciores facile intelligent, audiat quæso Papebrochii iudicium num. 14. *Nec refert, quod recentiores Græci sæculo nono & decimo fuerint se in sententiam Occidentalium adduci, tunc passim credentium baptismi Constantini Romæ facti monumentum esse baptisterium, Constantiniana Basilicæ S. Saluatoris Palatioque nominis eiusdem coniunctum. Facile enim fuit occasione nominis vulgo vsurpati inualescere opinionem, quasi fuerit baptizatus Constantinus in porphyretico quod ibi est labro, quod tamen nec ipse quidem Baronius credit.* Vltimus denique aries, quem ex Eusebii lib. IV. cap. LVI. Schelstratius desumsit, facile repellitur. Primo enim Valesius in Notis, *quæ in hac lacuna leguntur, ægre admodum Eusebii esse credit*, vt proinde Schelstratius legitima prius ostendere debuisset, quam de eorum suffragiis gloriari. Deinde etiamsi ab Eusebii manu forent, nihil tamen nobis aduersarentur. Hæc quippe tantum dicit ἔπειτα καὶ τὴν σκηνὴν τῷ τῆς ἐκκλησίας σχήματι πρὸς τὴν ἐκείνου τοῦ πολέμου παράταξιν σὺν πολλῇ φιλοτιμίᾳ κατειργάζετο. ἐν ᾗ τῷ Θεῷ τῷ τῆς νίκης δοτῆρι, τὰς ἱκετηρίας ἅμα τοῖς ἐπισκόποις ποιεῖσθαι ἐπενόει. *Deinde tabernaculum in speciem Ecclesiæ ambitioso cultu ad huius belli vsum præparauit; in quo preces ad Deum victoriæ auctorem vna cum Episcopis fundere decreuerat.* Quid continetur his verbis, quod Catechumeno non possit conuenire? An preces ad Deum victoriæ auctorem pro felici belli exitu cum Episcopis fundendæ? At nonne eiusmodi erant orationes, quas Deo offerebat Constantinus, vbi cum Maxentio congressurus erat, nondum sane baptizatus ex Schelstratii etiam sententia? Quam in rem Eusebius lib. I. cap. XXXVII. προστησάμενος δῆτα ἑαυτοῦ θεὸν τὸν ἐπὶ πάντων, σωτῆρά τε καὶ βοηθὸν ἀνακαλεσάμενος τὸν Χριστὸν αὐτοῦ. *cumque summum omnium DEVM Patronum sibi adsciuisset, Christumque eius Filium Seruatorem atque Auxiliatorem inuocasset* &c.

ARTICVLVS V.

Antiqua Latinorum de Azymis traditio ex disciplina arcani confirmata.

GRauis est controuersia, quæ de pane azymo exorta est inter præcipuos nostri sæculi eruditos, quibusdam cum Sirmondo & Eminentissimo Cardinali Bona perpetuum azymorum apud Latinos vsum impugnantibus; aliis cum Ioanne Mabillonio & Christiano Lupo defendentibus. Et Cardinalis quidem Bona, vt opinionem suam de indifferenti azymi & fermentati apud Latinos vsu confirmet, asserit lib. 1. Rerum Liturgicarum, cap. 23. numero 16. ad eum comprobandum præteriri non debere Romanorum Pontificum Melchiadis, Siricii, & Innocentii decreta: Melchiadis nimirum, de quo hoc decretum refertur in eius vita: *Hic fecit, vt oblationes consecrata per Ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Siricii, cui istud in Pontificali tribuitur: *Hic constituit, vt nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum Episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur firmentum.* Et Innocentii I. qui epistola ad Decentium Eugubinum, cap. 5. *De fermento, quod die Dominico per titulos mittimus, superflué nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesia nostra intra Ciuitatem sint constituta: quarum Presbyteri, quia de ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum conuenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per acolytos accipiunt, vt se a nostra communione maxime illa die non iudicent separatos. Quod per parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt Sacramenta, nec nos per cæmeteria diuersa constitutis Presbyteris destinamus, & Presbyteri eorum conficiendorum ius habent atque licentiam.*

Putabat Eminentissimus Annalium parens Baronius, hic nullam mentionem de Eucharistia fieri, sed potius de eulogiis seu pane benedicto, quem fermentatum apud Latinos in vsu fuisse, non negauit. Verum conuenit inter eruditos tam illos, qui perpetuum azymorum apud Latinos vsum sustinent, quam alios, qui oppugnant, in istis decretis agi de primitiuæ Ecclesiæ consuetudine, qua Episcopus ad Vrbis Presbyteros, qui Sacrificio ipsius diebus Dominicis adesse non poterant, Sacramenta mittebat. Notat eruditus Lupus tomo 3. Conciliorum in responsis ad Michaelis Cerularii calumnias, primis Ecclesiæ temporibus ob paucitatem fidelium non fuisse in Ciuitatibus plures quam vnam Ecclesiam, in Ecclesia vnum, non plura Altaria, & ad Altare illud, vnum, non plura Sacrificia eodem die fuisse oblata. Probat hæc omnia ex variis antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis, & ex his ostendit, vsum obtinuisse, quod Episcopi diebus Dominicis in Ecclesia Sacrificium offerendo præsentem populum ex oblatis communicarent, ad absentem vero ex oblatis consecratis mitterent. Et hoc est, quod ait, Iustinum Martyrem in Apologia pro Christianis testari, dum narrat, diebus Solis, seu Dominicis Sacramenta per Diaconos ad absentes delata fuisse. Intelligit autem Lupus per absentes non solum infirmos & captiuos, sed etiam Sacerdotes, qui Missæ Pontificali adesse non potuerant. Exponit de eadem consuetudine testimonium Irenæi Lugdunensis in Gallia Episcopi, qui in epistola ad Victorem Papam refert, ab ipsius Prædecessoribus ad diuersarum Ecclesiarum Presbyteros, seu Episcopos Romam aduentantes Eucharistiam transmissam fuisse.

De hac itaque consuetudine intelligendum est Melchiadis decretum, quod vbi plures ob multitudinem fidelium essent institutæ Ecclesiæ, oblationes ex consecratu Episcopi, diebus nimirum Dominicis, dirigerentur. Et illud Siricii, quod non solum in Pontificali ab Anastasio Bibliothecario conscripto, sed & in antiquo Romanorum Pontificum Catalogo tempore Iustiniani Imperatoris exarato, reperitur, vt nullus Presbyter Missas celebraret per omnem hebdo-

hebdomadam, nisi die Dominico consecratum Episcopi suscepisset. Hæc enim Innocentius Primus clarissime explicat in epistola ad Decentium Eugubinum loco superius allato. Fatetur enim, die Dominico per titulos in Ciuitatem constitutos consecratum mitti consueuisse, quod Acolythi ad Presbyteros, qui illa die propter plebem sibi creditam Sacrificio Pontificali interesse non potuerant, perferebant. Vocat autem Innocentius hoc ipsum consecratum *Sacramenta*, negatque, ad cœmeteria extra Vrbem constituta destinanda esse; *Quia*, inquit, *non longe portanda sunt Sacramenta*, quod de Corpore & Sanguine Christi intelligendum esse, vix negari potest.

Supposito itaque contra Baronium, quod antiqua hæc Romanorum Pontificum decreta intelligenda sint de Sacra Eucharistia, non statim sequitur, Romanam, aliasque Occidentis Ecclesias in pane fermentato consecrasse. Quamuis enim id concludere videatur Eminentissimus Cardinalis Bona ex eo, quod Sacramenta *fermentum* in decretis illis nominentur, notandum tamen, aliud quid esse fermentum, aliud quid ob certas rationes eo nomine appellari. Dicit Melchiades Papa de oblationibus ab Episcopo consecratis, *quod declaratur fermentum*; & Siricius: *quod nominatur fermentum.* Quibus verbis innuunt iidem Pontifices, oblationes illas potius fermentum vocatas fuisse, quam ex pane fermentato constitisse. Rationem ingenue professus est Iacobus Sirmondus in disquisitione de azymo, cap. 5. vbi: „ Eucharistiam hic constat fermentum ex eo dictam, non quod ex pane esset fermentato, sed quod ipsa, quocumque ex pane fieret, Ecclesiis, ad quas mittebatur; fermenti vicem præstaret, eisque vnionis inter se vinculum esset, sicut fermentum massæ, cui commiscetur. *O Sacramentum pietatis! O signum Vnitatis! O Vinculum charitatis!* ait Augustinus, in Ioannem tractatu 27. Quod ergo illi nomen congruentius potuit imponi, quam vt fermentum diceretur? „ Plura hac de re habet Sirmondus, & plura a me dicta fuissent de hac materia, nisi de illa tractatum integrum Illustrissimus Dominus Ciampinus de republica literaria optime meritus pararet, vnde ab vberiori expositione hic abstinebo, quod ex dictis sufficienter constet, mentionem fermenti in decretis Pontificum nihil facere contra antiquum azymorum apud Latinos vsum.

Vnum est, quod hoc loco paucis verbis inquirere lubet, quid in causa sit, quod in decretis supradictorum Pontificum tam obscure agatur de Eucharistia, vt diuinari quasi oportuerit, an per fermentum Corporis & Sanguinis Christi Sacramenta intelligerentur? Potuissent Summi Pontifices claris terminis decernere, Eucharistiam, quia fermenti instar fidelium vnionem fouet, ex consecratu Episcopi ad absentes Presbyteros transmitti debuisse. Verum nihil horum dicit Melchiades, nihil exprimit Siricius, sed sub nomine fermenti totum Sacramentum comprehendunt, neque ipsemet populus aliud nomen, quam fermenti sacris donis tribuebat. Rationem horum sollicite inquirens aliam non inuenio, quam ex disciplina arcani desumptam, ex qua tam Romani Pontifices in decretis, quam fideles in colloquiis Sacramenta Eucharistiæ sub fermenti nomine occultabant. Præclarum habemus huius rei exemplum in Sancto Tharsicio, de quo ad 15. Augusti habet Martyrologium Romanum: *Romæ Via Appia Sancti Tharsicii Acolythi, quem Pagani cum inuenissent Corporis Christi Sacramenta portantem, cœperunt disquirere, quid gereret: at ille indignum iudicans porcis prodere margaritas, tam diu ab illis mactatus est fustibus & lapidibus, donec exhalaret spiritum: & reuoluto eius corpore sacrilegi discussores, nihil Sacramentorum Christi in manibus aut in Vestibus inuenerunt.* Notat Baronius, hæc desumpta esse ex actis S. Stephani Papæ & Martyris apud Surium extantibus, & addit Christianus Lupus, Tharsicium Sacramenta ex consecratu Episcopi portasse ad absentes, qui maluit vitam cum morte commutare, quam mysterium prodere; & cum mysterii occultatio per verba non profuisset,

Deus ipse insigni miraculo disciplinam Ecclesiæ, quam in occultando coram Ethnicis Sacramento obseruare studebat Tharsicius, comprobauit.

ANIMADVERSIONES
IN
ARTICULUM V.

I.

AN Latina Ecclesia pane azymo in eucharistia semper vsa sit, grauem controuersiam dicit Schelstratius, & aientem sententiam amplectitur. Cui quoniam obiici videt decreta Melchiadis, Siricii & Innocentii, in quibus fermenti mentio fit, ex disciplina arcani præsidium quærit, qua factum sit, vt apud fideles fermenti nomine veniret eucharistia in colloquiis & decretis, quanquam ex pane azymo constaret. Sed nullum apud Veteres huius rei vestigium occurrit. Quid enim opus erat orthodoxo apud Theodoretum, tantis verborum ambagibus in describendo pane vti, si vnico fermenti vocabulo illum occulte significare potuisset? Cur appellaret τὴν ἐκ τοίων σπερμάτων τροφὴν, cæterasque periphrases adhiberet, quam vna voce ζύμην nuncupare suffecisset? Quare etiam Augustinus in Sermone de Iacob & Esau *Sacramentum fidelium a tritico* nominaret, & non potius *a fermento?* Præterea obstat Schelstratio, quod nullus Apostolorum aut antiquiorum Patrum disciplinæ arcani adsuetorum Eucharistiam fermenti nomine significarit, aut tanta in hac denominatione mysteria quæsiuerit, quanta ille cum Sirmondo eruere conatur. Certe Paullus ex vnitate panis rationem vnionis mysticæ desumit, 1. Cor. x. 17. fermenti autem eam esse mysticam efficaciam non addit, quin potius cap. v. eiusdem epistolæ id in malam partem interpretatur, expurgandumque præcipit.

II. Nec spernendum argumentum aduersus Schelstratii interpretationem inde petitur, quod ista fermenti denominatio diu mansit in Ecclesia Romana, etiamsi disciplina arcani abrogata esset. Etenim in Kalendario Ioannis Frontonis Parisiis edito, & aliis eiusmodi Euangeliorum capitulis ad calcem antiquorum MSStorum Codicum passim prostantibus, die Sabbati ante Dominicam Palmarum (vt hodie loquimur) ita scriptum legitur: *Sabbato datur fermentum in consistorio Lateranensi.* Multas difficultates mouet Fronto in notis, quas Schelstratio enodandas relinquimus, sufficere nobis putantes, quæ Ioannes Mabillonius in descriptione itineris sui Germanici tomo quarto Analectorum p. 60. 61. ex veteri libro hanc in rem protulit, hoc præmisso elogio: *Maioris momenti est*, *quod*

quod in glossis manuscriptis super Canones Apostolorum & Decretales Pontificum legitur de Fermento in epistola Innocentii Papæ I. ad Decentium: cuius vocis interpretatio eruditos in diuersas traxit sententias, aliis de Eucharistia, aliis de eulogiis interpretantibus. Sequuntur *codicis perantiqui* verba: *De fermento, quod dicit, mos est Romanis, vt de Missa quæ cantatur in Cœna Domini & in Sabbato sancto, & in die sancto Paschæ, & in Pentecosten, & in Natali Domini die sancto per totum annum seruatur, & vbicumque per stationes, si ipse Papa ad Missam præsens non fuerit, de ipsa Missa mittitur in calicem, cum dicit: Pax Domini sit semper vobiscum. Et hoc dicitur Fermentum. Tamen Sabbato sancto Paschæ nullus Presbyter per ecclesias baptismales neminem communicat, antequam mittatur ei de ipsa sancta, quam obtulit Dominus Papa.* Subdit Mabillonius: *Ex quibus nemini dubium imposterum relinqui debet, hunc Innocentii locum aliosque similes de Eucharistia esse interpretandos.* Ex hac glossa patet, veteres aliam plane rationem, cur panis eucharisticus fermentum vocetur, quæsiuisse, quam Schelstratius. Auctor nimirum illius glossæ idem voluit innuere, quod Latinus Latinius, cum putat propterea appellatum esse fermentum, *quia velut massa & conspersio esset vtriusque partis Sacramenti, corporis videlicet & sanguinis, ita mixta, vt nullo modo separari possit.* Verum Cardinalis Bona Lib. I. cap. XXIII. num. 8. hanc caussam a Latino allegatam *prorsus absurdam & a moribus illorum temporum ex toto alienam* censet. Hoc inter alia argumento motus, quia *mixtio corporis & sanguinis tunc* (nempe, Melchiadis, Siricii ac Innocentii tempore,) *inaudita fuit, & a moribus ac ritibus Ecclesiæ omnino per illa tempora dissidebat.* Idem Cardinalis Antonium Augustinum perstringit, quod putauerat, *fermenti appellationem non veram esse, sed vsurpatam, & qua vulgus vteretur pro azymis illis sinceritatis & veritatis:* & quoniam idem statuit Schelstratius, quanquam aliam appellationis originem tradit, non possum, quin Bonæ censuram ei quoque opponam: *At hinc videre licet, magnos quoque viros errori obnoxios esse, cum alicui opinioni ab infantia adhærentes antiquos ritus ad illam expendunt & accommodant. Nam quid magis alienum a communi vsu loquendi, quam quod nomen fermenti pro azymis accipiatur?* Nec magis concludit Schelstratii ratiocinium illo, quod a Tarraconensi Episcopo profertur; a Cardinali vero ita exploditur: *Neminem futurum credo, cui hoc suaderi possit.* Qualis enim consequentia: Gentilibus ex præscripto disciplinæ arcani occultandus erat panis eucharisticus; idcirco Christiani panem azymum contraria significatione vocabant fermentum? Imo vero, cur non etiam vinum, alteram eucharistiæ speciem, appellabant aquam?

III. Præterea nullum vel testimonium indubitatum vel exemplum Schelstratius proferre potest, vnde adsertioni suæ fidem faciat. Nam ex Melchiadis, Siricii, ac Innocentii verbis nulla vi extorqueri potest, panem eucharistiæ propter gentiles fermenti denominationem accepisse. Tharsicii vero exemplum tantum abest, vt Schelstratio faueat, vt potius opinionem eius maxime infringat. Cur enim gentilibus non respondit Tharsicius, se fermentum portare, adeoque a morte sese liberavit, si modus ille loquendi inter Christianos vulgo receptus erat? At ille constanter siluit, plagasque ad internecionem vsque tolerare maluit, quam panem vel azymum vel fermentatum nominare, manifesto indicio, denominationem fermenti propter ethnicos a Schelstratio excogitatam nullam esse, nec vulgo inter Christianos vnquam obtinuisse. Certe Græci hodierni pane fermentato vtuntur, eumque in magnis vrbibus ad ægrotos deferentes Turcarum metu sub brachio degunt, vti ad finem Sectionis sextæ vidimus. Videat etiam Schelstratius, quomodo sibi conueniat cum Cardinali Perronio, cuius verba ad finem capitis tertii Dissertationis suæ ipse citauit. Perronius enim opinatur, *quod veteres Christiani haud initiatis celarint, non fuisse, mysteria eucharistiæ ex pane & vino confici. Quod enim scandalum*, inquit, *id potuisset afferre Ethnicis, qui in mysteriis Mithræ panem offerebant, vt Tertullianus obseruat, & in mysteriis Cereris panem & vinum: vnde nonnulli eorum credebant, Christianos suos esse in Bacchi & Cereris adoratione?* Commodius itaque Cardinalis Bona loca illa Innocentii & aliorum accipit de pane fermentato: & quanquam distinguit cum aliis Schelstratius inter *nominari* & *esse*, fermentum, rationemque denominationis metaphoricam ex Sirmondo petit, nihil tamen reponit ad Cardinalis responsionem, qui optime censuerat, *nihil vetare, quin vtrumque verum sit, & Eucharistiam fermentum dictam, quia reuera ex fermento erat: & symbolice etiam fermentum nuncupatam, quod signum sit vnitatis, & vinculum charitatis.* Quæ omnia doctissimis viris ab illustri Ciampino in tractatu de perpetuo azymorum vsu allegatis expendenda relinquo, vt missa Schelstratii falsa explicatione, meliorem de fermento excogitent.

ARTICVLVS

ARTICVLVS VI.

Quod ex disciplina arcani plerique Patres de reali Corporis & Sanguinis Christi præsentia obscurius loquuti fuerint, & figuram esse dixerint.

ERrorem, quem Berengarius ante octingentos annos contra realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam publicare cœpit, ante centum & quadraginta annos renouare ausus fuit Ioannes Caluinus, asserendo, Corpus & Sanguinem Christi nonnisi figurate in Sacramento Eucharistiæ adesse, & Christum non corporaliter, sed spiritualiter dumtaxat a fidelibus sumi, fideque participari. Habet hunc errorem libro de institutione Christianæ Religionis, cap. 18. vbi dissimulare non potuit, ad nouitatem istius sententiæ omnem totius Occidentis Ecclesiam contra se commotam fuisse. *Scio*, inquit, num. 23., *quam odiosa mundo sit hodie hac sententia.* Et infra: *Neque tamen causam video, cur tam iniquis iudiciis recipiatur sententia, qua nihil in se habet, quod offendat - - - certe Scripturis optime conuenit. Nihil habet vel absurdi, vel obscuri, vel ambigui. A vera pietate & solida adificatione minime abhorret. Nouam esse causantur; sed falsum. Habet enim multa & firma veterum testimonia: quibus recensendis ideo supersedeo, quoniam a piis & doctis Viris diligenter collecta sunt. Ex eorum lucubrationibus petat, qui volet. Nolo enim rem actam agere.*

Hæc Caluinus, qui ex scripturis pauca, ex Patribus nihil in confirmationem sui erroris protulit. Remittit nos ad alios scriptores, quos non Catholicos, sed Hæreticos ipsius sequaces intelligo. Quinam vero præcise tempore Caluini eius errorem ex Patrum testimoniis scripto stabilire conati sint, non adeo curiose inquirere volui, cum sufficiat, post ejus tempora præcipuos sectæ ipsius ministros, qui Carentoni prope Parisios resident, operam suam in colligendis Patrum locis collocasse, inter quos Murneus Plessens, Edmundus Albertinus, & minister Claudius editis scriptis noti sunt, ex quibus videre est, Caluinistas præsidium erroris sui statuisse in iis Patrum testimoniis, quæ affirmant sacra dona, signum, figuram, imaginem, typum, antitypa, symbolum, & mysterium Corporis & Sanguinis Dominici esse, & vocari. Edidit contra Morneum opus egregium Eminentissimus Cardinalis Perronius; & contra Albertinum ac Claudium ministrum plures libros scripserunt alii viri eruditi, qui singula Patrum loca expendendo eorum sensum indagarunt, & ex iis Corpus & Sanguinem Christi realiter in Eucharistia adesse, demonstrandum susceperunt. Quod autem hæc Catholicorum studia plurimum iuuari possint ex disciplina arcani, vel inde constat, quod, vt supra innuimus, Patres sæpius veritatem Eucharistiæ ex professo sub figuræ, imaginis, typi, signi, symboli, & mysterii nominibus occultauerint, adeo vt obscura Patrum dicta, quæ Caluini sequaces pro figura Corporis & Sanguinis Christi adferunt, nihil pro ipsis, sed potius pro Catholicis realem præsentiam propugnantibus faciant, fatente ipso Tentzelio in disputatione sua numero 1. quod mecum tam ipse, quam sui obseruent; *Non contemnendum contra Caluinianos fundamentum tribuere tenebras, quas ipsi ingerunt: cum, quod piscari conantur ex silentio aut obscura Patrum loquela negatiuum argumentum, ad ipsum veritatis Eucharistica mysterium sit ianua, & ostium.*

De his, cum inter nos conueniat, non est, quod multum eorum elucidationi inhæreamus: pauca proinde exempla attulisse sufficiet: Caluinus lib. institutionum, cap. 18. num. 31. pro figurata Corporis Christi præsentia nos remittit ad actus Apostolorum, *Habent*, inquiens, *Apostolica Ecclesia vsum, vbi fideles non in adoratione, sed in fractione panis communicasse*

a Luca

a Luca narrantur. Verum Lucam sub illis verbis occultasse communionem Corporis & Sanguinis Christi, quam fideles ex disciplina arcani communionem fractionis panis nominabant, diximus supra. Albertinus lib. 2. de Sacramento Eucharistiæ cap. 2. citat Dionysium libro de Ecclesiastica Hierarchia: „ *Ibi enim*, inquit, *non* tantum obseruat in genere, *nos signis sensibilibus opus habere ad intelligibilium contemplationem*, sed & in specie panem & vinum Eucharistiæ appellat *imagines ac Symbola Christi.* Vnde consequitur, illa non esse propriè Corpus & Sanguinem ipsius. „ Verum, vt recte obseruauit Perronius, dicit Dionysius, ea esse *venerabilia symbola, per quæ Christus significatur, & participatur*, quæ veritatem Catholicam de præsentia reali verbis, licet obscurioribus, explicanr. Quod autem Dionysius, siue illum cum Sirleto Areopagitam dicas, siue cum Albertino recentioris æui Patrem putes, illis temporibus vixerit, quibus disciplina arcani viguit in Ecclesia, longe lateque supra probatum est. Ex hac autem disciplina fieri potuit, quod Author ille non adeo clare de Sacramento Corporis & Sanguinis Christi locutus sit, & sacra dona, imagines, ac Symbola Christi vocare solitus fuerit. Vnde corruit, quidquid Albertinus ex Dionysio obseruauit.

Magnum Antiquitatis testimonium pro figurata Corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ præsentia se inuenisse putarunt tam Morneus, quam Albertinus & Claudius, quando apud Tertullianum lib. 3. contra Marcionem hæc verba reperierunt: *Hoc lignum & Hieremias tibi insinuat, dicturis prædicans Iudæis: Venite mittamus lignum in panem eius, vtique in corpus. Sic enim Deus in Euangelio quoque vestro reuelauit, panem corpus suum appellans, vt & hinc iam eum intelligas corporis sui figuram pani dedisse, cuius retro corpus in pane Propheta figurauit, ipso Domino hoc Sacramentum postea interpretaturo.* Et libro 4. contra Marcionem: *Acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum, dicendo, id est figura corporis mei: figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Cæterum vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset. Aut si propterea panem corpus sibi finxit, quia corporis carebat veritate; ergo panem debuit tradere pro nobis. Faciebat ad vanitatem Marcionis, vt panis crucifigeretur. Cur autem panem corpus suum appellat, & non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens veterem fuisse istam figuram Corporis Christi, dicentis per Hieremiam: Aduersus me cogitarunt, dicentes: Venite conjiciamus lignum in panem ejus, scilicet Crucem in corpus eius.* Hisce Tertulliani locis, quæ Achillis instar habent Caluinistæ, iam dudum responderunt Perronius, aliique Catholici, ostendentes, Tertullianum nihil aliud voluisse contra Marcionem, quam Christum Dominum non figuram, non phantasma, sed verum corpus, veramque carnem assumpsisse, ejusque typum in pane non phantastico, non apparente, sed vero a Hieremia exhibitum; & hoc esse, quod Tertullianus voluit, panem figuram Corporis Christi dictum fuisse. Cæterum si his locis Tertullianus obscure loqui visus sit, id mirum videri non debet, cum disciplinam arcani toties in scriptis suis commendauerit, vt non his solum sed aliis quoque locis tecte, & obscure de veritate Eucharistiæ loquutus fuerit, vt quando scribit, mulierem Christianam interroganti de pane Eucharistiæ Gentili respondisse, panem esse, quem comedit. Sciebat namque Tertullianus, sanctum canibus dandum non esse, neque margaritas ante porcos proiici debere, ideoque deterret fœminam Christianam a Gentilis connubio his verbis lib. 2. ad vxorem, cap. 5. *Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes, & si sciuerit panem, non illum credet esse, qui dicitur.* Ex quo loco, vti & tribus aliis ostendimus supra, Tertullianum disciplinam arcani, quam ab ipsis Apostolorum temporibus cœpisse testatus est, & vxori obseruandam proposuisse, & in scriptis suis obseruasse, vt mirum non sit, plerisque in locis obscurius, quam par esse videtur, de Sacramento Eucharistiæ locutum fuisse.

Alberti-

☞ Albertinus lib. 2. in examine testimoniorum Origenis citat septem loca ex variis eius operibus pro figurata Corporis Christi in Eucharistia præsentia, quorum præcipua sunt, cap. 15. in Matth. ad illa verba: *Non quod in os ingreditur, polluit hominem.* Vbi inter alia: *Proinde etiam in pane Domini tum vtilitas est dicendi, cum impolluta mente, puraque conscientia particeps est illius. Sic quoad esum per se attinet, nec ex hoc, quia non edimus de pane per verbum Dei & obsecrationem sanctificato, fraudamur aliquo bono &c. - - - Cæterum iuxta precationem, quæ illi accessit, proportione fidei fit vtilis, efficiens, vt perspicax fit animus spectantis ad id, quod vtile est. Nec materia panis, sed super illum dictus sermo est, qui prodest non indigne Domino comedenti illum. Et hac quidem de typico, symbolicoque corpore.* Et ex homilia in Leuiticum 7. *Vbi vero tempus aduenit Crucis suæ, accipiens, inquit, Calicem, benedixit, & dedit discipulis suis, dicens, Accipite, & bibite ex hoc: Vos, inquit, bibite, quia non accessuri estis ad Altare. Ipse autem, tamquam accessurus ad Altare, dicit de se: Amen dico vobis, quia non bibam de generatione vitis huius, vsquequo bibam illud vobiscum nouum in Regno Patris mei.* Et tomo 32. commentarii in Ioannem loquens de buccella intincta Iudæ data, quam ait Iudam fortassis non comedisse, impediente Sathana, qui in eum intrauerat, eius vtilitatem, & subiungit: *Atque hoc modo non absurde dici potest, quemadmodum indigne comedens panem Domini aut poculum eius bibens, ad iudicium manducat & bibit, cum vt vna melior in pane & calice proposita sit: in meliore constitutione, quod melius est, operans, deteriori condemnationem patiens: sic buccella panis a Iesu porrecta, & ii, cui data est (Iudæ) & cæteris Apostolis his verbis: Accipite & manducate, eiusdem generis erat* ὁμογενὲς ἦν, *sed eis saluti fuit, Iudæ vero condemnationi; ita vt post frustum Satanas in eum intrauerit. Intelligatur autem panis & poculum a simplicioribus secundum hanc communiorem Eucharistiæ expositionem; ab iis autem, qui profundius audire didicerunt, secundum Diuiniorem de nutritorio veritatis verbo promissionem.*

Mire hic tripudiat Albertinus, & clarissima in rem suam testimonia esse exclamat, quod frusti, quod panis mentionem Origenes faciat, de Corpore vero & Sanguine ne quidem verbum habeat. Attamen si Albertinus recte considerasset vltima illa verba: *Intelligatur autem panis & poculum a simplicioribus secundum communiorem Eucharistiæ expositionem; ab iis autem, qui profundius audire didicerunt, secundum Diuiniorem de nutritorio veritatis verbo promissionem:* vidisset procul dubio, simpliciores ab iis, qui profundius audire didicerunt, ab Origene distingui, neque aliis, quam simplicioribus, inter quos Catechumenos quoque reputandos esse censeo, de Eucharistia locutum fuisse. Vnde cum venit ad illa verba: *Accipite & manducate*, omittit formam consecrationis, qua panis mutatur in Corpus Christi: vti & dum loquitur de Calice, refert verba Euangelistæ excepta forma consecrationis, qua vinum in Sanguinem Christi mutatur. Erat nimirum Origenes Clementis Alexandrini successor in audiendis Catechumenis, coram quibus Eucharistia erat κρύφιον δόγμα, vt audiuimus ex eiusdem loco contra Celsum: cui alia addidimus testimonia, ex quibus probauimus, eum quam castissime disciplinam arcani obseruasse; quod perlegenti eius commentaria & raram siue vix vllam in genuinis eius Operibus de Corpore & Sanguine Christi mentionem reperienti, facile constabit.

Adducit Albertinus lib. 2. testimonium Athanasii ex eius tractatu in Euangelium, vbi Corporis Domini sumptionem, spiritualem, non carnalem esse dicit. Verum præterquam quod hic tractatus Athanasii esse negetur a pluribus, facile responderi potest, Athanasium, vel quisquis Author est illius tractatus, noluisse per spiritualem manducationem aliud intelligere, quam quod sub alia specie Corpus & Sanguis Christi sumantur a fidelibus, non vero quod *crudam carnem, crudumque sanguinem*, vt cum Gaudentio loquar, sumere debeamus. Rati-

onem autem, cur Athanasius illo loco satis obscure de Sacramento Eucharistiæ tractauit, colligere licet ex Synodica Alexandrina, quam secundæ suæ Apologiæ inseruit, vbi disertis verbis dicitur, necesse esse, *Mysterium Regis celare*, nec oportere ea non initiatis prodere, *ne Ethnici ignorantes ea subsannent, aut Catechumeni curiosi facti scandalizentur.* Ex hac enim disciplina antiquitus mysterium Eucharistiæ occultari consueuisse, ipse Albertinus c. 2. non vno sed pluribus antiquorum Patrum testimoniis comprobat.

Adducit eodem lib. 2. Albertinus quædam ex Cyrillo Hierosolymitano, & Basilio Magno, sed adeo friuola, vt vix responsione indigeant. Author enim Caluinista abutitur Lectoris patientia, & clarissima antiquorum Patrum loca temerario ausu deprauat, & in sensum longe a mente illorum alienum detorquet. Facit Diuus Basilius in quibusdam locis mentionem panis, propositi doni, antityporum, & mysterii, rarissime vero Corporis & Sanguinis Christi: sed quis ignorat Basilii sententiam de disciplina arcani, quam ab Apostolorum temporibus adeo caste obseruatam fuisse voluit, vt lib. de Spiritu Sancto cap. 27. testetur, neminem antiquorum verba consecrationis scripto prodidisse? *Neque enim*, inquit, *decebat horum doctrinam publicitus circumferri scripto, quæ nec intueri fas erat non initiatis.* Locum hunc Græce dedimus supra, vt nullo modo mirandum sit, Basilium plerisque locis obscure de Sacramento Eucharistiæ locutum fuisse. Neque panis, neque mysterii mentio quidquam facit ad errorem Caluini eiusque sequacium: vanus enim est Albertini conatus in vrgendis similibus Patrum testimoniis, in quibus se ex professo ob disciplinam arcani obscure de mysterio Eucharistiæ loqui profitentur, vti reipsa professus est Epiphanius in Ancorato, quando agens de institutione Sacramenti, dixit: quod Saluator *surrexit in Cæna, & gratiis actis dixit: Hoc meum est hoc. Atque videmus, quod æquale non est, neque simile, neque imagini incarnatæ, non inuisibili Diuinitati, non lineamentis membrorum, illud enim rotonda forma est, & quod ad facultatem attinet, sensus expers. Et voluit ex gratia dicere, Hoc meum est hoc.* Eo loco cum Sanctus Epiphanius disciplinam arcani seruarit, non est ausus verba consecrationis proferre, neque Corpus Christi nominare, & tamen ausus est ex eo loco Albertinus concludere: *Apertissime innuit Epiphanius, panem subiectum esse, de quo Dominus Corpus suum enunciauit.*

Quid post hæc hærebimus in refutandis Albertini argumentis, quæ ex variis Sanctorum Patrum locis formare conatus est, vt ex Gregorii Nazianzeni orat. 13. vbi *Antitypa pretiosi Corporis vel Sanguinis* nominantur: ex variis Augustini locis, vbi Eucharistia *Sacramentum panis & vini* dicitur: ex pluribus Cyrilli Alexandrini Operibus, vbi Sacramentum *Eulogia, & mystica Eulogia* nuncupatur: ex Theodoreti Dialogo, cui titulus *Immutabilis*, vbi Calicem Dominici Sanguinis dicit *Mysticum vitis fructum*, Corpus vero *Frumentum* & *Symbolum* nominat? Cum constet, hoc ipso loco Theodoretum ex professo obscure de Eucharistiæ mysterio scripsisse; dumque Dialogum inter Orthodoxum & Eranistem de hoc mysterio institueret, dixisse, quod inter illos primo conuenerit, quod *mysteriosius*, siue obscurius agent ob eos, qui *fortasse aderant mysteriis non initiati.* Quod Theodoretus Dialogo *Immutabilis* ex professo occultandum suscepit non initiatis, hoc plures Patres primis sex sæculis, quibus disciplinam arcani viguisse audiuimus supra, in suis tractatibus imitatos fuisse non dubitarim, vt vel ex hac Ecclesiæ disciplina complura Patrum, qui sex primis sæculis floruerunt, constet, testimonia ab Albertino, Morneo, & Claudio adducta nihil contra præsentiam realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia facere. Patres namque frequenter Eucharistiam typum, figuram, symbolum, imaginem, mysterium dixerunt, non quod Corpus & Sanguinem Christi in ea contineri negarint, sed quod Catechumenis seu non initiatis ex disciplina Ecclesiæ occultare eam voluerint.

ARTI-

ARTICULUS VII.

Quod nulla apud Antiquos de verbo Transubstantiationis, frequenter econtra panis mentio fiat, ex disciplina arcani prouenit.

MAgnum quid contra Catholicos inuenisse putant, tam Caluinistæ, quam Lutherani quod nullam apud Patres Latinos de verbo Transubstantiationis, nullam apud Græcos de nomine μετουσιώσεως memoriam extare reperiant. De hoc mire gloriatur Albertinus libro 3. de Sacramento Eucharistiæ ad sæculum 12. *Tunc*, inquiens, *nouitium transubstantiationis figmentum nouo nomine eo usque non vocitatum illa cæpit commendari.* Et Tentzelius num. 1. suæ disputationis, qui in eo potissimum gloriatur, quod Transubstantiatio Patrum calculo plane destituta sit, addens, a Lombardo ex male intellectis veterum quorumdam locutionibus consarcinatam esse. Possem hanc de voce Transubstantiationis chronotaxim ex Patrum testimoniis facile corrigere, & nomen ipsum non tam recens esse, quam somniant nouatores, ostendere: verum cum hic præcipue de primis Ecclesiæ sæculis agamus, quibus vel rara vel nulla istius vocis mentio reperiatur, silentii istius ratio inquirenda est.

Pro eo autem notandum, nullam hæresim ante Berengarii tempora contra Eucharistiam ex professo ortam fuisse, neque Sanctos Patres ante illa tempora de veritate Eucharistiæ comprobanda tractatus ex professo edidisse, sed cum disciplina arcani sex primis sæculis viguerit, doctrinam de huius Sacramenti veritate & ritibus potius occultare studuisse. Hinc autem prouenisse credendum est, quod rara, vel nulla de verbo Transubstantiationis apud Antiquiores Ecclesiæ Patres reperiatur memoria. Cum enim ex vna parte disciplina arcani vigeret, ex alia vero nulla hæresis exorta esset, quæ cogeret Ecclesiæ defensores veritatem huius mysterii funditus inquirere, & particulatim exponere: hinc omnino factum est, apud Patres non reperiri integros tractatus ex professo editos, in quibus disputatur, quomodo in Sacramento Eucharistiæ panis & vinum per consecrationem transubstantientur, an accidentia maneant sine subiecto, & similia, quæ post hæresim Berengarii frequenter tractantur in Scholis, vt videre est in Antiquiorum & recentiorum Scholasticorum Operibus.

Notandum secundo, Patres prioribus sæculis in quibusdam Operibus, & sermonibus clare locutos fuisse de horum mysteriorum veritate: Primo quando epistolas mittebant ad fideles baptizatos, vel fidelium Ecclesias, vt vidimus supra de Pauli ad Corinthios, & Ignatii ad Philadelphienses litteris: secundo cum Opera scribebant pro solis initiatis, quæ tamen ne ad manus non initiatorum peruenirent, summo studio cauebant, vt patet ex Dionysii operibus, & Cyrilli Hierosolymitani, aliorumque Patrum scriptis: tertio dum sermones coram solis baptizatis habebant, quod vel in nocte Paschatis, vel in vigilia Pentecostis, quando adulti baptizabantur, contingebat. Præclarum habemus hac de re Cyrilli Hierosolymitani testimonium Catechesi 18. vbi agens de Catechumenis consistentibus, sic eos alloquitur. Περὶ μὲν οὖν τῆς παραδοθείσης ὑμῖν εἰς ἐπαγγελίαν ἁγίας καὶ Ἀποστολικῆς πίστεως, ὅσας ἐγχωρεῖ κατηχήσεις, διὰ τὴν τοῦ κυρίου χάριν εἰρήκαμεν ἐν ταῖς διελθούσαις ταύταις τῆς τεσσαρακοστῆς ἡμέραις, οὐχ ὅτι ταῦτα μόνα εἰπεῖν ὀφείλομεν. πολλὰ γάρ ἐστι τὰ παραλειφθέντα, καὶ μειζόνων ἴσως καὶ ὑπὸ τῶν καλλιόνων διδασκάλων νοούμενα· Ἐνεστώσης δὲ λοιπὸν τῆς ἁγίας τοῦ Πάσχα ἡμέρας, καὶ τῆς ὑμετέρας ἐν Χριστῷ διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας ἀγάπης φωτιζομένης,

μένης, διδαχθήσεσθε πάλιν τὰ πρέποντα Θεοῦ θέλοντος μεθ' ὅσης εὐσεβείας καὶ τάξεως εἰσελθεῖν χρὴ καλουμένους, τίνος δὲ ἕνεκεν ἐπιτελεῖται ἕκαστον τῶν ἁγίων τοῦ βαπτίσματος μυστηρίων· μεθ' ὅσης δὲ εὐλαβείας καὶ τάξεως χρὴ ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος πρὸς τὸ ἅγιον τοῦ Θεοῦ προσελεύσεσθαι θυσιαστήριον. καὶ τῶν αὐτόθι πνευματικῶν καὶ ἐπουρανίων ἀπολαβεῖν μυστηρίων, ἵνα τῆς ὑμετέρας ψυχῆς διὰ τοῦ τῆς διδασκαλίας λόγου, προφωτιζομένης, εἰς ἕκαστον γνωρίζηται τῶν ἐκ Θεοῦ δωρουμένων ὑμῖν χαρισμάτων τὸ μέγεθος. *De tradita namque vobis ad profitendum Sancta & Apostolica fide, quantum Catechesis capere potuit, per Dei gratiam diximus, præteritis hisce quadragesimæ diebus.. Non quod ea tantum dicere expediret: multa enim prætermissa sunt, & melius forte a bonis doctoribus intellecta. Instante autem deinceps Sancto die Paschatis, & vestra per lauacrum regeneratione, docebimus rursus Deo volente ea, quæ conueniunt: quanta cum reuerentia & ordine eo ingredi oporteat vocatos; cuiusque causa perficitur vnumquodque Sanctorum baptismi mysteriorum, & quanta cum deuotione a baptismate ad Sanctum Dei accedendum est altare, atque his, quæ istic sunt spiritualibus & cœlestibus perfruendum mysteriis: vt anima nostra per doctrinam & sermonem illuminata, ab vnoquoque cognoscatur a Deo vobis donatorum charismatum magnitudo.*

Notanda sunt hæc verba Cyrilli Hierosolymitani, quibus indicat, ipsa Paschatis nocte seu vigilia Catechumenis reuelari consueuisse arcana tam baptismi, quam Diuini altaris: quod ante baptismatis & Eucharistiæ susceptionem de his mysteriis instruendi essent. Gaudentius Brixiensis Episcopus Cyrillo Hierosolymitano coætaneus in sermone, quem nocte seu vigilia Paschatis habuit ad regressos e fonte Neophytos: *Modo*, inquit *ea solum de ipsa lectione carpenda sunt, quæ præsentibus Catechumenis explanari non possunt, & necessario tamen sunt aperienda Neophytis.* Et infra adeo clare de Eucharistiæ mysterio loquitur, vt Transubstantiationem ipsam his verbis exponat. *Pascha est*, inquit, *Domini, hoc est Transitus Domini. Ne terrenum putes, quod cœleste effectum est, per eum, qui transit in illud, & fecit illud suum corpus & sanguinem.. Nam quod supra generaliter exposuimus edenda de carne Agni, specialiter in degustandis seruandum est iisdem mysteriis Dominicæ Passionis: vt neque crudam carnem, crudumque sanguinem, sicut Iudæus, esse putes, & respuas dicens: Quomodo potest iste dare carnem suam manducare? Neque in olla cordis carnei, humoribus per naturam semper obnoxii, ipsum decoquas Sacramentum, commune illud ac terrenum esse existimans, sed vt per ignem Diuini Spiritus id effectum, quod annunciatum est, credas: quia, quod accipis, corpus est illius panis Cælestis, & sanguis est illius Sacræ vitis.. Nam cum panem consecratum & vinum discipulis suis porrigeret, sic ait: Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus. Credamus quæso, cui credidimus.. Nescit mendacium veritas.* Et de hoc sermone agens tractatu 5. dicit, se ordinem celebrandi Paschatis in libro Exodi descriptum præposterasse in sermonibus Paschalibus, vt mysteriis exponendis debitæ reuerentiæ ordinem teneret. *Quia*, inquit, *oportebat in illa splendidissima nocte vigiliarum, secundo tractatu, non dictorum sequentia; sed congrua Neophytis explanari; vt edendi Paschalis Sacrificii disciplinam rudes Neophyti discerent, instructi fideles cognoscerent..*

Supponit vbique Sanctus Gaudentius, sola nocte Paschatis clare exposita fuisse, quæ ad Eucharistiæ mysterium spectant: in reliquis autem sermonibus Paschalibus solum de quibusdam Eucharistiæ figuris & ritibus actum fuisse. Quod ipsum ex septem eius tractatibus seu sermonibus Paschalibus manifeste colligitur. An autem mos ille vbique Ecclesiarum receptus fuerit, haud facile dixerim; constat namque ex Sancto Cyrillo Hierosolymitano, Catechesi

chesi 18. Hierosolymis septem integris diebus Paschalibus Neophytos de mysteriis instructos fuisse. Sic enim loquitur: *Post sanctum autem, & salutarem Paschatis diem, in reliquis hebdomadæ diebus, post Synaxim, ad Sanctum Resurrectionis Saluatoris locum congregati, Deo volente alias Catecheses audietis, in quibus rursus de vnoquoque eorum, quæ fiunt, causas discetis, atque tam ex Nouo, quam ex Veteri Testamento demonstrationes accipietis. Primum quidem de his, quæ ante baptismum proxime fiunt. Deinde quomodo mundati estis a peccatis per Dominum lauacro aquæ, in verbo: & quomodo Sacerdotalis appellationis Christi participes facti estis: & quomodo signaculum vobis datum est Spiritus Sancti: & de iis, quæ fiunt in altari, Sanctis Noui Testamenti mysteriis. Quæ hinc capiet initium. Quod Diuinæ Scripturæ tradiderunt. Quæ istorum virtus. Et quomodo ad hæc accedendum; & quando, & quomodo ea habere oporteat.* Non sola Paschatis nocte, sed post ipsum Paschatis diem in reliquis hebdomadæ diebus rursus exponebantur mysteria nouiter baptizatis, idque non in communi sermone, qui habebatur post Euangelium inter Missarum solemnia, sed post finitam synaxim in particulari cœtu nouiter baptizatorum; *In reliquis hebdomadæ diebus*, inquit Cyrillus, *post synaxim ad sanctum Resurrectionis Saluatoris locum congregati Deo volente alias Catecheses audietis, &c.* Et ex hac Hierosolymitanæ Ecclesiæ consuetudine colligitur, Cyrilli Hierosolymitani Catecheses mystagogicas, quæ numero quinque extant, esse illas, quas hebdomada Paschali habuit coram recens baptizatis: vt mirum non sit, Cyrillum Catechesi mystagogica 4. æque clare, ac Gaudentium supra, de Transubstantiatione locutum fuisse.

Notandum insuper, quosdam Patres cautius egisse in epistolis ad ipsos Catholicos transmissis, vt patet ex epistola Innocentii Primi ad Decentium Eugubinum, cui ne quidem de forma Confirmationis scribere voluit, ne mysterium arcani reuelaret; alios in operibus, quæ ad non initiatorum manus peruentura timebant, obscurius de mysteriis Catholicæ Religionis egisse: omnes demum primitiuæ Ecclesiæ Patres in sermonibus coram Catechumenis, Iudæis, vel Gentilibus, qui iis interesse solebant, mysteria occultasse. Et de his Patrum scriptis intelligenda omnino sunt, quæ hac Dissertatione Apologetica de disciplina arcani asseruimus: & desumpta ex hisce Patrum scriptis testimonia sunt plane illa, quæ ex eadem disciplina contra Lutheranos & Caluinistas, vt in commentatio ad canonem 2. Antiochenum indicauimus, interpretationem accipiunt. Neque a vi huius argumenti sese extricare poterunt Lutherani, quidquid Tentzelius in disputatione sua num. 1. argumentum illud potius Caluinistis, quam Lutheranis tribui debere, contenderit. *Certe*, inquiens, *explicatio & argumenti constructio, quam subiungit, potius ad Mornai, Dallei, Aubertini, & similium Scholam, quam ad nostram pertinet.* Et infra: *Itaque manifestum est, quam inique aduersus nostram Ecclesiam pugnare soleat Schelstratius, qui non minus, quam ipse, obseruamus, non contemnendum aduersus Caluinianos fundamentum tribuere tenebras, quas ipsi ingerunt, cum quod piscari conantur ex silentio, aut obscura Patrum loquela negatiuum argumentum, ad ipsum veritatis Eucharisticæ mysterium sit ianua & ostium.*

Enimuero, vbi hæc primum in Tentzelio legeram, fateor, me non parum admiratum fuisse hominis iudicium, quo Lutheranos a Caluinistis separandos statuit, cum argumentum pro vtrisque faciat, & magis contra Lutheranos, quam Caluinistas vrgeat. Posito enim, quod complura Patrum testimonia obscure mentionem Eucharistiæ facientia nihil probent contra realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam, quia veritatem illam ex disciplina arcani occultare debebant, vt probauimus supra, & admittit hoc loco Tentzelius; quis non videt, complura Patrum testimonia de pane, frumento, vino, & vite agentia, nihil facere contra Transubstantiationem, quam tamquam dogma magis arcanum ex primitiuæ Ecclesiæ disciplina arcani a me desumptum faciat contra Mornei, Dallei, & Albertini senten-

 tiam,

tiam, quæ realem Corporis Christi præsentiam impugnat, negare non potest Tentzelius, quin contra Gerhardum, Meierum, & cœteros Lutheranos suos, qui Transubstantiationem panis in Corpus, & vini in Sanguinem Christi negant, facere debeat.

Firmari hoc ipsum posset ex illis Patrum locis, in quibus panis mentio facta reperitur, quæ a Lutheranis non minus contra Transubstantiationem, quam a Caluinistis contra præsentiam realem Corporis Christi adferri solent. Quæ enim Lutherani de fractione panis ex Scriptura vrgent pro impanatione, Caluinus contra præsentiam realem allegat: & quæ Centuriatores Magdeburgenses contra Transubstantiationem, pro sola præsentia reali Corporis Christi in Eucharistia adducunt Centuria 3. ex libro 4. Tertulliani contra Marcionem; eadem ipsa audiuimus supra Morneum, Albertinum, & Claudium pro sola figurata Corporis Christi præsentia afferre. Ex quibus, vti ex aliis plurimis, colligitur, quod, si testimonia Patrum ex disciplina arcani contra Caluinistas interpretationem accipiant, ex eadem disciplina contra Lutheranos exponi possint, neque frequentem panis mentionem magis officere Transubstantiationi, quam crebram figuræ appellationem præsentiæ reali, cum sicut vnum, ita & aliud a Patribus vsurpatum sæpius fuerit ad occultandum sacrum Eucharistiæ mysterium.

ARTICVLVS VIII.

Publicam Eucharistiæ expositionem, & in Processionibus circumgestationem recenter introductas nihil veritati mysterii officere.

SOlent Hæretici coaceruare omnia illa, circa quæ aliquid noui ab Ecclesia Romana introductum putant: cumque reperiant, non adeo antiquam esse Corporis Christi festiuitatem, quam nunc cum tanta solemnitate celebrat Ecclesia, tam illam, quam publicam Eucharistiæ in Processionibus circumgestationem nouitatis arguunt, scribente Albertino lib. 3. quod *Vrbanus Quartus* anno 1264. ad reuelationes quasdam fictitias, precesque mulicularum Leodiensium festum cum octauis suis in honorem Sacramenti statuerit, & superaddiderit. Et infra: quod „ circa annum 1364. noua erga Sacramentum inceperit superstitio. Festo „ enim, inquit, ante centum annos instituto, ab Vrbano Quinto addita est circumgestatio pu„ blica ad pompam: id vnicum videbatur tanto errori deesse, vt veluti curru triumphali de„ ferretur. „ Hæc & multo plura Albertinus, qui ex ritibus circa Eucharistiam nouiter introductis, contra veritatem ipsius dogmatis a Romana Ecclesia traditi concludit.

Verum quam vana sit hæc Albertini aliorumque Hæreticorum gloriatio, ex disciplina arcani facile ostenditur. Adducit idem Albertinus testimonium Cassandri in consultatione „ ad artic. 22. de circumgestatione dicentis: Consuetudo, qua panis Eucharistiæ in publica „ pompa conspicuus circumfertur, ac passim omnium oculis ingeritur, præter veterum morem „ & mentem, haud ita longo tempore introducta & recepta videtur. Illi enim hoc mysteri„ um in tanta Religione & veneratione habuerunt, vt non modo ad eius perceptionem, sed ne „ inspectionem quidem admitterent nisi fideles, quos Christi membra & tanti mysterii parti„ cipatione dignos esse existimarent. Quare ante consecrationem Catechumeni, Energu„ meni, Pœnitentes, denique non communicantes, Diaconi voce & ostiariorum ministerio secludebantur. „ Hucusque Cassander ab Albertino allatus, cuius supradictam sententiam tantum abest Caluinistis aut Lutheranis prodesse, vt ipsorum intentum potius destruat, ideoque a Scriptoribus Catholicis, & nouissime a Christiano Lupo in Dissertatione de Sanctissimi

Sacramenti expositione confirmetur, fatente Lupo cap. 2. „Publicas cum Eucharistia Pro-„ cessiones non cohæsisse cum disciplina antiquæ Ecclesiæ. Ista namque disciplina Sacro-„ sanctam Eucharistiam rigidissime abscondebat, non Iudæis dumtaxat ac Gentilibus, sed et-„ iam Catechumenis ac Pœnitentibus. - - - Hæc igitur disciplina nullatenus patiebatur Sa-„ crosanctum Eucharistiæ Sacramentum publice exponi in apertis Basilicis aut Oratoriis, lon-„ ge minus circumferri per plateas. Plateæ enim tunc erant plenæ oculorum & aurium, quæ „ Sacrosancta nec videre poterant, nec audire: in omni Ciuitate erant Gentiles, Iudæi, Cate-„ chumeni, Pœnitentes.„ Et infra cap. 9. „Quod expositio hæc primis Ecclesiæ sæculis „ non fuerit, est manifestum.„

Sic cum Lupo loquuntur Scriptores Catholici, neque antiquos Ecclesiæ ritus negant, neque nouiter introductos erubescunt, quod sciant veteris & recentioris Ecclesiæ disciplinam suis rationibus inniti. Quod vetus Ecclesia nullam solemnem festiuitatem Corporis Christi celebrarit, Corpus Christi publice in processionibus non circumtulerit, Eucharistiam in apertis basilicis aut oratoriis omnium oculis non exposuerit, non ex eo prouenit, quod publicum fidelium cultum non meruerit, sed profanorum vilipensioni, & non initiatorum ludibrio debuerit subduci. Quod autem iuxta recentiorem Ecclesiæ disciplinam vsu receptum fuerit, Eucharistiam publice in templis exponi, in processionibus circumferri, festo solemni celebrari, merito introductum fuit post Gentilium conuersionem, Iudæorum seruitutem, Catechumenorum & pœnitentium abrogationem; horum enim metu introducta olim fuit disciplina arcani, fueruntque Gentilium ludibria, & Catechumenorum scandala nubium instar splendidam Solis faciem obscurantium: sicut autem fugatis nubibus Solis faciem intuentur & mirantur mortales; ita extinctis Gentilibus & Catechumenis Sacrosanctum Christi Corpus, & Eucharistiæ Sacramentum Solis instar mortalium oculis exponi debuit, vt mirarentur omnes infinitam Christi charitatem, qua Genus Humanum complexus se ipsum præbuit.

Neque verum est, quod somniant Nouatores, Ecclesiam cum ritu dogma mutasse, & cum publica Corporis Christi expositione & circumgestatione adorationis cultum nouiter introduxisse. Nihil enim hac in re Ecclesia mutauit, sed solum, quod ob disciplinam arcani occulte a fidelibus fiebat, publice faciendum esse instituit. Nota est Gorgoniæ historia, quam ejus frater Gregorius Nazianzenus in oratione de ipsius funere fusius enarrat, quod nimirum febre correpta ad altare domesticum, vbi pretiosi Corporis vel Sanguinis Christi dona recondiderat, procubuerit adoratura, & inuocatura eum, qui super altari honoratur. *Ad altare*, inquit Nazianzenus, *cum fide procumbit, eumque, qui super ipso honoratur, cum magno clamore inuocat.* Neque mirum videri debet, in altari illo domestico dona Corporis & Sanguinis Christi recondita fuisse a Gorgonia: erant enim illa, quæ fideles diebus Dominicis a Sacerdote accipiebant pro communione domestica per hebdomadam sumenda. Nota quoque est Cyrilli Hierosolymitani admonitio Catechesi 5. mystagogica, qua fidelem hortatur, vt calicem Sanguinis Christi accipiens, pronus inclinet, & adorationis cultum adhibeat. Plura sunt antiquitatis monumenta, ex quibus de vsu primitiuæ Ecclesiæ constat circa adorationis cultum, circa quem nihil postremis temporibus innouauit, sed mentem Antiquorum secuta Ecclesia, solam fidelium deuotionem excitare, & augere studuit.

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES

IN

ARTICULUM VI. VII. & VIII.

I.

COniungimus trium postremorum Segmentorum tractationem, quia primum aduersus nostram Ecclesiam nihil facit; secundum vero & tertium facile ad veritatis lancem trutinantur. Circa *sextum* saltem *Articulum* monendum est, Schelstratium non obseruare leges boni Disputatoris, quando ex sua de disciplina arcani hypothesi argumentatur aduersus Reformatos, oblitus omnino, eos non minus ac nos rationem huius disciplinæ non in dogmatibus, sed in solis ritibus externisque symbolis constituere. Neque animaduertit, pleraque Patrum loca ab Albertino obiecta ex eiusmodi scriptis desumta esse, quæ nec Catechumenorum aut infidelium caussa scribebantur, nec in manus eorum deuenire poterant. Certe eiusmodi sunt, quæ sibi vindicanda sumsit Schelstratius, excepta homilia VII. in Leuiticum, quæ Catechumenis præsentibus habita videtur; in ea autem tantum abest, vt disciplinam arcani seruauerit Origenes, vt potius calicem & vinum diserte nominarit, imo si totum locum accuratius consideres, non tam de Eucharistia agat, quam de allegoria sua saluanda sit sollicitus. Sed cum idem de ipso Sacramento agit, panem & vinum ex præscripto disciplinæ arcani reticens, corpus & sanguinem Christi diserte nominat, vti supra ex homilia IX. in eundem Leuitici librum vidimus. Quod autem in Commentariis suis Origenes, & in aliis libris reliqui Patres obscurius loquuti sunt, non satis accurate ad disciplinam arcani refertur a Schelstratio, qui toties inculcat, eam fideles non attigisse, in quorum tamen gratiam plerunque scribebant Doctores. Vnde aperte consequitur, modum disputandi obscuriorem, quo panem & vinum Veteres figuram typumue corporis & sanguinis Christi dixerunt, non ex illa disciplina ortum traxisse, sed accuratioris in docendo Methodi, quam in scriptis acroamaticis ad solorum fidelium, præcipue eruditiorum, vsum adornatis seruabant, specimen argumentumque præbere.

II. Vtramque hanc cautelam, si *articulo septimo* sibi præscripsisset Schelstratius, tot otiosis repetitionibus Lectori haud fuisset molestus, nec Antonius Pagi ipsi accessisset in Critica Annalium Baronii An. XXXII. num. 2. Impugnat sententiam nostram de transsubstantiatione, quam a Lombardo ex male intellectis Veterum quorundam loquutionibus consarcinatam esse diximus. Gloriatur, se facile ostendere posse, nomen ipsum tam recens non esse; nullum tamen testimo-

ftimonium fubiicit, quod in pofterum vt faciat, hortamur. Scio, doctum eius amicum, Ioannem Mabillonium, in Opere de Liturgia Gallicana multam magnamque fpem pofuiffe in voce *transformationis*, quam in antiquis liturgiis ante mille circiter, fi ipfi credimus, annos vfitatis repererat. Sed *formalem* conuerfionem nunquam admittet fummus Papalis Monarchiæ apex & vindex, Gregorius VII. fiue Hildebrandus, quippe cuius in Opere MS. fuper Matthæum hæc funt verba: *Cum autem panis & vinum dicantur a cunctis Sanctis, & a Fidelibus creditur tranfire in fubftantiam Corporis & Sanguinis Chrifti, qui fit illa conuerfio, an formalis, an fubftantialis, quæri folet? Quod autem formalis non fit, manifeftum eft; quod forma panis & vini remanent. Vtrum vero fit fubftantialis, perfpicuum non eft.* Notabilem hunc Gregorii VII. locum exhibet Anonymus auctor præfationis hiftoricæ de Dogmate Transfubftantiationis, quæ determinationi Ioannis Parifienfis Londini editæ præfixa eft. Eruditus ille vir, (quem ex litteris nominis initialibus dedicatoriæ epiftolæ fubiectis Petrum Alixium effe coniicio, celebrem hodiernorum in Gallia quondam Reformatorum Doctorem, confirmorque ab Auctoribus Bibliothecæ Vniuerfalis To. III. p. 395. fq.) plurimis nec fpernendis argumentis nouitatem transfubftantiationis probat, luculenterque euincit, eam pro dogmate fidei nec ante nec poft Tridentinum Concilium apud ipfos Pontificios habitam fuiffe. Qua igitur confcientia primis Ecclefiæ fæculis transfubftantiationem pro dogmate Euchariftiæ agnitam fuiffe Schelftratius nobis perfuadere conatur? Doctrinam enim Euchariftiæ ad articulos fidei pertinere nemo ignorat. At transfubftantiationem de fide effe hodienum prudentes & antiquitatis confulti in Romana Ecclefia inficiantur, tantum abeft, vt antiquiores fanctioresque in Occidente Patres illud adfirmarint. De Orientali Ecclefia res non minus clara eft atque perfpicua, & μεϑουσιώσεως vox fuperiori demum fæculo ex Scholafticis a Græculis depromi cœpit, vti præclare obferuauit atque aduerfus Simonium defendit Thomas Smith in Mifcellaneis, quæ curiofi Lectores confulere poterunt.

III. Notanda autem eft Schelftratii verfutia, qui cum de transfubftantiatione difputemus, *Euchariftiæ* feu *Sacramenti veritatem* fubftituit, quafi de ea quisquam noftrum dubitaffet. Nec obftat, quod primis fex feculis peculiares de hoc argumento libri non diuulgati funt, quum Patrum fententia ex reliquis eorum fcriptis fufficienter colligi poffit; quemadmodum fponte fatetur Schelftratius, quando Patres priorum fæculorum *in epiftolis ac Operibus baptizatorum cauffa fcriptis, & in fermonibus ad eosdem habitis clare de Euchariftiæ veritate loquutos effe ftatuit.* Quomodo autem hæc confiftere poffint cum eo, quod fuperiori articulo dixerat, Patres in iisdem fcriptis *ex difciplina arcani fæpius veritatem Euchariftiæ ex profeffo fub figuræ, imaginis, typi, figni, fymboli & myfterii nominibus*

occultasse; equidem non video, sed apertam potius contradictionem inuoluere deprehendo, in Schelstratio eo maiorem, quo magis sui oblitus est, & aduersus Reformatos agens *Dionysium libro de Ecclesiastica Hierarchia veritatem Catholicam de præsentia reali verbis obscurioribus explicasse* contendit; nos autem adgressus eundem Dionysium iis, qui *clare loquuti sunt de horum mysteriorum veritate*, accensere non dubitat. Quæ omnia satis mirari nequeo, eumque partim ad Albertinum pag. 619. in Perronio simile subterfugium notantem, partim ad superiora remitto, vbi multis exemplis ostendi, in aliis etiam scriptis ad non-initiatorum manus pertingentibus, & homiliis in eorundem præsentia habitis, Patres realem corporis & sanguinis Christi præsentiam nusquam conticuisse, nec disciplinam arcani eo vsque extendisse, vt ipsam doctrinam occultarint. Protuli ibidem Christiani Lupi verba, quibus Casauboni effatum approbat, patresque *elementorum significata, contenta & transelementationem lucidissime edixisse* adfirmat exemploque Theodoreti probat; quem etiamsi Lupus male pro transsubstantiatione alleget, quam is potius aperte refellit, vt infra videbimus; manifeste tamen Schelstratio contrariatur, cum transsubstantiationis dogma occultatum fuisse negat. Porro Schelstratius communem cum suis errorem errat, quando Patrum de reali præsentia testimonia ad transsubstantiationem obtorto collo trahit. Sic in Gaudentii sermone Paschali veram quidem realemque corporis & sanguinis Christi præsentiam prædicari audimus, transsubstantiationis nullum reperimus indicium, quam potius respuunt verba Gaudentii: *Nam cum panem consecratum & vinum discipulis suis porrigeret, sic ait: Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus.* Vbi clare innuit Gaudentius, species consecratas non substantiam suam amisisse, sed mansisse panem & vinum, quanquam in, cum & sub se continuerint corpus & sanguinem Christi. Eundem in modum Augustinus in Sermone ad Neophytos: *Quod vidistis panis est & calix, quod etiam oculi vestri enuntiant, quod autem fides vestra instruenda postulat, panis est corpus, calix sanguis Christi.* Non magis transsubstantiationi fauet Cyrillus Hierosolymitanus, cuius locum ex Catechesi Mystagogica IV. a Schelstratio indicatum expendit Balthasar Bebelius Sæc. IV. Antiquitatum Ecclesiæ Euangelicæ Artic. VIII. Sect. 1. num. III. To. II. pag. 311. 312. Cyrilli verba sunt: ἐν τύπῳ ἄρτου δίδοταί σοι τὸ σῶμα, καὶ ἐν τύπῳ οἴνου δίδοταί σοι τὸ αἷμα, ἵνα γένῃ μεταλαβὼν σώματος καὶ αἵματος Χριστοῦ, σύσσωμος καὶ σύναιμος αὐτοῦ. *Sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis, vt sumto corpore & sanguine Christi efficiaris ei comparticeps corporis & sanguinis.* Et paullo post: *Ne ergo consideres* ὡς ψιλοῖς τῷ ἄρτῳ καὶ τῷ οἴνῳ· σῶμα γὰρ καὶ αἷμα Χριστοῦ κατὰ τὴν δεσποτικὴν τυγχάνει ἀπόφασιν, *tanquam panem & vinum nuda; corpus enim est & sanguis Christi, secundum ipsius Domini verba. Quamuis enim sensus*

hoc

hoc tibi suggerit, tamen fides te confirmet, ne ex gustu rem iudices; quin potius habeas ex fide pro certissimo, ita vt nulla subeat dubitatio, esse tibi donata Corpus & Sanguinem. Ex quibus verbis patet, inquit Bebelius, quomodo intelligenda sint sequentia, cum ait: *Scias & pro certissimo habeas, panem hunc, qui videtur a nobis, non esse panem, etiamsi gustui panem esse sentiat, sed esse corpus Christi. Et vinum, quod a nobis conspicitur, tametsi sensui gustu vinum esse videatur; non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi:* Subiicit ex re & vero Bebelius: *nempe non esse panem ψιλὸν, nudum, nec vinum, scilicet ψιλὸν, nudum.* Pluribus hoc confirmat Albertinus pag. 430. 431. quanquam Caluinianas admisceat hypotheses, quæ tamen orthodoxum Lectorem remorari non possunt. Bene quoque ipsius Peronii sententiam addit; *Tritum est, apud eos, qui cum emphasi maiori loqui volunt, qualitatum affirmationes & negationes per modum affirmationum & negationum substantiæ exprimere.* Præterea scopus Cyrilli est, dubium quoddam soluere, quod in Neophytorum animis suboriri poterat; id autem non de transsubstantiatione, sed de ipsa reali præsentia erat. Ridiculus enim foret, qui de modo præsentiæ prius dubitaret, quam de ipsa præsentia certior factus esset. Quod animaduertens Natalis Alexander Dissertatione XII. Sæculi XII. Artic. XII. p. 483. vbi aduersus Albertinum Cyrilli locum vindicare vult, dubium ab eo propositum descripturus nullam transsubstantiationis, sed præsentiæ tantummodo realis mentionem facit: *Dubium itaque impugnat* (Cyrillus) *quod de reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi potest oriri; ac proinde Christi testimonio certum esse docet, ac omni certitudine tenendum, Corpus & Sanguinem Christi realiter in Eucharistia contineri.* Cæterum vti non nego, Catechumenis ante baptismum Symbolum fidei publice in actione Sacramentali recitandum, & post Baptismum rationem rituum ibi adhibitorum & symbola ritusque Eucharistiæ tradita fuisse, ita minus distincte hæc posuisse Schelstratius videtur, quando ait, *ipsa Paschatis nocte sine vigilia Catechumenis reuelari consueuisse arcana tam baptismi, quam diuini altaris: quod ante baptismi & Eucharistiæ susceptionem de his mysteriis instruendi essent.* Nam Catechumeni aliquot diebus ante Pascha Symbolum baptismi edocebantur, & post baptismum iam impetratum, vt ex ipso Cyrillo patet, rationem baptismalium & Eucharisticorum rituum audiebant. Minime autem tum demum acceperunt dogma Eucharistiæ, quod manducetur in ea corpus & bibatur sanguis Christi, sed species Symbolaque primum audiebant, sub pane corpus & sub vino sanguinem Christi manducari & bibi. Nihil ergo contra nos obtinet Schelstratius. Denique quod Cyrillus & Gaudentius in tempore discrepant, & alter septem diebus paschalibus, alter tantum in nocte seu vigilia Neophytos instruxit, id mihi diuersam saltem consuetudinem Ecclesiæ Hierosolymitanæ & Brixiensis sapere videtur.

IV. Porro quoniam Schelstratius contendit, Patres in epistolis ad fideles baptizatos missis transsubstantiationem expressisse, non possum, quin falsitatis eum conuincam vel vnico Chrysostomi loco πολυθρυλήτῳ ex epistola ad Cæsarium Monachum: *Antequam sanctificetur panis, panem nominamus, diuina autem illud sanctificante gratia, mediante Sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus est dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit.* Nobile hoc aduersus transsubstantiationem testimonium ad finem Dissertationis meæ indicaueram, & de Bigotii editione, resectaque inde tota per Theologos Parisienses epistola quædam moueram, quæ omnia summo silentio, qua de caussa nescio, præterit Schelstratius. Natalis quidem Alexander in citata contra Albertinum Dissertatione pag. 571. excusare vult istud Sociorum suorum factum, quasi saltem dissuaserint Bigotio editionem cum Palladio, cum quo nullam connexionem illa epistola habeat: *Hæsitauit* (Bigotius) *illamne simul cum Dialogo Palladii emitteret in lucem; consilium virorum eruditorum rogauit, suas illis rationes exposuit. Ipsis vna & illi visum est, non esse Palladii Dialogo de vita S. Chrysostomi adiungendam, ad quem relationem nullam habeat, neque cum ipso in lucem edendam: maxime cum graues sint dubitandi rationes, num sit genuinus S. Ioannis Chrysostomi fœtus.* Attamen ineptum hoc esse effugium, quilibet agnoscet, qui expostulationem super ea re diuulgatam, cuius auctor perhibetur Petrus Alixius, attentius legerit; quippe ex qua constat, integrum quaternionem a pag. 236. deesse, qui Chrysostomi continuerit epistolam: vt proinde Theologi Parisienses eam non tam edendam dissuaserint, quam editam eraserint, diuendique prohibuerint. Certe malam caussam hoc facinore satis prodiderunt, quidquid etiam simulet Alexander, qua etiam Laurentius Panciatichi motus contenta eius diuulgare abnuebat, teste Christophoro Sandio in Appendice ad nucleum Historiæ Ecclesiasticæ pag. 39. *Quod vero epistola illa ad Cæsarium hodieque in Bibliotheca Florentina exstet, asseruit mihi abhinc sex annis* (scribebat hæc Sandius an. 1678.) *vir reuerendus Laurentius Panciatichi Abbas, Sereniss. Cardinalis Medicei Bibliothecarius, dicens sibi genuinum opus Chrysostomi videri, cumq; haberet dictæ epistolæ exemplar descriptum, non potui tamen ab eo copiam eiusdem impetrare; & cum eum interrogarē, quid epistola illa, ceu scripta de Eucharistia, circa dogma de Transsubstantiatione contineret, se non audere id propalare regerebat.* Porro argumenta, quæ Sorbonici Bigotio opponebant, non erant tanti, vt ab editione eum prohibere possent. Si enim scripta Veterum prius haud forent coniunctim euulganda, quam vbi ratione obiecti cohærent, bona illorum pars, quæ in ipsa Parisiorum vrbe ab interitu vindicarunt Cotelerius, Baluzius, Mabillonius, alii, tineis blattisque relicta fuisset. Imo cur permiserunt Bigotio, libellum Euagrii de octo vitiositatibus coniungere, qui multo minorem cum

Palla-

Palladii vita Chrysostomi connexionem habet, ac illa epistola, *loco* potius *maxime opportuno*, iudice Alixio, collocata, si cum vita Auctoris publicæ luci reddita fuisset. Equidem obiecerunt illi, dubium scriptum esse; quod si tamen meliores grauioresque non habuerunt rationes, quam ab Alexandro allegatas, longe melius abstinuissent, & cum Petro de Marca, Panciatichio, aliisque ab Alixio allegatis, pro Germano Chrysostomi fœtu habuissent. Omnia enim Alexandri argumenta in vnum recidunt, quo obiicit, Eutychetis, qui Chrysostomo iunior fuit, hæresin in ea epistola profligari: at solus Apollinaris nominatur, qui cum in multis Eutycheti præiuerit, tum mirum haud est, huius etiam errores profligari. Mirum potius est, Alexandrum negatiuo argumento vti, quod alibi nullius ponderis iudicare solet: nemo enim ignorat, facilius diuulgari scripta in totius ecclesiæ commodum adornata, quam epistolas ad priuatos scriptas, monachorum præsertim claustris immissas: vt adeo nemini mirum videri debeat, epistolam illam Chrysostomi, quam in exilio ad priuatum anachoretam scripserat, in antiquorum manibus non frequentatam, parciusque ab iis citatam esse. Quanquam non desunt ex Græcis Doctoribus, qui in scriptis suis eam sub Chrysostomi nomine allegarunt, e quibus Damascenum & Anonymum contra Seuerianos in Tomis Canisii editum allegat Guil. Caue in Chartophylace pag. 68. additque ex veteri Codice Arundelliano præclarum fragmentum Græcum, quod ad calcem versionis Latinæ a Moynio editæ pertinet, epistolamque in γνησιότητος thronum euehit, & duo maxime obseruanda nos docet: alterum extitisse quondam hanc epistolam natiuo suo idiomate, nec de eius inuentione desperandum esse; alterum, non alium a Chrysostomo auctorem habere; nam ἀποσπασμάτιον illud ita inscribitur: Ἰωάννου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως ἐκ τῆς πρὸς Καισάριον μόναχον ἐπιστολῆς μετὰ τὴν δευτέραν αὐτοῦ ἐξορίαν. Quam genuinam epistolæ epigraphem fuisse ex Latina versione apud Moynium patet: *Incipit epistola beati Ioannis Episcopi Constantinopolitani ad Cæsarium Monachum tempore secundi exilii sui.* Notari inprimis meretur character *secundi exilii*, qui nec Ioanni Ieiunatori, nec Ioanni Eleemosynario (quos auctores suspicatur Alexander) aptari potest, optime vero in Chrysostomum quadrat, quem ex Throno Constantinopolitano deiectum & in exilium missum esse constat anno 403. conspiratione Eudoxiæ Augustæ, Theophili Alexandrini, & aliorum Episcoporum; indeque paullo post reuocatum & anno sequenti iterum deportatum in Armeniæ oppidum Cucusum, & Arabissum, ac in villam, quæ Comana dicitur, in regione Pontica, in qua reditum parans, obiit die 14. Septembris an. 407. supputante Labbeo To. I. de Scriptoribus Ecclesiasticis p. 525. ipsoque Alexandro Synopsi Sæc. IV. Cap. VI. Artic. 29. Quæ omnia magis confirmantur ex Rothomagensi epistolæ ad Cæsarium editione, quam Iacobus Basnage an. 1687. adornauit, & ex suppresso

Bigotii exemplari penitus sumsit, neque solum Latinam versionem integram cum fragmentis Græcis a Bigotio collectis, (inter quæ & illud comparet plenius, quod Cauius edidit,) sed etiam partem præfationis Bigotianæ pariter suppressam, post Theologum quendam Anglum ab interitu prohibuit. Vnde Natalis Alexander efficacissime refellitur, & character secundi exilii Chrysostomo soli conueniens ex Anastasio & Nicephoro amplius adseritur; ne attingam plura argumenta, quibus Basnagius in adiecta Dissertatione hunc fœtum Chrysostomo tanquam germano parenti vindicauit, addam saltem Mabillonii obseruationem in Itinere Italico pag. 178. vbi *de bibliotheca sancti Marci Florentina* agit: *Habetur etiam ibidem, post varias Athanasii & aliorum litteras, sub nomine* Iohannis Chrysostomi epistola ad Cæsarium monachum, *typis vulgata in Hollandia non sine mendis, ac denuo apud Anglos & Hollandos (vti audio) iterum recusa. Eiusdem epistolæ exemplum, quod a Petro Martyre (qui illam epistolam laudauit primus) ex Florentino Codice descriptum fuisse verisimile est, Romæ in Altaempensi bibliotheca vidimus.* Præterea viuunt hodie Parisiis partim in Iesuitarum Ordine, partim in ipsa Sorbona, qui epistolam illam Chrysostomo tribuunt, quanquam noua ratione in transsubstantiationis fauorem exponunt. Ex illorum enim Societate est Ioannes Harduinus, qui eam ex veteri Latina versione fragmentisque Græcis Lutetiæ edidit, & peculiari de Sacramento Altaris Dissertatione Chrysostomo adscripsit, *naturæque* vocabulum, quo transsubstantiationem inprimis impugnari nouerat, apud Græcos Latinosque Patres, solas proprietates naturales rei cuiusque denotare contendit. Ad eundem modum L. Ellies du Pin, Doctor & Professor Regius in Sorbona, Tomo III. Nouæ Bibliothecæ Ecclesiasticæ pag. 37. 38. inter vera Chrysostomi scripta hanc epistolam collocauit, & de ista obiectione iudicauit: *Il est vrai, qu'il dit aussi, que le pain y demeure dans sa nature, ce qui sembleroit être contre la Transubstantiation: mais on peut entendre par nature, la consistence & l'apparence du pain.* Video, hunc & Harduinum idem applicare σοφὸν φάρμακον; vter vero illud primus excogitauerit, quum Harduinus hanc sibi gloriam vendicet, dicere non habeo: nec in eo destruendo admodum laboro, partim, quia Harduino satis negotii creant eruditi Amstelodamenses, qui Bibliothecam Vniuersalem Gallice edunt; partim, quia me latet, quid hac de re sentiat Schelstratius, quem istiusmodi Gallorum inuenta non semper probare ex præfatione Dissertationis de Auctoritate Patriarchali colligo, qua prolixe inuehitur in *du Pin* Tractatum de Disciplina Ecclesiastica. Sufficit nunc mihi, quod Abbas Fagetus refert in epistola ad iuniorem de Marca, Patrem eius, Petrum de Marca, in libro de Sacramento Eucharistiæ fateri, Patres vsque ad Chrysostomum credidisse, panem post consecrationem non amittere naturam suam, eundemque genuinam agnoscere

gnoscere epistolam ad Cæsarium: qua stante opinione frustra laborat Schelstratius, vt illorum Patrum pro transsubstantiatione suffragia colligat.

V. Ille tamen regerit, Patres quosdam cautius egisse in epistolis ad Catholicos transmissis, & Innocentii primi testimonium allegat. Equidem libenter concedimus, Innocentium verba Confirmationis prodere non debuisse, quippe ad ritum facientia, quanquam inde haud probetur, eam pro peculiari & a Baptismate distincto Sacramento habuisse, vt aliquoties monuimus. Silentium istud arcani disciplina requirebat, quam in epistola ad Decentium Eugubinum inculcat sequiturque Innocentius. Nec aliter se res habet cum aliis Patrum scriptis, quæ ad non initiatorum manus peruentura credebantur. Ritus quidem formamque externam mysteriorum silebant, sed dogma Baptismi & Eucharistiæ clarissime eloquebantur. Quod cum aliquot testimoniis supra demonstrauimus, tum notabili Theodoreti loco confirmare licet. Is in Dialogo secundo de symbolis Eucharistiæ propter ἀμυήτους obscurissime loquutus non multo post doctrinam eius exclusa transsubstantiatione tam clare aperteque exprimit, vt inter Pontificios non pauci libere fateantur, quod res est, Theodoretum hac in parte Lutheranum, hoc est, vt nos defendimus, orthodoxum esse. Postquam enim Eranista dixisset, ὥσπερ τοίνυν τὰ σύμβολα τοῦ δεσποτικοῦ σώματος καὶ αἵματος, ἄλλα μέν εἰσι πρὸ τῆς ἱερατικῆς ἐπικλήσεως, μετὰ δέ γε τὴν ἐπίκλησιν μεταβάλλεται καὶ ἕτερα γίνεται. οὕτω τὸ δεσποτικὸν σῶμα μετὰ τὴν ἀνάληψιν εἰς τὴν οὐσίαν μετεβλήθη τὴν θείαν. *Sicut ergo symbola Dominici corporis & sanguinis alia sunt ante Sacerdotis inuocationem, post inuocationem vero mutantur & alia fiunt: ita Dominicum corpus post assumtionem in diuinam substantiam mutatum est.* Respondet Orthodoxus: ἑάλως αἷς ὕφηνες ἄρκυσιν· οὐδὲ γὰρ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν τὰ μυστικὰ σύμβολα τῆς οἰκείας ἐξίσταται φύσεως· μένει γὰρ ἐπὶ τῆς προτέρας οὐσίας, καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τοῦ εἴδους, καὶ ὁρατά ἐστι καὶ ἁπτά, οἷα καὶ πρότερον ἦν· νοεῖται ἅπερ ἐγένετο, καὶ πιστεύεται, καὶ προσκυνεῖται, ὡς ἐκεῖνα ὄντα ἅπερ πιστεύεται. *Retibus, quæ ipse texuisti, captus es. Neque enim symbola post sanctificationem recedunt a sua natura; manent enim in priore substantia, ac figura & forma, & videri tangique possunt sicut & prius. Intelliguntur autem ea esse, quæ facta sunt, & creduntur & adorantur, vt quæ illa sunt, quæ creduntur.* Frustra denique est Schelstratius, dum Patres in sermonibus mysteria occultasse vult, sententiam suam de dogmate etiam occultato sub hac vocis latitudine incrustaturus. Fateor Doctores, quidquid sensibus externis patebat in Sacramentorum celebratione, Symbola nempe & ritus, cum in homiliis forte eo dilaberentur, vel plane siluisse, vel obscurioribus verbis indicasse. Dogma autem in concionibus istis nunquam tacuerunt, quemadmodum plurima exempla Sect. III. & IV. a nobis

bis

bis proposita & vindicata euincunt, omnesque fatebuntur, quibus primitiuorum Patrum sermones cum cura perlegere volupe est.

VI. Ex quibus omnibus cum manifestum sit, transsubstantiationis fabulam, si in prisca Ecclesia locum habuisset, ex præscripto disciplinæ arcani occultari nec potuisse, nec debuisse, sed initiatis pariter ac non - initiatis clare aperteque, non minus ac Baptismi doctrinam proponendam fuisse: tum nemo non videt, incassum laborare Schelstratium, quando ex illa disciplina aduersum nos argumentari pergit. Dixeram hac de re in Disputatione, quam ille refutare conatur, suumque argumentum *magis contra Lutheranos, quam Caluinistas vergere* putat; præsentiæ quippe reali nihil officere obscuras Patrum loquelas, quin veritatem illam ex disciplina arcani occultare debebant, idque *admittere hoc loco Tentzelium* scribit; multo ergo magis occultandam fuisse Transsubstantiationem, tanquam dogma magis arcanum, contra quam nihil faciat panis & vini frequens apud Patres mentio. Vbi primum nolo nimiam Schelstratii liberalitatem, in societatem erroris me pertrahere ausum, quasi *admitterem*, præsentiam realem ex arcani disciplina occultari debuisse. Atenimuero tantum abest, vt ego id falsus sim, vt potius per totam Dissertationem nihil magis contenderim, quam doctrinam Eucharistiæ, a qua dogma de reali præsentia excludere esset animam e corpore tollere, ex illius disciplinæ præscripto celatam nunquam fuisse. Vt ergo facile concedo, obscura Patrum testimonia præsentiæ reali nihil efficere, ita constanter nego, ex disciplina arcani eam occultari debuisse. Nam præterea recordari par est eorum, quæ aliquoties commonui, dicta illa Patrum obscura plerunque Reformatos ex eiusmodi scriptis desumere, quæ neque non - initiatos attinebant, neque ad manus oculosue eorum deuentura periculum erat. Sed in illis arcani disciplina opus non habebant, fatente Schelstratio, quandoquidem coram initiatis ea vti absurdum foret. Vnde clarissime elicitur, figuræ, antitypi, similesque notiones ad accuratiorem mysterii S. Cœnæ explicationem, quam fidelibus, præsertim supra vulgus sapientibus, impertiebantur, Patres adhibere consueuisse, tantum abest, vt illæ disciplinam arcani sapiant. Porro testimonia Veterum Doctorum de *pane* & *vino* non pro obscuris haberi debent, vt Schelstratius falso sibi imaginatur, sed pro euidentibus, quæ disciplinam arcani rursus excludunt. Hæc enim externa Sacramentorum symbola occultanda præcipiebat, quod ex Theodoreti Dialogo patet, vbi propter non - initiatos singulari studio panis & vinum circumscribuntur, nec potest negare Schelstratius, quum & dogmata & Symbola ritusque obiectum illius disciplinæ statuat. Quamobrem fatentur etiam, oportet, mentionem panis & vini ex disciplina arcani ortum non trahere, sed ei potius contrariari, quia specierum clare expresseque non meminerunt


Patres

Patres in præsentia non initiatorum, sed solummodo coram baptizatis; nec dubiū est, quin fidem simul suam Ecclesiæq; testari voluerint, proinde transsubstantiationis dogma plane ignorarint. Certe si hoc admisissent, incredibile est, nullā eiꝰ diserte fieri mentionem in libris ad pleniorem fidelium instructionem adornatis, nec ἀμυήτων vsui concessis; sed plurima potius argumenta in contrarium iisdem contineri, quorum haud est postremum, quod naturam symbolorum manere confitentur, quemadmodum paullo ante ex Chrysostomo vidimus, cui etiam Gelasii Papæ in lib. aduersus Nestorium & Eutychen suffragium adiungemus: *Certe Sacramenta, quæ sumimus, corporis & sanguinis Christi diuina res est, propter quæ & per eadem diuinæ consortes efficimur Naturæ, & tamen non desinit substantia vel Natura panis & vini.* His & similibus telis adeo affliguntur Pontificii, vt in voce *naturæ* latebras quærant, eamque a natiuo significatu abducere conentur. Quod cum frustraneum esse Nostrates sæpe ostenderint, tum Schelstratius ex disciplina arcani suppetias illis ferre vult, sed tacite veterem Ecclesiam Valentinismi ream agit, quem *alia in abscondito, alia in aperto docuisse* ex Irenæo statuerat explicueratque Cap. III. pag. 25. Quis enim dubitet, te alia in aperto docere, quando cum Theodoreto coram non initiatis Symbola post sanctificationem in sua natura & substantia manere profiteris, alia vero in abscondito, quando cum Schelstratio panem & vinum in substantiam corporis & sanguinis Christi conuerti statuis? Contrarium quippe est, in sua substantia manere, & in aliam mutari. Vnde relinquitur, inani labore Schelstratium ex arcani disciplina fulcrum transsubstantiationi quæsivisse, saluumque manet adsertum meum, quo argumentum inde ductum contra nos non facere statui. Equidem is infirmam suam consequentiam *firmari posse* putat, quia Lutherani eadem Veterum loca contra transsubstantiationem allegent, quæ Caluinistæ contra præsentiam realem, & quia crebra panis mentio non magis officiat transsubstantiationi, quam crebra figuræ appellatio præsentiæ reali. Verum nos antea satis probauimus, neutram patrum consuetudinem ad disciplinam arcani pertinere, nec verbum addere opus est. Adeoque nihil iuuatur Schelstratii ratiocinium ex illa disciplina aduersum nos petitum. Parum quoque in Orthodoxorum scriptis se versatum prodit Schelstratius, quando nobis *impanationem* adfingit, quam non minus ac transsubstantiationem abominamur. Locum vero Tertulliani lib. IV. contra Marcionem tam Pontificios, quam Reformatos ferire demonstrauit Ioan. Conradus Dannhavverus in Christeide pag. 372. 373. insigni addito epiphonemate: *Quo argumento Marcionem debellat Tertullianus, eo nos vtrosque, & Papaos & Caluinisequas. Omnis figura corporea veri est corporis, & ne res sit vacua, præsentis; at figura in Sacramento est figura panis. Ergo panis veri, præsen-*

tis, non mutati. Item, figura panis est figura corporis Christi. ergo veri, ergo præsentis. Quæ omnia cum apertæ veritati innitantur, miror sane Antonium Pagium, qui in Critica Baroniano An. xxxii. num. ii. ista Schelstratii pro transsubstantiatione ἐυρήματα verbis eius repetiit calculoque suo comprobauit.

VII. Venio nunc ad vltimum Schelstratianæ Apologiæ caput, in quo nobis persuadendo plurimum laborat. Cum enim negare non posset, Eucharistiæ exponendæ & circumgestandæ morem, corporisque Christi festum in prisca Ecclesia locum non habuisse, rationem discriminis in arcani disciplina quæsiuit, apud Veteres quidem vsitata, quæ Hostiæ expositionem prohibebat, in sua vero Ecclesia abrogata, vnde omnis illa publici cultus pompa promanauit. Atenim si apud Veteres id omne propter gentilium irrisionem omissum est, mirari satis non possumus, Iesuitas, qui tanto alioquin strepitu antiquitatis obseruatores sese venditant, in Iaponum, Sinarum, aliarumque gentilium terris ad conuersionem eorum promouendam commorantes, non veterum illam, sed recentiorum disciplinam sequi. Annon optimo iure istis in aurem insusurret aliquis verba Lupi a Schelstratio probata: *Plateæ sunt plenæ oculorum & aurium, quæ Sacrosancta nec videre possunt, nec audire &c.* Quæ itaque dementia vos cepit, vt promiscuo gentilium conspectui exponatis & circumgestetis Sacramentum vestrum? Nos vnico exemplo erimus contenti, ex Annalibus eorum Iaponicis depromto, vbi narratur, cum primum id festum An. Domini 1605. Nangazachi celebraretur, Iaponas omnes neophytos promtissime vias publicas exornasse, & processionem comitatos esse, Eucharistiam Episcopo sub vmbella præferente, tormenta ænea displosa, ignes e nitrario puluere mira arte eiaculatos, saltationes varias exhibitas fuisse, eaq; ceremonia vehementer fuisse affectos Iaponum animos, admirabilemque de huius Sacramenti magnitudine opinionem inde hausisse; sic vt eius cupiditate inflammati inardescerent. Quis vero vnquam talia apud Veteres obseruata legit, vel audiuit? Cur non Iesuitæ quoque religiosum seruant silentium, quod in præsentia Ethnicorum antiqua Ecclesia tanto studio tenebat? Certe latet anguis in herba: peruersa nempe recentiorum Latinorum opinio de cultu adorationis pani consecrato extra vsum a Christo institutum deferendo, quem purior antiquitas nesciuit prorsusq; ignorauit. Hinc illa vt principiorum, ita & rituum disciplinæq; diuersitas exorta est, quemadmodum pluribus exemplis inter se collatis contendit Ioannes Dallæus L. ii. de Cultuo Religiosi Obiecto c. ix. x. xiv. & xvii. etsi Reformatorum hypothesin subinde admiscet, quam nostram haud facimus. Sed Schelstratius non concedit, Ecclesiam cum ritu dogma mutasse, Gorgoniæ Historiam, Cyrilli.

rillique verba obiiciens, quorum illa suo exemplo, hic præcepto Eucharistiam adorandam esse docuerit. Sed statum controuersiæ cum Lutheranis iterum negligit, quem si ex Nostratium libris cognouisset, nunquam ista nobis obuerteret, quæ adorationem Christo, *qui super altari honoratur*, præstandam & ab eo sanitatem requirendã docent, atq; cum reuerentia ex Cyrilli monito in actu celebrandi ad bibendum calicem accedere, nobis nec inuitis nec repugnantibus præscribunt. Nam & nos ipsi Christum in Eucharistia realiter præsentem adoramus, & cum summa veneratione Sanctissimum Sacramentum accipimus: reiicimus vero & impietatis damnamus cultum, qui pani seu hostiæ extra vsum manducandi a Christo præscriptum apud Pontificios defertur & exhibetur.



INDEX RERVM AVCTORVM-QVE PRÆCIPVORVM.

Numerus Romanus partem Exercitationum; barbarus paginam designat.

A.

Natalis Alexander *de Symb. Apost. refutatus* I. 2.*sq. de Iustini Mart. epistola ad Zenam & Serenum*, I. 192. *de Scriptis Ephremi*, I. 283. *&c. Historia eius a Papa igni adiudicata* II. 25. 26. *Schelstratio praeiuit in tradenda Disciplina arcani ibid.* 193. *&c. non audet Rinetum refutare de Oratione Chrysostomo supposita* II. 288. *eius sententia de occultatione Areopagiticorum* II. 300. *concedit indulgentiam Episcoporum erga Constantinum M.* II. 324. *male negat suppressam Chrysostomi epistolam* II. 348. *sqq.*

Leo Allatius *passim allegatur vel refutatur, inprimis* II. 255. *sqq.* 274. 277. 278.

Amalarius *Metensis non Treuirensis* I. 355. II. 263.

Ambrosius *Mediolanensis Natalem suum celebrauit* I. 350. *non fauet Schelstratio* II. 177. 178.

Anastasius ὁδηγȣ̃ *auctor quando vixerit* II. 294. *sqq. est diuersus a Patriarcha Antiocheno* 296.

S. Andreae passio II. 126.

Antiphonas quis primus in Ecclesiam introduxerit. I. 395.

Apostoli non obseruarunt disciplinam arcani II. 121. *sqq. quibus ritibus Eucharistiam consecrarint* II. 252. *sq.*

Apostolorum *vox laxius sumta* II. 165.

Archelai *Disputatio cum Manete* II. 59. 60. 81.

Aristides *illustratus* I. 127. *sqq.*

Arnobius *Catechumenus scripsit contra Gentes* II. 66. 67. 95.

Arnstadia *qualis vrbs* I. 300.

Asiae Proconsules non semper in fastis memorantur I. 129.

Athanasius *vnico Constantini Baptismo testimonium perhibet* I. 320. *quo sensu cum filiosque ab Antonio* Christianos *vocatos esse scripserit* II. 326. *non citauit Areopagitica* II. 292. 293.

Eius Dialogi de Trinitate sunt Maximi II. 265. *Symbolum non est ab eo confectum* I. 2. *sqq.*

Athanasius *iunior scripsit passionem imaginis Christi Berytensis & Quaestiones ad Antiochum* II. 145. *aliaque Magno Athanasio supposita* II. 292. 293.

ATHE-

ATHENAGORAS *non scripsit XII. libros περὶ τῶν εἰς ἑαυτόν L. 199. collat. cum 453. patria Atheniensis L. 199. Alexandriæ præfuit Scholæ Platonicæ & Christianæ 446. Legationem pro Christianis suscepit 200. 447. quibus Imperatoribus* Apologiam *suam obtulerit, & quo anno 203. sqq. 448. sqq. an ἐρωτικά scripserit 206. 207. 452. mysterium Trinitatis in Apologia non retinuit. II.*

Athenogenes *non est auctor hymni vespertini I. 403.*

Augustinus *duo tantum novi Testamenti Sacramenta agnovit II. 82. 84. 85. 276. non dogma, sed ritus Eucharistiæ celavit II. 99. 100. 105. 106. 178. 189. nec dogma Baptismi II. 111. de συγκαταβάσει in gratiam Gentilium conversorum II. 206. 207.*

Eius liber de Catechizandis rudibus prolixe illustr. II. 60. sqq. Comment. in Psalmos interpolatus I. 9. 10. Sermo in Festo Cathedræ Petri suppos. I. 372. Sermo 115. de Tempore suppos. I. 9. regula de traditionibus Apostolicis explicata II. 189. 190.

Aunarii dies ordinationis & gesta I. 392.

Azymo pane an Ecclesia Latina semper usa sit in Eucharistia II. 332. sqq.

B.

Baptismi doctrina ex disciplina arcani olim non occultata II. 110. 111.

Ceremoniæ multæ ab Ethnicis sumtæ II. 205. quando lac, mel & oleum adhibitum II. 200.

Barnabæ *epistola per errorem sociata Polycarpianæ, Polycarpum non habet auctorem I. 154. 155.*

Basilius M. *quo die ordinatus & mortuus I. 387. sqq. quid senserit de Disciplina arcani II. 17. 44. sqq. 164. sqq.*

Nova Operũ eius editio promissa I. 270.

Berischith rabba, *liber exiguæ auctoritatis I. 39.*

Guil. Beueregii *Codex Canonum Ecclesiæ primitivæ vindicatus II. 210. 211.*

Bibliadis & Blandinæ egregia confessio martyriumque II. 101. sq.

Breviarium fidei *quando scriptum I. 338.*

T. Burnetii *Theoria Telluris I. 291.*

C.

Cæsarius *Gregorii Nazianzeni frater, Catechumenus eruditus II. 65. 66. 315. 316.*

Calumniarum gentilium in Christianos ortus & decrementum II. 218. sqq.

Canones Apostolici *sunt suppositi I. 3. 4. & c. II. 14. 15. & c. quando compositi II. 211. sqq.*

Cantores Alexandriæ ex Catechumenis II. 63. 64.

Catechumeni triplices tripliciter informati II. 60. sqq. quos libros legerint 61. Scriptura ipsa illis concessa 61. 65. 245. 246 publicæ lectioni scripturarũ Concionibusque ab initio Christianismi interterant. 239. quando dimitti cœperint a Sacramentorum conspectu 250. sqq. aliquando in Theologia Christiana satis versati II. 315. 316.

Cathedræ Petri festum I. 372. sqq.

Guil. Caue *de martyrio Polycarpi I. 130. de Iustino Martyre eiusque scriptis I.*

432. sqq. de Athenagora I. 452. sqq. de Theophilo Antiocheno I. 455. sq. de Tatiano I. 456. de Hermia I. 227. de Iacobo Nisibensi I. 242. de Ephremi scriptis I. 287. 290. de Areopagiticis ab Apollinari confictis II.
Celsus Epicureus quando vixerit I. 444. II. 126. Christianorum occultos conventus reprehendit II. 4.
Cerinthus quando ortus I. 5.
Chinensium pietas erga Parentes I. 229. 230.
Obseruatio Eclipseos Passionalis I. 268
חול apud Iobum significat Phœnicem I. 35. sqq.
Chorepiscopi quando orti II. 205.
Christus quo anno dieque passus I. 267. 268. ad Abgarum scripserit I. 275. 276. non instituit disciplinam arcani II. 9. 121. sqq. verba eius de sancto Canibus non dando &c. diuersimode exposuerunt Patres 133. sqq.
Christiani etiam Catechumeni dicti II. 328.
Io. Ciampinus I. 58. 63. 355. II. 304. 334.
Clementis Alexandrini loca, quæ Schelstratius ad disciplinam arcani trahit, expenduntur II. 75. 93. sqq.
Clementis Romani epistola ad Corinthios non superest genuina I. 32. sqq. Pseudo-recognitiones a Bardesanista aliquo confictæ II. 9. 10. 67. sqq. 119. 141. 142.
Concilia feria II. incohata I. 347.
Concilium Hierosol. quando habitum I. 5. Romanum an. 465. celebratum I. 346. 347.
ConfirmatioBaptismi olim appendix, non peculiare Sacramentum I. 83. &c.
CONSTANTINI MAGNI BAPTISMVS Romanus ficticius I. 303. testimonia pro eo allata expenduntur I. 303. sqq. II. 314. sqq. non fauet ei disciplina arcani II. 120. 121. 314. sq. nec preces ad Deum fusæ II. 317. nec, quod Concilio Nicano Constantinus interfuit II. 320. 321. vnicus Baptismus Nicomediensis magis confirmatus I. 319. sqq. duplex explosus I. 324. sqq. Catechumenatus ostensus II. 324. 325.
Constitutiones Apostolicæ quo tempore compositæ II. 210. sq.
Crucis signum Gentilibus non occultatum II. 150. 151.
Cyprianus non fauet Schelstratio II. 154. sq. eius Expositio Orationis Dominicæ olim magnæ auctoritatis II. 124.
Cyrillus Alexandrinus non fauet Schelstratio II. 185.
Cyrillus Hierosol. non fauet Schelstratio II. 81. 173.

D.

Dacii Mediolanensis Chronicon suppos. I. 356. 357.
Διδαχὴ Ἀποστόλων quale scriptum olim II. 61.
Dionysius Alexandrinus non scripsit Scholia in Hierarchica II. 293. sq.
Dionysius Areopagita non venit in Gallias I. 149. eius Confessio de Trinitate coram Ethnicis II. 60. scripta sub eius nomine Sec. IV. conficta II. 16. 17. 285. sqq. an a tota Orientali Ecclesia pro genuinis agnita II. 143. sqq. Platonismo

ſmo tota ſcatent II. 146. 147. *cur & a quibus occultata fingantur* II. 298. *ſqq.*
DISCIPLINA ARCANI *quid?* II. 3. 4. *non confundenda cum ſacris clancularijs* II. 4. *nec a Chriſto inſtituta, nec ab Apoſtolis obſeruata* II. 4. 5. 8. *ſqq.* 121. *ſqq. quando orta* II. 6. 8. 193. 213. 215. *ex Gentilium ſacris, Eleuſiniis præſertim, transſumta* II. 213. 214. 264. *tantum circa duo N.T. Sacramenta verſabatur* II. 82. *ſq. non in dogmatum, ſed Symbolorum rituumque occultatione conſiſtebat* II. 3. 7. 93. *ſqq.* 216. *&c. quando deſierit in Latina Eccleſia* 8. 259. *ſq. in Græca diutius durauit, eiusque aliquid ſimile hodienum conſpicitur* 8. 263. *ſqq.*
Diurnus Liber *vid.* Liber.
Docendi methodus duplex, vulgaris & accuratior II. 12. 13. 41. *ſqq. Chriſto & Apoſtolis etiam vſitata* 48. *ſqq. ſed a nonnullis Eccleſiæ Doctoribus longius protracta* 51. 52. *ab arcani diſciplina eſt diuerſiſſima* 53. 54. *inde fluit obſcuritas in doctrina de Eucharistia* II. 114. 344.
Henr. Dodvvellus *de annis Irenæi* I. 105. 106. *de martyrio Polycarpi* 130. *de epiſtola eius ad Philippenſes* 150. *de anno natali Iuſtini Martyris* I. 419. *de auctore Expoſitionis fidei Quæſtionumque ad Orthodoxos Iuſtino ſuppoſitarum* 437. *de Athenagora eiusque Apologia* I. 204. 443. *de Tatiano* I. 455. *de Theophili Antiocheni libris ad Autolycum* 454.
Δόγμα & Κήρυγμα *in veteri Eccleſia quomodo diſtincta* II. 44. *ſqq.*

E.

Ebedieſu *de Scriptis Ephremi illuſtr.* I. 290. *ſqq.*
Ebion quando ortus I. 5.
Abrah. Ecchellenſis *faſtus* I. 296. 297. *error de Canonibus Nicænis Arabicis* 246. *ſqq. de ætate Ephremi* I. 274. I. II. 145. *Vindiciæ fruſtraneæ pro ſcriptis Dionyſii Areopagitæ* II. 144. *ſqq.*
Eccleſiarum Orientis & Occidentis in ritibus conſenſus non infert traditionem Apoſtolicam II. 192.
Edeſſa *qualis vrbs* I. 275.
EPHREMI SYRI *auctoritas in Oriente & Occidente* I. 273. *vrbs natalis incerta* 274. *Diaconatus, ſed Presbyteratus incertus* 275. *Epiſcopatus declinatus* 276. *annus diesque mortis incertus* 276. 277. ſcripta *in Eccleſiis olim publice recitata* 277. *hodie in Græcis Latinisque verſionibus ſuſpecta* 278. *ſqq. in alias etiam linguas translata* 287. 288. *Syriaca genuina vbi deliteſcant* 288. *ſqq. Vſſerius edere voluit* 289. *recenſentur ex Ebedieſu & illuſtrantur* 290. *ſqq. cum Indicum expurgatoriorũ ipſi demandanda* 298.
Epiphanii *Ancoratus non fouet Schelſtratio* II. 98. 99. 172. 173. *nec alius locus* II. 256. 257.
Eraſmi *ſententia de Symbolo Apoſtolico* I. 15. 17.
Ἔρως *apud Græcos de hypoſtaſi vſurpatus* I. 68.
Eucharistia quibus ritibus ab Apoſtolis conſecrata II. 251. *ſqq. primis temporibus ab Epiſcopis conſecrata & a Dia-*

conis distributa I. III. 112. *peregrinis etiam Episcopis concessa* I. 109. *sqq. eius non dogma, sed Symbola & ritus occultabantur ex disciplina arcani* II. 111. *sqq. an apud Latinos semper confiteris ex pane azymo* II. 332. *sqq. adoranda, sed nec exponenda, nec circumgestanda* II. 354.

Exequiales ritus quales olim I. 268. *sqq. cur a non-initiatis occultati* II. 83.

F.

Petrus Faedirius (Faydit) *notatus* I. 117. 118.

Ioan. Fellus *frustra ex Iobo pugnat pro Phœnice* I. 34. *sqq. verba Cevalleri tribuit Hieronymo* I. 40. 41. *quid senserit de Apologia Athenagoræ* I. 202. 203.

Fermentum *in Eucharistia quo sensu dixerint Veteres* II. 332. *sqq.*

Ferrandus & Fulgentius *Schelstratio non fauent* II. 189. 190.

Fractio panis *apud Lucam infert disciplinam arcani* II. 13. 14. 123. 124.

G.

Ioan. Garnerii *sententia de Symbolo Apostolico notata* I. 415. *de scripti Iacobi Nisibensis prolixe refutata* I. 239. *seqq.*

Gaudentius *Brixiensis non fauet Schelstratio* II. 175. 176.

Gentiles quando in fide Trinitatis informati II. 57. *sqq. indices dati in Disputationibus Orthodoxorum cum Arianis aliisque hæreticis* II. 57. *sqq. a sacris suis pellebant Christianos* II. 215 *Scripturas Sacras legerunt* II. 232. *sqq.* *Lectioni publicæ Euangeliorum & Concionibus interesse permissi* II. 239. *sqq.*

Gentilium calumnia de cœnis Thyesteis &c. quando & vnde orta II. 218. *sqq. alia de adoratione genitalium Sacerdotis vnde orta* II. 84.

Genua flectendi mos tempore Pentecostes quando ortus II. 204.

Græca Ecclesia quomodo hodie habeat VII. *Sacramenta* II. 273. *contra Turcas etiam seruat Disciplinam arcani* II. 266. *sq.*

Gregorius Nazianzenus *Trinitatis mysterium non reticuit* II. 78. *sqq. nec de Baptismo & Eucharistia Schelstratio fauet* II. 163. 164. *scripta Areopagitica cognita habuit* II. 291. 292.

Gregorius Nyssenus *de vita Ephremi* I. 274. *de disciplina arcani non fauet Schelstratio* II. 163.

Gregorii Magni *Psalterium MS.* I. 29. *Sacramentarium interpolatum* I. 385 386.

Greussena *qualis vrbs* I. 232. 233.

Iacobus Gronouius *notatur* I. 55.

Guicciardini *locus emsus, sed restitutus* I. 319. 344.

H.

HERMIAS *quis fuerit, incertum* I. 227. 228. *videtur esse* Hermias Sozomenus I. 456.

Hieronymi *epistola ad Præsidium suppositia* I. 40. *Catalogo quando scripto* I. 253. 254. *locus de Baptismo Constantini* I. 334. 335. II. 27. 28. *loca de Disciplina arcani Schelstratio non fauent* II. 169. 170.

Ho-

Hosius *quomodo auctor Symboli Nicæni I. 13. disputauit cum Gregorio Elberitano II. 57. 58. 59. quomodo mortuus II. 58.*
Nic. Hunnii *Consilium de Societate Theologorum erigenda I. 260.*
Hymnus *quid? I. 293. 294.*
Hymni veteris Ecclesiæ quomodo cantati I. 394. 395.
Hymnus matutinus, ἑωθινός I. 398. sq. vespertinus, ἑσπερινός I. 402. II. 64.
HYMNVS: TE DEVM LAVDAMVS, compositus ex hymnis Græcorum, matutino præsertim I. 396. sq. Ambrosium & Augustinum non habet auctores I. 405. neque Abundium, neque Sisibutū &c. I. 409. non demum tempore Ludouici Pii decantatus I. 411. Romæ in Natalitiis Pontificum vsitatus I. 355. sq.

I.

Iacobi Apostoli *epistola explicatur II. 196. 197.*
Liturgia supposititia I. 26. II. 257. 258.
Iacobi Edesseni *ætas, auctoritas & scripta I. 240. sqq.*
IACOBI NISIBENSIS *patria, I. 231. miracula 233. sqq. pura doctrina 239.* scripta *contra Garnerium defensa 239. vsque 257. subscriptio in Concilio Nicæno & gratia apud Constantinum M. ibi parta 258. 259. discipuli 261. confessio sub Maximino 261. annus diesque mortis incertus 262. sqq. sepulcrum 265.*
Iacobi Sarugensis *ætas, auctoritas & scripta I. 243. 244.*
Iacobus Tentzelius, *vid.* Tentzelius.
Ieiunium Quadragesimale quando institutum II. 211. 212.
Iesuitarum censura cauillatoria Symboli Apostolici I. 15. 16. expositio & processio Eucharistiæ in China II. 354.
IGNATII *patria I. 46. 47. parens an Proselytus Antiochenus vel Iudæus natus? 48. Episcopatus non Patriarchatus 48. 49. martyrii temp9 49. sqq.* Epistolarum *variæ editiones 52. 55. de Vossii & Vsserii editione varia eruditorum sententia 53. sqq. a quo illæ sint interpolatæ I. 161. versio antiqua in Biblioth. Vaticana I. 63. Apophthegma: ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, de Christo, non amore mundano explicandum 65. sqq. Is primus Antiphonas instituit I. 395.*
Illiberitanus Canon de Imaginibus explicatus II. 304. sqq.
Imagines quando in Ecclesiam receptæ II. 306. 309.
a Gentilium conspectu non prohibitæ II. 305. 306.
Immersio trina non est traditionis Apostolicæ II. 167.
Imprecatio *in Eucharistia quid? II. 166.*
Indicum Expurgatoriorū cura Ephremo demandanda I. 298.
Innocentius I. *Papa Schelstratio non fauet II. 182. sq.*
Ioannes Chrysostomus *quo die ordinatus & mortuus I. 390. 391. non occultauit dogma Eucharistiæ, sed tantum Symbola & ritus II. 111. sqq. 181. sq.*
Eius epistola ad Cæsarium *immani plagio a Theologis Paris. emissa II. 18.*

quod ab Alexandro frustra negatur II. 348. *est enim a Basnagio & Harduino posteà edita* 349. 350.
Oratio de Pseudoprophetis *est suppositicia* II. 286. *sqq.*
Ioannes Darensis *quando vixerit* I. 144. 145.
Iobius *cum* Iobo *Monacho a Schelstratio confunditur* II. 274.
Irenæus *quod viderit Polycarpum, & scripserit contra hæreses* I. 105. 106. *an a Polycarpo Diaconus, a Pothino Presbyter ordinatus?* I. 114. 115.
Isaaci Syri *duo*, II. 145. 146.
Isidorus Pelusiota *Schelstratio non fauet* II. 184.
Iudæi quando primis Christianis odiosi facti II. 215.
auctores calumniarum in Christianos sparsorum II. 219. *sqq.*
Iulius *Papa non fauet Schelstratio* II. 97. 98. 160.
IVSTINI MARTYRIS *patria, parens, annus* I. 167. *tempus natiuitatis*. I. 420. *martyrii* 168. *sqq.* 421. *sq.* scriptorum *dispositio* 171. 172. & 425. Orationes duas ad Græcos, *quomodo inscribendæ* I. 172. II. 426. Apologiæ duæ, *quo ordine temporeque scriptæ* I. 174. *seq.* 420. 428. 430. liber de Monarchia *mutilus* I. 177. 178. 432. Reprehensio Dogm. Aristot. & Quæstiones ad Græcos *suppositiciæ* 179. *sq.* 433. 426. Dialogus cum Tryphone *quando scriptus* 182. 183. 435. Expositio fidei *suppos.* & *Nestorianismo infecta* 183. *sqq.* 435. Quæst. & Resp. ad Orthod. *suppos.* 187. 188. 436. Epistola ad Diognetum *genuina* 189. *sq.* 438. Epist. ad Zenam & Serenum *genuina* 192. *sq.* 440. *scripta deperdita* 196. *sq.*
Iustinus Martyr *priori sua Apologia impetrauit Rescriptum pro Christianis* II. 128. *non obseruauit disciplinam arcani* II. 6. 120. 126. *sqq. duo tantum N. T. Sacramenta agnouit* II. 276. 277. *male confunditur cum Iustino Trogi epitomatore* I. 195. 196.

K.

Κοινὸν Ἀσίας, *quid sub Ethnicis, quid sub Christianis Imperatoribus?* I. 150.
Κύριε ἐλέησον *a Gentilibus sumtum* II. 206.

L.

Lac & mel in Baptismo quando adhiberi cœptum II. 200.
Lactantius *Institutiones pro Gentilibus scripsit* II. 130. 131. *Schelstratio non fauet*, ibid.
Ioan. Langus *Iustini Interpres qualis?* 171.
Latini Veteres per Quadragesimam natales Martyrum non celebrabant I. 133. *Græcorum Cantica imitabantur* I. 403. *sq.*
Leo Magnus *quale Symbolum Apostolicum sequutus* I. 29. 30. *quo die ordinatus mortuusq;* I. 370. *sqq.*
Liber Diurnus Romanorum Pontificum *Romæ suppressus Parisiis editus* I. 352. *sqq.*
Bullæ Pontificum secundum formulas eo contentas scriptæ I. 359. 360. *sqq.*

Litur-

Liturgiæ *Apostolicæ suppositiciæ I. 25. 26.*
Luciani *Peregrinus I. 142. 451.*
Philopatris I. 394. II. 62. 125. 126.
Christiani Lupi *sententia de Symbolo Antiocheno I. 24. 25.*
de Symbolo Apostolico I. 413. sq.
de Disciplina arcani obiecto II. 115.

M.

Magnes *scriptor ignotus II. 235. 236.*
Ioan. Malela *de Ignatii martyrio I. 50. sqq.*
Christoph. Marcellus *edidit Libros Ceremoniarum Rom. Ecclesiæ id propter ad ignem postulatus I. 369.*
Martyrum cultus a gentilibus sumtus II. 206. 207.
Gebh. Theod. Meierus *de arcani disciplina II. 3. 213. &c.*
Mel & lac in Baptismo quando adhiberi cœptum II. 210.
Methodius *citat Athenagoram I. 200. 201. 446.*
liber eius de Creatis *II. 136. 137.*
Micrologus *quando scriptus I. 366. 367.*
Minutius Felix *non fauet Schelstratio II. 96. 97.*
Stephanus le Moyne *de vita Polycarpi I. 100.*
de martyrio Polycarpi I. 136. sqq.
de epistola Polycarpi I. 151. sqq.

N.

NATALITIA EPISCOPORUM *quando cœperint celebrari I. 344. quibus ritibus I. 350. sqq.*
Neapolis Palæstinæ *qualis urbs I. 167.*
Negatiuum argumentum in Origine rituum Ecclesiasticorum ipsis Pontificiis usitatum II. 208. 209.
Nicæni Concilii Canones Arabici *prolixe descripti & examinati, I. 247. sqq.*
Symbolum vide Symbolum.
Nisibis *qualis urbs 231. ter a Persis obsessa, tandem dedita I. 237. 263. 264.*
Henr. Norisius *de martyrio Polycarpi I. 132.*

O.

Oecumenii *locus Schelstratio ostensus & cum Eusebio reconciliatus II. 101. sqq.*
Ordines Ecclesiastici quando aucti II. 204.
Orientis Ecclesiæ *an tantum Antiochenæ? I. 22. 100.*
Origenes *illustratus II. 7. 33. 41. 94. 152. 153.*
Eius Commentarius in Canticum Cant. I. 66. Disputatio coram Eutropio II. 59.
Osculum sacrum Christianorum Gentilibus calumniandi ansam præbuit II. 227.
Otto Magnus cum filio suo Liudolfo Arnstadii reconciliatus I. 300.

P.

Antonius Pagi *de Ignatii Martyrio I. 50. de Eleuthero 106. de martyrio Polycarpi I. 134 sqq. de Iustino Martyre eiusque scriptis I. 422. sqq. de Athenagoræ Apologia I. 203. 205. 450. de Die Passionis Christi I. 267. 268. de Ephremi Presbyteratu I. 275. minus recte adhæret Schelstratio II. 94. &c.*

Schelstratii παρέργημα *de Iobio exscribit II.* 274.
Palladius *Schelstratio non fauet II.*
Papæ *nomen soli Pontifici Romano olim non fuit proprium* I.194.
Papebrochius *unicum Constantini M. Baptismum agnoscit* II.26. 27.
Paschale certamen quando ortum II. 201. 202.
Paullus *non obseruauit disciplinam arcani II.* 11. *sqq.* 125. *sed* συγκατάβασιν *apud Gentiles & Christianos* II. 49. 50. 51. 55. *sqq.* 74. 75. 93. 94.
Io. Pearson *de annis primorū Romæ Episcoporū* I.108. *de Epistolis Ignatii* I.54. *de annis Polycarpi* 101. 102. 106. *de martyrio Polycarpi* I.123. *sqq.*
Petrus *non obseruauit Disciplinam arcani* II. 124. 125.
[P]hilotheus *de disciplina arcani* II. 80. 81.
Phœnicis fabula ex Clemente Rom. defendi solet I. 32. 33. *Iobus ei non patrocinatur* I. 34. *sq. denotat Solem* I. 34.
Photii *in Bibliotheca silentium nihil prædicat* I. 191. 250.
L. E. du Pin *Noua Bibliotheca passim citatur aut corrigitur.*
Platonicam methodum multi Patrum in docendo obseruabant II. 52. 53.
Plinii *epistola de Christianis non fauet Schelstratio* II. 127. 128.
Pœnitentia olim non celata non-initiatos II. 83. 84. *calumnia gentilium inde orta* II. 84.
primum Iudaicæ conformis, deinde mutata II. 202. 203.
quando seuerior facta II. 203. 204.
Pœnitentium gradus quando orti II. 204.
Pollio *Proconsul Asiæ* I. 125. 126.
diuersus a Prætore Pergamenorum I. 125.
Polycarpi Leyseri *res gestæ* I. 74. 75. *scripta nonnulla* 75. *amor in nomen Polycarpi* 75. 76. *mors* 76. *epistola reperta.* 418.
POLYCARPI SMYRNENSIS *Vita Pionio tributa* I. 76. *sqq. est supposititia* 97. *sq. anni LXXXVI. quomodo intelligendi* I. 100. *sq.* 104. *quando ad Christum conuersus* 101. 102. 103. *celebrauit Pascha cum Apostolis* I. 102. 103.
ab iisdem ordinatus 103. *antecessores eius incerti* 103. *in Apocalypsi laudatus* 104. 105. *hæreticorum malleus* 107. *cur Romam venerit* 107. 108. 117. *quomodo ei Anicetus* παρεχώρησε τὴν εὐχαριστίαν 108. *sqq. non agnouit Pontificem Rom. pro capite Ecclesiæ* 113. *misit in Gallias Euangelii præcones* 114. 115. 116. *vnde eius ibi memoria solennissime celebrata* 116. *Smyrnæorum de eius martyrio epistola* 118. *annus diesque martyrii* 118. vsque ad 140. *Amphitheatri, in quo passus, sepulcrique status hodiernus* 140. 141. *an columba ex corpore eius processerit* 141. 142. *ætas* 143. 144. *Reliquiæ* 144. Epistolæ *variæ* 146. De obitu S. Ioannis *Liber supposititius* 146. ad Dionysium Areopag. epistola *suppos.* 147 *sqq.* epistola ad Philippenses *hodie* inter-

interpolata 149.*sqq.* *a quo?* 161. Fragmenta *suppositititia* 163.164.
Precatio versus Orientem post Apostolos in Ecclesiam recepta II. 166. *a gentilibus sumta* II. 206.
Procli *Opusculum suppositititium* II. 255. 256.
Psalmi mane & vesperi in Veteri Ecclesia quotidie recitati I. 396.397.

Q.

Quadrati *tres in Fastis, quorum duo Pro-Consules Asiæ fuerunt* I. 130.131. 136.137.
Paschasii Quenellii *sententia de die ordinationis obitusque Leonis M. rejecta* I. 370.*sqq.*

R.

Theoph. Raynaudi *infelix fatum* I. 16. 17.
Ritus Ecclesiastici primo Judaicis conformes II. 193. *sqq. quamdiu retenti* 195.*sq. cur & quando cœperint mutari & augeri* 198. 199.*sqq. non a privatis, sed in Synodis provincialib9 ordinati* 209. 210.
Roha *vel* Rhea *urbs est Edessa* 241.
Romanorum Episcoporum primorum Chronologia nova, quid de ea statuendum I. 107.
Fastus seculo quarto ab Ethnicis reprehensus 345. *Natalitia* I. 345. *seq. quibus ritibus celebrata* I. 350. *seqq. Quinquennalia & Decennalia* I. 370. 371.
Rufinus *non favet Schelstratio* II. 174.175.
Claud. Rufinus Prætor Smyrnæus I. 126. 418.

S.

Sacramentorum Novi Testamenti duo tantum non septem II. 82.*sq.* 272. *sq. Vox late dicitur* II. 170.272.278.
Sandius *refellitur* I. 12.*sqq. & alibi.*
Schelstratius *mala fide Orthodoxam sententiam impugnat* II. 2.3. *edere vult Acta Orientalis Ecclesiæ contra Lutheranos & Calvinianos* II. 2. 32. 273. *male Trinitatis mysterium refert ad obiectum disciplina arcani* II. 67. *sqq. frustra vii. Sacramenta occultata dicit* II. 82. *male negat, Ethnicos Scripturam S. legisse* II. 232. *male ex disciplina arcani elicit septenarium Sacramentorum numerum* II. 271.*sq.* γνησιότητα *Hierarchicorum Dionysii Areopagitæ* 285.*sq. cultum imaginum primis seculis* 304. *Baptismum Constantini Romanum* 314. *perpetuum azymi usum* 332. *figuram typumque Corporis & Sanguinis Christi in Patrum scriptis* 344. *Transsubstantiationem* 344.*sq. expositionem circumgestationemque Eucharistiæ in veteri Ecclesia non receptam* 354. *tenetur respondere de Baptismo Constantini* II. 26. 27. *quem duplicem fingit* I. 302.*sqq.*
Casp. Scioppius *scribit contra Jesuitas* I. 15.16.
Scriptura N. T. in communem Gentium usum Græce scripta I. 230.231. *utriusq. Testamenti a Gentilibus & Catechumenis lecta* 232.*sqq.*
Scythianus, Manichæi præcursor, quando Hierosolymam venerit II. 197.

Seuerus Asiæ Pro-Consul quo anno I. 125. 128.

Seueri*Rituale Syriacum a quo confectum* I. 294.

Simon Magus non est auctor calumniarum de Thyesteis epulis &c. II. 211. *sqq.*

Smyrnæorum *de Martyrio Polycarpi epistola* I. 118. *sententia de vero Martyrum cultu* 144.145.

Sozomenus *de Symbolo Nicano seruauit disciplinam arcani* II. 77. 78. *& de Eucharistia* II. 187. *forte scripsit irrisionem Philosophorum Gentilium, quæ Hermiæ nomine prostat* I. 227. 456.

Ezech. Spanhemius *de Pollione Asiæ Pro-COS.* I. 125.126. *de Claud. Rufino* I. 126. 418.

Aug. Steuchus *notatur* II. 132.

SYMBOLVM APOSTOLICVM *non est ab Apostolis compositum* I. 2. *sqq. nec ab Arianis vel Photinianis confectum* 11. *sqq. versum in linguam Franciam & Alemanicam* 17. 21. 29. 30. *Sæculo II. in Ecclesia Romana cœpit componi* 18. *olim fuit breuius* 19. *quale in reliquis Ecclesiis Occidentis* 20. 21. *& Orientis* 22. 23. *an vnusquisque Apostolorum Symbolam suam contulerit?* 30. *quando in hodiernam formam redactum* 32.

Symbolum Athanasii *vid.* Athanasius.

Symbolum Nicænum *a quo & vnde confectum* I. 13. *auctum ante Synodum CPnam* I. 25. *quando ante Euangelium cani cœptum* I. 26. 27. *cur coram Gentilibus occultatum* II. 77.

Synesius *Christianismum & Platonismum sociauit* II. 52. 53.

Syriaca versio Bibliorum cuius ætatis? I. 292. 293.

Syri puncta prius, quam figuras vocalium adhibuerunt I. 297.

T.

TATIANI *patria* I. 218. *lapsus in hæresin* 219. 220. 455. Oratio ad Græcos 220. 221. Harmonia 222. *sq.* 455.

TE DEVM LAVDAMVS. *Vide* Hymnus.

IACOBI TENTZELII *patria & parentes* I. 232. *studia & functiones* 234. 235. *pura doctrina* 239. scripta 257. 258. *gratia apud Principes* 259. 260. *discipuli* 261. *epiphonema Concionis vltimæ notabile* 266. *dies & hora mortis* 266. *sepultura & Epitaphium* 270. *sqq.*

Tertullianus *illustr.* I. 10. 11. II. 7. 147. *sqq.* 207. *sqq.*

Thaddæus *non est sequutus Symbolum Apost.* I. 28.

Theodoretus *non occultauit dogma, sed Symbola Eucharistiæ* II. 106. *seq.* 188. 351.

Theophilus, ad quem Lucas scripsit, quis? I. 207. 208.

THEOPHILVS ANTIOCHENVS *non confundendus cum eo, ad quem Lucas scripsit* I. 207. *quando ad Episcopatum peruenerit* 209. 210. *an libros* 3. ad Autolycum *scripserit?* 212.

INDEX.

212. 213. 454. *sqq. an* Commentaria in Euangelia? 214. *sqq.* 455.
Transsubstantiationi non fauent Patres II. 345. *sqq.*
Trinitatis imagines quando pictæ II. 304. 305.
festum quando institutum I. 362. *sqq.*
mysterium in veteri Ecclesia diuersimode traditum II. 54. *sqq.*
Tryphon. 435.

V.

Laur. Vallæ *sententia de Symbolo Apost. eiusq; fatum* I. 13. *sq.*
Vnctio extrema hodiernorum Latinorum antiquis Christianis ignota, nec Gentilibus occultata II. 84.


W.

Petrus Wastelius *de Ecclesiis Orientis & Symbolo Apostolico* I. 23. *Vindiciæ eius pro Joanne Hierosolymitano parui æstimantur* II. 289.
Jac. Wellerus *in Expositione fidei Justino Martyri tributa Nestorianismum deprehendit* I. 186. 187.
G. Wheleri *Itinerarium* I. 126.
Wilhelmus Archiepiscopus Moguntinus Arnstadii electus I. 300.

Z.

Zeno Veronensis *quando vixerit.* I. 391. II. 156. *sq. non fauet Schelstratio* II. 157. 158.
Zohar *liber dubiæ antiquitatis* I. 38.

LIPSIÆ,
TYPIS GOEZIANIS.



5-4